



5.



SEBASTIANI GIRIBALDI

Ex Clericis Regularibus Barnabitis
Congregationis S. Pauli

OPERA MORALIA

DE CONTRACTIBUS, ET CENSURIS.

Additis in Nuperrima hac Editione pluribus, ſuis ſignanter locis diſtributis, ex Edictis, Decretis, ſeu Inſtitutionibus, atque Bullis SS. D. N.

BENEDICTI XIV.

STUDIO ET LABORE

ANTONII GIANDOLINI

SACERDOTIS VENETI.

OPUS

Non minus Confeſſariis perutile, quam Parochis neceſſarium.

TOMUS QUINTUS.



BONONIÆ, CIↃ IↃCC LXII.

Sed proſtat

VENETIIS

Apud NICOLAUM PEZZANA.

T A B U L A

Tractatuum, Capitum, & Dubiorum, quæ in hoc Opere continentur.

TRACTATUS PRIMUS

De Justitia, & Jure.

CAPUT I.

De Justitia, & Jure in communi.

CAPUT II.

De Dominio, & illius speciebus.

CAPUT III.

Apud quos, & quorum possit esse Dominium.

CAPUT IV.

De acquisitione Dominii.

CAPUT V.

De Justitia distributiva.

CAPUT VI.

De Judiciis.

TRACTATUS SECUNDUS

De Restitutione.

CAPUT I.

De Restitutione in communi.

CAPUT II.

Quisnam teneatur restituere.

CAPUT III.

De Concussis, seu Cooperantibus ad actionem injustam, & damnum inferendum.

CAPUT IV.

De eo, quod est restituendum.

CAPUT V.

De aliis circumstantiis restitutionis.

CAPUT VI.

De caussis excusantibus a restitutione.

TRACTATUS TERTIUS

De Contractibus.

CAPUT I.

De Contractibus in genere.

CAPUT II.

De Contractu Emptionis, & Venditionis.

CAPUT III.

De Mutuo, & Usura.

CAPUT IV.

De Cambiis.

CA-

C A P U T II.

De Absolutione Censurarum.

C A P U T. III.

De Excommunicatione.

C A P U T IV.


De Suspensione, & Degradatione.

C A P U T V.

De Interdicto, & Cessatione a Divinis.

C A P U T VI.

De Irregularitate.



TRA-



TRACTATUS PRIMUS
DE
JUSTITIA, ET JURE.



Nter cardinales Virtutes secunda numeratur justitia, quæ omnium moralium facile princeps, & prima est, teste Philosopho 5. *Ethicorum* cap. 1. dicente; *Præclarissima virtutum est Justitia, & nec hesperus, nec lucifer ita admirabilis.* Hæc Civilem Societatem ita fovet, ut, ipsa sola sublata, omnis inter homines Concordia, omnis amicitia, omnis sociabilitas collaberetur, & humanum genus mutatione degeneri in feralem rueret conditionem. Hæc firmat pacem, bellis obsistit, seditiones restinguit, regnisque securitatem præstat; hæc tota est in communi non minus, quam particulari etiam cujuscumque Personæ bono procurando, ut de illa dixerit Ambros. quod *Virtus publica est, aliis nata, non sibi, foris tota est, & quidquid habet quadam inclementia sui, dum rapitur amore communi, transfundit in proximos.* Hæc non pars virtutis, sed Virtus universa appellatur ab Arist. 5. *Ethicor. cap.* 3. quippe quæ per omnes virtutes longe lateque vagatur, omnium fundamentum est, & basis, & ita ipsa sine ceteris virtus est, ut ceteræ sine ipsa virtutes esse non possint. Hujus tractationem aggredimur in præsenti secundum considerationem moralem, quæ potest esse utilis, & necessaria Confessariis.

CAPUT I.
De Justitia, & Jure in Communi.
DUBIUM I.
Quid, & Quotuplex sit Jus.

CUm Justitia definiri soleat, *Virtus tribuens unicuique jus suum*, non potest illa perfecte dognosci, nisi prius explicato Jure, quod respicit pro suo objecto; semel enim illo explicato, & præcognito, facilius natura justitiæ, illiusque a reliquis virtutibus distinctio innotescet. Solet autem *Jus* multipliciter sumi; nam sumitur aliquando pro lege, quæ est regula juris, & jubet reddi unicuique, quod est illi debitum, & ita distinguimus jura secundum leges, *in jus naturale, jus positivum, jus Divinum, jus Gentium, jus humanum, Civile, & Canonicum*, de quibus postea dicam. Aliquando sumitur pro legum notitia, & scientia, unde illius professores dicuntur Jurisperiti. Aliquando sumitur pro materia, & objecto legum, seu pro eo, quod alteri debetur ratione juris: sic justitia dicitur reddere *unicuique jus suum*. Aliquando sumitur pro ratione, & titulo, ob quem aliquid alteri debetur, & est legitima potestas ad rem aliquam obtinendam, retinendam, servandam, repetendam, vel ad aliquam functionem, seu quasi functionem a nullo licite impedibilem. Hoc Jus, quod etiam dicitur potestativum dividitur bifariam, aliud namque est *jurisdictionis*, aliud *proprietatis*. Jus *jurisdictionis* per se primo ordinatur in utilitatem, & felicitatem Subditi; sicut jus *proprietatis* per se primo ordinatur ad utilitatem, & felicitatem illius, cui inest tale jus, & hoc præcipue consideratur in præsenti; & consideratus a justitia, cum illud primum respiciatur ab Obedientia, quam Superioribus præstare debemus.

2. *Jus proprietatis* recte definitur, *Libera facultas disponendi de re aliqua in utilitatem propriam non impedibilis licite ab aliis*. Dicitur *libera facultas*, quia jus convenit solum Naturæ rationali, quatenus rationalis, & libera est, nec convenire potest irrationalibus, quibus nec etiam injuria inferri potest. Dicitur *disponendi de re aliqua in utilitatem propriam*, per quas particulas differt *jus proprietatis* a Jure jurisdictionis, quia illud Primum directe, & principaliter ordinatur ad propriam felicitatem, & utilitatem subjecti illud habentis, sicut *jus jurisdictionis* per se primo, & directe ordinatur ad felicitatem & utilitatem aliorum; potestas enim gubernativa respicit bonum commune, & utilitatem subditorum, non vero utilitatem gubernantis, nisi secundario, & indirecte. Dicitur *non impedibilis licite ab aliis*, ut potestas juris distinguatur a potestate libera latronum, & Tyrannorum, quæ licite impeditur. Jus ergo tribuit liberam facultatem subjecto, cui inest, disponendi de re sua, & gravat alios quoscumque, ne possint rem illam auferre, & divendere contra voluntatem jus habentis: ex eodem enim capite, ex quo oritur in uno jus, oritur in aliis omnibus obligatio non auferendi, nec impediendi usum, seu dispositionem illius. Et quia legitima potestas disponendi oritur ab aliqua lege positiva, vel naturali conferente jus, & gravante alios, ideo etiam additur ab aliquibus in definitione Juris, *Libera facultas disponendi de re aliqua munita lege favente sibi, & gravante alios.*

3. Jus modo dictum dividitur in *jus ad rem*, & *jus in re*. *Jus in re* est illud, quod quis habet circa rem aliquam postquam assecutus est illius possessionem, & inde habet rem illam sibi devinctam, & obligatam, & tribuit actionem realem, per quam quis potest rem illam repetere, & accipere ubicumque eam repererit, nam transit semper devincta, & obligata, & quisque tenetur eam restituere, estque perfectissima species dominii, quia nihil nobis magis devinctum est, quam cujus habemus dominium. *Jus ad rem* est illud, quod quis habet circa aliquam rem, cujus nondum adeptus est possessionem, nec habet illam sibi devinctam, nec tribuit actionem realem, sed personalem: sic qui emit equum, soluto pretio, & secuta traditione, dicitur habere jus in re, & habere equum sibi devinctum, & obligatum, ante vero traditionem solum habet jus ad rem, id est habet titulum justum, & aptum habendi talem equum, nondum vero habet illius dominium; habet jus ad equum habendum, non vero jus in illo: unde si venditor fraudulenter equum alteri vendat, & tradat, remanet secundi emptoris, nec primus emptor potest ab illo equum repetere, sed solum habet actionem circa personam venditoris, ut pretium, & damna restituat, quia res ipsa nondum est obligata, quamvis sit obligata persona ad rem, & equum dandum suo tempore. Ita Molina *tr.* 2. *de Just. dub.* 2. Lessius *l.* 2. *c.* 2. *dub.* 2. *n.* 10. Malder. *tr.* 1. *c.* 2. *dub.* 3. aliique communiter.

4. Jus sumptum pro justo, & æquali, seu pro eo, quod alteri debetur, potest sumi large pro omni eo, quod alteri ex quacumque honestate, seu æquitate est debitum, & dicitur *debitum Morale*, *seu honestatis*; vel stricte pro debito legali, quod proprie est debi-

tum justitiæ, ortum ex jure activo alterius, cum debitum morale non oritur, nec fundetur in jure activo alterius, sed solum in honestate morali, & debita rectitudine virtutis, quam quisque servare tenetur in suis actionibus, quæ sunt ad alterum; quisque enim operari tenetur secundum legem virtutis, & dictamen rectæ rationis, quamvis alter verum jus ad hoc non habeat: v. g. quisque tenetur debito honestatis, & secundum dictamen rectæ rationis eleemosynam dare pauperi, quamvis iste non habeat jus, nec actionem ad hoc, ut illi detur; quod idem valet de gratitudine, amicitia, & aliis hujusmodi Virtutibus, quæ sunt ad alterum, & fundant debitum honestatis, & morale.

5. Jus sumptum pro lege, ac dictamine rationis jubente reddi unicuique, quod est ei debitum, eodem modo dividitur, ac Lex, ita quod aliud sit *naturale*, aliud *positivum*: positivum dividitur in *Divinum*, & *humanum*: humanum in *jus Gentium*, *Civile*, & *Canonicum*. *Jus naturale* est illud, quod natura ipsa immobiliter præscribit, seu quod oritur ab ipsa natura rationali, nec pendet ab ulla libera operatione; quapropter sicut naturæ conditio est immutabilis, ita quoque lex naturalis est immutabilis, manentibus iisdem circumstantiis rerum: sic de jure naturali est, bonum esse faciendum, malum vitandum, Deum colendum, standum promissis, non mentiendum, non furandum, & cetera, quæ in Decalogo continentur.

6. *Jus positivum* est, quod pendet ex libera Dei, vel hominum voluntate, cujus proinde obligatio non ex ipsa natura præcise, sed ex voluntate oritur, conformiter tamen, & congruenter ad naturam, unde mutari potest, etiamsi omnes circumstantiæ, cum quibus antea obligabat, eædem maneant, quia ejus objectum ideo malum, quia prohibitum; ideo bonum, & necessario exequendum, quia præceptum, non e contra, sicut contingit in jure naturali.

7. *Jus positivum Divinum* est, quod Deus ipse, aut Christus Homo Deus immediate per se ipsum, aut Angelorum, Hominumque ministerio, & nomine ipsius circa ea, quæ juris naturalis non sunt, constituit, qualia sunt in nova lege præcepta Sacramentorum, & in lege antiqua præcepta cæremonialia, & judicialia. Dixi *circa ea, quæ juris naturalis non sunt*, quia licet multa, quæ sunt de jure naturali, sint etiam mandata Divini legis positivæ, non propterea dici debent esse præcise de jure positivo Divino, sed de jure positivo Divino simul, & de jure naturali: & quoad hæc præcepta intelligendus est Gratianus dicens; ea, quæ continentur in Evangelio, esse jus naturale.

8. *Jus positivum humanum* est, quod humana auctoritate positum est, quæ autem, & quanta auctoritas humana requiratur, unde item talis auctoritas derivetur, explicatur in tract. de Legibus: solum hic adverto, omne jus humanum dici positivum, quia nomine juris humani non intelligitur illud omne jus, quod est in homine, qua ratione etiam jus naturale appellari deberet humanum, sed illud solum, quod ab homine fit; jus autem naturale in homine, non fit ab homine, sed a Deo, qui est Auctor naturæ rationalis, & luminis naturalis ad ipsam consequentis.

9. *Jus Gentium* dicitur illud, quod observatur apud omnes Gentes, & earum consensu, seu usu est inductum; nam sicut omnes Gentes, tametsi Regnis, & Provinciis divisæ, habent semper moralem aliquam unitatem, & mutua communicatione indigent, ita etiam indigent jure aliquo, & legibus, saltem usu ipso latis, & tantopere diffusis, quantum communicatio illa, quam dirigunt; unde Justinianus *in Instit.* de Jure naturali Gentium, & Civili ait: *Jus Gentium omni humano generi commune est*; nam usu exigente, & humanis necessitatibus, Gentes humanæ jura quædam sibi constituerunt.

10. *Jus Civile* est illud, quod auctoritate Principum sæcularium conditum est, ac sancitum.

Canonicum est illud, quod auctoritate Summi Pontificis, vel Conciliorum conditum est: Sed de his plura in tract. de Legibus.

DUBIUM II.

Quid sit Justitia, & an sit Virtus ab aliis distincta.

11. SUmitur aliquando Justitia lato modo pro omni eo, quod rectæ rationi consentaneum est, quomodo qualibet virtus, & collectio tota virtutum appellari solet Justitia: etenim cum Justitia æqualitatem quandam importet, & justum sit, quod est æquale, & commensum suæ regulæ; nullaque sit Virtus, quæ non dicat æqualitatem, & conformitatem cum recta ratione, sequitur, quod nulla sit Virtus, quæ non sit quædam Justitia; & collectio omnium virtutum recte appellatur justitia, quod in Scripturis Sanctis, & apud Sanctos Patres frequentissimum est, Matth. 5. *Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam. Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, & Pharisæorum non intrabitis in Regnum Cælorum*, & Matth. 1. Joseph dicitur *vir Justus*, id est perfectus in omni virtute. Insuper quia radix omnium virtutum est Caritas, quæ est vinculum perfectionis, voluntatemque reddit toti legi Divinæ conformem, sæpe ab August. justitia sumitur pro ipsa Caritate, & Gratia. Sic de Natura, & gratia cap. 38. ait. *Caritas Dei, qua quo Justus est quicumque justus est*, & cap. ult. *Caritas inchoata, inchoata justitia est, Caritas magna, magna justitia est, Caritas perfecta, perfecta justitia est*. Omnes etiam in Gratia constitutos vocamus Justos propter ipsam gratiam.

12. Secundo sumitur Justitia stricte, & determinate pro virtute aliqua morali, quæ est ad alterum, ponitque æqualitatem juris inter personas diversas, servando, seu reddendo cuilibet jus suum, seu quod cuilibet est debitum, & vocari solet justitia particularis, ad differentiam præcedentis, quæ appellatur justitia generalis. De hac Justitia particulari loquimur in præsenti, & definitur ab Ulpiano l. Justitia ff. de Just. & Jure. *Constans, & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi*, quæ definitio non solum approbatur a Juristis, sed etiam a Theologis cum D. Th. 2. 2. *q.* 58 *art.* 1.

13. In hac definitione *Voluntas* non sumitur pro potentia, sed pro habitu inclinante voluntatem, ita ut sensus sit. *Justitia est habitus voluntatis firmiter, & constanter inclinans voluntatem ad tribuendum unicuique jus suum, non ad aliquod tempus determinatum, aut in aliqua tantum materia, sed semper, & in omnibus*; qui enim tantum semel, aut bis, non autem semper, & in omni eventu vellet cuique jus suum reddere, non esset vere justus, nec haberet hanc virtutem. Dicitur *jus suum*, quæ particula stat loco differentiæ, & non sumitur active, scilicet pro jure activo, & potestativo, quod neque per justitiam tribui, neque per injustitiam auferri potest, sed passive pro eo, quod cadit sub jure activo alterius, id est pro eo, quod cuique stricta obligatione est debitum; & innuitur justitiam esse virtutem ad alterum, & semper alterum respicere, cui jus suum tribui velit. Ly *tribuens* debet accipi positive, & negative, quia ad eamdem virtutem pertinet dare jus suum nondum habenti, & non auferre jam habenti quod suum ipsius est. Hæc definitio ad rectam formam reducitur a D. Thoma 2. 2. *q.* 58. *art.* 1. dicens: *Justitia est habitus, secundum quem aliquis constanti, & perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit ad æqualitatem.*

14. Ex hac definitione patet discrimen Justitiæ a reliquis virtutibus moralibus, quæ vel non sunt ad alterum, vel non respiciunt jus strictum, & rigorosum ortum ex jure activo alterius, sicut respicit justitia, sed debitum solum morale, & honestatis, qua ratione differt a Gratitudine, Amicitia, Liberalitate, Affabilitate, Veracitate, Fidelitate, & aliis virtutibus, quæ respiciunt debitum morale, quod nimirum si violetur, fiat contra honestatem morum, sed non contrahitur obligatio restituendi, & satisfaciendi, ut contingit in violatione debiti justitiæ. Respicit etiam Justitia jus adæquabile, quod nimirum per actionem positam a justitia ita exhauritur, ut nihil amplius sine injustitia exigi possit ab eo, qui justa agit; nam justitia rigorosa cum sit illa, quæ ponit æqualitatem inter partes, si æqualitas sit impossibilis, est etiam impossibilis justitia rigorosa, & hac ratione differt justitia a Religione erga Deum, a Pietate in Patriam, & Parentes, & ab observantia erga Superiores, quæ respiciunt jus inadæquabile, quia numquam illis possumus reddere æquale; quidquid enim homo illis reddit, reddit minus quam debet, inde D. Thomas 2. 2. *qu.* 80. *art.* 1. *in corp.* ait, quod dupliciter aliqua virtus ad alterum existens, a ratione justitiæ deficit, uno quidem modo in quantum deficit a ratione æqualis, alio modo in quantum deficit a ratione debiti, sunt enim quædam virtutes, quæ debitum quidem alteri reddunt, sed non possunt reddere æquale. Videatur D. Th. *l. c.* ubi explicat quænam virtutes deficiant a ratione debiti, quænam a ratione æqualis.

15. Duo alia discrimina solent afferri inter justitiam, & reliquas virtutes morales; primum est, quod reliquæ virtutes morales versantur circa passiones moderandas, quomodo se habent Fortitudo, & Temperantia, quæ versantur circa moderandas passiones, tamquam circa materiam propriam ipsarum; Justitia vero versatur circa operationes exteriores ordinatas ad ponendam æqualitatem cum jure alterius: rectificat enim voluntatem, ut velit ponere æqualitatem in rebus secundum quod aliis est debitum; & quamvis hoc possit impediri per iram, timorem, amorem pecuniæ, tamen illius non est hæc impedimenta per se ipsam tollere, sed præsidio aliarum virtutum; omnes enim virtutes se mutuo juvant, dum quævis tollit quædam alterum impedimenta: sic mansuetudo temperat iram; unde juvat alias virtutes,

puta

puta justitiam, obedientiam, humilitatem, quarum functiones per iram impediri possunt; Fortitudo moderatur timorem; Liberalitas pecuniarum amorem: Justitia vero tribuit, quod unicuique debitum est.

16. Alterum discrimen est, quod, cum omnis virtus consistat in medio inter defectum, & excessum, ut habet Arist. 2. *Ethicor.* reliquæ virtutes respiciunt medium rationis, justitia vero respicit medium rei, id est medium statutum a natura rei, non vero taxatum a ratione, sicut est medium aliarum virtutum: & ratio disparitatis est, quia medium justitiæ sumitur per ordinem ad jus alterius, quod debet adæquari, & supponitur per se notum, & inde tale medium est natura sua determinatum tam quoad se, quam quoad nos, nec indiget ratione indagante, & taxante id, quod est retribuendum, sed tantum proponente; medium vero reliquarum virtutum sumitur per ordinem ad internam dispositionem operantis, quæ nobis occulta est, & varia pro varietate temporum, & inde tale medium non est nobis notum, sed indiget prudentis rationis præscripto, quo, pensatis omnibus circumstantiis loci, temporis, & subjecti, illud prudenter determinetur, quod existimatur tale, etiamsi forte in re tale non sit, quia cum illud sit nobis occultum, nec possit alia via innotescere, quam prudentis rationis indagine, illud tenendum est esse medium virtutis, quod prudens ratio præscripserit.

17. Hinc sequuntur duo: primum est medium aliarum virtutum non consistere in indivisibili, nec esse semper invariabiliter idem, sed varium pro varia conditione subjectorum, & circumstantiarum, sic v. g. medium, quod respicit temperantia non est semper indivisibiliter idem, nec potest taxari una quantitas cibi pro omnibus, sed una quæ est sufficiens, & æqualis pro uno, erit minor pro alio, & major pro tertio; inde taxanda est a prudenti ratione, pensatis omnibus circumstantiis complexionis, temporis, & subjecti; in Justitia vero semper est idem medium, qualecumque tandem sit subjectum, quod medium consistit in æqualitate rei ad rem, ut pretii ad rem venditam: vel proportionis ad proportionem, nempe ut talis sit proportio inter munera, & onera communia, qualis est inter Personas, quibus hæc distribuuntur, unde dicitur medium rei non excedens, non deficiens a jure alterius.

18. Alterum, quod sequitur est, quod, posito solo medio rationis, extinguitur obligatio aliarum virtutum, non sic obligatio justitiæ, qui enim debet alteri viginti, si bona fide solvat decem, credens se nihil plus debere, non propterea extinguit debitum, sed, cognito errore, tenetur reddere alia decem. Qui vero uno die bona fide plus comedit, quam simpliciter deberet, non tenetur sequenti die minus comedere, ut compenset excessum materialem diei præcedentis, dummodo in sequentem diem non resultaverit inde diversitas. Nec dicas, ergo qui ex præcepto tenetur intra mensem uno die jejunare, & prudenter existimat non esse contra substantiam jejunii vesci carnibus, non tenebitur postea, cum id animadvertit jejunare, contra enim dico per se non teneri, per accidens tamen ex determinatione Ecclesiæ, quæ jejunium determinat per abstinentiam Carnium, teneri ad totum actum abstinentiæ juxta Ecclesiæ præscriptum.

19. Dices; *in reliquis etiam virtutibus reperitur medium rei natura sua determinatum ante rationis præscriptum, ut in virtute Temperantiæ accedere ad suam, & non ad alienam; in virtute Fortitudinis pugnare cum hostibus, & non cum aliis.*

Resp. in exemplis datis duas adesse virtutes, altera, quæ moderatur passionem in ordine ad se, altera quæ servat illæsum jus alienum: sic temperantia moderatur passionem concupiscentiæ, justitia vero servat illæsum alterius torum: fortitudo moderatur passionem irrascibilis in aggrediendis periculis mortis, justitia vero immunem servat vitam innocentium, unde non est contra fortitudinem, sed contra Justitiam facit, qui alios, quam hostes aggreditur, vel aliam quam suam cognoscit.

DUBIUM III.

An Justitia Generalis, seu Legalis sit virtus aliqua specialis.

20. JUstitia universaliter sumpta dividitur in generalem, & particularem; justitia enim, cum sit virtus ad alterum, seu respiciens alterum, potest alterum respicere dupliciter, vel ut est persona particularis in ordine ad bonum proprium, & particulare ipsius, vel ut est pars communitatis in ordine ad bonum commune totius. Primo modo dicitur justitia particularis, quæ subdividitur in commutativam, & distributivam, de qua dicemus dubio sequenti: secundo modo dicitur justitia generalis, quia respicit bonum generale, & commune, seu bonum proprium totius communitatis, ordinat enim partem ad totum, & Civem ad Rempublicam, Dicitur etiam *generalis*, quia ad ipsam spectare possunt omnes aliæ virtutes, quas omnes potest ordinare ad bonum commune, & propter tale bonum imperare: & inde non dicitur virtus generalis generalitate transcendentiæ, aut prædicationis, quatenus omnes alias transcendat, & de omnibus prædicari possit, sed generalitate objecti, quia respicit bonum commune, & generalitate caussalitatis, quatenus potest in actu omnium virtutum ad modum caussæ universalis influere, qua ratione Sol dicitur caussa universalis, quia in omnes fere effectus aliarum caussarum influit, & Caritas etiam dici potest virtus universalis, quia potest in actus aliarum virtutum per imperium influere, & ipsos ad proprium objectum, quod est bonum Divinum, seu finis ultimus, ordinare: & quia bonum commune est finis præcipuus legum ferendarum, lexque omnis, ut vera sit, debet esse lata propter bonum commune, factum est, ut & Justitia generalis, quia respicit bonum commune, nominetur etiam justitia legalis, sumiturque pro eodem justitia legalis, & justitia generalis.

21. Dubium est: *an virtus hæc legalis, seu generalis sit specialis aliqua virtus distincta ab habitibus aliarum virtutum, an potius sit collectio omnium virtutum.*

Non esse virtutem aliquam particularem, sed aggregatum quoddam ex omnibus virtutibus tenent Buridanus, Javellus, & Donatus, quos refert Turrianus *disp. 8. dub. 1. n. 5.* apud Lugum *disp. 1. sect. 4. n. 62.* nam per collectionem, & exercitium omnium virtutum observantur omnes leges tum divinæ, tum humanæ, & redditur homo perfectus, tum quoad se, tum quoad Communitatem, in qua vivit: consentit Philosoph. 5. *Ethicor. c. 1. & 2.* dicens, justitiam legalem in eo sitam esse, quod quis legibus pareat: & infra ait: *Justitia non virtutis pars est, sed virtus universa.* Alii admittentes, esse virtutem particularem, eam non distinguunt a Pietate, quæ sicut inclinat ad colendos Parentes, a quibus geniti sumus, ita inclinat ad procurandum; & conservandum bonum Patriæ, in qua nati sumus, & in qua vivimus, ut probabile putat Lessius in præsenti *num. 12.* vel certe non distinguitur ab obedientia.

22. Resp. Justitia legalis, seu generalis est virtus specialis, & particularis a ceteris distincta, inclinans ad observantiam omnium legum, quatenus id conducit ad bonum commune Reipubl. Ita etiam tenet Philosoph. 5. *Ethicor. c. 1. & 2.* ubi eam comparans ceteris ait, esse omnium præstantissimam, ejusque objectum assignat a reliquis distinctum nempe bonum commune, & 3. *politicor.* asserit, contingere sæpe aliquem esse bonum virum, quatenus nemini infert injuriam, & tamen non esse bonum Civem, quia negligit bonum commune. Quare dum ait, justitiam legalem non esse partem virtutis, sed integram virtutem, id debet intelligi ratione materiæ, quam dirigit, quia nimirum omnes speciales virtutes dirigit, & ordinat ad bonum commune, sicut Caritas dici potest integra virtus ratione materiæ, quatenus omnes virtutes dirigit, ut suas operationes exerceant propter Deum, cum quo stat esse virtutem specialem, & particularem distinctam ab aliis: & ita tenent D. Thomas 2. 2. *q. 58. art. 6.* Lugus *disp. 1. sect. 4.* Sotus *de Just. l. 3. q. 2. art. 3.* Lessius *l. 2. c. 1. dub. 3. n. 11.* Palaus *tr. 31. disp. un. punct. 3. n. 3.* Filliuc. *tr. 31. c. 2. q. 11.* aliique satis communiter.

23. Ratio est, quia virtus specificatur ab objecto formali, & ubi datur objectum formale diversum, dari etiam debet specialis virtus ab aliis distincta, & diversa; sed justitia legalis habet objectum formale proprium, & distinctum ab aliis, nimirum bonum commune Reipubl. propter quod etiam vult, & procurat observari leges, tum a se, tum ab aliis, illiusque proprius actus est procurare, ut leges serventur, & incolumis stet Respublica; hoc objectum habet specialem honestatem, & difficultatem, nam privatus quilibet bonum commune tenetur præferre bono proprio, siquidem pars est propter totum, & bonum partis est propter bonum totius; quare Virtus quæ circa illud versatur, est diversa a ceteris. Objectum materiale justitiæ legalis esse potest omnis virtus, quatenus ab ipso possunt omnes actus aliarum virtutum ordinari ad bonum commune, & propter tale bonum imperari, unde etiam hæc virtus dicitur generalis, non generalitate transcendentiæ, & prædicationis, ut supra notavimus, sed virtute, & imperio, quatenus imperat omnibus virtutibus moralibus, earum actus dirigendo in bonum commune. Differt a Pietate, quia debitum, quo partes Reipubl. tenentur curare bonum illius totius, cujus sunt partes, est debitum majus debito pietatis, ex quo ratione beneficii ortus obligamur Parentibus, & Patriæ consulere, & sic virtus legalis est major, & perfectior virtute Pietatis.

24. Hæc virtus una, & eadem est in Principe, & in privatis, quatenus omnes moveri possunt ex affectu

boni

boni communis ad juvandam, & protegendam Rempublicam, cujus uterque est pars, licet Princeps sit pars nobilior, & principalis in suo ordine. In Principe dicitur Architectonica, quia arte, & prudentia leges præscribit ad bonum commune conducentes; in Subditis vero dicitur Ministralis, quia obediunt, seu moventur ad ministrandum, & exequendum, quæ sibi in bonum commune sunt imperata, ut notat D. Thomas 2. 2. *q.* 58. *art.* 6. Contra illam peccat Princeps leges iniquas, & bono communi noxias concedens; peccat Civis particularis si Rempublicam tradere instituat, vel aliter bono communi adversetur.

25. Non negaverim tamen, hanc virtutem legalem multum differre a perfecta, & rigorosa justitia; deficit enim in eo, quod rigorosa justitia stricte sumpta versatur inter eos, qui ita distincti sunt, ut unus non sit aliquid alterius, sed habeat jus omnino diversum, & distinctum: qua ratione dicimus inter Patrem & Filium, Dominum & servum non dari strictam, & rigorosam justitiam defectu rigorosæ alteritatis; at Civis cum sit pars Reipublicæ non perfecte distinguitur ab illa, & sic justitia legalis non potest esse stricte, & rigorose talis, cum non sit ad alterum omnino distinctum. Deinde, quia debitum illius sæpe est ex honestate, & decentia, non ex rigorosa obligatione, quæ inducat peccatum cum onere restituendi, ut fatentur Lugo, Palaus, & alii.

26. Cum hoc tamen stat, posse dari rigorosam justitiam inter Civem, & Rempublicam, quando non considerantur tamquam totum & pars, sed tamquam membra distincta, & veluti personæ particulares habentes jura diversa, ea ratione, qua dari potest rigorosa justitia inter Patrem & Filium, Dominum & servum in rebus, in quibus a se invicem non dependent, nec unus accipitur, ut pars alterius, sed ut singularis persona omnino distincta, ut docent cum D. Thoma Cajet. 2. 2. *q.* 57. *art.* 4. Lugo *disp.* 1. *sect.* 2. *num.* 31. & 35. Palaus *punct.* 2. *n.* 4. Sed tunc justitia, qua Respublica, & Communitas paciscit cum suis Civibus, illisque obligatur, & vice versa, non tamquam pars cum toto, sed tamquam particularis persona cum alia particulari, non est justitia legalis, sed commutativa, quæ versatur inter partem, & partem.

27. Dices: *si justitia legalis est virtus ab omnibus aliis distincta, sequitur, quod quoties violatur lex aliqua, duplex violatur virtus, atque ita duplex peccatum committitur, vel certe numquam illa virtus violatur sine formali, & expresso contemptu boni communis, quod non videtur dicendum.*

Resp. in qualibet violatione legis non includi duplex peccatum in confessione exprimendum, etiamsi violetur justitia legalis, quia hæc est generalis circumstantia inclusa in quolibet peccato, quæ propterea non potest constituere speciale peccatum, sicut obedientia, gratitudo, caritas, etiamsi virtutes sint speciales, numquam tamen contra illas peccatur, nisi quando specialiter intenditur malum oppositum illarum motivis.

D U B I U M IV.

De Justitia Distributiva, & Commutativa.

28. PRæter justitiam legalem ordinantem partes ad totum, Cives ad bonum commune Reipublicæ, duplex alia datur Justitia, una, quæ dirigit totum ad partes; altera, quæ ordinat unam partem ad alteram; prima dicitur justitia distributiva, quæ dividit, & distribuit Munia, Officia, bona, & onera propria Communitatis inter Cives juxta merita, conditionem, & dignitatem personarum secundum proportionem geometricam: secunda vocatur justitia commutativa, & est illa, quæ versatur inter privatas personas, inter Civem, & Civem, illorumque commutationibus commerciis, venditionibus, & contractibus ponendo in aliis æqualitatem arithmeticam; in furtis, injuriis, homicidiis, per restitutionem, nam munus illius est jus alterius servare illæsum, vel si læsum fuerit ad debitam æqualitatem reducere.

29. Æqualitas arithmetica est absoluta, & perfecta, & dicitur æqualitas rei ad rem: abstulisti decem, totidem restituens ponis æqualitatem perfectam rei restitutæ cum re ablata, quæ appellatur arithmetica, & dici etiam solet æqualitas dati, & accepti, involvitque rationem commodi, & incommodi, vel ut loquitur Aristoteles 5. *Ethicor. c.* 5. *passi, & repassi, seu contrapassi*, ita scilicet, ut quantum quis incommodi, & damni patitur, abdicando dominium alicujus rei, tantumdem commodi, & utilitatis repatiatur, seu contrapatiatur accipiendo ab eo æquivalens, & acquirendo dominium rei æquivalentis. Æqualitas geometrica est respectiva, & consistit in hoc, ut unicuique detur juxta merita, seu ut servetur eadem proportio inter præmia data, quæ est inter merita accipientium, ut si habenti merita ut decem dentur quinque portiones bonorum communium, habenti merita ut viginti dari debeant decem portiones bonorum, & sic habenti merita, & dignitatem triplo majorem, quam alter, debetur proportio bonorum communium triplo major, quam alteri. Quare Justitia distributiva versatur inter duas proportiones, & quatuor terminos, sic quia ita se habent quatuor ad octo, sicut decem ad viginti, justitia distributiva, ut æqualiter Reipublicæ bona distribuat, si habenti merita ut octo tribuit præmium ut quatuor, habenti merita ut viginti, debet tribuere præmium ut decem: Justitia vero commutativa versatur formaliter inter duos terminos præcise, nempe duas res invicem commutatas, nulla habita ratione personarum.

30. Ex his habes, ex triplici potissimum capite justitiam distributivam, & commutativam invicem differre; primo ratione finis, quatenus justitia distributiva respicit ordinem totius ad partes, commutativa ordinem partium inter se. Secundo ratione materiæ, quatenus justitia distributiva habet pro materia bona communia distribuenda, a quorum distributione dicitur distributiva; commutativa habet pro materia bona particularia invicem commutanda, a quorum commutatione dicitur commutativa. Tertio ratione medii, quatenus medium justitiæ distributivæ est proportionalitas geometrica, medium commutativæ est proportio arithmetica. Addi potest quartum discrimen ratione subjecti, quatenus justitia commutativa residet in privatis personis, & quælibet privata persona potest proprios perfectosque actus justitiæ commutativæ exercere. Justitia vero distributiva residet principaliter in superiore, seu in persona habente publicam potestatem; distributio enim bonorum communium Reipublicæ, quæ est actus justitiæ distributivæ, non potest legitime fieri nisi ab habente facultatem a Republica, persona quippe privata distribueret bona aliena sine auctoritate domini, si distribueret bona communia sine auctoritate Reipublicæ, quæ sola habet verum dominium talium bonorum; minus principaliter, & secundario reperitur etiam in privatis Civibus, & personis, qui debent esse contenti tali distributione geometrice facta, ut habet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 61. *art.* 1. *ad* 3.

31. Quæres primo; *An Justitia distributiva, & commutativa differant essentialiter, & specifice?*

Negat Buridanus 5. *Ethicor. q.* 7. dicens, differre solum accidentaliter: affirmant cum D. Thoma, & Philosopho Theologi fere omnes, Lugo *disp.* 1. *sect.* 3. *n.* 47. Lessius *l.* 2. *c.* 1. *dub.* 4. *n.* 21. Palaus *punct.* 4. *n.* 3. Filliuc. *cap.* 2. *q.* 11. *n.* 45. Andreas a Matre Dei in cursu Theologiæ Moralis *tom.* 3. *tr.* 12. *c.* 1. *punct.* 4. *n.* 28.

32. Resp. illas differre essentialiter, & specifice; ratio est, quia justitiæ illæ differunt essentialiter, & specifice in ratione Justitiæ, quæ habent diversa objecta formalia, tum proxima, tum remota; sed hujusmodi sunt justitia distributiva, & commutativa; nam objectum formale proximum justitiæ est æqualitas cum jure, remotum vero est jus alterius, & Justitia commutativa, & distributiva respiciunt æqualitates, & jura specie diversa, siquidem Justitia commutativa respicit æqualitatem arithmeticam, quæ specie differt ab æqualitate geometrica, quam respicit distributiva, cum una sit æqualitas omnino rigorosa, & secundum quantitatem, altera sit æqualitas minus rigorosa, secundum proportionem, atque adeo una est æqualitas rei ad rem, nullo habito respectu personarum, altera æqualitas proportionis ad proportionem, ut supra explicatum est.

33. Respiciunt etiam jura specie diversa, pro quo adverte duo jura distingui, secundum quod dupliciter potest aliquis habere jus ad aliquam rem: primum est ille titulus, quo quis ut persona privata potest aliquid dicere suum, tamquam verus illius dominus sine ullo respectu ad alios, tamquam ad membra Communitatis; sic Petrus habet jus in suam domum, suam famam, suum agrum, & alias res suas: alterum est ille titulus, quo aliquis, ut membrum Communitatis potest exigere aliquid ex bonis Communitatis, non quidem solus, sed simul cum aliis ejusdem Reipublicæ partibus, quod quidem jus ita est in una parte Communitatis, ut tamen pendeat a jure, quod habent aliæ partes ejusdem Communitatis, pro quarum non solum conditione, sed etiam numero illud crescit, & decrescit, neque ita strictum est, ut ante distributionem possit illud usurpare, vel dicere suum, aut refundere in Rempublicam obligationem restituendi.

34. Justitia itaque commutativa respicit primum illud jus, quod est verum dominium formale, absolutum, & independens ac præscindens a dignitate personæ, & ponit æqualitatem arithmeticam cum tali jure stricto. Justitia vero distributiva respicit illud jus, quod non est verum dominium, sed jus respectivum, dependens ab

aliis,

aliis, & secundum proportionem dignitatis personæ, & ponit æqualitatem geometricam cum tali jure; sed hujusmodi duo jura sunt specie diversa: ergo justitia distributiva, & commutativa respiciunt jura specie diversa, & sic inter se differunt essentialiter.

35. Sæpe tamen contingit, in eadem materia concurrere utramque Justitiam, sic qui accipit à Republica centum distribuenda pauperibus juxta proportionem paupertatis, & meritorum cujusque, vel ad id tenetur ex Testamento, & Legato, debet, ac tenetur ex utraque Justitia fideliter distribuere: ex distributiva quidem tamquam Minister distribuens nomine Reipublicæ, magis tamen principaliter ex commutativa; nam ex Decreto Reipublicæ, seu ex legato, & testamento quilibet pauper juxta mensuram suæ paupertatis acquisivit jus strictum, & rigorosum æquivalens dominio ad certam partem bonorum, quam Distributor tenetur illi solvere, & non solvendo contrahit obligationem restituendi, quia facit contra jus strictum quæsitum tali pauperi, ut juxta mensuram suæ paupertatis detur illi tanta portio bonorum, ex Decreto Reipublicæ, vel ex Testamento, seu Legato.

36. Dices: *justitia commutativa respicit aliquando æqualitatem geometricam; ergo non potest distingui a distributiva per talem æqualitatem. Antecedens probatur multis exemplis, cum aliquis ex eodem contractu pluribus debet, quibus non potest integre satisfacere, tenetur solvere singulis plus, vel minus, servata proportione debiti cujusque, similiter si contraxisti societatem cum pluribus, qui summam inæqualem contulerunt, teneris plus lucri dare illis a quibus plus collatum est pecuniæ, idque secundum proportionem; si enim summa sit triplo major, debet etiam esse triplo major quantitas lucri, & cum iste actus sit Justitiæ commutativæ, sequitur in Justitia commutativa servari æqualitatem geometricam.*

37. Resp. Justitiam distributivam intendere æqualitatem geometricam primo, & per se sistendo in tali geometrica proportione, ut scilicet æqualis sit excessus illius, quod datur excessui dignitatis, quam habet accipiens: Justitia vero commutativa non respicit æqualitatem geometricam primario, & per se, quia non respicit dignitatem, nec meritum personale, sed per accidens, & secundario ad inveniendam æqualitatem arithmeticam sibi propriam. Quando quis ex contractu debet pluribus id, quod plene solvere non potest, intendit cum unoquoque æqualitatem arithmeticam sibi possibilem, ad quam tamen cognoscendam utitur proportione geometrica, qua cognita, solvit eodem modo uni, ac si deberet illi soli, & solvit totum id, quod potest, supposita impotentia solvendi totum.

38. Similiter, quando ex contractu societatis pluribus debetur inæqualis quantitas lucri, quia inæqualis est summa, quæ collata est a singulis, tunc servatur æqualitas geometrica tantum per accidens ad cognoscendam æqualitatem arithmeticam, quia debitor primario intendit solvere Creditori id, quod ei debet ex contractu societatis, ex quo debetur illi v. g. quarta pars lucri eodem modo, ac si solus esset socius; si enim nulli alii adessent socii, non plus ei deberetur, quam quarta pars lucri, quæ non crescit, vel decrescit pro majori, vel minori numero Sociorum, sicut in Justitia distributiva pro numero Civium crescit, vel decrescit jus singulorum.

39. Dices 2. *Justitia distributiva servat aliquando proportionem arithmeticam: ergo non distinguitur essentialiter a commutativa.* Probatur antecedens: *quando unicum est beneficium, tunc non distribuitur inter plures, sed uni tantum datur digniori, & tamen est actus justitiæ distributivæ. Similiter si quis Cathedram, aut aliud Beneficium petat sine concursu, tunc nulla inter plures fit distributio, & tamen servatur Justitia distributiva.*

Resp. negando antecedens, quia licet Beneficium in primo casu non detur pluribus, attenditur tamen ad merita plurium, & comparantur inter se, ut appareat quis sit dignior; per accidens deinde est, quod res non dividatur, quia est indivisibilis, ceterum per se loquendo Justitia divideret pro mensura meritorum. In secundo casu quando unus solus est, qui venit ad concursum, aut Beneficium traditur sine concursu, docet Lugus adhuc fieri comparationem illius, qui venit cum aliis, qui non venerunt, qui proinde non habent tantam dignitatem, & meritum, quam habet iste, ut ei conferatur Cathedra, & Beneficium.

40. Alii dicunt, in utroque casu exerceri Justitiam commutativam, si tamen aliqua exercetur justitia, quia ille solus est dignior, aut qui venit ad concursum jus habet ad Beneficium; alii vero nullum habent jus, & sic illi debetur Beneficium, ac si esset solus, esto per accidens aliquando respiciatur æqualitas geometrica ad cognoscendum jus strictum, & commutativum, quod ibi solum reperitur. Addi potest pro solutione istius & præcedentis difficultatis, Justitiam distributivam, & commutativam magis principaliter, & primario distingui per ordinem ad jus alterius, quod si est strictum, rigorosum, & absolutum, specificat Justitiam commutativam, si vero est respectivum, dependens ab aliis, & secundum proportionem dignitatis personæ, specificat Justitiam distributivam.

41. Quæres: *utrum justitia vindicativa sit proprie justitia, & utrum commutativa, vel distributiva.* Justitia vindicativa idem est ac punitiva, eo quod puniat, & ulciscatur delicta inflictione pœnæ; & quia proportionem servat in pœna infligendæ juxta illud Deuteron. 15. *pro mensura peccati erit & plagarum modus*, videtur non deficere a rigorosa justitia. Verum tamen est multum ab illa differre, & sic non pertinere neque ad justitiam commutativam, nec ad distributivam, ut bene probat P. Cacheranus *de Deo uno l. 1. c. 10. §. 6.*

42. Ratio est, quia justitia stricte sumpta reddit unicuique jus suum, id est ponit æqualitatem cum jure activo alterius: at Justitia vindicativa ponit quidem æqualitatem pœnæ cum qualitate delicti, non tamen ponit æqualitatem cum jure alterius; nam si Princeps nocentem non puniat, nullam ei facit injuriam. Ad summum justitia vindicativa in Superiore, seu Judice comparative ad Rempublicam videtur justitia rigorosa, & utique commutativa, nam eo ipso, quod quis suscipit officium Judicis, tacite contrahit cum Republica, ipsisque implicito pacto se obligat, &, si deinde officium suum non exequitur, vel inique exercet, violat jus, quod Respublica in ipsum ex tacito pacto acquisivit, & tenetur ex Justitia resarcire Reipublicæ damna, quæ sequuntur ex talis juris violatione, punitio tamen delictorum numquam est actus justitiæ commutativæ, cum non habeat pro objecto jus proprietatis alicujus, neque etiam ipsius personæ læsæ, quæ nihil accipit ab eo, qui punitur, & sæpe ei condonat tunc delictum, & cedit omnia sua jura. Item quia pœna magis respicit culpam commissam, quam damnum illatum, & magis est in illius satisfactione, quam in illius compensatione: crediderim, justitiam vindicativam spectare potius ad justitiam generalem providentialem, seu gubernativam, quam ad justitiam particularem commutativam, seu distributivam, quia potius respicit bonum commune, quam particulare, nimirum arcere delicta, & facilitatem peccandi.

DUBIUM V.

Inter quas Personas possit versari Justitia.

43. Solet in præsenti agitari celebris illa difficultas, *utrum Dei ad homines, & vicissim hominis ad Deum dari possit vera, & rigorosa Justitia:* cui difficultati, cum jam a nobis negativa assertione satisfactum sit in quæstionibus de Incarnatione, restat solum ut videamus inter quasnam Creaturas versari possit rigorosa justitia. Et primo dubitatur de Angelis, & hominibus invicem comparatis: secundo de Angelis comparatis inter se: tertio de hominibus comparatis inter se, in quibus triplex potissimum comparatio habet difficultatem, nimirum comparatio Patris ad Filium, Domini ad servum, & viri ad uxorem. Pro solutione adverto ex Aristotele, & D. Thoma 2. 2. *q.* 54. *art.* 4. ad Justitiam simpliciter, & rigorose talem tria requiri, primum, ut sit ad alterum; secundum, ut ratio debiti intercedat; tertium, ut servetur æqualitas; si enim alterum ex illis deficiat, non erit justitia rigorosa, sed imperfecta, & secundum quid.

44. Resp. primo, inter Angelos ad invicem comparatos, nec non inter Angelos, & homines, & e contra inter homines, & Angelos versari potest vera, & rigorosa justitia. Sic sentiunt communiter Doctores, paucis exceptis, & ratio est, quia quamvis Angeli non habeant rerum corporearum verum dominium, quod totum videtur concessum hominibus, in ordine ad ipsorum necessitates, & utilitates, posset tamen ipsis a Deo tale dominium communicari; neque enim repugnat substantiæ spirituali dominium rerum corporearum, alioquin nec Deus esset proprie Dominus rerum corporearum; sed in tali casu possent Angeli inter se, Angeli cum hominibus, & e contra transferre dominia; ergo possunt exercere veram, & rigorosam justitiam commutativam. Insuper Angeli, & homines cum non sint natura sua impeccabiles, non est major ratio, cur peccare possint in alia materia potius, quam in materia justitiæ, lædendo adinvicem famam, & honorem, aliaque similia pertinentia ad jus proprietatis eorum; sed hoc peccatum ex natura sua inducit obligationem ex justitia resarciendi nocumentum illatum; ergo possunt Angeli, & homines ad invicem exercere justitiam commutativam.

45. Resp. Secundo: Inter homines invicem comparatos versa-

versari potest vera, & rigorosa justitia, si sunt juris disparati, non sic vero si non sint juris disparati, id est si habeant jus alterum, & diversum, non vero si unus sit sub potestate alterius. Ratio est, quia inter homines datur vera distinctio dominiorum, tum in bonis honoris, & famæ, quatenus unusquisque est dominus suæ famæ, tum in ceteris bonis propter factam rerum divisionem; ergo unusquisque habet jus. Quod si ab alio homine lædatur, erit læsum jus justitiæ, & ille alter tenebitur ex justitia restituere hujusmodi jus, quando alterum est diversum, & distinctum ab alio propter ea, quæ postea dicam. De facto autem maxime elucet commutativa justitia in personis privatis habentibus jura disparata propter frequentes contractus, & rerum commutationes invicem initas; in Republica in ordine ad privatas personas maxime elucet distributiva justitia in distributione officiorum, præmiorum, & bonorum communium, habitu semper proportione meritorum, & dignitatis personarum; ergo inter homines optime reperitur utraque justitia, in quo conveniunt omnes Doctores.

46. Resp. tertio: inter Patrem, & Filium, inter Virum, & Uxorem, inter Dominum, & Servum non intercedit rigorosa justitia, sed tantum impropria, & secundum quid, si sumantur qua formaliter tales sunt. Ratio est, quia de ratione justitiæ est jurium alteritas, adeo ut dari non possit vera, & rigorosa justitia, ubi non datur propria, & rigorosa alteritas; sed Patris ad Filium, Viri ad Uxorem, Domini ad Servum qua formaliter tales, non datur propria, & rigorosa alteritas; & sic non datur propria, & rigorosa justitia. Minor prob. ex Arist. 5. *Ethicor. cap.* 6. ubi duplicem distinguit alteritatem, aliam perfectam, aliam diminutam, perfectam vocat, quæ versatur inter personas, quarum utraque est sui juris; diminutam, quarum una est sub jure alterius; ex eo enim quod sub jure alterius sit, non habet jus alterum ab illo, seu non habet jus suum, & tamen alteritas juris est illa quæ præcipue a justitia respicitur, cujus essentia est tribuere cuilibet jus suum, adeoque respicere personam, quæ habeat jus suum, seu jus alterum.

47. Hujusmodi personæ, quæ sunt sub jure alterius sunt in triplici differentia, modo supra enumerato, juxta quam personarum differentiam, triplex jus diminutum habetur, Paternum, Virile, & Herile, quod triplex jus correspondet triplici esse hominis, nimirum naturali, possessivo, & operativo. Jus paternum spectat ad esse naturale, quia filius subditur Patri ea vi ipsius esse naturalis, herile spectat ad esse possessivum, quia Dominus servum possidet, & potest eo uti in bonum proprium; virile, seu œconomicum, & conjugale spectat ad esse operativum, quia ex viro, & uxore fit unum principium operativum in ordine ad conservationem speciei, & operationes domesticas. Hisce Juribus addi potest Jus religiosum, quod & ipsum est diminutum, cum versetur inter personas, quarum una est sub jure alterius, & hoc jus spectat quodammodo ad esse hominis spirituale, & elevatum, cujus propterea mirum non est, si non meminerit Aristoteles, cui non innotuit elevatio hominis ad finem supernaturalem.

48. Dixi inter Patrem, & filium, Maritum, & Uxorem, Dominum, & servum non dari rigorosam justitiam, si sumantur ut formaliter tales, secus si sumantur ut homines: sic Pater negando Filio ea, quæ ipsi debet titulo filiationis, non peccat contra justitiam, sed contra pietatem, puta Pater debet alere filium, educare, & gubernare, & filius debet Patrem colere, amare, obedire, alere in necessitate, quæ si non præstiterint, pietatem violant, non justitiam, & Pater negans uno die alimenta filio, quamvis teneatur alere in posterum, non tamen tenetur alimenta negata, aut compensare, aut restituere: in iis vero, quæ Pater, & Filius debent cuilibet homini v. gr. non occidere, non adimere famam, potest Pater peccare contra justitiam in Filium, & Filius in Patrem, quia Pater non est dominus jurium Filii ut hominis, sed solum ut Filii. Eadem ratio est Viri ad Uxorem, servi ad dominum, ut formaliter talem (intellige de servo proprie dicto, non de eo, qui est mercenarius) quia servus, ut sic, totus cum suis juribus est Domini; unde in iis, quæ dominus debet servo, injustus esse non potest, sed crudelis; in iis, quæ debet illi ut homini, id est quæ cuilibet debet homini, vera est justitia, quia est distinctio jurium.

49. Hinc universaliter habes, Justitiam propriam non versari nisi inter personas sui juris, vel saltem nisi in illis actionibus, in quibus impertinenter se habet esse sub jure alterius, in quibus propterea, qui operatur, non operatur ut sub alieno jure existens, sed ut homo est ejusdem rationis cum ceteris: quare Filius per emancipationem, per quam fit sui juris, & a patria potestate solvitur, constituitur in statu, in quo potest contractus civiles cum Patre inire, ipsum sibi ex justitia obligare, & ipsi obligari ex justitia; enim vero per emancipationem sicut Filius fit civiliter sui juris, ita fit civiliter omnino alter a Patre, & absolutus dominus propriorum bonorum, de quibus propterea potest per contractus cum Patre ipso æque ac cum aliis hominibus disponere secundum rigorem justitiæ.

50. Potest etiam Filius non emancipatus a Patre ex perfecta justitia cum Patre contrahere, si habeat bona castrensia, vel quasi castrensia, quorum dominium Filio etiam non emancipato conceditur, pro quibus adverte, triplex bonorum genus posse distingui; Profectitium, quod Filiusfamilias acquirit ex bonis paternis; Adventitium, quod ex dote Conjugis, vel ex quacumque donatione, seu hereditate, vel legato, & industria illi obvenit; Castrense, quod in Militia, vel caussa Militiæ partum est, & omne lucrum ex eo derivatum; vel quasi Castrense, ex beneficio Ecclesiastico proveniens, & quidquid post Clericatum Clerico accrescit; cum enim Clerici sint milites spirituales, ipsorum bona gaudent privilegio bonorum castrensium, & dicuntur quasi castrensia. Item quidquid publico officio non mechanico acquiritur, vel donatur Principis liberalitate.

51. Primum totum acquiritur Patri, & quoad usumfructum, & quoad proprietatem. Secundum est Patris quoad usumfructum tantum, manente proprietate, & dominio apud filium. Tertium totum acquiritur filio, & quoad usumfructum, & quoad proprietatem, & de istis bonis potest cum Patre contrahere ex rigorosa justitia. Nec obstat, quod Filius semper sit pars Patris, nam hoc jus, & hæc bona non habet ut filius, & pars Patris formaliter, sed ut homo, & concivis illius est. Nec item obstat, quod ea, quæ Pater vivens possidet, moriens debeat filio relinquere, nam sufficit, ut sit perfecte dominus in vita, ut cum eo possit Filius ex justitia contrahere. Deinde falsum est, omnia quæ habet Pater vivens, debere filiis legare seu relinquere; nam excepta legitima, reliqua pro arbitrio aliis relinquere potest.

52. Quod dixi de Viro, & Uxore, quod non habeant alteritatem, valet in ordine ad domesticum regimen; nam jus administrandi bona, est penes Virum independenter ab Uxore, in Uxore non nisi independenter a Viro; est enim Uxor socia, & adjutrix Viri in domestico regimine ei subjecta ut capiti. Ceterum inter illos est perfectum jus personale quoad mutuum usum Matrimonii, & reale in his, quorum Uxor est perfecte domina; quia Matrimonium est contractus, quo uterque Conjux mutuo suum corpus obligat alteri ad finem suscipiendæ prolis, & sic solutio hujus debiti est actus perfectæ justitiæ. Multa etiam sunt, in quibus Uxor habet perfectum dominium a Viro independens, scilicet omnia bona, quæ donatione, hereditate, legato, aut quacumque alia ratione ultra dotem, quæ propterea paraferna dicuntur, quasi juxta dotem, quæque ex sua propria industria, & labore illi proveniunt; quarum rerum dominium, & administratio de jure communi est penes Uxorem, & de istis potest contrahere cum suo Viro.

DUBIUM VI.

Quid sit Injuria, & an possit fieri volenti.

53. INjustitia totidem modis sumi potest, quo sumitur justitia, cui opponitur, quapropter sicut ista sumitur primo lato modo pro omni virtute, secundo pro virtute particulari, quæ constituit æqualitatem in commutationibus, & distributionibus; ita etiam injustitia sumi potest generaliter pro omni vitio opposito legi, & dictamini rationis, & pro collectione omnium vitiorum: unde passim in Scriptura omne peccatum vocatur injustitia, & peccatores injusti: injustitia hoc modo sumpta non est particulare vitium, sed ratio generica omni vitio communis. Deinde sumitur stricte, prout opponitur justitiæ particulari, & nihil est aliud, quam alieni juris violatio, nec videtur differre ab injuria; nam sicut justitia tribuit cuique jus suum, ita injustitia hoc jus violat, in qua violatione consistit ratio injuriæ. Jus autem definiebatur potestas disponendi de re aliqua pro sua voluntate; hinc orta est vulgata difficultas.

Utrum volenti, & consentienti fieri possit vera injuria.

54. Resp. volenti, & consentienti non potest fieri injuria proprie dicta, ita cum Arist. 5. *Ethicor. cap.* 9. docet S. Thom. 2. 2. *qu.* 56. *art.* 5. & habetur de regul. juris in 6. ubi regula 27. statuit, quod *scienti, & consentienti non fit injuria, nec dolus*. Habetur etiam in cap. *noluit* 33. *qu.* 5. & in jure Civili *l.* 187. *ff. eodem tit. de injuriis* deciditur; neminem fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt; repugnat autem, ut injuriam inferat alicui, qui eum non fraudat suo jure.

55. Re-

55. Ratio est, quia injuria est alieni Juris violatio, opponitur enim Justitiæ, quæ est conservatio Juris; sed jus illius, qui consentit, numquam violari potest; cum enim quilibet sit dominus sui juris, potest illi cedere, & jus suum renunciare, & sic non patietur injuriam, si tale jus, ipso consentiente, ab alio violetur. Conf. Nemo potest injuriam inferre sibi, quia nemo potest habere voluntatem sibi contrariam; ergo nec eam inferre potest alteri, nisi habeat ille voluntatem contrariam; sed eo ipso, quod aliquis libere consentit, non habet voluntatem contrariam; ergo nemo consentiens injuriam pati potest; alioquin pateretur contra voluntatem, id quod patitur secundum suam voluntatem. Non est tamen necesse ad hoc ut injuriam patiatur, ut quis habeat voluntatem expresse nolentem, id est actum expressum nolitionis, sed sufficit actus implicitus, & interpretativus; quamdiu enim quis exprese non cedit juri suo, semper censetur illud implicite, & interpretative velle, & oppositum nolle, quia eodem actu, quo volumus aliquid, simul exercite nolumus oppositum illius.

56. Dices: *multa sunt, in quibus homo non potest cedere juri suo; ergo saltem in illis volens, & consentiens pati potest injuriam. Antec. patet in multis exemplis; nam Maritus adulterium uxoris suæ volens non cedit valide juri suo; si quis velit occidi; si Clericus velit percuti graviter; qui pecuniam usurario solvit, non cedunt valide juri suo: similiter Pupillus, Tutore invito, invalide cedit juri suo, & non tollit rationem injuriæ; ergo injuriam patiuntur etiam volentes.*

Sed contra dico, in omni prorsus materia, hominem posse sufficienter cedere juri suo, ut non patiatur injuriam, quamvia plures sint materiæ, in quibus homo non potest ita cedere juri suo, ut illud sine peccato violetur; sic qui, volente Marito, committit adulterium cum ipsius Conjuge, peccat contra Castitatem, contra reverentiam Sacramenti, contra Justitiam Reipublicæ debitam, non tamen peccat contra Justitiam debitam Marito, nec illi facit injuriam. Qui volentem interficit, injuriam facit Deo, qui est Dominus vitæ hominum, & Reipublicæ, cujus ille est pars, unde peccat contra justitiam legalem, & committit homicidium; non facit tamen injuriam illi, quem occidit, nec tenetur heredibus ad ullam restitutionem. Qui volentem Clericum percutit, injuriam facit ordini Clericali, & excommunicationem contrahit, quæ in favorem Ordinis lata est. Qui volens usuras solvit alteri, non patitur injuriam, usurarius tamen vere peccat, & tenetur ad restitutiones defectu tituli, quia videlicet rem non facit suam, ut leges Canonicæ testantur, nisi velis solventem usuras coacte solvere, quia aliter mutuum habere non potest. De pupillo eadem est ratio; volens enim non patitur injuriam, sed Respublica jus habet vetandi talem contractum, qui propterea est irritus.

57. Nec obstat, quod in datis casibus, quis juri suo cedere non possit, ac proinde jus illud, quod habet, ut in illis rebus non lædatur, permaneat. Nam jus illud non permanet sub ratione formali juris Justitiæ, sed solum materialiter, cum ipse nolit eo uti, eique, quantum est ex se, cedat, & sic injuriam non patitur, nisi materialiter, sed agens facit injuriam legi, seu Legislatori, contra cujus dispositionem agit.

C A P U T II.

De Dominio, & illius speciebus.

D U B I U M I.

Quid, & Quotuplex sit Dominium.

Dominium generaliter sumptum est *facultas disponendi de re aliqua tamquam sibi subjecta*; illius enim rei dominium habemus, de qua pro libito disponere possumus, & hac ratione Deus habet per essentiam plenum, & perfectissimum dominium rerum omnium creatarum, de quibus omnibus pro libito disponere potest, cum sit illarum omnium Creator, & Conservator; homo vero habet rerum creatarum dominium per participationem a Deo, qui illas hominum potestati subjecit, juxta illud Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus Cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*. Et de hoc Dominio humano loquimur in præsenti: & dividitur in *dominium jurisdictionis, & dominium proprietatis*; primum est Jus, & potestas gubernandi suos subditos, id est præcipiendi, prohibendi, permittendi, judicandi, præmiandi, & puniendi; & hoc subdividitur in *Sæculare*, & *Ecclesiasticum*. Sæculare reperitur in Imperatores, Regibus, Ducibus, & aliis hujusmodi respectu populorum sibi subditorum in negotiis sæcularibus: Ecclesiasticum reperitur in Summo Pontifice, Episcopis, aliisque Prælatis Ecclesiasticis, qui habent subditos in spiritualibus.

2. *Dominium proprietatis*, quod proprie, & rigorose dominium est, recte definitur: *Jus perfecte disponendi de re qualibet in proprios usus, nisi lex obsistat, aut conventio prohibeat*; quæ definitio sumpta est ex Bartolo *l. si quis §. differentia n. 4. ff. de acquirenda possessione*, & quamvis Bartolus ibi habeat *de re corporali*, quia solum loquitur de dominio humano, quod proprie versatur circa sensibilia, alii tamen absolute dicunt *de re qualibet*, ut definitionem extendant ad quodcumque Dominium, Angelicum etiam, & Divinum.

3. Dicitur *Jus*, loco generis, & significatur *facultas libera disponendi de aliqua re*: dicitur, *perfecte disponendi*, scilicet in commodum tum proprium, tum alienum, in quo differt Dominus ab Administratore, qui potest de rebus disponere tantum in utilitatem Domini, non in commodum proprium. Dicitur *de re*, in quo differt Dominus ab Usufructuario, Emphyteuta, & similibus, qui possunt tantum disponere de fructibus rei, non de ipsa rei substantia. Dicitur *qualibet*, ut innuatur quam late se possit extendere dominium, in ordine scilicet ad res non solum corporeas, sed etiam spirituales; neque enim Deus minus est Dominus rerum spiritualium, quam corporalium: si tamen definiatur Dominium solum humanum, addi debet *de re corporali*, ut habet Bartolus. Dicitur, *nisi lex obstet*, quia aliquando contingit, aliquem habere rerum dominium, & facultatem disponendi de re aliqua, quam tamen non potest alienare, nec perfecte de illa disponere in actu secundo, ratione Legis justa de caussa obsistentis, prohibentis, ac irritantis alienationem talis rei, in quo casu non amittitur dominium rei, quia impotentia perfecte disponendi non oritur ex defectu juris, sed ex obedientia legis irritantis alienationem; ita contingit in Pupillo, Prodigo, Minore, & aliis, qui dominium habent ligatum, sicut qui habet potestatem naturalem vendendi, impeditur aliquando, ut ea uti non possit, sublato autem impedimento, statim sine novo auxilio exire potest in actum. Dicitur, *aut conventio prohibeat*, quia potest quis cum alio pacisci de re propria non alienanda, aut aliqua speciali ratione non adhibenda, in quo casu ita paciscens, quamvis non posset de re sua perfecte disponere, non amitteret ipsius dominium, quia impotentia disponendi oritur ex pacto, non ex defectu juris, & facultatis.

4. Dominium proprietatis subdividitur in *Dominium plenum, & Dominium imperfectum*. *Perfectum*, seu *plenum* dicitur, quod continet proprietatem rei, & omnem illius usum, & commodum, & definitur, ut supra: *Jus perfecte disponendi de re corporali in omnem usum lege permissum*. *Imperfectum*, seu *non plenum* definitur: Jus in re, quod non se extendit ad omnem ejus dispositionem, & usum, sed vel in ipsam rei substantiam sine potestate utendi, vel in solum ejus usum, quia scilicet dominium istud aliud est *directum*, aliud *utile*; primum est, quo aliquis est dominus ipsius substantiæ, sed ea uti non potest, nec fructus ejus percipere, & habens hoc dominium dici solet proprietarius, quia habet solum rei proprietatem. Dominium utile continet solam rei commoditatem, & utilitatem, quia scilicet habet jus utendi, vel fruendi aliqua re, sed salva ejus substantia, quam destruere nullo modo potest, & hujus utilis dominii species sunt Usus, Ususfructus, Possessio, Feudum, Emphyteusis, quibus omnibus hoc commune est, quod jura sint permanentia, & substantiam rei omnino integram reservare tenentur dominio directo, ut autem de singulis aliqua dicamus: sit

D U B I U M II.

De Usu, Usufructu, & Servitute.

5. Usus recte definitur: *Jus utendi re aliena, salva ipsius substantia*: Ususfructus vero definitur: *Jus utendi, & fruendi re aliena, salva ipsius substantia*. Ly *Jus* in utraque definitione stat loco generis, & per illam conveniunt cum dominio, & ceteris juribus; per ly *Utendi*, distinguuntur a Jure, quod habet Creditor in pignore, & Depositarius in deposito, quo uti non possunt, & si istis rebus utantur invito domino, tenentur ei restituere æstimationem usus: ly *fruendi* contradistinguit usufructum ab usu; Usuarius enim potest tantum uti re, scilicet ex ea percipere fructus ad proprium commodum, v. gr. uti prædio, vel domo ad proprium usum, non tamen potest locare domum, nec vendere fructus, sicut potest Usufructuarius, qui potest perfecte disponere de fructibus, ipsos etiam alienando, vel destruendo; ly *salva rerum substantia*, contradistinguit usum, &

usum-

usumfructum a Dominio absoluto, quod est jus ad rem propriam cum potestate ipsam destruendi sine alterius injuria: Usufructuarius vero, licet sit dominus fructuum, non tamen ipsius fundi, quem tenetur integrum conservare.

6. Nomine Fructuum intelligitur quidquid, salva rei substantia, ex illa percipi potest, sic in grege Ovium, & aliorum animalium, fructus censentur lac, lana, fœtus, & in fundo fœnum, segetes, fructus arborum, virgulta, & arbores caduæ, ita ut succidi possint, non tamen arbores fructiferæ: in domo habitatio, locatio, & hujusmodi: ly *re aliena*, contradistinguit usufructuarium a vero Domino, qui talis rei habet perfectum dominium.

7. Usufructuarius habet obligationem conservandi substantiam rei, cujus habet usufructum tamquam bonus paterfamilias, non ut dissipator rei alienæ; unde si illa sua negligentia pereat, seu destruatur, quoad aliquam partem, tenetur id resarcire. Si habeat usumfructum Gregis, tenetur loco capitum demortuorum, vel inutilium, alia substituere: si usumfructum prædii, tenetur in locum arborum demortuarum novas plantare, arbitrio boni viri: si usumfructum domus, tenetur saltem modicas expensas facere ad sartatecta conservanda, non tamen tenetur ad magnas expensas, quia scilicet habet usumfructum, salva rei substantia: si vero domus casu pereat, seu fundum gelu, glacie, seu fluminis impetu deterioretur, absque sua negligentia, non tenetur usufructuarius resarcire damnum, ut docent Rebel. *de oblig. just. l. 1. q. 7. n. 12.* Lessius *lib. 2. c. 3. dub. 4. num. 18.* & ex parte Lugus *disp. 2. sect. 3. n. 39.*

8. Feudum est concessio rei immobilis cum translatione dominii utilis, retento directo, sub onere fidelitatis, & obsequii personalis exhibendi. Emphyteusis est concessio rei immobilis cum translatione dominii utilis, retento directo, sub onere certæ pensionis domino proprietatis solvendæ, idque, vel in perpetuum, vel ad tempus, non minus tamen decennio, alioquin esset contractus simplicis locationis, non Emphyteusis. Differt Emphyteusis a Feudo potissimum in eo, quod illa est cum onere pensionis, istud cum onere personalis obsequii, & quia forte ad personalia obsequia soli masculi censentur idonei, ideo feudum, nisi aliud exprimatur, censetur dari pro solis masculis descendentibus, Emphyteusis indifferenter pro masculis, & feminis.

9. Differt Emphyteusis ab Usufructu, quod iste in rebus etiam mobilibus reperiri potest, non sic Emphyteusis, quæ solum conceditur in rebus immobilibus: Ususfructus finitur morte fructuarii, Emphyteusis autem non extinguitur morte Emphyteutæ, nam dari potest in perpetuum, vel ad tertiam, aut quartam generationem, & transit etiam ad feminas, quæ sub tali nomine comprehenduntur. Potest tamen Emphyteusi privari in tribus casibus; primo, si rem deteriorem reddat, arbores cædendo, domum extirpando. Auth. *Qui rem e. de sacros. Eccles.* Secundo si canones per biennium non solvat cap. *Potuit*, ubi Gloss. *extr. de locato*. Tertio si rem vendat, irrequisito Domino, nam ipse debet præferri, si vult emere. Ratione Emphyteusis, & Feudi dicuntur Vasalli Feudatarii, & Emphyteutæ, ut sunt omnes Principes, Marchiones, & Duces supremo Principi subjecti.

10. Quod si Dominus nolit rem emphyteuticam emere, ille qui emit, tenetur solvere laudemium Domino directo: est autem laudemium quinquagesima pars pretii, nisi aliter inter partes conventum sit, quod laudemium solvitur propter novam investituram, & possessionem, quæ a Domino directo conceditur. Investitura autem, quæ in Feudo, & in Emphyteusi locum habet, est introductio in possessionem rei concessæ in Feudum, vel Emphyteusim, vel corporaliter introducendo, vel ficte per traditionem annuli, vel ensis, vel fidei, quæ aliquo modo habet etiam locum in Beneficiis. Quandonam, seu in quo casu debeatur, vel non debeatur laudemium, fuse tractat Rosignol. *tom. 1. contract. 4. de Emphyteusi, & censibus prænot. 4.*

11. Servitus dupliciter sumitur a Juristis, ut notat Lessius *lib. 2. de Just. cap. 3. n. 28.* Primo pro subjectione, & obligatione, quæ est in re alterius, ut ipsa quodammodo serviat alteri, quo sensu Mancipia dicuntur servitute premi. Secundo pro Jure, quod correspondet dictæ obligationi: sic quando Titius habet rem Caji sibi aliquo modo obligatam, tunc ex parte Caji datur servitus, sumpta pro obligatione, & subjectione, & ex parte Titii datur servitus, sumpta pro jure, id est, jus servitutis; quo sensu Servitus sumitur in præsenti, & nihil aliud est, quam jus fruendi, vel aliquo modo utendi re aliena, vel circa illam aliquid faciendi; seu impediendi. Si autem Servitus sumatur passive pro subjectione rei, tunc est obligatio realis, qua res alteri est obstricta, ut possit ex ipsa percipere fructum, vel ea aliquo modo uti, vel circa eam aliquid impedire.

12. Servitus dividitur tripliciter, in *personalem*, *realem*, & *mixtam*: mere personalis est illa, qua una persona debet alteri servire, ut si mihi usum servi tui ad aliqua ministeria concesseris: mere realis, est illa quæ rebus alicujus immediate, & mediantibus rebus, personæ debetur, v. gr. ager meus habet jus, ut per agrum tuum possit iri, vel jumentum duci in meum, ager tuus servit meo, estque servitus realis, quia a re immediate debetur rei, & hoc jus transit ad quemcumque possessorem illius rei; mixta est illa, quæ a re debetur immediate personæ, & hæc extinguitur cum persona, cui debetur; hujusmodi est ususfructus, usus, & habitatio, nam habitatori, usuario, & usufructuario debetur usus talis rei.

13. Servitus realis dividitur in *Rusticam*, & *Urbanam*, id est in eam, quæ prædio rustico, & quæ urbano debetur, de qua toto *tit. Instit. & ff. de servitutibus rusticorum prædiorum, & urbanorum*. Qualibet ex his subdividitur in *affirmativam*, & *negativam*. Illa est, quæ verbis affirmativis exprimitur, cujusmodi est servitus stillicidium avertendi, id est jus derivandi stillicidium domus suæ in domum, vel aream vicini: jus immittendi lignum, seu trabem in parietem vicini, & hujusmodi. Servitus *negativa* est, quæ exprimitur verbis negativis, ut servitus altius non tollendi, id est jus, quod quis habet, ne vicinus altius attollat suum ædificium, altero invito, ne officiat vicini luminibus, ut liceat tibi per fundum alterius ire in tuum, vel jumentum agere, vel aquam ducere, quæ, & similia explicantur toto *tit. Inst. & lib. 8. ff. tit. 1. 2. 3. 4* qui sunt *de servitutibus*, & apud Juristas videri possunt.

14. Habitatio est jus alienas ædes inhabitandi, easque etiam commodandi, & locandi, & per hoc distinguitur habitatio ab usu ædium; nam usuarius, seu cui relictus est usus alicujus domus, potest ipse cum sua familia domum inhabitare, & hospites recipere, non tamen potest illam alteri locare, seu commodare; quod tamen facere potest ille, qui jus habet habitationis, seu cui competit servitus habitationis. De Usu, & Usufructu sufficienter dictum est supra.

DUBIUM III.

An Usus distinguatur a Dominio in rebus Unico Usu consumptibilibus.

15. FUit olim acriter disputata hæc difficultas propter Fratrum Minorum strictissimam paupertatem, qui asserunt, se nullum, etiam in communi, dominium habere rerum, quas unico usu consumunt, cujusmodi sunt præcipue res potabiles, & comestibiles, quæ usu proprio, & primario consumuntur, quibus addi potest pecunia, quæ & ipsa unico actu consumitur, scilicet emptione, aut permutatione pro aliis rebus: & harum rerum dominium asserunt esse penes Sedem Apostolicam, se vero non habere, nisi usum facti. Contra quos insurrexit Joan. XXII. in *extr.* quæ incipit *Ad Conditorem*, & *in duabus sequentibus*, ubi fuse conatur probare, esse impossibile usum distingui a dominio in hujusmodi rebus; & prorsus est, se abdicare a Sede Apostolica quodcumque illud dominium, si aliquod fuerat; fictitium enim, & chimæricum est dominium rei, quod alius licite, & legitime potest primo usu destruere.

16. Nota, usum quemcumque licitum importare jus aliquod re utendi, qua ratione usus licitus distinguitur ab usu, quem habet fur circa rem furto sublatam; & dividitur in *usum juris*, & *usum facti*, utrumque justum: primus dicit jus irrevocabile, & independens a voluntate alterius, secundus non dicit solum usum actualem, id est solum actum, & exercitium, sed etiam dicit jus utendi, sed revocabile, & omnino pendens a voluntate concedentis; ita ut quovis momento possit revocari sine ulla injuria Usuarii. Omnes facile concedunt in rebus, quæ unico actu consumuntur, usum juris, seu independens, non distingui a dominio; de usu facti, quamvis aliqui negent distingui a dominio, alii tamen magis communiter affirmant.

Resp. usum distingui posse, & separari a dominio, etiam in rebus, quæ unico usu consumuntur, & alienantur. Ita tenent Soto *lib. 4. de Just. quæst. 1. art. 1.* Bannez *præamb. ad quæst. 62. de dominio quæst. 1.* Dicastill. *lib. 2. tract. 1. dub. 5. num. 42.* Malderus *2. 2. tr. 1. cap. 3. de dominio dub. 4.* Lugus *disp. 2. sect. 3.* Palaus *tom. 7. de Just. in gen. disp. unic. punct. 5. nu. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 3. dub. 8.* Rebell. Sanchez, & alii, quos sequitur Andreas a Matre Dei *de Just. cap. 2. part. 3.*

17. Ratio est, quia ad acquirendum dominium alicujus rei requiritur ex parte unius voluntas dominium transferendi, ex parte alterius voluntas dominium acceptandi; sed quis potest dare alicui usum facti rei consumptibilis de-

dependentem a propria voluntate, ac revocabilem ad libitum, absque animo transferendi dominium, & alter talem usum revocabilem acceptare, quo casu usus separatur a dominio; ergo in rebus unico usu consumptibilibus usus separari potest a dominio, & aliquis habere potest usum sine dominio; nemo enim fit dominus rei, quæ auferri ab eo potest, & de qua disponere non potest independenter ab alterius voluntate, nam dominium dicit jus ad usum firmum, & stabile independens a voluntate alterius continuo revocare potentis.

18. Idque confirmari potest multis exemplis, nam Conviva habet dumtaxat usum licitum, non dominium ciborum appositorum; potest enim, quousque consumpti non sunt, sine injuria prohiberi a Convivante, ne illis utatur. Servus habet usum non dominium esculentorum, cum sit incapax dominii: & Religiosus quilibet, ratione voti paupertatis, redditur inhabilis ad dominium alicujus rei in particulari, adeo, ut, nec ex facultate Superioris possit evadere dominus rerum Conventus, qui tamen ex facultate Superioris uti potest hujusmodi rebus; ergo quia dominium separatur ab usu.

19. Dices: *Pupillus habet dominium dependens a voluntate Tutoris, & tamen est verus dominus suorum bonorum; ergo etiam Religiosus, aut Conviva, licet habeat jus ad usum dependenter a voluntate alterius, erit tamen verus dominus illarum rerum, quibus jure uti potest.* Sed contra, disparitas est, quia dominium pupilli non pendet a voluntate Tutoris, illud ut suum revocare potentis, sed solum impedientis, ne exeat in actum secundum; qui autem, concesso usu, retinet sibi dominium, potest semper ut dominus rem ad se revocare.

20. Hinc probabilius est, Fratres Minores nullius rei, etiam consumptibilis, & comestibilis, ne in communi quidem, dominium habere, sed usum tantum, seu jus ad usum, quod quia ad nutum Pontificis, seu concedentis est revocabile, non dicitur usus juris, sed facti. Quod etiam expresse declaravit Nicolaus III. in cap. *Exiit qui seminat, de verb. signif. in 6.* & postea Clemens V. in Clement. *Exivit de Paradiso, eod. tit.* & antea determinatum fuerat ab Innocent. IV. Alexandro IV. Gregor. IX. quos Nicolaus pro se citat, hisce auctoritatibus facile eluditur illa Joan. XXII. quæ in præsenti materia, utpote neque ad fidem, neque ad mores spectans, non habet majorem vim, quam auctoritas privati Doctoris, cum solum lacessitus ab Ochamo plura scripserit contra illam paupertatem Fratrum Minorum, numquam tamen suam sententiam definivit, ut certam de fide, & quasi locutus ex Cathedra, ut expresse habetur in illa extr. *Quia quorumdam*: & quamvis Joan. XXII. contenderit a Sede Apostolica abdicare dominium rerum, quibus Fratres Minores utuntur, non propterea tale dominium transiit in Fratres Minores, cum ipsi dominium non acceptaverint, viderentur potius hujusmodi res haberi pro derelictis, nisi successores Joan. XXII. Decreto ipsius revocato, dominium talium rerum retinuissent. Itaque Sedes Apostolica habet dominium non solum rerum immobilium, sed etiam mobilium Ordinis Minorum a fidelibus absoluta donatorum, ita ut possit Ordinem hisce privare sine injuria, prout docent supra cit. Doctores.

21. Dices: *usus distinctus a perfecto dominio est jus utendi aliqua re, salva ipsius substantia; sed in rebus, quæ unico usu consumuntur, non datur usus, salva rei substantia*; ergo in illis usus non distinguitur a *dominio perfecto, quod expresse docet D. Thom.* q. 78. art. 1. in corp. *dicens*, in rebus, quarum usus est ipsarum rerum consumptio, non debet seorsim computari usus rei a re ipsa, sed quicumque conceditur usus, ex hoc ipso quod conceditur res: *ex quo colligit, non posse in his rebus usum vendi distinctum a re ipsa, quia vel venderetur, quod non est, vel idem bis venderetur*, & ex l. 2. ff. de Ususfructu earum rerum, quæ usu consumuntur; habetur, *legari non posse usumfructum talium rerum, absque earum dominio, quia per ipsum usum consumuntur; ergo signum est, quod in illis rebus usus non distinguitur a dominio.*

22. Resp. in allata definitione definiri tantum usu juris, qui in hisce rebus consumptibilibus non differt a dominio, aut illum tantum, qui constituitur in rebus, quæ usu non consumuntur; nam in his tantum habetur usus, salva Domino rei substantia: in iis vero, quæ usu consumuntur, usus ut distinguitur a dominio, est ita revocabilis, & ab altero continuo dependens. D. Thomas loquitur de usu Juris independenti, & irrevocabiliter concesso, qui non distinguitur a dominio, de quo recta asserit, usuram esse aliquid pro dominio, & aliud pro usu accipere: non autem erit usura aliquid accipere pro usu revocabili, & aliquid aliud pro dominio, dummodo usum pecuniæ dependentem a sua voluntate minoris quis vendat, quam ipsa pecunia valeat; potest enim tunc pro ipso dominio pecuniæ tantum accipere sine usura, quantum pretio pecuniæ deerat, nam usus ille facti simul cum dominio adæquat valorem pecuniæ, & inde si mutuatarius sortem reddat, nihil potest exigi ulterius pro concesso dominio, quia dominium pecuniæ, & usus pecuniæ non plus valent, quam ipsa pecunia cum jure utendi, qua proinde restituta, nihil amplius exigi potest pro concesso usu, prout cum aliis docet Malderus 2. 2. tr. 1. *de Dominio c. 3. dub. 4.*

23. Ad id, quod additur ex *l. 2. ff. de Ususfructu*, dico, legari non posse usumfructum rerum consumptibilium distinctum a dominio, quia legatum redderetur inutile; cum enim usus facti rei consumptibilis sit semper revocabilis, & dependens a voluntate domini, qui dominium haberet talis rei posset usum alteri negare, & cui voluerit concedere: & sic reddere inutile, & frustratorium legatum talis usus.

DUBIUM IV.

Quid, & quotuplex sit possessio.

24. POssessionis nomen, quamvis aliquando sumatur pro rebus possessis, ut Psal. 77. *Tradidit possessionem eorum igni*; & Matth. 19. *erat enim habens multas possessiones*, & alibi; in præsenti tamen sumitur magis proprie pro actu, seu jure possidendi, & sic dicitur a pedum positione, vel ut alii volunt a sedium positione, eo quod antiquitus res immobilis incipiebat possideri ponendo in ipsa pedes, vel sedes, ut habetur *l. Labeo, & l. 1. ff. de acquirenda possessione*. Secundum alios dicitur a Græco *pos*, & latino *sedeo*, quasi potens sedeo, & hac ratione definitur a Juristis: *Rei corporalis detentio, corporis, & animi, Jurisque adminicula.* Ita Glossa communiter recepta *l. 1. ff. de acquir. vel amit. possess.* Dicitur, *rei corporalis detentio*, quia solius rei corporalis est detentio, & apprehensio, nam incorporalia, scilicet Beneficia, Commendæ, Jura, Servitutes, & similia proprie non possidentur, sed dicuntur quasi possideri: res autem corporales, quæ proprie possidentur, sunt illæ, quæ ex natura sua tangi possunt, ut ager, domus, vestis, & hujusmodi: ly *detentio* includit etiam apprehensionem, quæ est inchoata quædam detentio, & convenit possessioni tum in fieri, tum in facto esse.

25. Dicitur *corporis, & animi adminicula*, quia res, quam quis vel solo corpore, vel solo animo detinet, proprie non possidetur, nec unum sine altero sufficit: sic Bajulus non possidet res, quas defert ab uno loco ad alterum, nec Depositarius dicitur possidere depositum, quia non detinet illud tamquam suum, & animo possidendi, & retinendi sibi, nec item quis possidet pisces, vel thesauros, quos nondum apprehendit, quia non sufficit sola detentio animi, sed utrumque, ut dixi, requiritur, quod quis corporaliter apprehendat rem tamquam suam, & animo sibi retinendi. Additur *Juris adminicula*, quia nemo intelligitur possidere quando Jus prohibet. Quamvis autem possessio non acquiratur, nisi animo simul, & corpore, solo tamen animo retineri potest, & amitti.

26. Possessio dividi solet in aliam *Juris*, aliam *facti*, & aliam *Juris, & facti* simul. *Possessio Juris*, quæ & *civilis* appellatur, est ipsum jus possidendi rem solo animo detentam, & habetur quando quis rem suam non amplius facto possidet, possessionem tamen animo retinet, & continuat: unde etiam definitur *Jus insistendi rei, tamquam suæ non prohibitæ possideri.* Possessio Juris dicitur etiam possessio civilis, eo quod Juris civilis dispositione fuerit introducta, ejusque auctoritate fulciatur, & defendatur. *Possessio facti*, quæ appellatur naturalis, seu corporalis, est solus actus possidendi, seu ipsa corporalis detentio rei sine jure retinendi, talemque possessionem habet qui detinet rem alienam, & quidem si eam retinet bona fide, putans esse suam, dicitur possessor bonæ fidei; si vero illam retineat sciens, & cognoscens, esse alienam, dicitur possessor malæ fidei.

27. *Possessio Juris, & facti simul*, seu Civilis, & Naturalis, dicitur illa, quæ simul includit utrumque, hoc est tam jus, quam actum possidendi, & talis semper est justa, & competit cuilibet domino rem suam per corporalem insistentiam detinenti, seu possidenti. Qui alieno nomine possidet, ut Procurator, Inquilinus, Servus, non dicitur possidere, sed is possidet, cujus nomine possidetur. Addunt etiam Doctores aliam possessionem, quam vocant Civilissimam, & est illa, quæ acquiritur ex sola dispositione Juris, Consuetudinis, aut Statuti, absque alia actione nostra corporali, & distinguitur a Civili solum in modo acquirendi, nam civilis prærequirit apprehensionem aliquam veram, vel fictam rei possessæ; non sic Civilissima, quæ ex sola legis, seu Statuti dispositione acquiritur, absque alio actu apprehensionis corporalis vero, aut ficto.

27. Effectus, seu privilegia possessionis duo potissimum numerantur: primus est, quod in dubio de rei

domi-

dominio, *melior est conditia possidentis*, qui proinde non tenetur probare, rem esse suam, sed alter qui eam repetit, qui quidem si non probaverit, rem esse suam, nihil obtinebit, sed alter remanebit in possessione; quamvis forte res controversa non sit sua. Secundus est, quod possessio bonæ fidei pariat præscriptionem, id est faciat, elapso tempore a Jure præscripto, ut res, quæ prius revera non erat sua, evadat sua, ut infra suo loco dicetur. Quod si possessor privata alicujus violentia de possessione rerum suarum exturbetur, ante omnia debet reintegrari, & fieri restitutio spoliati, nec spolians cogi potest respondere antequam fiat restitutio, & fuerit reintegratus. Adde etiam, quod possessor ab altero violenter invasus, potest vim vi repellere, remque suam armis defendere, immo etiam sibi ereptam armis recuperare; modo id faciat statim, sive in continenti, non ex intervallo. Cap. *olim de Restit. spoliat.* & *l. Idem est ff. de vi, & vi armata*, alia plura privilegia possessionis referunt Juristæ.

29. Tribus Modis rerum corporearum possessio solet acquiri, apprehensione vera, ficta, & civilissima, seu dispositione legis: ad acquirendam possessionem rei, quæ antea nullius fuit, requiritur apprehensio vera, seu corporalis illius retentio, ut constat ex *l. 2. §. 1. ff. de acquir. possess.* & tradit Hostien. in *sum. tit. de caussa possess. n. 2.* Nullus enim possidere dicitur pisces in mari natantes, aut in publicis stagnis existentes, aut feras in silvis libere divagantes antequam eas capiat, seu apprehendat, quoniam antequam sint captæ, seu apprehensæ, manent in sua libertate naturali: apprehensio vera, seu corporalis retentio ea dicitur, quæ fit vero actu corporali, puta rem mobilem manibus apprehendendo, vel pedibus insistendo rei immobili, quam volumus possidere: ut autem possessionem accipias alicujus fundi, domus, prædii, aut alterius rei plures partes continuatas habentes, non est necesse omnes illas partes tangere, capere, seu intrare, sed sufficit, si aliquam illius partem intres, animo totum fundum possidendi, prout habetur *l. possideri §. de acquir. possess.* si tamen res possidenda haberet plures partes discontinuatas, & diversis nominibus nuncupatas, debes omnes intrare, & possessionem capere, ut cum Paulo de Castro notat Palaus *de Just. disp. un. p. 24. §. 2. n. 2.*

30. Apprehensio ficta dicitur illa, in qua non intervenit actus corporeus tangens, & accipiens rem possidendam, sed actio alia, quæ dispositione, & fictione juris habetur pro vera possessione: Hoc modo acquiritur possessio rei, quæ ab antiquo domino, ejusque voluntate nobis traditur, & contingit, aut solo visu, & oculorum aspectu, præcedente titulo habili; non enim corpore, & actu necesse est apprehendere rem, sed etiam oculis, & aspectu, prout habetur, ac varie exemplificatur in *l. 1. §. si jusserim de acquir. possess.* unde si Dominus oculis rem ostendat, & dicat; pono te in possessionem illarum rerum, quas vides, & a me emisti, censetur dedisse, & alter accepisse possessionem, ut cum Bartol. Panorm. & aliis tradit Palaus *punct. 24. §. 2. n. 5.* & expresse habetur in *l. Quod meo §. si vendentem ff. de acquir. poss.* ubi inter alia dicitur; *Si vicinum mihi fundum mercatum venditor ex suo Jure demonstret, vacuamque possessionem se tradere dicat, non minus possidere cæpi, quam si pedem finibus intulissem.*

31. Idem contingit, quando antiquus possessor, animo transferendi dominium, tradit claves domus, vel scripturam, seu instrumentum, in quo jus ad illam continentur; eo enim ipso, fictione juris, censetur res ipsa tradi. Textus adest in *l. Clavibus 74. ff. de contrah. empt.* ibi: *Clavibus traditis, ita mercium in horreis conditarum possessio tradita videtur, si Claves apud horrea traditæ sint; quo facto confestim Emptor dominium, & possessionem adipiscitur, etsi non aperuerit horrea.* Consonat textus in *l. 1. §. si jusserim ff. de acquir. possess.* ubi dicitur *vina tradita videri, cum claves cellæ vinariæ emptori traditæ fuerint.*

32. Civilissima apprehensio dicitur, quæ fit sola legis dispositione, nullo interveniente corporis, vel animi adminiculo, qua ratione possessio defuncti dicitur transire ad heredem sine ullo actu apprehensionis: alia plura de possessione acquirenda dispositione, seu fictione Juris, videri possunt apud Palaum *punct. 2. per totum*, ubi successive plura tradit de modo, quo deperditur possessio rerum mobilium, & immobilium.

33. Quæres: *Quid sit Titulus.*

Resp. titulum esse caussam, ex qua nascitur ratio Juris, & dominii, quæ alio nomine vocatur fundamentum dominii, quoniam omne dominium fundatur in aliquo titulo, ut si rem aliquam possideas titulo emptionis, successionis, donationis, permutationis, testamenti, aut legati, ille dicitur titulus, seu fundamentum dominii; Titulus alius est verus, alius præsumptus: verus, si a vero domino emisti; præsumptus si a fure, quem tamen probabili ratione putabas, esse verum dominum: titulus præsumptus, quamvis non sufficiat ad dominium, sufficit tamen ad rem bona fide possidendam, & successive præscribendam, & sic ad verum titulum producendum, ut infra videbimus.

CAPUT III.

Apud quos & quorum possit esse Dominium.

DUBIUM I.

An omnis, & solus Homo sit capax Dominii.

RESP. Sola natura rationalis est capax dominii. Ratio est, quia fundamentum totius dominii est intellectus, & libera voluntas, quæ soli conveniunt naturæ rationali, nam jus perfecte disponendi de aliqua re, in quo dominium consistit, nequit reperiri sine libertate ad varios usus ejusdem rei, & sine intellectuali cognitione, qua hujusmodi varii usus cognoscantur, ad varios fines dirigantur, & invicem comparentur, ut hic, & nunc unus alteri præferatur, quæ convenire non possunt, nisi soli Naturæ rationali, in qua est intellectus, & libera voluntas, non vero Brutis, aut Creaturis insensibilibus, & inanimatis, intellectu, & libertate carentibus; ergo sola natura rationalis capax est dominii. Quæ autem sunt incapacia rationis, sicut sunt incapacia juris, & dominii, ita sunt incapacia injuriæ, quæ est violatio juris, invito eo, cujus jus violatur; rationis autem expertia, nec jus habent, quod violetur, nec invita esse possunt, cum voluntate careant; unde qui arborem succidit, aut Brutum interficit, licet inferat injuriam domino arboris, aut Bruti, non tamen arbori, aut Bruto. Quod si quandoque astra, & elementa dominari, aut prædominari dicuntur, est sermo metaphoricus, quo significatur efficacia naturalis virtutis, & excessus eorum super alia.

2. Virtus igitur dominativa propria est naturæ intellectualis, & eo excellentior, atque perfectior, quo in natura intellectuali perfectiori, & excellentiori reperitur: sic Deus, qui habet naturam intellectualem supremam, & perfectissimam, habet etiam supremum, & perfectissimum dominium in omnes creaturas, de quibus omnibus libere disponere potest, prout placuerit absque alicujus injuria, cum omnes ab ipso conditæ sint, ac pendeant in esse, & conservari. Quod si ipsi propria, & rigorosa injuria irrogari non potest, non est, quia careat dominio, sed quia quidquid contra Deum fit, fit, ipso damnum non patiente, item sciente, & permittente, non vero ipso simpliciter invito, & damnificato, ut requiritur ad veram injuriam, ut diximus *cap. præc. dub. VI.*

3. Angeli pariter, quia perfecta natura intellectuali pollent, perfecto gaudent dominio, quod præcipue elucet in ordine ad proprias operationes, & actus, perfectionesque spirituales ipsis a Deo concessas. In ordine ad res corporales capaces quidem sunt dominii, de facto tamen probabile est nullum hujusmodi dominium primario, & principaliter habere, quia Deus, ad quem, tamquam ad supremum Dominum, spectat ceteris dominia impertiri, res sublunares, & corporeas propter hominem condidit, ipsasque hominum dominio subjecit, non Angelorum, ut patet legenti *caput 1. Genes.* & confirmari potest ex Psal. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus Oves & Boves &c.* item ex Psal. 113. *terram autem dedit Filiis hominum.*

Verum Divinum, & Angelicum dominium parum refert, sed humanum solum, de quo quærendum occurrit: *cui hominum statui conveniat; utrum etiam hominibus carentibus gratia, immo, & fide; utrum amentibus, & pueris ante usum rationis; utrum servis; utrum Religiosis.*

4. Resp. 2. Homines etiam peccatores, & infideles sunt capaces veri dominii rerum temporalium: est veritas Catholica, definita in Concilio Constant. *sess. 8. & 15.* contra Vichlefum, & Joan. Hus dicentes, amissa per peccatum caritate, amitti dominium, quod in sola caritate fundatur; & quamvis hi Hæretici loquantur præcipue de dominio jurisdictionis ecclesiasticæ, & civilis, argumenta tamen talis erroris videntur de utroque dominio probare, ideo etiam veritas nostræ responsionis de utroque dominio procedit: colligitur ex Scriptura, quæ passim impios, & peccatores vocat Reges, & dominos, ut Saulem, Manassen, &c. Christus *Matth. 23.* ait; obediendum esse Scribis, & Pharisæis licet peccatoribus: Palaus *ad Rom. 13.* quamvis loquatur de Principibus infidelibus, docet, ipsis esse obediendum, idem habet D. Petrus *Ep. 1. c. 2.* ubi vult, nos *obedire Præpositis etiam discolis.*

3. Ra-

5. Ratio est, quia dominium non transfertur, hac conditione, & pacto, ut per peccatum amittatur; cum enim ex natura sua non opponatur peccato, non potest per peccatum amitti, nisi ratione alicujus pacti, aut legis intervenientis; ergo, si nullum datur hujusmodi pactum, non amittitur, nec tollitur dominii capacitas. Conf. quia homo per peccatum non amittit jus, quod habet ad propriam vitam, & famam, secus liceret vitam, & famam cuilibet peccatori adimere; ergo nec etiam amittit jus, quod habet ad subditos ex dominio jurisdictionis, aut ad res externas ex dominio proprietatis, secus incerta essent rerum dominia, incertus legum, & præceptorum valor, sicuti incertum est, qui sit in gratia, qui non: hoc prætextu liberum esset cuique alium quemlibet suis bonis spoliare, Superiori non obedire, sicque regimen omne collaberetur, omnis tranquillitas, omnisque pax corrueret, & magna esset confusio, si dominia rerum non essent nobis certius nota, quam sit Caritas.

6. Neque contra hanc Catholicam veritatem aliquid roboris habent Hæreticorum argumenta; quorum primum ita formari potest: Dominativa potestas est collata, & derivata a Deo; sed non videtur congruum, Deum conferre sua dona, & beneficia peccatoribus inimicis; ergo peccatores hujusmodi potestate carent. II. ob crimen læsæ majestatis humanæ amittitur dominium; sed quodlibet peccatum lethale est crimen læsæ majestatis divinæ; ergo per quodlibet peccatum amittitur dominium. III. sumitur ex Scriptura, quæ indicat, Deum dominium, & imperium in peccatoribus non agnoscere: sic Oseæ 8. ait Deus: *regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi*, statimque additur pro hujusmodi rei caussa peccatum Idololatriæ, *argentum, & aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent*. Sic 1. Reg. 15. *propter peccatum privatus fuit Saul a Deo, ne regnaret super Israel*.

7. Ad primum respondetur; in hoc elucere divinam misericordiam, quod dona sua etiam hominibus impiis conferat. Certe propter peccatum non privat Deus hominem omnibus bonis supernaturalibus; cur ergo privare debet potestate dominativa, quæ est ordinis supernaturalis, cum præcipue talis privatio in maximum Reipublicæ detrimentum redundaret? Ad secundum respondetur; propter crimen læsæ Majestatis amitti dominium, non ipso facto, sed ex vi legis positivæ pœnalis ab hominibus sancitæ, qualis lex non reperitur pro crimine læsæ Majestatis divinæ. Ad tertium resp. in primo loco reprehendi electionem talium Principum, non damnari ipsorum dominativam potestatem. In tertio Saulem non fuisse statim post peccatum privatum jure Regni, quod signum est, peccatum ex vi, & natura sua non tollere dominativam potestatem; quod deinde fuerit in pœnam peccati specialiter jure Regni privatus, nihil infert contra responsionem nostram.

8. Resp. 3. Parvuli ante usum rationis, nec non etiam amentes sunt capaces veri dominii. Et quidem de parvulis satis aperte, constat ex D. Paulo ad Galat. 4. *Quanto tempore heres parvulus est nihil differt a servo, cum sit dominus omnium*. Ratio est, quia parvuli ante usum rationis, nec non etiam amentes vere habent naturam intellectualem capacem veri dominii, ad quod non requiritur actualis usus intellectus, & voluntatis, sed solum potentia ipsa intellectiva, & volitiva, secus quilibet dormiens dominium amitteret; ergo parvuli, & amentes, quamvis careant usu intellectus, & voluntatis; quia tamen habent potentiam intellectivam, & volitivam, sunt capaces veri dominii, solumque privantur libera suorum bonorum administratione, quæ usum requirit liberi arbitrii: & de facto pueri, & amentes jure hereditario parentibus succedunt, & illis dantur a Republica Tutores, & Curatores, tamquam custodes bonorum ad ipsos pertinentium, & qui talia bona furatur, ipsis parvulis facit injuriam, ipsisque tenetur ad restitutionem, nec Tutores circa hujusmodi fures agunt, nisi nomine parvulorum, quod est signum, capaces esse veri dominii.

9. Dices: *ad acquirendum dominium requiritur actus propriæ voluntatis dominium acceptantis; sed perpetuo amentes, & parvuli ante usum rationis nequeunt habere hujusmodi actum; ergo non sunt capaces dominii. Deinde dominium constituitur propter actum secundum; ergo ubi nullus esse potest actus secundus, ut contingit in perpetuo amentibus, nullum, & inutile esset dominium.*

Sed contra dico, diversarum rerum, diversarumque personarum dominia diversimode acquiri, & transferri, prout jure gentium, quo fuerunt res divisæ, & distincta dominia diversimode sancitum est: ad acquirenda aliqua dominia requiritur acceptatio; ita evenit in dominiis, quæ acquiruntur per contractus; ad aliqua alia non requiritur; sic legatarius etiam ignorans acquirit dominium rei legatæ statim ac testator moritur, & parvuli jure hereditario succedunt parentibus. Dici etiam potest ad dominium requiri acceptationem, vel propriæ voluntatis, vel alienæ, in quam propria translata est, adeo ut sicut Deus voluntates omnium posterorum in Adami voluntatem transtulit in ordine ad justitiam, aut labem originalem, ita Respublica transfert voluntates parvulorum, & amentium in voluntates Tutorum in ordine ad acquirenda dominia, & in ordine ad illorum usum, & sic dominium est in ordine ad actum secundum, vel per ipsum dominum, vel per alium nomine ipsius exercendum.

10. Dices 2. *Amentes non sunt capaces dominii jurisdictionis; ergo nec dominii proprietatis.*

Sed contra, dato antec. nego consequentiam. Disparitas est, quia dominium jurisdictionis dicit actualem gubernationem subditorum, quæ exerceri non potest sine actuali usu intellectus, & voluntatis; at vero dominium proprietatis nullam dicit exercitium, nullam actualem dispositionem, ad quam requiratur actualis usus libertatis, sed solum radicalem potentiam disponendi, quæ remanet etiam in amentibus.

DUBIUM II.

Utrum Servi habere possint aliquarum rerum dominium.

11. Duplex servitus distingui potest, altera naturalis, altera legalis. Servitus naturalis est subjectio, qua aliqui, vel defectu ætatis, vel mentis imbecillitate, vel aliunde ad se gubernandos minus apti sapientum regimini subduntur, & hac ratione servitus correspondet dominio jurisdictionis, & naturalis dicitur, non quia sit formaliter ab ipsa natura, hæc enim ex se omnes homines pares facit, sed quia ex ipso lumine naturali proxime profluit. Servitus legalis est strictior subjectio lege positiva introducta, & correspondet dominio proprietatis magis quam jurisdictionis, contrahitur præcipue, vel jure nativitatis, vel jure captivitatis in bello, vel jure emptionis, & dicuntur vere servi, & vere mancipia, quorum in Europa jam pauci reperiuntur, & de illis loquimur in præsenti.

12. Communis, & vera Sententia docet, illos habere dominium suæ vitæ, & membrorum, & suæ famæ sicut ceteri homines liberi, adeo ut nec dominus, nec ullus alius possit illos talibus privare absque injuria, & injustitia sine sufficienti caussa, quia in his non considerantur, ut servi, sed ut homines, ac proinde sive dominus, sive alius, qui injuriam intulit, tenetur ad restitutionem damni, sicut teneretur ex simili injuria homini libero illata; non enim ad tuenda bona corporis homo se traderet, ut sæpe contingit, in servitutem, si ratione servitutis amitteret jus ad talia bona corporis. Non item propter periculum occisionis, mutilationis, similisque gravis damni in bonis corporis, nec ad vitandam gravem infamiam a domino irrogandam posset servus, juxta communiorem Doctorum Sententiam, licite fugere, & durante periculo talis occisionis, mutilationis, aut infamiæ, non reverti, si ad talia bona jus non haberet. Ita Lugus *disp.* 3. *sect.* 2. ubi *nu.* 21. addit cum Rebello, & Molina, servum, aut ancillam a domino sollicitatos ad peccandum posse licite fugere, ut sic se liberent a periculo peccandi mortaliter.

13. Circa bona temporalia, & fortunæ servi de jure gentium, & communi non habent dominium perfectum, & independens a dominorum voluntate; quidquid enim acquirunt, domino acquirunt, ut constat ex Instit. *per quas personas nobis acquirimus* §. *item nobis*, & l. *Nec servus ff. de peculio*, ubi dicitur, servum nec debere posse, nec ei quidquam deberi. Quia tamen leges, quæ dominio temporalium servos privant, sunt usu ipso, & consuetudine mitigatæ, ut docet Tambur. *lib.* 8. *in Decal. tr.* 1. *c.* 2. §. 1. quem sequitur Ant. a Spiritu S. *tr.* 10. *de dominio disp.* 3. *sect.* 2. plures assignantur casus, in quibus servi dominio rerum temporalium etiam in foro conscientiæ potiuntur, ut si eis a domino priventur, inviso servo, possit servus occulte sibi compensare, si dominus non restituat.

14. Primus casus: si dominus tacite, vel expresse consentiat, servum habere peculium. Secundo, si servo aliquid donetur, vel legetur ea conditione, ut soli servo acquiratur, non domino, ut si aliquid ei donetur, quo se possit redimere. Tertio, si aliquid ei detur in compensationem injuriæ illatæ. Quarto, si de victu sibi debito, parce vivendo, servus aliquid detraxerit, sine ullo domini incommodo, sibi id acquirit, ut cum Petro Navarra notat Malderus: eadem erit ratio si aliquid lucratus fuerit, quando a domini obsequiis vacat, vel si pecunia sui peculii aliquid ludo, vel sorte, vel negotiatione lucretur. Quinto, si aliquid servo donetur, aut relinquatur absolute, non intuitu domini; cum enim detur propter servi industriam, aut operam extraordinariam,

tacite videtur dari ea lege, ut non fiat domini, sed integre, & perfecte maneat servi. Ita Tambur. & Ant. a Spiritu S. *loco supra cit.* Maiderus *tr.* 1. *cap.* 4. *de dominio dub.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 4. Villalob. *tom.* 2. *tr.* 10. *diff.* 5. *n.* 4. Diana *part.* 2. *tr.* 17. *resol.* 58. *& part.* 7. *tract.* 7. *resol.* 29.

15. Ratio universalis est, quia leges privantes servos dominio, sunt in prædictis casibus mitigatæ, & alias servi ex se non sunt incapaces dominii, ut sunt Religiosi ratione voti paupertatis, ex quo fit, ut Prælatus nequeat tribuere Religioso jus acquirendi aliquid sibi, sicut potest tribuere Dominus Servo cedendo partialiter juri suo, vi cujus potest omnia servi bona in sui utilitatem ordinare. Fit secundo, ea quæ lucratur servus, mediis bonis sibi propriis ex domini, vel legum dispositione, censeri propria ipsius servi, quia dispensatio domini, vel lex mitigata præsumitur extendi, non ad solam proprietatem bonorum, sed etiam ad talium bonorum fructus, & emolumenta, at Religiosus habens licentiam aliquid expendendi, si quod inde hauriat emolumentum acquiritur Monasterio, quia licentia illa fuit licentia ad usum revocabile, non vero tribuit capacitatem dominii.

16. Fit tertio, ut quando legaretur aliquid Religioso, ea conditione, ut ipsi soli acquireretur, non Monasterio, adhuc Monasterio acquireretur, quia in legatis conditio impossibilis habetur pro non adjecta; quod si simplici donatione, aut contractu aliquid sub tali conditione relinqueretur, nec Monasterium, nec Religiosus acquireret, quia conditio impossibilis irritat contractus, & donationes, in quo non militat eadem ratio de servo, respectu cujus talis conditio non est impossibilis, cum non habeat incapacitatem, nisi in ordine ad ea, quæ possunt domino acquiri, ipsique prodesse. Fit quarto, servum, expletis operis, & obsequiis, quæ ab ipso dominus exigit, si reliquo tempore ad dormiendum, & vacandum concesso, aliquid operando lucretur, posse sibi tale lucrum retinere, sicut ea, quæ parce vivendo sibi subtrahit ex certa portione sibi singulis diebus taxata, & destinata, potestque hujusmodi parsimoniæ residuum vendere, & pretium retinere, ut supra dixi, non sic Religiosus, respectu cujus dari nequit præsumpta voluntas Prælati auferens incapacitatem dominii.

DUBIUM III.

Utrum Filiifamilias habeant aliquarum rerum dominium.

17. QUatuor genera bonorum in Filiofamilias adhuc existente sub patria potestate considerari possunt; (si enim sit liber a patria potestate capax est dominii, sicut ceteri homines liberi) *Castrensia, quasi Castrensia, Adventitia, & Profectitia.* Bona Castrensia sunt omnia illa, quæ in militia, vel occasione militiæ juste acquiruntur, ut sunt stipendia, donaria Ducum, ob prædam, vel ob custodiam loci bello destinati, sive ingruat bellum, sive non; hereditas, sive legatum cujuscumque rei, sive mobilis, sive immobilis occasione militiæ relictum, & quæ a parentibus, vel aliis extraneis eunti ad bellum donantur; ut habetur *l. Castrense, & l. Divus Adrianus ff. de castrensi peculio.*

18. Quæ Filio revertenti e bello donantur a Parentibus, seu Extraneis, non censentur Castrensia, nisi forte donentur ob egregium aliquod facinus in bello gestum, aut amicitiam ibidem contractam. *Castrensia* similiter censentur, quæ donantur Filiofamilias, sive a parentibus, sive ab extraneis, ut personæ Regiæ obsequatur, vel acquiruntur in Palatio Regis, Reginæ, aut Principis, ob obsequium illis præstitum, & quæ ex castrensi peculio, sive negotiatione, sive ludo comparantur, quia sunt illius effectus, vel in illius locum subrogantur. Sic Lugus *disp* 5. *sect.* 2. *n.* 2. *n.* 15. Lessius *lib.* 2. *c.* 4. *dub.* 3. *n.* 7. Palaus *qu. unica de Just. in genere punct.* 7. §. 1. *n.* 1. Molina *de Just. tr.* 2. *disp.* 230. *fine* Bossius *de patria potest. cap.* 7. *ubi rem hanc fuse tractat de more, & bene.*

19. *Quasi castrensia* sunt illa bona, quæ ex beneficio Ecclesiastico, aut ex officio publico, puta Judicis, Advocati, Procuratoris, Medici, Lectoris cujuscumque facultatis, executoris, artium liberalium filiofamilias proveniunt; hæc enim stipendia, seu bona gaudent privilegio bonorum castrensium, eo quod in Militia quadam spirituali, seu politica comparata sunt, & ob id dicuntur bona *quasi castrensia*; quod verum est, etiamsi talis bona non habeat ex publico stipendio, sed accipiat a privatis personis pro exercitio talium munerum, quia privatum illud stipendium, loco publici stipendii succedit. Censentur etiam bona castrensia ea omnia, quæ filiusfamilias, jam factus Clericus, & fori privilegio gaudens, acquirit, ut habetur Authen. *Presbyteros* Cod. *de Episcopis, & Clericis*, & quidquid donatur a Rege, Regina, vel Principe; *l. cum multa* Cod. *de bonis, quæ liberis*, etiamsi donatum sit ad nuptias, vel ad alium finem intuitu Patris, ut notat Palaus *punct.* 7. §. 1. *n.* 2. sequitur Lugus *disp.* 5. *sect.* 2. *n.* 19.

20. *Adventitia* bona dicuntur, quæ seorsim ab exercitio domestico, & independenter à pecunia Patris, filius lucratur suo labore, aut industria; negotiatione, ludo, sive casu ea reperiat, ut si thesaurum inveniret, & ea, quæ accipit donatione, legato, hereditate ab aliqua privata persona, non intuitu Patris. Dixi privata persona, quia quæ habet a Rege, Regina, seu Principe, inter quasi Castrensia numerantur, & quidquid Filius à Matre, aut Avis maternis, seu aliis extraneis accipit, adventitium est.

21. Profectitia bona dicuntur, quæ proficiscuntur ex substantia, vel rebus Patris, vel intuitu Patris filio donantur, modo castrensia non sint, vel quasi castrensia, quæ omnia fuse explicat Bossius *de patria potest. cap.* 7. Palaus *punct.* 8. §. 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 3.

22. Certum est, Filium in bonis paternis, seu maternis, vivente utroque parente, nullum habere dominium proprietatis, aut usumfructum, sed totaliter in illis dependere a parentibus, & quamvis creditor sit suæ legitimæ, non tamen est dominus, nec aliquod habet dominium. *An vero in aliis bonis supra enumeratis dominium aliquod habeat, dum est sub potestate Patris?*

23. Resp. Filiumfamilias in bonis castrensibus, & quasi castrensibus habere plenum, & perfectum dominium, tum utile, tum directum, seu proprietatem, & usumfructum, & posse de illis perfecte disponere, sive in vita, sive in morte per testamentum, prout voluerit, absque eo quod Pater possit impedire, vel de illis aliquid usurpare, modo Filius sit pubes, id est 14. annorum, nam ante pubertatem, etsi proprietatem, & usumfructum dictorum bonorum habeat, non tamen administrationem, quæ est apud Patrem, vel Tutorem; unde sine illorum consensu non potest illa alienare. Sic habetur toto tit. *de castrensi peculio in ff. & Cod.* quod autem non possit Filius de illis disponere ante 14. annum, habetur §. *pupillus Institut. de inutilib. stipulation.*

24. Resp. 2. in bonis adventitiis Filium habere dominium directum, seu proprietatem, non usumfructum, vel administrationem, quæ sunt apud Patrem, *l. quæcumque l. cum oportet*, Cod. *de bonis, quæ liberis.* §. *igitur Instit. per quas personas nobis acquiritur*, nisi Pater usumfructum cedat, & Filio remittat, in quo casu Filius non tenetur talem usumfructum computare in partitione legitimæ cum aliis fratribus, nec eum ad partitionem adducere, quia est acceptus de bonis Filii, non donatus a patre de suis bonis, ut docent Sanchez *lib.* 2. *consil. cap.* 2. *dub.* 11. Lugus *disp.* 5. *sect.* 2. *num.* 3. Lessius *cap.* 4. *dub.* 3. vel nisi aliquid donetur Filio, aut ex testamento relinquatur, ea conditione, ut Pater usumfructum non habeat, sed Filius, quia voluntas donantis, seu disponentis servanda est, nisi illius rei sit heres necessarius, quia tunc non a testatore, sed a lege successio conceditur, unde testator non potest patrem privare jure sibi competenti, ut cum Molina, & aliis notat Palaus *supra n.* 6. vel nisi Filio aliquid donetur, contradicente patre, aut filio relinquatur ususfructus; in his enim casibus filius habet dominium, & usumfructum talium bonorum adventitiorum, ut cum Molina, & Lessio tenet Palaus.

25. Resp. 3. in bonis profectitiis dominium directum, & utile esse apud patrem, a quo profecta sunt, *l. cum oportet* Cod. *de bonis, quæ liberis*, & §. *igitur Instit. per quas personas*; unde bona profectitia in hoc solum filio proficiunt, ut propter aliquod delictum, publicatis aliis bonis patris, illa non publicentur. Item, quod extrahere ex illis possit æstimationem operarum suarum, etiamsi de eo non sit protestatus, ut tenet P. Navarra *lib.* 3. *de restit. cap.* 1. *n.* 72. & Sanchez *lib.* 2. *consil. c.* 2. *dub.* 1. Excipitur ab hac regula generali patrimonium filio constitutum a patre pro Sacris Ordinibus suscipiendis, vel constitutum filio, seu Filiæ pro Matrimonio contrahendo, quod licet sit profectitium, & sit adducendum cum aliis fratribus ad partitionem hereditatis, ususfructus tamen, & illius utilitas non obligatur ad partitionem adducere, & vivente patre, habet perfectam illius administrationem, & usumfructum, ut cum Molina tenet Palaus *supra n.* 8.

DUBIUM IV.

An Clerici Beneficiarii sint domini fructuum suorum Beneficiorum.

26. CLerici Beneficiarii tria genera bonorum habere possunt; patrimonialia, qualia sunt, quæ ipsis hereditate, testamento, legato, opificio, dono consangui-

guineorum, & amicorum, vel alio modo, quo solent laici, sibi acquirunt: quasi patrimonialia, quæ acquiruntur ministerio Clericali, sed absque Beneficio, puta docendo, concionando, Missas celebrando, audiendo confessiones, & quæ dantur pro Vicaria temporali, pro faciendo funere, caussis peragendis, ferendis sententiis, pro agendo aliquo negotio Ecclesiæ, & hujusmodi: & mere Ecclesiastica, quæ recipiuntur a Clericis titulo alicujus Beneficii Ecclesiastici perpetui, puta Canonicatus, Decanatus, Episcopatus, & Parochiæ: & videndum

An horum omnium bonorum perfectum dominium habeant.

§. I.

Præmittuntur nonnulla quæ sunt certa apud omnes.

27. CErtum est apud omnes, Clericos non Religiosos habere verum dominium bonorum patrimonialium, & quasi patrimonialium, seu industrialium, quia per Clericatum, & Ordinem non fiunt incapaces dominii, unde possunt de illis disponere in quoscumque usus lege permissos, ut clare constat ex cap. *Quia nos 9. de Testamentis*, ubi dicitur *Liceat Clericis de his, quæ paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, libere disponere valeant*, & cap. *Relatum* ibid. 12. dicitur: *Quæ ex hereditate, vel artificio, aut doctrina proveniunt, distribuantur pro arbitrio decedentis*. Idem valet de bonis quasi patrimonialibus, quorum Clerici perfectum habent dominium, quia, qui ea ipsis tribuunt, dant tamquam mercedem laboris, vel operis personalis: *dignus est enim operarius mercede sua. Lucæ* 10. aut dant in sustentationem sine ullo onere tacito, aut expresso superflua dandi pauperibus; in quo conveniunt Doctores communiter, Lessius *de Just. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. Navar. *de redit. Eccles. qu.* 1. *monito* 19. Layman *lib.* 4 *tr.* 2. *cap.* 3. *n.* 1. Lugus *tom.* 1. *de Just. disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 23. Palaus *de Just. disp. un. punct.* 7. §. 1. *n.* 3. Baunius *de Benef. disp.* 15. *quæst.* 17. Bonacina *disp.* 4. *de obligat. Beneficiar. punct.* 1. *n.* 3. *&* 4.

28. Inde inferunt Lessius, Bonacina, & alii, quod Clerici non magis teneantur ex bonis quasi patrimonialibus in pios usus expendere, quam ex bonis patrimonialibus, cum illorum non minus, quam istorum habeant dominium perfectum, & liberam administrationem. Inferunt etiam, quod Clericus, si de his vivat, & expendat in sui sustentationem, vel in opera pia, possit tantumdem accipere, & sibi compensare de bonis Ecclesiasticis, & de eo disponere ad libitum, sicut de bonis patrimonialibus, quia cum habeat jus vivendi ex Beneficio Ecclesiastico, non tenetur vivere ex aliis suis bonis; unde si de his vivat, aut in opera pia consumat, potest uti compensatione.

29. Quæres: *an distributiones quotidianæ, quæ dantur Canonicis, & Clericis ob assistentiam in choro, sint bona quasi patrimonialia, adeo ut de illis libere disponere possint eodem modo, ac de patrimonialibus.*

Negant Navar. *de redit. Eccles. monito* 30. *n.* 2. Sanchez *lib.* 2. *consil. cap.* 2. *dub.* 46. *n.* 4. Tuschus *lit. D. concl.* 512. *n.* 1. & alii. Ratio est, quia distributiones quotidianæ ordinarie sumuntur de ipsis bonis Ecclesiasticis, seu redditibus Beneficii, suntque tertia pars dictorum redituum, ut habetur ex Trid. *sess.* 21. *cap.* 3. *&* *sess.* 22. *cap.* 3. & intuitu Beneficii acquiruntur, idemque onus habent, quod alii fructus Beneficii, idque ex jure Canonico, & tacita fidelium voluntate hujusmodi bona Ecclesiæ contribuentium, ut in usus pios insumantur.

30. Alii probabilius asserunt, esse bona quasi patrimonialia, quia distributiones dantur propter laborem, & assistentiam in choro, suntque pars separata a reditibus, & fructibus grossis, unde sicut portio redituum, quæ extrahitur ab aliqua præbenda, ut sit merces Cantoris, Magistri grammaticæ v. g. transit in liberam ipsius dispositionem, quia datur ut stipendium illius laboris, ita transire debent in liberam dispositionem Clericorum distributiones, quæ separantur a fructibus beneficiorum, cum & ipsæ dentur propter laborem, & assistentiam. Ita Lugus *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 25. Bonacina *disp.* 4. *de obligat. Beneficiar. punct.* 2. *n.* 18. dicentes, id verum esse, quamvis fructus omnes beneficii consistant in quotidianis distributionibus, quia omnes tamquam patrimoniales reduntur; ita etiam Azor. Sylvester, Angelus, & Covar. quos sequitur Andreas a Matre Dei *c.* 2. *punct.* 11. *n.* 24. & alios plures referens Moneta *de distrib. quotid. part.* 3. *qu.* 1. *n.* 18. *&* *qu.* 2. *n.* 7.

31. Numerantur etiam inter bona quasi patrimonialia illa, quæ Parochi, & Curati acquirunt ex functionibus spiritualibus, quas ratione Beneficii, & Officii Parochialis præstare tenentur, ut ex benedictione Nuptiarum, administratione Sacramentorum, sepulturis, & aliis hujusmodi, & fructus Stolæ communiter appellantur, quia illis dantur tamquam stipendium, & merces absque ullo tacito, aut expresso pacto superflua in caussas pias erogandi; ad quam mercedem percipiendam, ob labores spirituales, non minus jus habent Clerici, quam laici ob labores profanos. Navar. *de redit. qu.* 1. *monita* 19. Layman *lib.* 4. *tr.* 2. *cap.* 3. *num.* 2. Bonacina, & alii satis communiter.

32. Certum insuper est, Clericos beneficiarios non esse dominos bonorum Ecclesiæ immobilium, nec posse de illis disponere pro libitu, nec alienare sine forma præscripta in *extr. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienandis*, & patet 12. *q.* 2. *sive per istam*, *&* *tota tit. de reb. Eccles. non alienandis*; illarumque dominium non esse penes aliquam personam particularem, sive Clerici, sive Prælati, sed penes Ecclesiam spectatam in capite, & membris, sive ut loquitur Lessius *c.* 4. *dub.* 7. *n.* 51. penes cœtum Ecclesiasticorum, ut bona Monasterii penes cœtum Monachorum. Unde remanet difficultas de fructibus ipsis beneficiorum, de quibus sit

§. II.

An Clerici beneficiarii dominium habeant bonorum parsimonialium.

33. BOna parsimonialia dicuntur illa, quæ Clerici ex redditibus mere Ecclesiasticis ad ipsorum congruam, & honestam sustentationem necessariis, & sibi competentibus, parcius vivendo sibi subtrahunt, & congregant, puta si Clericus ad honestam, & convenientem sui sustentationem, considerato statu, & conditione sua possit annuatim de redditibus Ecclesiasticis insumere centum aureos, & solum insumat octoginta; illa viginti, quæ supersunt, dicuntur parsimonialia, id est subtracta ex sua honesta sustentatione parcius vivendo, & de illis, sicut de aliis ad honestam sustentationem deputatis, quæri potest

An Clericus beneficiatus sit verus dominus.

34. Resp. Clerici beneficiati habent verum dominium partis fructuum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ congruæ eorum sustentationi est necessaria, ita quod non teneantur de illa erogare in opera pietatis magis, quam ex bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus. Hæc conclusio non potest habere difficultatem, nam hæc pars fructuum est justissima merces eorum, qui Ecclesiæ serviunt, justumque stipendium illis debitum pro officio, & obsequio Ecclesiæ præstito; nam secundum Apostolum; *qui altari servit, de altari vivere debet*; sed unusquisque est dominus propriæ mercedis, & potest pro libitu de illa disponere; ergo etiam possunt beneficiarii disponere de illa parte fructuum, quæ congruæ eorum sustentationi est necessaria. Unde si quid volunt de illa detrahere, parcius vivendo, possunt de illa disponere sicut de bonis sæcularibus, possunt donare consanguineis, affinibus, aut quibus magis placuerit. Ita S. Thomas 2. 2. *qu.* 185. *art.* 7. Navar. *de redit. monito* 26. Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 37. Layman *lib.* 4. *tr.* 3. *cap.* 3. *n.* 2.

35. Nec obstat Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 1. *de refor.* vetans Ecclesiasticis ditare consanguineos de reditibus Ecclesiasticis: quia non intelligitur Concilium de illis bonis, quæ beneficiarius sibi hoc modo subtraxit, cum isti non censeantur fructus beneficii, sed propriæ industriæ, & laboris, sed loquitur Concilium de bonis, quæ superfluunt sustentationi. Sotus *lib.* 10. *de Just. quæst.* 4. *art.* 3. Nec item dicas; hæc bona taliter subtracta esse sacra, sicut ea, ex quibus subtrahuntur; nam licet sint sacra antequam subtrahantur, desinunt esse talia, quando extrahuntur per parsimoniam ex Clerici alimentis, sicut etiam quando titulo oneroso veniunt ad manus laicorum.

36. Hic advertunt, congruam sustentationem non consistere in indivisibili, sed habere latitudinem, sicut justum pretium rerum venalium non consistit in indivisibili, sed habet latitudinem, infimum, medium, & supremum. Inde poterit beneficiarius id, quod sibi subtrahit a summo convenientis sustentationis, cuivis donare, & in quoscumque usus etiam profanos, honestos tamen, expendere pro sua voluntate, quia sicut potest quis vendere juste rem suam pretio supremo, ita beneficiarius ex fructibus beneficii potest sibi retinere summum necessarium ad decentem sustentationem, & sibi subtractum donare. Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. *n.* 40. Navar. Molina, Coninch. quos sequitur Palaus *de Caritate tr.* 6. *disp.* 2. *punct.* 5. *n.* 7.

37. Quod si beneficiarius pingue habeat patrimonium, adhuc tamen potest retinere partem fructuum suæ sustentationi convenientem, quia nullus tenetur propriis stipendiis militare, & qui altari servit, de altari vivere debet,

debet, ut notavimus supra, & ita tenet Bonacina *disp.* 4. *p.* 2. *n.* 6. & aliis pluribus citatis. Sanchez *Cons. l.* 2. *cap.* 2. *dub.* 44. Unde si beneficiarius vivat ex proprio suo patrimonio, potest ex eo, quod sibi competit ratione suæ sustentationis, libere uti ac si esset proprium, quia hæc est justa compensatio; cum enim in sustentationem suam consumpserit proprium, ad quod non tenebatur, potest tantumdem de beneficio recipere, & inter propria reponere. Palaus *punct.* 5. *n.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. *n.* 38. Bonacina, Navar. & alii.

38. Quares: *quomodo taxanda, seu quanta pars fructuum censeatur necessaria, & sufficiens pro honesta beneficiarii sustentatione, ut de illa libere disponere possit.*

Resp. taxandam esse arbitrio prudentis viri, habita ratione Beneficii, qualitatis personarum, Regionis, locorum, & temporum, ita ut illa dicatur quantitas necessaria, & sufficiens pro tali honesta sustentatione, quæ non excedit, nec deficit in iis, quæ pro re domestica, œconomia, famulatu, victu, & vestitu ordinarie, possunt, ac solent expendere aliæ personæ similis conditionis, ac timoratæ conscientiæ; nam quæ a jure indeterminate statuuntur, non possunt alia ratione definiri, ac determinari, quam arbitrio prudentis viri, habita ratione locorum, temporum, & personarum. Ita tenent Sanchez *in cons. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 41. Bonacina *disp.* 4. *punct.* 2. *n.* 7. Lugus *disp.* 4. *sect.* 4. *n.* 53. Palaus *punct.* 5. *n.* 8. Andreas a Matre Dei *c.* 2. *punct.* 11. *n.* 148.

39. Primo igitur habenda est ratio dignitatis, & qualitatis personarum; sic Episcopus plus insumere potest pro sua honesta sustentatione, quam Præpositus, vel Decanus, & hic plus, quam simplex Canonicus; plura tribui possunt Canonico Cathedralis, quam Ecclesiæ Collegiatæ, & plura Parocho quam simplici beneficiato non Canonico. Cum enim non sit omnium par conditio, potest unus, puta Episcopus, splendidiorem, ac pretiosiorem supellectilem habere, sicut & ampliorem familiam, & lautiorem mensam, ut notant *præcit. Doctores*. Notat etiam Lugus *n.* 54. attendi debere ad qualitatem, & usum Regionis; quod enim in uno loco sufficit, in altero non sufficit. Item ad necessitatem personæ, alicui enim debili, & delicato plura sunt necessaria, quam alteri robusto, & benevalenti, adeout singuli accipere possint id, quod ipsis necessarium est ad vivendum juxta gradum, conditionem, dignitatem, & necessitatem suam.

40. Ad honestam sustentationem pertinent etiam illa, quibus indiget Clericus ad exercendam debitam, & moderatam hospitalitatem, ad moderata convivia amicis, & consanguineis exhibenda, ad donationes non solum remuneratorias, sed etiam liberales faciendas; item quæ ad honestam Clerici recreationem sunt necessaria: non enim ad omnino parcam, vel avaram, sed honestam, decentem, & modestam sustentationem Jura, & Fundatores intendunt Clericum obligare. Itaque regula generalis honestæ sustentationis ea est, quæ non excedit sumptus solitos fieri a viris timoratis ejusdem gradus, & conditionis, ut cum Molina docet Lugus *sect.* 4. *nu.* 55. sequitur Palaus *punct.* 5. *n.* 9.

41. Dices ex Trid. *sess.* 21. *c.* 2. *de refor. Nemo debet ad Sacros ordines promoveri, nisi legitime constet, habere Beneficium Ecclesiasticum, quo possit honeste sustentari; tale autem Beneficium censetur sufficiens, si ad* 30. 40. *vel* 51. *aureos pertingat; ergo etiam talis quantitas taxanda est pro sufficienti, & honesta sustentatione Beneficiati.* Sed contra; Concilium voluit Clerici honestam sustentationem, ne cogatur mendicare, pro qua sufficit assignata quantitas, quæ tamen non censetur sufficiens, ut Canonicus, vel alter beneficiatus possit vivere decenter secundum conditionem gradus, & dignitatis, pro quo multo plura requiruntur, ut recte declarat Navar. *de orat. Miscell.* 62. *n.* 8. nam beneficiari non debent vivere cum penuria, ut non cogantur mendicare, sed commode, & decenter secundum qualitatem personæ, & dignitatis, ut habet Ricc. *in Prax. for. Eccles. part.* 3. *resol.* 469. Hinc Gloss. *in cap.* 1. *verb.* absque penuria *de stat. regal. in* 6. dicit; Canonico Bononiensi ad vivendum sine penuria sufficere 25. Florenos, ad vivendum autem commode non sufficere centum; & Sacra Congreg. censuit, quod habens Canonicatum, & duo beneficia simplicia, quorum omnium annui reditus secundum communem æstimationem non ascenderent ad Summam 125. Ducatorum non prohibetur a Concil. Trid. quin ea omnia retinere possit, ut ex Zerol. refert Antonell. *de regim. Eccles. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 7.

42. Quamvis honesta Clerici sustentatio non consistat in indivisibili, sed patiatur latitudinem, & possit esse major, aut minor pro diversitate circumstantiarum dignitatis, Personæ, temporis, & loci, omnes tamen memores esse debent modestiæ, temperantiæ, ac frugalitatis, quam Concil. Trid. *sess.* 25. *de refor. c.* 1. adeo graviter beneficiariis omnibus commendat, ubi *non solum jubet, ut Episcopi modesta supellectile, & mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei Zelum, aut vanitatum contemptum præseferat.* Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem in quibuscumque beneficia Ecclesiastica tam Regularia, quam sæcularia obtinentibus, pro gradus sui conditione observari decernit. Notanda sunt etiam quæ S. Bernardus *Epist.* 2. scripsit ad Fulconem Canonicum Lugdunensem: *dignum est, ut qui altari servit, de altari etiam vivat. Conceditur ergo tibi, ut si bene deservis, de altari vivas, non autem, ut de altari luxurieris, ut de altari superbias.*

§. III.

An Clerici beneficiati sint Domini bonorum Ecclesiasticorum, quæ superfluunt illorum honestæ sustentationi.

43. PRo solutione distinguenda sunt plura tempora; primum est, nascentis Ecclesiæ, quando omnibus fidelibus, sive Clericis, sive laicis una erat vita communis, & qui convertebantur, venditis omnibus suis, pretium ad pedes Apostolorum deferebant, ut omnium necessitatibus subveniretur. Secundum est, quando, crescente multitudine fidelium, cœperunt laici a communione recedere, sibique retinere bona propria, remanentibus Clericis in vita communi sub potestate Episcoporum, qui temporalia omnia administrabant, ut constat ex cap. *Quia tua*, & cap. *scimus* 12. *qu.* 1. Tertium est, quando, crescentibus bonis Ecclesiasticis, & multitudine Clericorum, cum imminutione Caritatis, facta fuit bonorum divisio in quatuor partes, ut una Episcopo, secunda Clericis, tertia pauperibus, quarta fabricæ applicaretur, quæ divisio facta fuit circa annum 470. a Gelasio Papa, ut multorum, præcipue pauperum, lamentationibus occurreret, ut constat ex cap. *Concesso*, & aliis 12. *qu.* 2. & cap. *un.* 13. *qu.* 1. Quartum denique est tempus præsens, & status, qui viget in Ecclesia, ubi sunt instituta, & erecta beneficia, quibus certi proventus sunt annexi, & de istis beneficiorum fructibus, & proventibus dubitatur; *An ipsarum dominium sit penes beneficiatos, an non. In quo discrepant Doctores.*

44. Prima Sententia docet, Episcopos, & alios beneficiatos non esse dominos fructuum suorum beneficiorum, sed dumtaxat administratores, & sic non posse de illis assumere, nisi sibi necessaria ad congruam sustentationem. Ita Navar. *de redit. Eccles. qu.* 1. *mon.* 21. *& qu.* 2. *n.* 7. ubi citat quamplures ex antiquioribus relatos a Lugo *disp.* 4. *sect.* 1. Abbas in cap. *cum secundum* 16. *n.* 4. Archid. in cap. *statutum de rescrip. in* 6. Sylvester, Major, Panormit. Armilla, Rosella, quos etiam sequitur Joan. Petrus Moneta *de distrib. quotid. part.* 3. *qu.* 2. *n.* 14. ubi plures affert Canones pro hac sententia stabilienda, in quibus Episcopi, & ceteri Clerici numquam domini, sed tantum dispensatores, administratores, seu procuratores bonorum mere Ecclesiasticorum vocantur; & ipsa bona vocantur res Dei, patrimonium Christi, & pauperum, vota fidelium, pretia peccatorum.

45. Ratio est, quia Clerici ante factam divisionem non habebant dominium bonorum Ecclesiasticorum, ut omnes facile concedunt; ergo nec tale dominium habent post factam divisionem, per quam Pontifices solum voluerunt evitare scandala, rixas, ac dissensiones inter Episcopos, Capitula, & Clericos, hinc inde exortas, quod, Episcopis solis dispensatoribus existentibus, bona Ecclesiastica persæpe indebite fuerint distributa, non vero mutare statum, & conditionem illorum, appropriando Clericis in particulari dominium bonorum, quæ taliter in pios usus erant relicta, ut sub nullius in particulari essent dominio; & sic bona, quæ per illam divisionem Clericis fuerunt applicata, transierunt cum onere suo primævo, nam res transit cum onere.

46. Adde, quod tale dominium si concederetur Clericis in particulari, non parum præjudicaret Ecclesiis, & locis piis, quibus bona illa superflua essent applicanda, siquidem Clericus factus illorum dominus posset illa expendere pro libito in caussas profanas; saltem valide, & sine ullo onere restitutionis, quod cederet in grave præjudicium Ecclesiæ, & loci pii. Nec obstat, quod Clerici non possint illa bona licite in caussas profanas expendere, sed teneantur expendere in caussas pias, quia cum non habeant obligationem restituendi, si expendant in caussas profanas, non satis esset provisum Ecclesiis, & locis piis, ac proinde dicendum est, Clericos non habere dominium bonorum.

47. Secunda Sententia, quæ est probabilior, & sequenda, docet post divisionem bonorum Ecclesiasticorum, & erectos beneficiorum titulos, beneficiatum habere dominium omnium bonorum sui beneficii, etiam illorum, qui superfluunt congruæ sustentationi. Probatur ex Juribus statuentibus, ut Clerici beneficiati non faciant

fructus suos, si quid fecerint, vel facere neglexerint, puta, si ultra bimestre distulerint professionem Fidei, Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* Si Episcopi citra caussas approbatas abfuerint ultra trimestre, Trid. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* Si Beneficiati non recitant Officium divinum S. Pius V. *const.* 135. *ex Proximo*, & in Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* privandas decernitur pro prima vice medietate fructuum, quos fecit suos; pro secunda vice omnibus fructibus, quos illo anno lucratus fuit Canonicus absens ultra trimestre; supponuntur ergo fructus omnes esse sui, seu sub dominio Beneficiatorum.

48. Item habetur ex Constit. Julii III. *cum sicut nobis*, edita 1550. & durante Concilio Trid. publicata, ubi habetur: *Pecunias, & res alias, occasione Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum provenientes, postquam ad manus Beneficiatorum pervenerunt, & cum aliis ipsorum Beneficiatorum fructibus commixti fuat, &c. non ulterius in Ecclesiasticis, sed potius in ipsorum Beneficiatorum propriis, & ab eis acquisitis bonis judicari, & propterea quodammodo pro saecularibus, & profanis haberi*, ubi Pontifex absolute loquitur de omnibus bonis, sive necessariis, sive superfluis. Idem sentit D. Thomas 2. 2. *qu.* 185. *art.* 7. *in corp.* ubi cum ex cap. de reditibus Ecclesiast. 12. *q.* 2. ostendisset, reditus Ecclesiae, & oblationes fidelium in quatuor portiones esse dividendas, ex quibus prima danda sit Episcopo, secunda Clericis, tertia pauperibus, quarta fabricae, subdit. *de his autem, quae sunt Beneficiariorum usui deputata, videtur esse eadem ratio, quae est de propriis bonis*: cum ergo Beneficiarii dominium habeant super propria bona, ita etiam dominium habent super bona Beneficii sibi specialiter deputata.

49. Rationem assignat Sotus *lib.* 10. *de Just. q.* 4. *art.* 3. *concl.* 3. quia sicuti pauperes acquirunt dominium eleemosynarum, quae sibi erogantur, etiamsi maximae sint, ita similiter Beneficiarii erunt domini fructuum provenientium sibi ex possessionibus, & praediis Ecclesiae dicatis, quia a piis Testatoribus in eleemosynam conferuntur ratione alicujus obsequii Clericalis, saltem propter divinum Officium, quod omnes Beneficiarii recitare tenentur. Nec refert, inquit Sotus, temporales ne sint tales eleemosynae, & quotidianae, an vero perpetuae, scilicet fructus praediorum, & possessionum, quae prae talibus obsequiis, & servitiis Ecclesiasticis mancipata sunt Clero.

50. Confirmatur quia Clerici Beneficiati de facto sunt domini bonorum, & fructuum propriae sustentationi necessariorum; ergo etiam sunt domini fructuum superfluorum, nam Clerici Beneficiati reditus omnes Ecclesiasticos tam necessarios, quam superfluos promiscue, ac sine distinctione accipiunt; ergo dici non debet, quod aliquorum dominium accipiant, & non aliorum. Hanc sententiam tenent Soto *supra cit. art.* 3. Covar. in cap. *Cum in officiis* 7. *n.* 3. *de Testam.* Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccles. un. cap.* 17. *& de potest. Episc. allegat.* 114. Fagnanus in cap. *Si quis sane alt. de peculio Cleric.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. *n.* 44. Lugus *disp.* 4. *sect.* 1. Palaus *de Carit. disp.* 2. *punct.* 6. *n.* 3. Bonacina *disp.* 4. *p.* 1. *proposit.* 3. & alii satis communiter apud ipsos.

51. Nec urgent in contrarium Canones dicentes, Beneficiatos non esse dominos, sed dispensatores bonorum Ecclesiasticorum; quia vel sunt intelligendi de tempore praecedente divisionem bonorum, vel intelliguntur de rebus Ecclesiae immobilibus, in quibus numerantur beneficia Ecclesiastica, non de reditibus praebendarum, & fructibus Beneficiorum, vel certe significant hi Canones, non ita esse absolute dominos, ut liberi sint ab obligatione erogandi superflua in pauperes, & pios usus, de qua obligatione postea dicam.

52. Nec item obstat, quod Clerici Beneficiati testari non possint de fructibus Beneficii cap. *Quia nos de Testam.* quia hoc provenit a lege Canonica sic prohibente, quia valde congruum est, quod superfluum bonorum relinquatur Ecclesiae, & quia sic avertantur Clerici a studio congregandi, & accumulandi, & incitentur ad benefaciendum in vita sua, praecipue Episcopi, qui debent esse Patres pauperum, prout fusius dicetur inferius.

53. Ad alias rationes in contrarium adductas dicendum est, Ecclesiam potuisse, occasione desumpta ex querelis, & rixis exortis, bona Ecclesiastica dividere, & cuilibet assignare suam partem cum translatione dominii, quia hoc magis conducebat ad pacem servandam, & cultum Dei augendum; nec per hoc immutata fuit natura illorum bonorum, quae numquam data fuerunt a Benefactoribus cum expressa, seu tacita conditione, ut illorum dominium Clericis non applicaretur, sed solum ut converterentur in usus pios: fuitque solum immutatus modus talia bona administrandi. Nec propter hoc praejudicatur Ecclesiae, aut locis piis, quibus semper applicanda sunt ea, quae superfluunt honestae Clericorum sustentationi.

§. IV.

An, & qualem obligationem habeant Beneficiati expendendi superflua in Pauperes, & Usus pios.

54. QUi docent Episcopos, & alios Beneficiarios non habere dominium fructuum suorum Beneficiorum, sed puram dumtaxat administrationem, consequenter docent, illos teneri ex justitia partem superfluam expendere in pauperes, & usus pios, ita quod aliter facientes teneantur ex justitia ad restitutionem in opera pia ex aliis bonis, quae pleno jure possident, quia, inquit Navarr. contra justitiam facit, qui de re, quam possidet, disponit contra conditionem, quam Donator apposuit; sed reditus Ecclesiastici sunt Ecclesiae, & Beneficiariis donati cum hac conditione, ut quod superest, expendatur in pios usus, aut pauperibus erogetur; ergo contra justitiam agunt, si in usus profanos expendunt, & sic tenentur ad restitutionem. Pro hac Sententia faciunt Canones dicentes, quod reditus Ecclesiastici sunt tributa pauperum; quod quidquid praeter necessarium victum, & simplicem vestitum de Altari retinetur, rapina pauperum est, ac sacrilegium. Sic habetur can. *Quoniam* 16. *qu.* 1. quod desumptum est ex D. Hieronymo ad Damasum: *Quidquid habent Clerici, pauperum est.* Et infra: *Qui bonis parentum, & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt.* Consonat illud D. Bernardi *Epist.* 42. qui scribens ad Archiepiscopum Senonensem inducit pauperes ita clamantes: *nostrum est, quod effunditis: nobis crudeliter subtrahitur, quod expenditis: nostris necessitatibus demitur quidquid excedit vanitatibus vestris.*

55. Alii e contra ita faciunt Beneficiarios dominos fructuum suorum beneficiorum, ut nullam in illis, sive divinam, sive humanam agnoscant obligationem expendendi superflua in pauperes, & usus pios, quia sacri Canones, qui contrarium praecipere videntur, procedunt ante factam bonorum Ecclesiae divisionem, vel certe loquuntur de rebus Ecclesiae immobilibus. Ita sentit Gabriel a S. Vincentio *in suis responsis moralib. resp.* 100.

56. Communis Sententia nullam cognoscit in Beneficiatis obligationem Justitiae, docet tamen, illos peccare lethaliter, si superflua aliter expendant, quam in usus pios. Ita tenent Palaus *de Carit. disp.* 2. *punct.* 5. & 6. ubi citat Vasq. Valent. Coninch. Molinam, & Lessium, Sanchez *lib.* 2. *consil. disp.* 2. *dub.* 38. Lugus *disp.* 4. *sect.* 1. *n.* 2. Malderus *tr.* 1. *de domin. cap.* 4. *concl.* 3. sequitur Andreas a Matre Dei *de Just. c.* 2. *n.* 155.

57. Resp. 1. Beneficiarios ita esse dominos partis superfluae fructuum ex beneficiis sibi provenientium, ut quamvis profane illam expendant, non teneantur ex Justitia ad restitutionem pauperibus, aut aliis locis piis. Colligitur ex D. Thoma *cit. qu.* 185. *art.* 7. *in corp.* ubi, postquam dixit, quod, facta divisione bonorum, Episcopus tenetur ad restitutionem, si subtraxit aliquid destinatum ad usum pauperum, subdit; *de his autem quae sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quae est de propriis bonis.* Quantum ad hoc, quod est habere illorum dominium, & quodlibet 6. *q.* 8. *art.* 12. *ad* 3. Sic habet. *Aliter ergo dicendum est de illis Ecclesiasticis bonis, quae principaliter sunt attributa necessitatibus pauperum, & consequenter necessitatibus Ministrorum, qualia sunt bona Hospitalium, & aliorum hujusmodi: & aliter de illis bonis, quae sunt principaliter attributa usibus Ministrorum, sicut sunt Praebendae, & alia hujusmodi; nam in prioribus bonis peccatum committitur non ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit, quod est alterius, & ideo tenetur ad restitutionem tamquam defraudator rei alienae in sua distributione: de aliis vero bonis non committitur peccatum nisi per abusum, sicut & de patrimonialibus dictum est*; quo nihil clarius dici potest.

58. Ratio fundamentalis est, quia beneficiarii, cum sint domini etiam portionis redundantis congruae sustentationi, ut supra dictum est, non peccant contra justitiam pro libito suae voluntatis disponendo de illa, etiam in usus profanos, sicut dives non tenetur ad restitutionem, si omittat dare eleemosynam praeceptam. Deinde, quia non est imponenda Beneficiatis talis obligatio, nisi constet, rem esse alienam, aut alteri ex justitia debitam, quod in praesenti non constat, nec Ecclesia declarat; quinimmo videtur deduci oppositum ex eo, quod Ecclesia numquam invalidaverit alienationes non factas in pias caussas, nec ad restitutionem compellat, neque hoc praetextu lis umquam mota est: & sane Ecclesia, quae in minoribus obligationes restituendi declarat, puta circa absentes ab Officio, aut residentia, vel omittentes Horas Canonicas, deberet talem obligationem in praesenti declarare, quae alias non est imponenda.

59. Nec obstat in contrarium ratio adducta a Navarro, quia non constat, fundatores beneficiorum sua

  bona

bona Ecclesiis dedisse hac lege, & conditione, ut, subtractis sumptibus necessariis ad sustentationem Ministrorum, reliqua expenderentur in pauperes: potest quidem præsumi, talem fuisse ipsorum intentionem, hæc tamen intentio, & præsumpta voluntas, non ita obligat donatarium, ut, si aliter disponat, faciat contra justitiam cum obligatione restitutionis, sicut Testator numquam intendit, opes hereditatis dissipari ab herede: si tamen dissipentur, etiam in turpes usus, non proinde heres peccat contra justitiam, nec tenetur ad restitutionem, quia talis præsumpta voluntas non fuit in pactum deducta, ut notant Lessius *n.* 45. Filliuc. *de spol. Eccl. tr.* 23. *cap.* 7. *n.* 13. Sotus, Azor, & alii.

60. Nec item obstant Canones, quos supra diximus intelligendos esse de tempore præcedente divisionem bonorum, vel de rebus Ecclesiasticis immobilibus, vel certe significant illi Canones, Beneficiarios non ita esse absolute dominos, ut liberi sint ab obligatione erogandi superflua in pauperes, & usus pios. Sancti Patres, qui Beneficiarios non expendentes reditus Ecclesiasticos in pauperes, & usus pios, vocant aliquando fures, sacrilegos, & usurpatores bonorum pauperum, loquuntur per quamdam exaggerationem, cum hoc idem dictum reperiatur ab ipsis de sæcularibus avaris, quod dicit D. Thomas *cit. qu.* 185. *art.* 7. *ad* 1. procedere de omnibus, qui ex debito caritatis providere tenentur indigentibus;

61. Resp. 2. Beneficiarii peccant mortaliter, si partem fructuum Beneficiorum congruæ sustentationi redundantem non expendant in usus pios, sed in usus profanos, & ad ditandos consanguineos, & amicos. Ratio est, quia sic expendentes fructus Beneficiorum faciunt contra præceptum Ecclesiæ latum a Trid. *sess.* 25. *cap.* 1. *de reform.* ubi *sancta Synodus omnino Episcopis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, Consanguineis donent, sed si pauperes sint, eis, ut pauperibus distribuant*. Et infra subjungit: *quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque Ecclesiastica Beneficia, tam sæcularia, quam Regularia obtinentibus, pro gradu suæ conditionis, observari, sed etiam ad sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinales pertinere decernit*, in quibus verbis rigorose præcipitur, ne reditus Ecclesiastici in profanos usus expendantur, ad ditandos amicos, & consanguineos; quod etiam patet ex aliis Juribus fuse cumulatis ab Azor. Moneta, Lessio, & Sanchez *dub.* 38.

62. Difficultas est: *Undenam oriatur adeo stricta obligatio, quæ asseritur esse in Beneficiatis insumendi superflua in usus pios; an nimirum oriatur ex natura rei, scilicet ex obligatione Religionis vetantis, ne res Deo dicatæ, uti sunt bona Ecclesiæ, insumantur in usus profanos, seu non pios; an vero oriatur solum ex præcepto positivo Ecclesiæ*. Hoc secundum tenet Lessius *cap.* 4. *dub.* 6. *n.* 47. Azor. & alii, eo quod nihil solidum afferatur, quod, ablato præcepto Ecclesiæ, gravem inordinationem urgeat,

63. Sed melius alii docent, id provenire ea obligatione naturali, & Divina, seu ex virtute Religionis, quia bona Ecclesiæ sunt res Dei, & oblationes fidelium, quæ non debent in alios usus converti, quam in Dei honorem, sustentationem Ministrorum, & pauperum, quam rationem assignat Trid. vetans Beneficiatis, *ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent*, & indicat hanc obligationem ex natura rerum provenire: turpe namque est res Deo sacratas in conviviis, luxuriis, aliisque usibus vanis expendere, prout docet Palaus *de Carit. disp.* 2. *punct.* 5. *n.* 6. sequitur Andreas a Matre Dei *c.* 2. *n.* 141. Lugus *disp.* 4. *sect.* 2. *n.* 56. Sanchez *dub.* 40.

64. Hinc sequitur, res Deo sacras ex natura rei, nimirum ex eo, quod sint Deo sacratæ, numquam posse converti in usus profanos, si non possint exuere consecrationem, secus si illam possint amittere. Res sacræ aliæ dantur Ecclesiæ, & Clericis pro aliquo determinato, & particulari officio, seu munere, puta pro Missa celebranda, pro cantu, pro administratione Sacramentorum, &c. & istæ, obtento fine, per quem datæ sunt Ecclesiæ, non amplius remanent consecratæ, & cessat obligatio illas in alios usus pios insumendi, & tales sunt omnes illæ res, quas supra diximus connumerari inter quasi patrimonialia. Subsidium etiam, quod datur aliquibus Cardinalibus in subsidium expensarum, censendum est quasi patrimoniale, quia illis datur adæquate, & determinate pro tali effectu. Aliæ res sunt, quæ non dantur pro aliquo determinato usu, & istæ remanent perpetuo Deo sacratæ, nec possunt insumi, nisi in usus pios: hujusmodi sunt Beneficia Ecclesiastica, quorum proinde fructus nonnisi in usus pios converti debent.

65. Quæres: *An id, quod dictum est de fructibus Beneficiorum expendendis in usus pios, valeat etiam de Pensionibus.*

Resp. Pensiones, alias dari titulo mere sæculari in compensationem obsequiorum, quæ quis præstitit, aut præstat Ecclesiæ, & istæ sunt immunes ab illa obligatione, superflua expendendi in usus pios, quia sunt præmium, & merces operis præstiti, aut præstandi, & sic numerantur inter bona quasi patrimonialia, & jam non sunt bona Ecclesiastica, sed profana: alias vero dari titulo Clericali, & spirituali, cum obligatione ad aliquod munus, propter quod dantur hujusmodi pensiones, & de istis militat eadem ratio, ac de fructibus Beneficiorum, quia vere sunt reditus Ecclesiastici, & transeunt cum suo onere; idque etiam constat ex motu proprio S. Pii V. quo habentes pensionem titulo Clericali obligantur ad recitandum Officium parvum Beatæ Mariæ, qua ratione innuit, tales pensiones retinere naturam bonorum Ecclesiasticorum: & ita cum Navarr. & Sarmiento tenet Sanchez *in consil. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 47. sequitur Palaus *punct.* 7. *n.* 2. & Andreas a Matre Dei *cap.* 2. *de dominio n.* 147.

66. Quæres 2. *Quænam summa dicatur notabilis, quæ si expendatur in usus profanos, sufficiat ad constituendum peccatum mortale.*

Resp. Non sufficere illam summam, quæ furto sublata sufficit, sed majorem, vel minorem requiri, & sufficere arbitrio viri prudentis, considerata fructuum superabundantia, & aliis circumstantiis; nam ad peccatum mortale major quantitas requiritur in majori superabundantia fructuum, & minor in minori. Hac ratione Palaus *punct.* 5. *n.* 7. cum Molina, & Conineh docet, quantitatem non esse notabilem, nec sufficientem ad peccatum mortale, si non excedat tertiam, vel quartam partem dictorum fructuum. Ratio esse potest, quia Clerici habent dominium illorum bonorum, non sic fur in re furtiva; hic peccat contra justitiam, non autem Clericus, cujus obligatio dandi superflua in pias causas oritur solum ex motivo Religionis, unde sufficit, ad vitandum peccatum grave, ut moraliter dici possit pie, & religiose expendisse; quod salvatur quando majorem partem insumpsit in pios usus.

67. Hic etiam notandum est cum Lessio *l.* 2. *cap.* 19. *n.* 48. hanc obligationem, quam habent Clerici expendendi superflua in usus pios esse personalem, ex quo fit, hanc obligationem non transire ad alios ab illis accipientes; unde licet peccaverit Beneficiarius male expendens superflua in usus profanos, valida tamen fuit donatio, seu alienatio, cum habuerit dominium illorum bonorum, licet cum onere personali expendendi superflua in pias causas, nec tenetur Beneficiarius ad restitutionem fructuum male consumptorum, cum non peccaverit contra justitiam, sed sufficit, quod ille pœnitentiam agat, ut docet Div. Thomas *quodlibet* 6. *artic.* 12.

68. Nec dicas; *Beneficiarii habent dominium fructuum etiam superfluorum sui Beneficii; ergo non peccant, si illos expendant in usus etiam profanos*. Sed contra, ea supradictis *cap.* 2. *dub.* 1. *nu.* 2. dominium est jus perfecte disponendi de re qualibet in proprios usus, nisi lege prohibeatur; in nostro casu Clericis Beneficiatis prohibitum est, fructus superfluos expendere in usus profanos non solum lege Ecclesiastica, sed etiam Jure naturali, & Divino, dum ex motivo Religionis tenentur res Deo sacras, & oblatas expendere in usus pios.

§. V.

In quosnam usus pios expendi debeant bona superflua.

69. PEr usus pios, in quos insumi debent fructus Beneficiorum, qui superfluunt, detracta sufficienti, ac honesta sustentatione Beneficiati, intelliguntur omnes illi, qui spectant ad Religionem, cultum Dei, ad sustentationem pauperum, Hospitalium, & Ecclesiarum. Et quidem nomine *Pauperum* veniunt non solum illi, qui carent necessariis ad decentem sustentationem juxta qualitatem, & conditionem sui status, qua ratione etiam viri nobiles, Comites, & Marchiones possunt indigere, illisque tribuere potest ex reditibus Ecclesiasticis superfluis Clericus Beneficiatus amicus, aut consanguineus, prout docent Lugus *disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 37. & Sanchez *cap.* 2. *dub.* 38. *n.* 11.

70. Nomine *Pauperum* veniunt etiam Parentes, & consanguinei, quibus contribuere potest Beneficiatus ex fructibus Beneficii, si vere indigeant, & pauperes sint; & ita videntur, in pari casu, ceteris præferendi, ut constat ex Can. *ceterum dist.* 85. ibi, *ceterum Dei traditio est, ut prius pascas parentes*. Et Can. *est probanda* 16. *ead. dist.* ibi: *est probanda etiam illa liberalitas, ut proximos seminis sui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere*. Ratio est, quia parentes, & consanguinei duplicem habent titulum, nempe paupertatis, & san-

& sanguinis, ac proinde, ceteris paribus, prius illis, quam aliis, est subveniendum.

71. Non tamen debet Beneficiarius ita excaecari amore parentum, ut non solum illis, ut pauperibus velit succurrere, sed illos ditare, & ad altiorem statum, & conditionem evehere, & exaltare, quod expresse prohibetur a Trid. *sess. 25. cap. 1. de reform.* prohibente Episcopis, Beneficiatis, & aliis, *ne de reditibus Ecclesiae consanguineos, familiaresque suos augere studeant.* Consonat can. *est probanda* 56. *dist.* 86. ubi conceditur, ut pauperibus consanguineis de bonis Ecclesiasticis succuratur, *non tamen ut illis ditiores eos fieri velint, quod tu posses inopibus conferre: neque enim propterea te Domino dedicasti, ut Tuos divites facias. Putant, se parum poscere? pretium tuum quaerunt; vitae tuae fructum adimere contendunt: & accusant, quod eos divites non facias, cum te illi velint aeternae vitae fraudare mercede.*

72. Quamvis autem non sit licitum ex reditibus Ecclesiasticis ditare Consanguineos, illorumque statum pro libito augere; probabile tamen est, Episcopum, & Beneficiarium posse illis dare non solum, quae necessaria sunt ad statum, sed aliquid plus, ut secundum aliqualem altiorem statum vivant, quia ratione dignitatis, ad quam Consanguineus provehitur, augetur Consanguineorum status, & sic illud plus, quod datur, censetur necessarium ad statum, ne ipsi in dignitate Ecclesiastica dedecori sint, prout docent Malderus *cap. 4. dub. 8.* & cum Navarr. & Molina, Sanchez *dub. 38. nu. 8.* Lugus *disp. 4. n. 70.* ubi aperte dicit, Episcopum, vel Cardinalem posse dare Fratribus, & Consanguineis ex reditibus Ecclesiasticis quantum sufficit ad sublevandum eorum statum, quia qui Cardinalem, aut Episcopum, Fratrem, seu Consanguineum propinquum habent, quamvia inferioris essent notae, tamen ratione conjunctionis cum illo, elevantur ad alium statum altiorem, unde illa poterit necessaria ad talem statum providere, quia hoc non est ditare Consanguineos, quod a Tridentino prohibetur, sed necessaria ad statum subministrare.

73. Addit Lugus *nu.* 71. Episcopum, & Cardinalem non solum dare posse Consanguineis, quae pro tempore praesenti necesse habent, sed etiam quod in futurum deserviat, fundando annuos reditus, quibus ipsi, & eorum posteri decenter vivere possint, dummodo id moderatum sit, & principaliter fiat ex caussa pia ad posterorum indigentiam sublevandum, non vero ad splendorem, & memoriam familiae, quia succurrere consanguineorum, & descendentium indigentiae censetur opus pium. Idem docet Sanchez *dicta cap. 2. dub. 28. n. 50.*

74. Potest etiam Beneficiatus ex fructibus Beneficii dotare filias, si quas habet, etiam spurias, sorores, vel consanguineas pauperes, cum hoc sit opus maxime pium, & dos inter alimenta computetur; & quidem constituere illis dotem paullo ampliorem, & pinguiorem, quam habuissent, deficiente Beneficio, nam, ut dixi, ex promotione parentis ad Episcopatum, aut aliud Beneficium pingue, illorum status aliqualiter elevatur, & secundum talem statum potest illis dotem constituere, ut cum Sanchez *n* 8. tenet Lugus *n.* 69.

§. VI.

An Episcopi, & Beneficiarii testari possint de fructibus suorum Beneficiorum.

75. Certum est, Beneficiarios omnes non Religiosos de bonis patrimonialibus, quasi patrimonialibus, aliisque proprio labore, ac industria acquisitis, necnon de bonis parsimonialibus, quae parcius vivendo de congrua sustentatione sibi subtraxerunt, testari posse, etiam ad caussas profanas, eaque posse relinquere consanguineis, etiam divitibus, cum habeant illorum bonorum perfectum dominium, ut dictum est *supra* §. 1. & 2.

76. De fructibus Beneficiorum, qui superfluunt honestae sustentationi de Jure communi testari non possunt, vel disponere caussa mortis, etiam ad pias caussas, sed ea relinquere debent Ecclesiae, quae in talibus bonis succedit, ut habetur ex cap. *Quia nos* cap. *relatum* 2. & cap. *cum in officiis de Testam.* ne scilicet Clerici Beneficiarii studerent opibus accumulandis, sed promptiores redderentur ad bona Ecclesiastica superflua majori cum merito in vita erogando in pias caussas, scientes nullam sibi potestatem superesse de eisdem post mortem, seu caussa mortis disponendi, ut cum aliis notat Layman *lib. 4. tr. 2. cap. 3. n. 6.* Barbosa *allegat.* 554. & Moneta *de distrib. part. 3. qu. 2. n. 3.* Possunt tamen in ultima aegritudine constituti pauperibus, locisque religiosis, & sibi inservientibus aliquid elargiri, ut habetur d. cap. *Relatum 2. de Testam.* ibi *consuetudinis tamen est non improbandae, ut de his* (bonis mobilibus per Ecclesiam acquisitis) *pauperibus, & religiosis locis,* & *illis, qui viventi servierant, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur.*

77. Difficultas est: *an possit consuetudine introduci libera facultas testandi de bonis Ecclesiasticis.*

Et quidem induci posse talem consuetudinem testandi ad caussas pias, satis communiter affirmant Doctores, quia solo jure Ecclesiastico prohibitum est Clericis de hujusmodi bonis testari. Juri autem Ecclesiastico per longaevam, & rationabilem consuetudinem derogari potest, ac proinde, ubi talis consuetudo legitime introducta est, Clerici beneficiati valide, & licite testari possunt ad pias caussas.

An vero induci possit talis consuetudo testandi etiam ad caussas profanas, de fructibus scilicet, qui sufficienti Clericorum sustentationi superfluunt.

78. Discrepant Doctores. Aliqui affirmant, ex consuetudine Clericos Beneficiarios testari posse tum valide, tum licite de fructibus sui Beneficii, non solum ad caussas pias, sed etiam ad profanas, illosque relinquere consanguineis, etiam divitibus, quia illa non est contra Jus divinum, aut naturale, sed contra Jus humanum, quo inducta est prohibitio testandi. Ita Garzias *de Benef. part. 2. cap. 1. n.* 56. & pro se citat plures Auctores. Approbant Moneta *n.* 5. & 6. & Barbosa *lib. 3. Juris Eccles. universi cap. 17. n. 67. &* 68. quia putant, jure duntaxat humano prohibitum esse Clericis hujusmodi dispositionem de rebus Ecclesiasticis per ultimam voluntatem, siquidem Papa concedere potest, multisque concedit facultatem testandi, & tamen Papa non potest regulariter disponere contra jus Divinum, aut naturale.

79. Conf. quia consuetudo aequivalet privilegio, & locum habere potest, ubi locum habet, vel lex positiva, vel privilegium; sed valide, ac licite disponunt caussa mortis, qui habent privilegium testandi; ergo potest etiam id praescribi ex justa caussa. Nec est impossibile, quod detur justa caussa permittendi, & concedendi, quod in hac, vel illa Natione bona Beneficiatorum decedentium transeant vel ex testamento, vel ab intestato ad heredes, quo casu si spectetur illa dispositio, secundum se est profana, & illicita, sed si spectetur, ut per Pontificem ad bonum commune fidei ordinatur, est dispositio sacra, pia, & licita, atque adeo ubi consuetudo rationabiliter est introducta, & praescripta, ut bona Clericorum, vel ex testamento, vel ab intestato transeant ad heredes etiam divites, talis consuetudo, & licite, & valide observatur, quia ex caussa rationabili jam habet, ut talium bonorum usus non sit profanus, sed sacer.

80. Hanc consuetudinem improbat Navarrus per totam *qu. 3. de reddit.* quia res Ecclesiae, cum sint sacrae, non possunt nisi in sacros usus expendi, vel immediate, ut est cultus Divinus, vel mediate, ut est sustentatio pauperum, & eorum, qui cultum divinum procurant, quod cum sit de jure naturae, non potest per contrariam consuetudinem abrogari. Eamdem consuetudinem tamquam corruptelam, & foventem peccatum rejiciunt Tannerus *tom. 3. disp. 4. quaest. 6. nu.* 289. Layman *lib. 5. tr. 2. c. 3. n. 7.* & Lessius *lib. 2. cap. 19. dub. 4. n.* 44. dicens, peccare mortaliter Beneficiarios, qui de fructibus Beneficiorum disponunt ad caussas profanas, relinquendo illos consanguineis, vel sponte sinunt, eos succedere ab intestato, quamvis hujusmodi dispositio, & successio sit valida: & ratio ipsius est, quia si peccant mortaliter Beneficiati disponendo profane de fructibus Beneficii inter vivos, ut supra dictum est, multo magis peccabunt taliter disponendo per testamentum, quia semper minus concessum fuit Beneficiariis condere testamentum, quam donare inter vivos. Nec obstat, quod Summus Pontifex aliquando concedat facultatem testandi, quia talis facultas semper intelligitur ad caussas pias.

81. Resp. Testamentum factum a Beneficiario ad usus profanos esse validum, sed illicitum, & peccare mortaliter sic disponentem. Ratio primae partis est, quia ex supra dictis §. 3. *nu.* 47. Beneficiarii habent dominium omnium bonorum sui Beneficii, etiam quae superfluunt congruae sustentationi, & valide, quamvis illicite, disponunt in vita ad caussas profanas; ergo potest consuetudine introduci, ut id valide faciant in morte de illis testando, siquidem illis testari prohibetur duntaxat jure humano, cui per longaevam consuetudinem derogari potest; maxime, quia talis consuetudo valide testandi non est irrationabilis, sed utilis Reipublicae, cujus pacem, & tranquillitatem fovet; cum enim Beneficiatus liberam habeat facultatem testandi de suis bonis patrimonialibus, industrialibus, & parsimonialibus, ut supra dictum est §. 1. & 2. si non possent valide testari de aliis bonis sui Beneficii, plures insurgerent lites cum heredibus, cum difficile sit separare fructus superfluos ab aliis ex industria acquisitis, ac proinde dicendum est, ex longaeva consuetudine fieri posse, ut valide disponant de omnibus bonis.

82. Ratio secundæ partis est, quia jure naturali, & Divino, ex virtute scilicet Religionis tenentur Beneficiarii reditus superfluos in usus pios erogare, contra quod jus naturale, & Divinum nulla potest prævalere consuetudo. Deinde, quia si Beneficiati mortaliter peccant disponendo profane de fructibus Beneficii inter vivos, multo magis peccabunt taliter disponendo per testamentum, quia, ut bene notat Lessius *supra* semper minus concessum fuit Beneficiariis condere testamentum, quam donare inter vivos. Ita etiam cum Ægidio Trullench tenet Diana *part.* 10. *tr.* 15. *resol.* 10.

83. Nec obstat, quod Summus Pontifex aliquando concedat facultatem testandi, quia talis facultas semper intelligitur ad caussas pias; &, si quandoque id concedat etiam ad caussas profanas, id erit ex speciali aliqua ratione ob bonum Fidei, & servitia præstita Ecclesiæ: justa enim, & rationabili caussa intercedente, potest Summus Pontifex facultatem concedere testandi ad usus profanos, & ad favorem consanguineorum, & heredum, & tunc talis dispositio erit licita, quia non erit amplius profana, sed pia, & sacra, utpote facta ex justa, & rationabili caussa ob bonum Fidei, & Ecclesiæ.

Si autem licentia testandi ad usus profanos data sit sine caussa, non erit licita, eaque utens peccaret mortaliter contra virtutem Religionis, quia jus Divinum præcipit, expendi bona Ecclesiastica in usus pios, ut tenet Sanchez *lib.* 2. *consil. cap.* 2. *dub.* 51. *n.* 8. dispositio tamen, & alienatio erit valida, ac proinde heres, qui hoc modo hereditatem acciperet, non teneretur illam restituere, quia obligatio Beneficiati erat personalis, quæ non transit ad alios ab illo accipientes, ut diximus *supra* §. 4. *n.* 67. & tenent Sanchez, & Diana *loc. cit.*

84. Ex hucusque dictis colligi potest, Beneficiatios esse quidem Dominos fructuum suorum Beneficiorum, etiam quoad partem redundantem congruæ sustentationi, sed cum onere, & obligatione illos non insumendi, nisi in usus pios, & sacros, quæ obligatio non oritur ex Justitia, aut ex sola misericordia, sed oritur ex Religione prohibente, quod res Deo sacræ in alios usus non distrahantur, quam in usus sacros. Unde, per se loquendo, Beneficiati non possunt de fructibus suorum Beneficiorum disponere, aut testari ad usus profanos, aut ad favorem consanguineorum divitum. Et quidem, quod testari non possint ad caussas pias, provenit ex jure positivo humano, scilicet a Pontifice prohibente; quod autem testari non possint ad usus profanos, provenit ex natura bonorum Deo consecratorum, & jure Divino, contra quod prævalere non potest consuetudo, sicut prævalere potest contra jus humanum positivum.

D U B I U M V.

An Religiosi habeant aliquarum rerum Dominium.

85. Difficultas procedit de dominio rerum corporalium, & fortunæ; nam in ordine ad bona corporis, famæ, & honoris, singuli Religiosi idem jus habent, quod ceteri homines, sive deinde tale jus dicatur verum dominium, vel quasi dominium. Habent etiam dominium, vel quasi dominium bonorum spiritualium, jus scilicet eligendi ad sua Beneficia Regularia, præsentandi, confirmandi, absolvendi, & suscipiendi alimenta de bonis communibus Monasterii, adeo ut agere possint etiam nomine proprio super hujusmodi Juribus in ordine ad spiritualia bona sibi competentibus, nam per votum paupertatis abdicarunt a se dominium rerum temporalium, non vero bonorum spiritualium sibi competentium, ut tradit Malderus *tr.* 1. *cap.* 4. *dub.* 7. loquendo de bonis temporalibus.

86. Resp. 1. Communitates Religiosorum, eorumque Monasteria, & domus posse habere dominium rerum temporalium, excepto ordine FF. Minorum de observantia, & Capuccinorum, qui habent solum usum revocabilem eorum, quæ possident, reservato dominio Sedi Apostolicæ, ut diximus supra; colligitur ex Trident. *sess.* 25. *cap.* 3. de Regul. illis dominium concedente bonorum immobilium, & ex Nicolao III. in estravag. *exit. de verbor. significat.* ubi specialiter de Minoribus dicit, quod non habeant dominium bonorum, quibus utuntur, sed illud ad Papam pertinere. Ratio est, quia Communitas ipsa Religiosorum paupertatem non vovet, nec votum singulorum afficit Communitatem, quin potius supponit in ipsa Communitate jus dominii; nam qui paupertatem vovet, promittit, se nolle uti re aliqua, nisi ex consensu eorum, qui tales res nomine Conventus, & Communitatis administrant; ergo ex voto paupertatis in singulis supponitur potius, & roboratur, quam irritetur, aut infirmetur jus dominii in Communitate. Inde in cap. *Olim.* 2. *de privileg.* dicitur, *quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio*, & sic Monasterium, & Communitas Religiosa habet jus acquisitionis, & dominii. Adde, quod tale dominium non est apud dantes, ac relinquentes bona Monasterio, quia illud a se abdicarunt, nec apud Pontificem, qui solum bona Fratrum Minorum sibi reservavit; ergo tale dominium debet esse apud Monasterium, ne dicamus, illud remanere suspensum, incertum, & indeterminatum.

87. Nec audiendus est Navarrus, qui *comment.* 3. *de Regul. n.* 31. asserit, *bona Monasteriorum quoad proprietatem esse solius Christi, quoad administrationem autem esse Prælatorum, & quoad usum facti particularium Religiosorum*; nam contrarium colligitur ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *de Regul.* dicente; Ordines Regulares bona immobilia possidere, quod non potest exponi de solo jure administrandi, nam aperte dat facultatem possidendi, & reditus proprios, ut postea dicit; & ex auctoritate Summorum Pontificum, qui dicunt, exceptis Minoribus, reliquos Regulares in communi habere rerum suarum dominium, immo Joann. XXII. idem etiam de ipsis Minoribus dicendum contendebat, & ex communi proloquio; *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio*, in quo conveniunt Doctores communiter.

88. Verum tamen est, hoc dominium Religiosorum in communi non esse omnino liberum, & absolutum, cum non possint bona immobilia, & mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, pro suo libito alienare, sed ea possident cum obligatione relinquendi talia bona Successoribus, nec possunt alienare, nisi ex justa caussa, & servatis debitis Juris sollemnitatibus, atque assensu Summi Pontificis, sine quo alienatio est nulla, & irrita, & alienans, sicut etiam talia bona alienata recipiens, incurrit excommunicationem, juxta extravag. *Ambitiosæ tit. de reb. Eccles. non alienandis.*

89. Resp. 2. Religiosos sollemniter professos esse in particulari penitus incapaces cujuscumque dominii, & juris rerum temporalium, ita ut nemo eorum quidquam suo nomine, seu tamquam proprium possit retinere. Cap. *Non dicatis* 12. *qu.* 1. cap *cum ad Monasterium, de statu Monachorum*, & Trid. *sess.* 25. *cap.* 2. *de Regul.* Ratio est, quia per votum paupertatis, quod singuli emittunt, redduntur incapaces ad tale dominium bonorum fortunæ. Nonnihil tamen difficultatis occurrit in assignanda caussa, propter quam ex sollemni voto paupertatis oriatur inhabilitas ad dominium. Lessius *c.* 48. *dub.* 8. *n.* 71. ait, provenire ex eo, quod per votum Religiosus se constituit partim ut Filium, partim ut servum Religionis; in Filio autem, & servo est inhabilitas acquirendi sibi ipsi, cum Filius Patri, Servus domino acquirat. Verum hæc ratio non est sufficiens, quia tum Servus, tum Filius possunt sibi ex facultate domini, & Patris acquirere; Religiosus autem, neque etiam ex facultate Religionis potest sibi acquirere: quapropter ipse non habet inhabilitatem dominii talem, qualem Servus, & Filius, sed longe majorem. Alii volunt, talem inhabilitatem provenire ex ipsa voluntate Religiosi, quatenus Religiosus, vovendo paupertatem, sponte vult non acquirere; verum neque hæc ratio est sufficiens, quia posset Religiosus ex mutatione voluntatis fieri habilis, & valide, quamvis non licite, acquirere. Sentiendum igitur cum Sanchez *de statu Religioso lib.* 5. *cap.* 1. Azorio *lib.* 22. *cap.* 26. & aliis magis communiter, inhabilitatem dominii in Religioso provenire ex jure positivo Ecclesiastico reddente inhabilem, & incapacem dominii Religiosum sollemniter professum.

90. Dixi, *Religiosum sollemniter professum*, quia Novitii retinent dominium suorum bonorum; & illi, qui in Societate Jesu, finito biennio probationis, emittunt tria vota substantialia, sed simplicia solum, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, quamvis sint vere, & proprie Religiosi, adhuc tamen retinent dominium suorum bonorum per aliquod tempus, donec ad sollemnem professionem, vel ad Coadjutorum gradum admittantur, quamvis interim eo dominio licite uti non possint sine consensu Superiorum propter votum simplex paupertatis, ut constat ex Bulla Gregor. XIII. quæ incipit *Quanto fructuosius*, & alia, quæ incipit *Ascendente Domino*, ut notat Lugus *disp.* 3. *sect.* 4. *n.* 77.

91. Quæres; *an Religiosi ad Episcopatum assumpti reddantur capaces dominii; adeo ut dominium acquirant paternæ hereditatis, & bonorum Ecclesiasticorum, ut possint de illis libere disponere sicut alii Episcopi.*

Affirmant Soto, Vasquez, Michael Medina, & alii relati a Palao *de Carit. tract.* 6. *disp.* 2 *punct.* 8. idque probant ex cap. *Statutum* 18. *qu.* 1. ubi dicitur; *statutum est, & secundum Sanctos Patres a Synodo confirmatum est, ut Monachus, quem electio Canonica a jugo regulæ Monasticæ absolvit, & sacra Ordinatio de Monacho Episcopum fecit, velut legitimus heres paternam sibi hereditatem postea jure vindicandi potestatem habeat*: quod idem valet de aliis bonis, quorum dominium acquirere possunt. Maxime quia cum voto paupertatis stare non potest dispositio bonorum perpetua, & independens ab aliquo

Supe-

Superiore, quam habet Religiosus factus Episcopus.

92. Resp. Religiosum ad Episcopatum assumptum manere obstrictum voto paupertatis, & incapacem dominii, & sic habere dumtaxat bonorum Ecclesiasticorum administrationem. Ratio est, quia Religiosus factus Episcopus remanet verus Religiosus, habet obligationem deferendi habitum suæ Religionis, ac proinde tenetur observare votum paupertatis non minus, quam castitatis, & obedientiæ, quæ sunt de essentia Religionis. Deinde quia vota Religionis in tantum dispensari poterant, in quantum pugnant cum dignitate Episcopali, verum abdicatio dominii non obstat, si concedatur Episcopo libera facultas administrandi reditus Ecclesiasticos in usus decentes, & pios; & sic non remanet liber a voto paupertatis, ut cum D. Thom. 2. 2. *qu.* 185. *art.* 8. docent Cajet. *ibid.* Covarr. Molina, Coninch. Sanchez, Lessius, Navar. & alii, quos sequitur Palaus *loc. cit.*

93. Nec obstat cap. *Statutum*; nam Religiosus factus Episcopus est legitimus heres, sibique vendicare potest hereditatem, non pro se, sed pro sua Ecclesia, sicut existens in Monasterio retinet jus successionis, & hereditatem sibi vendicat, non pro se, sed pro suo Monasterio. Nec libera rerum administratio in usus pios pugnat cum voto paupertatis, sicut pugnat dominium, & proprietas, quam habere non potest Religiosus factus Episcopus, qui proinde prodige disponens de rebus Ecclesiasticis in usus profanos, & ad ditandos consanguineos, non solum peccat contra Religionem, sicut alii Episcopi, sed etiam contra justitiam, & accipientes tenentur ad restitutionem, nisi Ecclesia remittat, quia carent bonorum dominio, & sola administratio ad usus honestos, & pios est illis concessa, ut cum Lessio, & aliis notat Palaus.

DUBIUM VI.

Quænam cadant sub Hominis Dominium.

94. Circa objectum dominii, & eorum, de quibus dubitari potest, an cadant sub hominis dominium, adverto, quædam esse in nobis, & quædam extra nos. Quæ sunt in nobis aliqua spectant ad corpus, ut vita, salus, membra; aliqua ad animam, ut dotes, perfectiones, virtutes tum intellectus, tum voluntatis. Quæ sunt extra nos aliqua spectant ad famam, & honorem, & alia ad divitias, quorum nomine intelligo omnia bona corporalia; & ex his aliqua sunt homine inferiora, ut sunt omnia bona sublunaria, aliqua homine superiora, talia sunt corpora cælestia, de quibus omnibus potest esse difficultas.

95. Certum est apud omnes, hominem habere perfectum dominium rerum omnium sublunarium, & inferiorum, ut constat ex illo Gen. cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus Cæli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra*: & nonnullis interpositis = *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus Cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*. Inde potest homo, per se loquendo, & spectata hujusmodi rerum natura, eos convertere in proprium usum, & commodum citra cujusquam injuriam. Rerum superiorum, & corporum cælestium homo non habet perfectum dominium, cum non possit de illis in proprios usus perfecte disponere, recteque dicitur in Psal. 113. *Cælum Cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*; non enim sufficit ad perfectum dominium, quod corpora cælestia propter hominem, & in ipsius utilitatem sint condita, & ordinata, sed insuper requiritur, quod ejus potestati subsint, & de illis libere disponere possit; qua ratione corpora cælestia non subduntur homini, & illius potestati, & sic non habet illorum dominium.

96. Resp. 1. Homo non est dominus suæ vitæ, & membrorum, sed illius dominium reservatur Deo, juxta illud Sapient. 16. *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem*. Ratio est, quia si homo esset dominus suæ vitæ, & membrorum, licite posset se ipsum occidere, sibique membra amputare; quod tamen falsum est, cum sit contra quintum præceptum *Non occides*, idque certum supponit D. Thomas 2. 2. *qu.* 64. *art.* 5. contra errorem aliquorum, quos refert Aug. de Hæresib.; *hæresi* 69. qui Circumcelliones, seu ut alii volunt Circuitores dicebantur, & stulte docebant opus magni meriti, speciemque martyrii esse se ipsum interficere. Quamvis autem homo non sit dominus suæ vitæ, & membrorum, est tamen ejusdem procurator, & custos, atque usuarius, habetque jus ea fruendi, eamque defendendi contra injustos invasores, ac vim vi repellendi, & inde qui privata auctoritate, & sine justa caussa aufert vitam proximo, seu membrum, maximam illi facit injuriam.

97. Dices; *homo uti licite potest vita sua cum periculo mortis, nam potest inservire peste laborantibus cum periculo infectionis: potest defendere bona fortunæ contra furem, & in bello justo se exponere hostium telis pro defensione Patriæ, & potest alteri suam vitam, suamque libertatem vendere; ergo dominus est suæ vitæ.*

Sed contra dico, hominem in multis casibus exponere posse periculis vitam suam ex necessitate, & per accidens, ut in casibus allatis, non vero sine caussa pro suo libito, & titulo dominii, quod non habet. Dum se ipsum alteri vendit proprie, non vendit vitam suam, sed servitutem, & ministerium, offerendo se paratum ad omnia ministeria.

98. Dices 2. *Qui Petrum mutilat abscindendo ei brachium, ex justitia tenetur restituere damnum illatum; ergo Petrus est dominus suæ vitæ, suorumque membrorum, nam restitutio non fit, nisi pro re, cujus alter est dominus.*

Sed contra dico, Hominem, quamvis non sit dominus suorum membrorum, esse tamen dominum usus, & operum ex membris provenientium; restitutio autem, quæ fit pro membro absciso, non fit pro entitate ipsius membri, sed pro usu talis membri, & operibus, quas, ipso mediante, exercuisset, qui mutilatus est. Adde, quod restitutio non tantum fit domino, sed aliquando etiam Custodi, nam qui ex domo Tutoris Virginem rapit, tenetur non tantum resarcire injuriam illatam Virgini, sed etiam restituere Virginem ipsam Tutori. Hac ratione dici potest; restitutionem, quæ fit pro membro, fieri homini tamquam custodi, non tamquam domino suorum membrorum.

99. Resp. secundo: Homo est dominus suæ famæ, atque honoris: fama, & honor præcipue differunt in eo, quod fama est bona opinio, & existimatio multorum de aliquo propter aliquam ipsius excellentiam, propter bonos mores, & virtutem ipsius: honor est exterior recognitio alicui exhibita propter specialem excellentiam, & bonam existimationem. Sic fama est tamquam parens, & caussa honoris. Nostra tamen famà, sicut noster honor extra nos est, quia in aliis, non in nobis est: ratio est, quia homo est dominus earum rerum, quas sibi acquisivit proprio labore, & industria; sed talis est honor, & fama, quæ non sunt bona naturalia nobis ingenita, sed sunt bona acquisita, & nobis convenientia propter virtutes, egregia facta, & operationes insignes; ergo illorum dominus est. Unde, per se loquendo, libere potest illorum detrimentum pati, ut affirmat S. Doctor 2. 2. *qu.* 73. *art.* 4. ubi ait: *Certum est in cujuscumque arbitrio esse pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in detrimentum alterius*; idque etiam constat exemplo plurium Sanctorum, qui propriam famam, & honorem positive spreverunt, ut per virtutem humilitatis vitam æternam melius, & facilius consequerentur. Si autem homo non esset illorum dominus in nullo casu posset licite se ipsum infamare, suamque famam negligere, sicut in nullo casu ei licitum est suam vitam perdere, & positive contemnere, quia illius non habet dominium: & ita cum D. Thoma tenent Doctores communiter contra Cajet. qui ideo docet, infamantem se ipsum peccare contra justitiam.

100. Dixi, *regulariter, & per se loquendo*; nam per accidens, ratione circumstantiæ adjunctæ, facile potest infamatio sui ipsius malitiam lethalem contrahere. Sic infamans se ipsum, potest peccare lethaliter 1. ratione perjurii, quo sibi falsa crimina imponat, 2. ratione jactantiæ, & complacentiæ, si quam habeat in peccatis, & delictis, quibus se infamat, 3. ratione scandali, si præbeat aliis occasionem peccandi, & in hoc sensu intelligi debet illud Augustini *lib. de bono Viduitatis cap.* 22. & refertur cap. *Non sunt audiendi* 11. *quæst.* 3. *fama apud nos est, non propter nos, sed propter alios: nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra*; ratione scandali, quod alii quandoque patiuntur; non enim intendit Augustinus illis verbis damnare, & reprehendere omnes se infamantes, sed eos, qui contenti propriæ conscientiæ testimonio, exterius faciunt opera, quæ, quia speciem mali habent, aliis scandalo, & offendiculo sunt. Eadem ratione dixit *in serm. de communi vita Clericor.* relatus cap. *Nolo* 12. *quæst.* 1. *Conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo: qui fidens conscientiæ suæ, negligit famam suam, crudelis est*. 4. Ratione connexionis, quam habet alicujus fama cum fama aliena, ratione cujus nequeat quis infamare se ipsum, nisi etiam infamet proximum, ut contingit dum Religiosus, aut qui ex officio alios regere tenetur, infamiæ notam incurrit, quæ redundat in damnum Religionis, quæ remanet infamata, vel ineptum per infamiam se reddit ad suum munus obeundum; tunc enim sui honoris, & famæ non habet dominium, nec potest se infamare, ne aliis detrimentum inferat.

101. Extra hos, & similes casus peccat solum venia-

liter,

liter, qui sine caussa se ipsum infamat, prodigando tantum bonum propriæ famæ, & honoris tantopere in Scriptura nobis commendatum, ut Ecclesiast. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni*; & Proverb. 22. *melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ*: sicut enim peccat venialiter peccato prodigalitatis, qui sine caussa divitias prodigit; ita etiam peccat venialiter, qui sine caussa famam, & honorem prodigit, cum hæc divitiis præferatur.

102. Nec obstat Glossa in cap. *Si a Sacerdotibus* 15. *quæst.* 6. *ubi condemnantur peccati mortalis, qui se ipsos infamant*. Nam contra dico, ibi Glossam condemnare de peccato lethali non omnes, qui se ipsos infamant, sed loqui in casu, de quo agit Textus, nempe de Episcopis, & Sacerdotibus, qui compulsi metu mortis subscribebant hæresi, & erroribus aliorum, sicque se infamabant, hi namque peccabant gravissime; primo ratione hæresis, cui subscribebant, quamvis ipsam in animo non haberent: secundo ratione scandali, & caussæ erroris, quam aliis præbebant: tertio ratione infamiæ, quam ceteris inferebant, quatenus ipsi erant personæ publicæ, quorum fama erat subditis necessaria.

103. Resp. 3. Hominem habere aliquo modo dominium bonorum suorum spiritualium, sive sint virtutes, & scientiæ, quas proprio labore, & industria sibi comparant, sive dona supernaturalia, ad quæ recipienda, per usum liberi arbitrii cum auxilio gratiæ se disponit, nam illorum homo dominus est, juxta D. Thomam, quæ sua industria, & labore acquirit; cum ergo suo labore, & industria cum auxilio gratiæ concurrat etiam ad acquirenda bona supernaturalia, illorum etiam dominus dici potest, cum quis nulli homini facit injuriam, quamvis hujusmodi bonis male utatur, eorumque per peccatum mortale jacturam faciat.

DUBIUM VII.

An unus homo cadat sub dominium alterius.

104. RESP. Jure naturali unum hominem non habere dominium proprietatis alterius hominis, quia natura omnes fecit æquales: quinimmo tale dominium dicitur esse contra naturam: Instit. *de Jure personarum* §. 1. & *ff. de statu hominum*, *l. libertas* quia est contra naturalem æqualitatem, quam inter homines fecit natura. Jure civili, & Gentium hominis servitus introducta est, ut constat ex praxi in mancipiis, seu servis proprie dictis, quorum olim frequens erat usus, & poterant a domino ad libitum vendi. Licitum esse dominium unius hominis in alium, tamquam in verum servum, constat ex multis locis sacræ Scripturæ, & ex Patribus, quos congerit Facundez *de just. lib.* 2. *cap.* 1. n. 1. & 2. Nec est alienum a ratione, ut unus homo, qui vita privari poterat, fiat servus, & obsequatur alteri; nam licet natura omnes liberos, & æquales fecerit, jure tamen civili, & gentium talis servitus induci potuit. Nec per hoc mutantur jura naturæ; non enim natura statuit, ut semper, & in quocumque rerum eventu liber existeret, sed solum statuit, ut liber esset, spectata humana natura secundum se, quod non tollit, quin, spectatis conditionibus, & circumstantiis extrinsecis, servus fiat, ut ponderat Palaus *de Just. disp. unica punct.* 9. *n.* 2. idem habent Malderus *tr.* 1. *cap.* 5. *dub.* 2. Ant. a Spiritu S. *tr.* 10. *disp.* 4. *sect.* 3.

105. Quatuor modis dominium in homines acquiritur, & servitus inducitur. Primo jure Belli; capti enim in bello justo, servi fiunt capientium: *ff. de stat. hom. l.* & *Servorum*; cum enim ita capti vita, & bonis omnibus privari possent, non mirum si libertate priventur, & in servitutem redigantur; talis enim servitus est quædam commiseratio, cum succedat loco mortis irrogandæ: pueri autem, & innocentes, quamvis interfici non possint, possunt tamen in servitutem redigi, tamquam partes Reipublicæ devictæ. Si bellum sit injustum, sic capti non possunt in servitutem redigi, cum injuste capiantur, & detineantur: si justitia belli utrinque sit dubia, contrahitur servitus ex parte aggredientium, non vero se defendentium, ut contra Lessium notat Palaus *supra n.* 3. Inter Christianos hoc jus servitutis non servatur ob consuetudinem contrariam jam præscriptam.

106. Secundo contrahitur servitus nativitate, si ex ancilla nascatur, etiamsi Pater sit liber, & proles legitima, quia partus sequitur ventrem *l. Partum C. de rei vindicatione* §. *Sed & si quis*. Instit. *de ingenuis cap. unico de natis ex libero ventre*, & indicavit Apost. ad Galat. 4. dicens; *Agar Abrahæ ancillam in servitutem generasse*. Quod si Mater tempore conceptionis, vel partus, vel intermedio tempore sit libera, proles inde nata libertatem assequitur, cui libertati servitus Matris postea contingens non præjudicat, §. *Sed & si quis* Instit. *de ingenuis*.

107. Tertio justa condemnatione, qua quis in pœnam delicti ad servitutem damnatur, quia sicut ob delictum, si est grave, & dignum morte, seu mutilatione, potest ad mortem naturalem condemnari; ita poterit in servitutem redigi, quæ mors civilis est, & hoc solum titulo Christianus Christiano poterit esse servus, puta si merces prohibitas Saracenis detulerit, & in navibus ipsorum piraticis curam gubernationis susceperit. Cap. *ita quorumdam de Judæis, & Saracenis*. Palaus *punct.* 9. *num.* 4.

108. Quarto emptione, & venditione, quando homo antea liber se ipsum vendit in Servum, quod facere potest, cum non minus dominus sit suæ libertatis, quam honoris, famæ, & pecuniæ. Ad hoc autem plures requiruntur conditiones, videlicet, ut se vendens sit major 20. annis, & sciat, se esse liberum cum venitur, ut, quando permittit se ab alio vendi, id faciat intendens esse particeps pretii, & re ipsa de eo participet, & qui ipsum vendit non ignoret esse liberum, & emptor credat esse servum, quibus conditionibus deficientibus, vel aliqua ex illis, conceditur vendito proclamatio ad libertatem, ut constat ex *ff. Quibus ad libertatem proclamare non licet*, ut tradunt Molina, Lessius, Rebell. quos affert, & sequitur Palaus *num.* 5. addens, tales conditiones habere locum dumtaxat ubi jus Cæsareum est receptum. Potest etiam Pater in gravi necessitate Filium in sua potestate existentem vendere, qui tamen poterit se redimere, restituto pretio, *C. de Patribus, qui Filios distraxerunt l.* 2. & si pater ad pinguiorem fortunam devenerit, Filium sic venditum tenetur redimere, ut cum Molina, & Covarr. tenet Palaus *num.* 6.

109. Ex hujusmodi titulis colligi potest, ait Palaus n. 11. qualiter emptio Æthiopum, Brasiliensium, Japponiorum, & Synarum, aliorumque similium licita sit, vel illicita; nullus enim in servitutem redigi potest, nisi bello justo captus, vel alicujus gravis criminis reus, vel ob remedium famis, alteriusve necessitatis voluntarie venditus, aut si ex Ancilla natus sit; qui tituli an semper intercedant in horum venditione, videant Mercatores: raro illos intercedere, & per consequens raro licite in servitutem redigi, cum Molina, & Rebello tenet Palaus n. 11.

110. Hoc dominium, quod habet dominus in servos, non est adeo liberum, & absolutum, ut ipsum licite possit occidere pro suo libito, & absque caussa, sicut occidere potest jumentum suum; nam hoc est contra quintum Decalogi præceptum lumine naturæ notum; *Non occides*. Et quamvis olim hoc permissum fuerit, fuit tamen correctum ab Antonino, & Justiniano Imperatoribus, qui mandant, quod occidentes proprium servum, eadem pœna plectantur, ac si alienum occidissent, vel mutilassent *l.* 1. *ff. de his, qui sunt sui, vel alieni juris*; & Exod. 21. *punitur dominus occidens servum suum*. Nec obstat, quod pœnæ non subjaceat, quando uno, aut altero die servus supervivit, nam lex respicit incertitudinem rei, & quod fieri possit, ut non sit mortuus ex verberibus domini, ut habet D. Thomas 1. 2. *qu.* 105. *art.* 4. *ad* 3.

111. Servus justo bello captus licite potest fugere ad suos, & hac fuga libertatem consequi: non sic servus emptitius, qui non potest fugere, nisi vel ad peccatum inducatur, vel inhumaniter tractetur, neque ei suppetat alia via evadendi periculum, quo eventu libertatem non consequitur, sed, cessante periculo, redire tenetur, nisi forte tantus fuerit excessus, ut merito libertate sit compensandus, ut docet Palaus *punct.* 10. qui *punct.* 11. expendit modos, quibus servi a servitute contracta liberentur.

CAPUT IV.

De acquisitione Dominii.

DUBIUM I.

De prima rerum divisione, & modis, quibus acquiruntur dominia.

CErtum est, divisionem bonorum externorum in statu naturæ lapsæ licitam esse, immo & necessariam ad pacem conservandam, & vitandas contentiones, & ut notat Philosophus, ad servandam Societatem communem inter homines, & commercia. Et quidem fuisse licitam, satis constat ex pluribus Sacræ Scripturæ locis bonorum divisionem, & proprietatem approbantibus; nam *Gen.* 4. dicitur Abel obtulisse primogenita gregis sui; & de Abraham, Isaac, & Jacob dicitur habuisse plures possessiones, vel a Deo concessas, vel proprio labore com-

comparatas; & in Evangelio dictum fuit a Christo: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*. Non fuit tamen introducta talis divisio Jure naturali, quia in statu innocentiæ fuisset communio bonorum, quæ etiam nunc reperitur in illis, qui statum perfectionis amplexi sunt. Nec jus Naturæ aliqua divisit, sed omnia in communi possidenda reliquit, permittendo tamen, non præcipiendo talem communionem, immo etiam judicando convenientem fore, & necessariam divisionem, quando, amisso dono originalis justitiæ, facile inter homines irrepsissent discordiæ, & jurgia, ut inter Pastores Abrahæ, & Loth, facile cessasset diligentia in agris communibus excolendis, quæ tamen diligentia major esse debuisset, quam in statu innocentiæ, in quo agri fruges, & arbores fructus sponte protulissent, ameno solum, & placido hominum exercitio, labore vero, & sudore nullo interveniente.

2. Post originale vero, jure ipso naturæ indicante, communi Posterorum Adæ consensu, in quo jus gentium consistit, statutum est, in generali faciendam esse rerum divisionem, & appropriationem dominiorum: quo sensu dixit Clemens Romanus in cap. *dilectissimi* 12. *quæst.* 1. *omnis usus omnium, quæ sunt in hoc Mundo omnibus hominibus communis esse debuit, sed per iniquitatem* (hoc est occasione iniquitatis nostrorum parentum) *alius dixit hoc esse suum, alius illud*. Deinde successu temporis partim jure gentium, partim jure civili determinati sunt varii modi acquirendi specialia dominia, & appropriandi res. Ab initio certum est, non potuisse esse nisi duos modos, id est occupationem, vel sortitionem, nunc autem duos etiam modos generaliter assignant, *occupationem* eorum, quæ nullius sunt, & *translationem* dominii ab uno in alium; de qua *translatione*, quæ fieri solet per varios contractus, dicemus suo loco, nunc autem de *occupatione*, sicut de aliis modis jure civili introductis, scilicet accessione, & specificatione, & præcipue de præscriptione.

3. Primus modus acquirendi dominium de Jure Gentium est *Occupatio*, quæ definitur apprehensio justa, sola apprehendentis voluntate constans. Hujus duæ sunt species, altera appellatur captivitas, & est occupatio jure belli facta, quæ adhuc subdividitur in occupationem rerum, & occupationem personarum, quæ captæ jure belli fiunt servi capientis: altera retinet commune nomen occupationis, & est apprehensio rei, quæ nullius est; eo enim ipso quod nullius est, fit primo occupantis, juxta communem regulam Juris, quæ nullius sunt primo occupanti conceduntur. Hæc Occupatio in specie subdividitur in *Venationem*, & *Inventionem*. Venatio est apprehensio animalium, quæ natura sua sunt fera; & quidem, si sit apprehensio brutorum, proprie venatio dicitur; si piscium, piscatio; si avium aucupium. *Inventio* est apprehensio rerum, quæ in nullius unquam bonis fuerunt, vel si fuerunt in bonis alicujus, desierunt esse, & habentur pro derelictis. Circa venationem & inventionem occurrunt plura dubia examinanda; ideo sit

DUBIUM II.

Quæ Animalia licite occupentur Venatione, Piscatione, & Aucupio.

4. ANimalia quædam sunt naturali indole mansueta, ut sunt Oves, Boves, Gallinæ, & similia; alia sunt fera, seu sylvestria, ut Lepores, Perdices, Cervi, & omnes Pisces; & ex istis alia educatione cicurantur, ut Cervi, quos domi nutrimus, Pavones, Columbæ domesticæ; alia retinent suam feritatem, & indolem sylvestrem, de quibus omnibus in universum verificatur, *quando domino carent*, vel quia nunquam habuerunt, vel habere desierunt, fieri primo occupantis, ut expresse dicitur §. *Feræ Instit. de rerum divisione*, ibi: *Feræ igitur, bestiæ, & volucres, & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cœlo, & terra nascuntur, simul atque ab alio capta fuerint, Jure Gentium statim illius esse incipiunt: quod enim nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur*. Sed in particulari

5. Resp. 1. Animalia natura sua mansueta, & domestica capi licite non possunt, nec capienti cedunt, quamvis dominorum potestatem longius evaserint, sed peccat mortaliter, qui contra domini voluntatem talia sibi occupat; ac retinet, juxta gravitatem materiæ, & ad illorum restitutionem tenetur, ut habetur §. *Gallinarum Instit. de rerum divisione*, ubi dicitur furtum committere, qui hæc animalia, cum effugiunt, sibi detinet. Ratio est, quia hæc animalia, licet fugiant, non ideo tamen recuperant libertatem cum naturali sua indole sint domestica, unde adhuc manent in dominio prioris domini. Quapropter ubicumque hæc inventa fuerint oberrantia, dominis sunt restituenda; immo etiamsi capta fuerint a Lupo, qui ea exemerit, restituere debet quidquid de illis superfuerit, sive caro sit, sive pellis, & illorum fœtus, aliive proventus sunt illius, non secus ac fructus arboris sunt domini illius fundi, ut habetur ex cit. §. *gallinarum*, & *l. Pomponius ff. de acquirendo rerum dominio*.

6. Resp. secundo: Animalia fera, seu sylvestria, usu, & hominum industria mansuefacta non posse capi, nisi consuetudinem amiserint revertendi, quia tunc censentur in pristinam rediisse libertatem. Quandonam autem hujusmodi animalia censeantur consuetudinem revertendi amisisse, relinquitur prudentis arbitrio, dum non possit una regula communis pro omnibus assignari. Rosignol. *contract.* 1. *disquis.* §. 4. hanc regulam assignat, ut censeantur pristinam libertatem recuperasse, & dominum deseruisse, quando nullo impedimento irretita, nec violenter detenta consueto tempore non redeunt ad dominum, puta si post tres, vel quatuor dies non redeant, quando singulis diebus, & statutis horis redire consueverant. Ita etiam tenent Palaus *punct.* 12. *n.* 2. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 12. & 17. Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 7. *n.* 30. Navar. *cap.* 17. *n.* 123. sed melius relinquitur prudentis arbitrio, quia aliqua sunt animalia, quæ plus tempus, alia minus requirunt, ut ad nativam libertatem rediisse judicentur, ut notat Lugus *disp.* 6. *sect.* 5. *num.* 41.

7. Animalia fera, quæ sub nullius potestate existunt, fiunt primo occupantis, sive ea capias in proprio, sive in agro alieno, quia non sunt fructus agri, nec per hoc fiunt tua, quod vagentur, & existant in fundo tuo, sed retinent propriam libertatem quoadusque illa non occupasti, nisi forte in aliquo parvo loco ab aliquo teneantur inclusa, ut de facili ea capere possit, ut sunt Apes in alveario, Cervi in vivariis, pisces in lacubus, seu piscinis clausis, nam, dum terminum reclusionis non evadant, non possunt ab alio capi, & occupari; secus si locum reclusionis evadant, quia tunc recuperant pristinam libertatem, & fiunt primi occupantis, ut cum Molina, & Layman tenet Palaus *punct.* 12. *n.* 3. secus dicendum de illis, quæ aliquando capta includuntur in vasto loco, ubi non est ita facilis illorum captura, cum possint fugiendo, vel se occultando defendere, nam fiunt primi occupantis, quia licet dominus a principio illorum habuerit dominium, illud tamen amisit, terminum reclusionis sic latum concedens, ut *ibid.* notat Palaus, quem sequitur Lugus *disp.* 6. *sect.* 7. *n.* 72.

8. Hinc habes, examen Apum e tuo alveario procedens, tuum esse, illiusque dominium habere, quamdiu illud insequeris cum spe recuperandi; si tamen disparet, & difficile comprehendere valeas, dominium amittis, & nativam libertatem dicitur recuperasse, ac proinde fieri primi occupantis, quamvis in tuo fundo capiatur, & in arbore tuo pendeat, quia per hoc non acquiris illius dominium, sicut nec aliarum avium, quæ in arbore tuo nidificant, licite tamen impedire potes, ne alius fundum tuum intret, ad illud capiendum; si tamen intraverit, & acceperit, illius est, ut constat ex §. *apum*, §. *pavonum*. Instit. *de rerum divisione*, ut cum Navar. *in sum. cap.* 17. *num.* 128. Molina, Lessius, & Rebello tradit Palaus *n.* 4. sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 2. *pun.* 6. *n.* 51.

9. Si autem quæras, *cujus sit Fera ab uno vulnerata, & ab alio capta*; resp. esse vulnerantis, non capientis, quando fera vulnerata insequebatur a vulnerante, nec moraliter effugere poterat manus illius, *l. naturalem, ff. de acquirendo rerum dominio*, quia ille infligendo tale vulnus jam moraliter apprehenderat, dominium ipsius acquisierat, neque enim manu tantum ferarum dominium acquiritur, sed etiam laqueo, sagitta, vulnere. Quod si poterat manum vulnerantis evadere, nondum censetur sub dominio vulnerantis, propterea fit capientis, & hoc modo intelligitur Textus §. *item quæsitum est*, Instit. *de rerum divisione*, & ratio, quæ ibidem ponitur, est, quia plura impedire possunt, ne fera ad manus vulnerantis, vel insequentis deveniat. Quod si dubium sit, an ipsam capturus esset; erit capientis, non vulnerantis, quia in dubio, melior est conditio possidentis; pars tamen aliqua adjudicanda est vulneranti; si per vulnus inflictum caussa fuit, ut ab alio caperetur, alias non capienda. Ita cum Molina, Rebello, Lessio, & Layman, tenet Palaus *cit. punct.* 12. *nu.* 5. Lugus *disp.* 6. *sect.* 8. *num.* 77. Rosignol. *in disquis. contr.* 1. §. 3.

10. Idem valet de Fera, quæ ab uno insequitur, & ab alio capitur, fieri insequentis, si moraliter certum erat, ad ipsius manus perventuram; secus fieri capientis. Similiter dicas, Feram meo laqueo captam fieri meam, non ejus, qui forte superveniens laqueo eximit, & abstulit, quando nimirum non poterat moraliter fugere; secus si probabile fugæ erat periculum. Idem valet de piscibus, illius esse, in cujus stagno sunt inclusi, quando

de

de facili capi possunt, nec esse periculum fugæ; si enim fugere possent, fierent primi occupantis. Ita Doctores communiter. Si nassam ab uno positam in flumine, alius elevet, & extrahat pisces, restituendi sunt domino nassæ; si autem qui nassam extraxit, iterum illam reponat, & totidem pisces æque bonos colligat, nullum videtur domino nassæ damnum intulisse, unde non tenetur, nisi ad solvendum usum nassæ, ut cum Facundez tradit Ant. a Spiritu S. *disp. 4. n. 99.*

11. Columbæ, quæ consuetudinem non amiserunt redeundi ad proprium columbarium, capi non possunt sine peccato, & sine obligatione restitutionis, ad quam etiam tenetur qui in suo Columbario, appositis illecebris, odoribus, & aliis artificiis, aliorum Columbas eo traducit, quia per fraudem, & dolum aufert ab aliis suarum Columbarum dominium, ut tenent Palaus *pun. 15. num. 2.* Lessius *lib. 5. cap. 5. dub. 6. n. 28.* Lugus *disp. 6. sect. 5. n. 42.* Bonac. *de restit. disp. 1. qu. 3. pun. 7. n. 5.* Secus, si id sine dolo, & fraude accidat, quia melius eas alit, vel commodiorem stationem aptavit. Addunt tamen, considerandam esse consuetudinem locorum, nam quibusdam in locis dicitur esse moris, ut omni arte alienas Columbas liceat accersere.

12. Quæres; *utrum columbaria sint licita*. Resp. affirmative, nisi alicubi sint specialiter prohibita, quia si columbæ damnum aliquod inferunt, dum satorum grana comedunt, afferunt etiam commodum, quia tempore seminis æque aluntur malis seminibus sata suffocantibus, & damnum, si quod inferunt, est parvum; non enim comedunt grana terræ mandata, sed in superficie, & in propatulo existentia, quæ essent peritura, & tempore messis non carpunt grana, nisi jam decisa. Adde, quod columbarum carnes sunt utiles Reipublicæ, unde damnum, quod inferunt, aliis commodis compensatur, ut proinde columbaria sine scrupulo ex præscripta consuetudine permittantur. Bonacina, Lessius, Palaus, & alii.

DUBIUM III.

Qualiter Venatio, & Piscatio possit probiberi.

13. Resp. Principem non solum io propriis fundis, sed etiam in fundis communibus venationem, & piscationem prohibere posse, non solum ex libero populorum consensu, sed etiam ex sola sua auctoritate. Et quidem, quod id præstare possit in propriis fundis, videtur certum; nam licet ferarum ibidem commorantium dominium non habeat, quousque eas ceperit, jus tamen habet prohibendi, ne ullus absque suo consensu, & permissione, in ea prædia ingrediatur, & ne illis utatur, sibique talem usum, venationem, & piscationem reservare; quod etiam concedunt plures privatis etiam personis ex §. *feræ* Instit. *de rerum divisione*, & ex *l. 3. ff. de acquirendo rerum dominio*.

14. Rario secundæ partis est, quia potest Princeps, vel propter convenientem sui sustentationem, vel propter sumptus necessarios ad Regni gubernationem tributa, & onera, populis etiam renuentibus imponere; ergo vice talium tributorum potest sibi reservare jura venationis, & piscationis in aliquo determinato loco, & alicujus determinati generis piscium, prout in Hispania reservatur jus piscandi thynnos: idque præstare potest etiam ob solam honestam Principis recreationem: nam Princeps, cum laboret pro Republica, potest etiam aliqua loca communia suæ recreationi reservare, præsertim quia id etiam pertinet ad Principis dignitatem, & splendorem Reipublicæ; valde enim decet Principis statum, & splendorem, ne loca, ipsius venationi, seu piscationi destinata, aliis pateant, & communia sint. Idque etiam constat ex praxi omnium fere Principum, qui ex longæva, & præscripta consuetudine aliqua loca sibi reservant, omnibus aliis prohibendo venationem, & piscationem. Ita docent Rosignol. *contr. 1. §. 2. n. 8.* Lessius *lib. 2. cap. 5. dub. 7. n. 34.* Sotus *lib. 4. de Just. qu. 5. art. 4.* Lugus *disp. 6. sect. 6. n. 58.* & cum aliis Palaus *disp. 3. part. 13. n. 4.*

15. Qui tamen bene advertant, cavendum esse a Principe prohibente, & ab illis, qui ejus nomine hujusmodi locis præsunt, ne feræ ita multiplicentur, ut inde exeuntes locis circumvicinis damnum inferant; si quæ enim damna illata fuerint, debent resarciri, vel a Principe prohibente venationem, vel ab illis, quorum negligentia, & incuria damna fuerunt illata; nam, licet Princeps jus habeat reservandi sibi venationem, illamque aliis prohibendi certis in locis, hoc tamen esse debet sine præjudicio pauperum, & subditorum, quorum segetes, vineæ, oliveta, & campi ex multiplicatione ferarum, vel illarum negligenti custodia devastantur; unde debet damna quæ inde sequuntur compensare, quia fuit illarum causa conservatione ferarum, & illarum venatione interdicta, ut ex communi docent Gabriel. Cajet. Covarr. Azor. Molina; Lessius, & alii, quos sequitur Palaus n. 5.

16. Prohiberi potest venatio in communem utilitatem quibusdam anni temporibus, quando feræ sunt gravidæ, vel tempore nivis; & item piscatio retibus minutissimis, aut immissione veneni, seu ciborum, quibus aquæ inficiuntur, & pisces moriuntur; nam, licet jure naturali ferarum venatio, & piscatio sit omnibus permissa, hoc tamen intelligitur, quando in communem utilitatem non sit a Republica specialiter prohibitum; qua ratione prohibetur venatio, quando feræ sunt gravidæ, ne sic extinguantur, vel notabiliter minuantur in detrimentum boni communis; & venatio leporum, cuniculorum, perdicum, & columbarum tempore nivis, quia, cum tali tempore sit illorum captura periculosis, cito extinguerentur. Palaus *pun. 13. n. 1.* Lugus *disp. 6. num. 51.* Malderus *c. 5. dub. 6.* & alii communiter.

17. *An vero possit quilibet privatus in agro, & fundo suo venationem, & piscationem probibere*: Plures affirmant ex *l. Item si fundi ff. de usufructu*, ubi dicitur: *Nec rationabile est in agro alieno, quemquam, nolente domino, aucupari*. Et ex §. *feræ* Instit. de rerum divisione: *Plane, qui alienum fundum ingreditur venandi, aut aucupandi gratia, potest a domino, si is præviderit, probiberi ne ingrediatur*. Ratio est, quia quilibet jus habet suo prædio utendi, & illius usum omnibus aliis impediendi. Sic tenent Molina, Emmanuel Sa, & Covar. quos sequitur Bonacina *de restit. disp. 1. qu. 3. p. 3. num. 13.*

18. Alii distinguentes dicunt, id facere posse Privatum, quando fundus talis rationis est, ut liberum sit domino ceteris omnibus ingressum prohibere, quando nimirum ita est clausus, & ita circumseptus, ut transitus in illo non sit omnibus communis; tunc enim potest etiam venationem, & aucupium prohibere, cum venatio sit aliquid amplius, quam simplex ingressus. Quod si fundus talis sit, ut per ipsum omnibus libere transitus pateat, sitque talis libertas transeundi, quasi consuetudine præscripta, qualis esse videtur omnis ager apertus, nulla habens semina, quæ possint a transeuntibus detrimentum pati, tunc probabilius est, non posse ibi venationem prohiberi, cum feræ ibidem existentes adhuc sint communes, & fiant primi occupantis, seu illas capientis. Certe si fera a me vulnerata fugiat in fundum tuum, possum illam insequi, & capere, quia per vulnus illatum, jam facta est mea; ita possum illam ibidem vulnerare, & occidere, cum nondum facta sit tua, per hoc quod existat in fundo tuo. Sic tenent Rosignol. *contr. 1. disq. §. 2. n. 3.* Lugus *supra n. 54.* Facundez *l. 2. de Just. c. 10. n. 14.* Ant. a Spiritu S. *disp. 4. num. 103.* & alii, qui dicunt, locum debere esse clausum, & circumseptum, ut possit dominus in illo venationem prohibere.

19. Resp. 2. qui piscatur, seu venatur animalia, quorum dominium jam erat penes dominum loci, in quo venatur, tenetur ad restitutionem talium animalium, quia committit proprium furtum, accipiendo rem alienam: unde tenetur ad restitutionem, qui columbas in privatis columbariis, animalia in vivariis, & pisces in piscinia subripit. Qui autem venatur, seu piscatur animalia prohibita, seu in locis, & tempore prohibitis, regulariter non peccat, nisi venialiter, & non tenetur ad restitutionem, nisi forte ratione alicujus damni illati. Ratio est, quia feræ in hujusmodi locis cum nondum sint captæ, nec sub domini potestate, adhuc retinent suam naturalem libertatem, & sic fiunt primi occupantis. Nec prohibitio Principis obligat ex justitia, sed tantum ex obedientia; illiusque transgressores pœnæ per legem statutæ subjacent, non vero culpam contrahunt, nisi ad summum venialem contra obedientiam, ut recte explicat Lugus *disp. 6. nu. 68.* & Palaus *pun. 14. n. 3.*

20. Notant hic Doctores contra venantes, piscantes, aut aucupantes in locis prohibitis, & reservatis, imponi non posse pœnam corporalem nimis gravem, puta pœnam capitis, mutilationis, aut flagellationis, sed solum pœnam carceris, brevis exilii, aut pecuniariam, quia delictum non videtur ita grave, ut corporalem pœnam mereatur; & inde, si alicubi statutæ sunt hujusmodi pœnæ corporales, censendum est, eas potius ad terrorem, quam ad executionem esse latas, nisi frequens inobedientia contrarium poscat. Ita cum Navar. Soto, Molina, Lessio, & Layman tenet Palaus *n. 6.*

21. Qui venatur, aut piscatur in fundo alieno, vel ubi jus venandi titulo locationis, aut concessionis est alteri reservatum, tenetur ad restitutionem ejus, quod cepit, quia agit contra justitiam, & facit contra jus illius, cui reservata est venatio, non quidem habita ratione valoris animalium, quæ fuerunt capta, sed habita ratione damni, vel lucri cessantis, quanti nimirum æstimatur damnum venatione illatum, quod quidem etiam considerandum erit, ut judicemus, an quantitas in hac inju-

injustitia sufficiat ad peccatum mortale; puta si animalia capta sint magni pretii, & multa, adeo ut soboles ferina notabiliter extinguatur, vel si ob frequentiam venationis feræ sint reditæ fugaces, prout ponderant Lugus *disp.6. sect.7.* Lessius *cap.5. n.33.* Malderus *c.5. dub.7.* & alii dicentes, quod unam, & alteram feram capere non censeatur notabiliter damnosum, ita ut attingat culpam mortalem, tenetus tamen de damno dato, si forte segetes conculcavit, vineam devastavit, aut similis damna intulit. Jis etiam Bonac. *pun.7. n.22.* Ant. a Spiritu S. *disp.4. n.107.*

DUBIUM IV.

De Acquisitione Dominii rerum inventarum.

22. BOna inventa, alia sunt quæ numquam habuerunt dominium, ut sunt gemmæ, margaritæ, lapilli, & similia, quæ inveniuntur in littore maris: alia, quæ quidem dominum habuere, sed illum habere desierunt, & habentur pro derelictis; & alis, quæ dominum habent, sed incertum, & ignotum, & ista possunt esse apprehensa acceptione injusta per furtum, aut usuras, aut per inventionem, & de his omnibus dubitatur; *an fiant primi occupantis, & invenientis.*

23. Resp. bona, quæ nullius sunt, quia vel numquam dominum habuerunt, vel illum habere desierunt, fieri primi occupantis, nisi lege aliqua humana contrarium statuatur, & illorum dominium alicui applicetur, prout applicantur fisco bona morientium sine herede, Sic habetur §. *feræ. de rerum divisione*; ibi: *quod autem nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur.* Et §. lapillorum *Inst. eod. tit.* dicitur: *Lapilli, gemmæ, & cetera, quæ in littore maris inveniuntur, jure naturali inventoris sunt.* Ad hoc autem non sufficit, rem prius videre, sed requiritur illius apprehensio; unde ex duobus simul ambulantibus, si unus prius gemmam videat, sed alter prius apprehendat, erit apprehendentis, ut notat Lugus *disp.6. sect.10. n.98.*

24. Idem valet de bonis quæ vere a domino sunt derelicta, nam eo ipso, quod pro derelictis habentur, nullius sunt, & sic fiunt primi occupantis. Quandonam censeantur haberi pro derelictis, si de expressa domini intentione non constat, ex conjecturis arguendum est, præcipue ex eo, quod dominus vel ipsas recuperare non possit, vel recuperare negligat, cum possit; unde ea, quæ, fracta navi, aut illius levandæ caussa projiciuntur in tempestate, non habentur pro derelictis, cum Dominus nollet illa projicere, eaque recuperare vellet, si posset; & inde, qui illa inveniunt, aut eripiunt a naufragio, debent ea dominis suis restituere, deductis expensis, & pretio laboris, quamvis essent infallibiliter peritura, nisi tu ea eripuisses, ut cum Rebello, Laym, & Lessio notat Palaus *pun.18. n.3.*

25. Qui bona Christianorum naufragantium in littore inventa surripiunt, animo retinendi, & non restituendi suis dominis, excommunicantur excommunicatione reservata Pontifici in Bulla Cœnæ; qui vero illa eripiunt animo quærendi dominum, & restituendi, non peccant, nec excommunicationem incurrunt, domino non comparente, eoque quæsito, & non invento. Idem judicium de illis ferendum est, ac de aliis bonis inventis, cujus dominus ignoratur, vel tamquam derelicta poterit sibi applicare, qui hujusmodi bona invenit, ut cum Suarez, & Lugo tenet Andreas a Matre Dei *c.2. nu.78.* Idem dicendum de bonis, quæ ab incendio, aliove periculo liberantur, quæ restitui debent dominis suis, quamvis in parte, vel in toto essent peritura; nam illa pars, quæ eripitur, domini est, eique restituenda, deductis expensis, & pretio labori, Andreas a Matre Dei *nu.79.* Palaus *n.3.* Ant. a Spiritu S. *disp.4. n.138.*

26. Ligna, & alia, quæ vi fluminis, vel inundationis asportantur, an sint habenda pro derelictis, judicandum est ex circumstantiis; si enim sint exigui valoris, & dominus ignoretur, aut valde distet, habenda sunt pro derelictis; si vero sint magni pretii, & talia, ut prudenter judicari possit velle dominum, ut sibi restituantur, tunc sunt illi restituenda, detractis expensis, & soluto pretio laboris in illis extrahendis, & recuperandis impenso, ut cum Molina tenet Palaus *pun.18. n.5.* ubi advertit, dominum agri, ubi congregantur ligna, vi fluminis asportata, posse judicio contendere, ut domino lignorum tempus designetur, intra quod ligna a prædio extrahat, sin minus tamquam derelicta habeantur.

27. Resp. secundo, bona in platea, seu alibi forte inventa, restituenda sunt domino, quando ille potest inveniri; nam res qualibet clamat ad dominum, cui restitui debet; qui autem rem amittit, non desinit esse dominus, unde retineri non potest sine peccato. Et hac ratione D. Aug. relatus in cap. *si quid 14. quæst. 5.* ait; *si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti, quantum potuisti, fecisti.* Consonat D. Hieron. relatus in cap. *multi* loc. cit. *multi sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerint, teneant, & dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Discant ergo, peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat.*

28. Quare facienda est omnis diligentia moraliter possibilis, ad verum dominum inveniendum. Quænam autem censeatur diligentia sufficiens, non potest ita facile definiri, sed major, vel minor facienda est pro majori, aut minori gravitate, ac valore rei inventæ, ac attentis aliis circumstantiis, quod judicandum relinquitur prudentis arbitrio, ut docet Palaus *pun.19. n.5.* & cum aliis Andreas a Matre Dei *c.2. n.82.*

29. Facta sufficienti diligentia, & domino minime invento, tunc magis communis, & recepta sententia docet, rem illam esse pauperibus distribuendam, seu locis piis applicandam. Ratio est, quia quando res aliqua vero domino restitui amplius non potest, iis restituenda est, quibus restitui velle præsumitur verus dominus; at is velle præsumitur, ut distribuatur pauperibus, aut in pios usus insumatur; unusquisque enim rationabiliter velle præsumitur res suas applicari pauperibus, aut locis piis in remedium animæ suæ, quando eis uti non potest. Ita cum D. Thom. 2. 2. *qu.66. art.5. ad 2.* tenet Cajet. *ibi*, & *in Sum.* verbo *Furtum, ad finem*, Navar. *cap.17. n.171.* quam fuse probat Rosignol. *contr.8. disq.* §. 6. eamque magis piam, tutiorem, & in praxi sequendam docet Palaus *pun.19. n.4.*

30. Altera Sententia docet, inventorem posse ea sibi retinere, quamvis sit dives, absque ulla obligatione ea distribuendi pauperibus, aut locis piis. Ratio est, quia nullo jure sive naturali, sive ecclesiastico prohibetur, inventorem ea bona sibi retinere; nam Textus *Si quid invenisti*, & Textus *Mult. cit. 14. qu. 5.* procedunt, inquit Glossa, de illo, qui nec præmisit diligentiam, nec voluntatem habet reddendi domino comparenti, ut constat ex verbis subsequentibus; *Deus cor interrogat, non manum.* De jure naturali, quæ non habent dominium fiunt primi occupantis, talia sunt bona deperdita, quæ moraliter desinunt habere dominum, quando, facta sufficienti diligentia, non potest inveniri. Adde, quod in talem retentionem videtur communitas hominum tacite consentire; nam tali ratione compensari solent rerum amissarum damna; qui enim rem aliquam deperdit; si alteram forte inveniat, cujus dominus inveniri non possit, compensat jacturam rei antea deperditæ. Its probabiliter tenent Sotus, Ledesma, Sarmiento, Vasquez, Dicastillus, Megala, Lopez, Lessius, Aragon. quos sequitur Anton. a Spiritu S. *disp.4. n.142.* Diana *par.2. tr.3.* Miscell. *ref.5.* & *par.10. tract.1. resol.12.* & *tr.8. resol.12.* Caramuel *in Theol. moral. l.2. n.322.* Petrus Navarra *lib.4. c.2. nu.59.* Mastrus *Theol. Moral. disp.3. num.52.* G. Hurtado *disp.8. diff.2.* eamdem Sententiam, ut probabilissimam, & in conscientia tutam tenet Trullench *lib.7. c.14. dub.5.*

31. Hæc Sententia, quamvis sit probabilis, tum propter rationem, tum propter auctoritatem Doctorum, qui hanc Sententiam aut docent, aut probabilem judicant, non est tamen recedendum a prima, quæ est probabilior, magis pia, & tuta, & consuetudine, ac usu recepta apud pios, & timoratos, ut etiam fatetur Andreas a Matre Dei *c.2. n.85.* Lugus *disp.6. sect.11. num.141.* eamdem, ut magis piam, & securam esse in praxi consulendam docet Diana *supra.* Quod si inventor vere sit pauper, poterit res inventas, vel in toto, vel in parte sibi applicare, juxta consilium viri prudentis, & Confessarii, cum non debeat esse deterioris conditionis aliis pauperibus. Tambur. *lib.8. cap.1. §.9. n.20.* Diana *part.4. tract.5. resol.46. & 113.* Quod si inventor sit dives uti poterit Bulla compositionis, ut cum Joan. a Cruce notat Tambur. *n.19.* & tenet Andreas a Matre Dei *c.2. num.86.*

32. *Quid, si, re consumpta, aut pauperibus, seu locis piis distributa, dominus compareat?*

Resp. inventorem ad nihil teneri, nam obligatio restituendi nasci potest ex re accepta, vel ex injusta acceptione: in casu posito nulla est injusta acceptio, nec item adest res accepta, quæ bona fide fuit consumpta; unde inventor, qui sequendo opinionem probabilem, rem illam sibi appropriavit, & consumpsit, nullam habet obligationem restituendi, nisi res illa adhuc extet, vel in aliquo factus sit ditior, quia tunc teneretur rem illam adhuc existentem, vel id, in quo factus est ditior, domino comparenti reddere, cum nemo debeat ex rebus alienis ditescere, ut cum Lessio, Dicastillo, & Tamb. docet Ant. a Spiritu S. *disp.4. n.141.*

33. Multo minus restituere tenentur pauperes, qui juste rem consumpserunt. Addunt Sotus, Ledesma, & P. Navat. illos non teneri ad restitutionem, quamvis in propria specie res illa adhuc exstat, vel ob ejus consumptionem ditiores fuerint facti, quia non mutuo, sed in eleemosynam rem acceperunt, perinde ac si dominus misericorditer rem illis contulisset: probabilius tamen

est,

est, rem illam esse restituendam domino competenti, quando adhuc existit, cum res semper clamet ad dominum, qui jus habet rem suam sibi vindicandi ubicumque reperiatur, nisi fuerit legitime præscripta, ut cum Molina, & Laym. tenet Palaus *n.*8.

34. Resp. 3. Bona incerta habita ex delicto, & injusta acceptione, distribuenda sunt pauperibus, & locis piis; juxta determinationem Alexandri III. cap. *Cum tu, de Usuris*, ubi licet Pontifex solum usuras jubeat tradi pauperibus, Doctores tamen communiter extendunt ad alia incerta ex aliis delictis debita, ut ex furto, rapina, damno dato, & iniquis contractibus, quando dominus ignoratur, & facta sufficienti diligentia, non invenitur. Et quidem merito, ne quis aliorum bonis ditescat, & aperiatur via pluribus injustitiis; & si habens talia bona incerta, etiam injuste acquisita, vere sit pauper, poterit illa sibi retinere, cum non debeat esse deterioris conditionis præ aliis pauperibus, aut etiam uti Bulla compositionis, ut supra dictum est, & tenent Tambur. *lib.* 8. *tr.* 4. *cap.* 1. §. 11. *n.* 20. Navar. *in man. cap.* 17. *n.* 43. Dicastill. *lib.* 2. *de Just. tr.* 2. *disp.* 9. *dub.* 14. *n.* 368. Reginal. *lib.* 10. *cap.* 14. *n.* 196. Bonac. *disp.* 1. *qu.* 3. *p.* 4. *n.* 9. Diana *par.* 11. *tr.* 1. *resol.* 12. *& tr.* 8. *resol.* 12. Notat etiam Navar. *cap.* 17. *num.* 92. contra aliquos, posse debitorem per se ipsum pauperibus restitutionem facere, quin sit necessarium quod per Episcopum, aut Confessarium fiat.

35. Bona debita ex contractu licito, puta ex deposito, commodato, mutuo, vel ex re quocumque modo bona fide accepta, si facta sufficienti diligentia, dominus non possit inveniri, juxta Doctores allegatos *n.* 29. pauperibus sunt distribuenda, vel ad capsam inventorum deferenda, sicut alia bona incerta, juxta consuetudinem, vel Decreta locorum: secundum alios relatos *nu.* 30. debitor poterit ea sibi retinere, sicut alia bona inventa, animo restituendi domino, si compareat, ut expresse docent Tambur. *n.* 31. Layman *lib.* 3. *tr.* 2. *cap.* 9. *n.* 1. & cum Navar. Lessio, & Bassæo Ant. a Spiritu S. *disp.* 4. *n.* 145.

36. Quæres: *cui applicanda sint bona vacantia, ea nimirum, quæ moriens ab intestato, & absque ullo herede reliquit?*

Resp. hujusmodi bona vacantia, si laicorum sint, morientium ab intestato, & nullo relicto herede intra decimum gradum, Jure communi devolvi ad fiscum, ex *l. vacantia C. de bonis vacantibus*. Si vero sint Peregrini mortui ab intestato, ea non pertinent ad hospitem apud quem mortuus est, sed per Episcopum loci tradenda sunt heredibus, si fieri potest, vel certe in pias caussas distribuenda, juxta Authenticam, *Omnes peregrini Cod. Communia de success.* ibi: *Si peregrinus intestatus decesserit, ad hospitem nihil perveniet, sed bona ipsius per manus Episcopi loci, si fieri potest, heredibus tradantur, vel in caussas pias erogentur*. Nisi forte Hospitale, in quo decessit peregrinus, privilegium habeat succedendi, ut regulariter habent omnia Hospitalia, ut cum Navar. Covar. & Molina docet Palaus *punct.* 19. *n.* 9.

DUBIUM V.

Cujus sit Thesaurus inventus.

37. Thesaurus communiter definitur; *Quod sit vetus depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, uti jam dominum non habeat*, ubi nomine *pecuniæ* intelliguntur quævis opes mobiles, ut catenæ, gemmæ, vasa aurea, & argentea, nummi, & similia. Duo autem requiruntur ad Thesaurum proprie dictum, & quod sit aliquid repositum opera, & industria humana, & hac ratione distinguitur a venis metallorum, quæ proprie thesaurus non sunt, & quod non extet memoria talis rei depositæ. Quapropter pecunia custodiæ gratia, aliove titulo sub terra recondita, quousque dominum habet, non est thesaurus, de cujus ratione est, ut dominum habere desierit. Ita habetur ex *l. numquam ff. de acquirendo rerum dominio*, & sequuntur Doctores communiter. His positis:

38. Resp. Thesaurum de jure naturæ, & gentium sortiri eamdem conditionem cum rebus inventis, quæ nullius sunt, adeoque fieri primi occupantis, & inventoris. Siquidem thesaurus nullius est, cum jam dominum non habeat, & sic transit in dominium inventoris, & primi occupantis. Nec obstat, quod ex signis, & conjecturis possit forsitan cognosci a quorum Majoribus fuerit reconditus, quia quod cessavit tanto tempore possideri, cessavit pariter esse in dominio cujusquam, ut cum communi tenet Rosignol. §. 5. *n.* 2.

39. De Jure civili statutum est, ut thesaurus inventus in proprio fundo totus sit inventoris, ut constat ex §. *Thesauros Instit. de rerum divis.* ibi, *Thesauros, quos quis in loco suo invenerit, D. Adrianus naturalem æquitatem secutus, ei concessit, qui eos invenerit*; quod idem habetur *l. unica C. de Thesauris*. Si vero in alieno fundo, non data opera, sed fortuito inventus est, puta arando terram, vel alio quocumque casu fortuito, dividitur æqualiter inter inventorem, & dominum fundi, ut habetur ex dictis Juribus: & cum hæc constitutio, ac dispositio non sit pœnalis, sed sit lata secundum æquitatem naturalem, & sit definitiva proprietatis rerum, ut dominus fundi ex thesauri inventione commodum reportet, obligat in conscientia ante Judicis Sententiam, ut notavit Navarr. *in sum. cap.* 17. *num.* 175. Ant. Gomez *leg.* 45. Zauri *n.* 50. Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 15. *n.* 59. quos sequitur Palaus *disp.* 3. *punct.* 17. *nu.* 2. Covar. Molina, Rebellus.

40. Si autem inveniatur de industria quæsitus, sine consensu domini, totus cedit domino fundi, ut deciditur in dicta *l. unica*, quæ dispositio, cum sit pœnalis, procedit post Sententiam Judicis, per quam inventor compellendus est totum reddere domino fundi, & ulterius puniendus est, ut cum Lessio, Rebello, & aliis tradit Palaus *n.* 3. Si autem de consensu domini quæsitus fuit, standum est conventioni, & pacto, si quod factum est; secus totus cedit inventori. Si arte magica quæsitus, & inventus est, sive in proprio, sive in alieno fundo, totus fisco adjudicatur in pœnam criminis *l.* 10. *C. de Thesauris lib.* 10. quæ dispositio, utpote pœnalis, non obligat nisi post Sententiam Judicis ad instar aliarum pœnarum.

41. Thesaurus inventus in loco publico, qui sit sub nullius dominio, totus cedit inventori; at si inveniatur in loco publico specialiter spectante non solum quoad jurisdictionem, sed etiam quoad dominii proprietatem, ad Principem, seu Civitatem, tunc, si casu fortuito inveniatur, erit dividendus inter inventorem, & Principem, seu Civitatem; sub cujus dominio est locus ille: at si de industria fuerit quæsitus, totus erit Principis, ut supra dictum est de thesauro reperto in fundo alieno. Non sufficit, Principem habere dominium jurisdictionis, sed habere debet dominium proprietatis, ut dimidia pars thesauri sic inventi cedat Principi, & ratio est, quia Leges disponentes thesaurum inventum, seu dimidiam partem esse adjudicandam domino fundi, sunt correctivæ juris naturæ, ratione cujus thesaurus, utpote nullius, fit primi occupantis, & sic non sunt ampliandæ, sed restringendæ, ut intelligantur de dominio rigoroso, cujusmodi est dominium proprietatis, non jurisdictionis, seu gubernationis. Ex hac ratione intelligi debet Textus §. *thesaurus, Instit. de rerum divis.* ibi: *si quis in fiscali loco, vel publico Civitatis thesaurum invenerit, dimidium esse fisci, vel Civitatis*; siquidem procedit de sylvis, agris, & aliis locis publicis, quorum dominium proprietatis spectat ad Principem, seu Civitatem; ut tenent Palaus *punct.* 17. *n.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 16. *num.* 63. Lugus *disp.* 6. *sect.* 11. *num.* 116.

42. Si inveniatur in loco sacro, seu Ecclesia, dividitur inter inventorem, & Ecclesiam, seu Prælatum. Si in fundo Uxoris, seu dotali pertinet ad Uxorem quoad dominium, ut expresse habetur *l. divortio* §. *si fundum ff. solu. matrim.* quia thesaurus non computatur inter fructus agri. Gutier. *tr. de tutel. part.* 3. *cap.* 26. *n.* 15. & 16. Molina *de primog. lib.* 1. *cap.* 23. Turrian. *tom.* 2. *disp.* 43. *dub.* 2. *num.* 33. Palaus, Lugus, & alii. Idem valet in locato, commodato, conducto, & pignore, quia his contractibus nullum jus acquiritur in prædium domini, cui soli debetur thesaurus inventus, reservata parte inventori.

43. Quando duo sunt domini, quorum unus habet dominium proprietatis, & directum, & alter dominium utile, ut in Feudo, & Emphyteusi, plures volunt, partem dandam esse inventori, & alteram partem dividendam inter duos dominos; sed alii volunt, nihil deberi domino directo, nisi forte ipse sit inventor, sed dumtaxat Emphyteutæ, seu Feudatario, quia iste, inconsulto proprietario, absque illius injuria potest in prædio emphyteutico, seu feudali thesaurum quærere, & sic illi debetur thesaurus inventus, aut dimidia illius pars, quando ab uno tertio invenitur, ut cum aliis tenet Palaus *pun.* 17. *nu.* 11. Non valet eadem ratio de Usufructuario, cui nihil thesauri ab alio inventi debetur, quia non est fructus agri, seu fundi, & sic totus, vel pars cedit domino directo.

44. Hæc omnia procedunt de Jure communi, nam de jure speciali videndæ sunt leges, & consuetudines cujuscumque Regni, & Provinciæ, illæque observandæ, quando sunt justæ. Casum proponit Caramuel de Operario, qui fuit a Petro, statuto pretio, conductus, ut puteum in sua domo effoderet, & hic effodiens ollam auro plenam invenit, & quærit, cui invenerit; sibi, aut conductori? Respondetque, sibi invenisse, quia thesaurus, cum sit nullius, fit inventoris; at hoc verum

est

est stando in solo jure naturali, ceterum de jure communi dividendus est inter conductorem, & conductum, juxta superius dicta.

45. Qui certo scit, alicubi thesaurum latere, potest communi pretio emere domum, agrum, & fundum, ut thesaurum eruat, & faciat suum, quia thesaurus ibi latens non est in bonis venditoris, cui proinde nulla fit injuria, emendo fundum communi pretio, prout tenent Doctores communiter, & constat ex parabola Evangelica a Christo allata de thesauro invento in agro, quem idcirco quis emisse legitur *Matth. cap.* 13. Ratio esse potest, quia emptor, cum per emptionem evaserit dominus illius fundi, thesaurum invenit in fundo proprio, & sic potest illum totum sibi retinere. Idem dicendum, etiamsi fundum emerit cum pacto retrovendendi, quia cum adhuc sit dominus, usquequo non retrovendat, etiam tunc verificatur, quod thesaurum inveniat in fundo proprio. Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 5. *ad* 2.

46. Si emisti rem aliquam mobilem, puta Saccum Lana plenum, & ibi aurum absconditum reperisti, non efficeris illius dominus titulo emptionis, quia venditor cum ignoraret aurum absconditum, non potuit illius dominium in te transferre, quare postquam aurum invenisti, facienda est diligentia, si potest inveniri dominus; si autem, facta diligentia, non inveniatur, inter bona incerta computari debet, ut cum aliis notat Paulus *punct.* 17. *n.* 13. At Lugus *disp.* 6. *sect.* 12. *n.* 229. eodem modo loquitur de tali auro, ac de Thesauro, & docet, inventione totum aurum tibi acquiri, quia jam invenis illud in re tua; quod enim thesaurum in terra habeas, vel in re mobili, parum refert, cum utrobique lateat, & nullius sit, ac proinde non est venditoris, sed tui qui illum invenisti.

47. De venis Metallorum non est eadem ratio, ac de Thesauris inventis, nam illæ, spectato solo jure gentium, pertinent ad dominum fundi, tamquam pars ipsius fundi, & bona quodammodo in fundo ingenita non ab extrinseco reposita, sicut ad eumdem dominum spectant fontes, & lapidicinæ in eodem fundo congenitæ: de jure tamen civili ubicumque reperiantur venæ metallorum solent deputari Principi ad publicos sumptus, data aliqua parte inventori, & domino fundi.

DUBIUM VI.

De aliis Modis acquirendi verum Dominium.

48. Alter modus acquirendi dominium de jure Gentium est *Accessio*, quæ dici solet modus acquirendi dominii, quo res aliqua fit alicujus, eo quod rei, quæ ipsius est, accedat. Dividitur in *accessionem naturalem*, quæ scilicet fit per naturales causas, nullo humano opere interveniente; & *artificialem*, seu *industrialem*, ad quam scilicet concurrit ars, & industria humana. Ad accessionem naturalem spectant *nativitas*, seu procreatio animalium, & *alluvio*: titulo nativitatis nostra fiunt, quæ ex animalibus nostris nascuntur, & procreantur, ut habetur §. *Item ea, Inst. de rerum divis.* & hac ratione cui competit dominium, vel saltem ususfructus pecudum, ovium, vaccarum, equarum, & hujusmodi, acquirit etiam dominium agnorum, hinnulorum, & vitulorum ex ipsis natorum, seu foetus, qui procreantur.

49. *Alluvio est incrementum latens, quo Flumen alicui fundo aliquid insensibiliter adjicit*; quod enim per hujusmodi alluvionem agro tuo flumen addidit, jure gentium sibi acquiritur. *Insensibiliter*, inquam, nam si vis fluminis partem prædii alieni totam simul tuum in fundum transferat, tibi non acquiritur, nisi post intervallum temporis, quo arbores in tuo fundo radices egerint; tunc enim arbores cedunt solo, in quo radicantur, sicut ædificium cedit solo, in quo fundatur. Lugus *disp.* 6. *sect.* 13. *n.* 153.

50. Insula de novo apparens in medio maris nullius esse creditur, & inde fit primi occupantis; si vero appareat in medio fluminis fit eorum, qui utrinque e regione prædia habent, inter quos debet dividi: si vero Insula propinquior fuerit uni ripæ, quam adversæ, tota cedit illis, qui e regione prædia habent: si vero fluvius ita dividatur, ut ex tuo agro, qui erat in ripa, Insulam faciat, adhuc ager permanet tuus: si autem flumen, suo communi alveo derelicto, divertat per aliam partem, alveus antiquus accrescit iis, qui agros utrinque habent, inter quos dividendus est, ut habet Lugus *loc. cit.*

51. Dubitatur hic: *utrum id, quod per alluvionem accrescit, accrescat soli domino proprietatis, an vero etiam Usufructuario, Feudatario, & Emphyteutæ, adeo ut isti habeant idem jus in augmentum accrescens, quod in fundum, cui facta est accessio.* Resp. affirmative, ratio est, quia Usufructuarius, Feudatarius, & Emphyteuta repræsentant personam proprietatis, & quoad dominium utile proprietario æquiparantur, & sic quidquid ratione fundi accrescit domino proprietatis, debet, ratione utilitatis, accrescere iis, qui habent dominium utile talis fundi, ut docet Lugus *n.* 157. & 158. & Rotignol. §. 8. *n.* 7.

52. Ad *accessionem artificialem* spectant ædificatio, suffultura, seu textura, plantatio, satio, scriptura, & pictura, in quibus omnibus jure accessionis dominus rei principalis acquirit dominium rei accessoriæ, & sic ædificata in alieno solo acquiruntur domino soli, solutis expensis, si ædificium sit bona fide factum, & mala domino, secus si mala fide sit factum; nam tunc dominus soli nihil tenetur solvere, nec, diruto ædificio, sibi competit vindicatio illius materiæ, quia præsumeris donare, vel temere fecisse, ut constat ex §. *certe Inst. de rer. divis.* Intexta alieno vestimento, si separari non possunt, cedunt domino vestimenti, soluto pretio rei intextæ. Plantata, & sata in alieno fundo, cedunt domino fundi, soluto pretio plantæ, & mercede impensi laboris, quando plantatio bona fide fuit facta. Scripta in aliena charta, & picta in aliena tabula, licet videantur acquiri domino fundi, & tabulæ, habenda tamen est ratio prævalentiæ; ut enim habetur § *litteræ Inst. de rer. divis.* ridiculum esse, picturam Apellis, vel Protasii in accessionem vilissimæ tabulæ cedere.

53. Specificatio, seu formatio contingit, quando quis ex materia, sive ejusdem, sive diversæ rationis, sive propria, & aliena, sive aliena tantum novam quamdam speciem, seu corpus constituit; qui enim tale corpus, vel constituit, vel constitui curat, fit ipsius dominus jure specificationis, & formationis, cum hac tamen limitatione, ut res facta ex aliena materia reduci non possit ad pristinum statum; si enim sit reducibilis manet sub dominio illius, qui dominus erat materiæ. Hac ratione Scyphus ex auro, aut argento alieno conflatus tibi non acquiritur, nam dominus jus habet vindicandi sibi materiam, eique debet adjudicari etiam species, & forma, compensatione sibi facta, si bona fide processisti, secus si mala fide id fecisti: vestimentum autem ex tua, & aliena lana confectum tibi cedit, compensatione facta domino lanæ, si bona fide processisti.

54. Specificationis duæ sunt species, altera dicitur *Confusio*, altera *Commixtio*: ea dicuntur confundi, quæ simul posita novam pariunt speciem, priorem non retentam, ut quando confunduntur mel, & vinum, quæ transeunt in mulsum: ea dicuntur commisceri, quæ simul posita suam speciem retinent, nec pariunt novam, ut frumenta in unum cumulum coacervata. Commixtio est minus proprie specificatio, cum in rigore per commixtionem nova species non resultet; nihilominus, quando commixtio talis est, ut discerni amplius non possint res commixtæ, fit, ut res commixta nequeat amplius reduci ad proprium statum, sicque quoad tribuendum titulum dominii æquivalet veræ specificationi. Idque specialiter consideratur in pecunia, sive nummis, ut expresse constat ex *l. si alieni ff. de solutionibus*, ibi *si alieni nummi, inscio, vel invito Domino, soluti sunt, manent ejus, cujus fuerant*, quando scilicet discerni, & separari possunt ab aliis; *sed si mixti aliis sunt, ita ut discerni non possint, ejus fieri, qui accipit.*

55. Hic duo notanda sunt: primum est, quod licet per confusionem, vel commixtionem alterius rei cum tua, illius dominium acquiseris (idem proportionaliter valet de accessione artificiali) tenearis tamen priori domino pretium solvere illius rei, quam cum tua confudisti; & si commixtionem, seu confusionem mala fide fecisti, dominus habet etiam jus agendi contra te actione furtiva, ac si talem rem furto sublatam consumpsisses; specificatio enim in ordine ad priorem dominum æquivalet morali consumptioni. Alterum est, ex quacumque commixtione alterius rei cum tua te illius dominium non acquirere jure specificationis; nam, si res aliena major sit quam tua, non fieri propriam, quia minor pars ad se non trahit majorem, sed e contra; ex eo enim quod quis navi tabulam, lecto fulcrum, statuæ pedem apponat, non eo ipso talium rerum dominium acquirit, sed hujusmodi additamenta cedunt rebus, quibus sunt addita. Ex his plura dubia moveri, & solvi possunt, pro quibus consulatur Lugus *disp.* 6. *sect.* 15.

56. Traditio est translatio dominii, ipsa domini voluntate facta, nihil enim tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis, rem suam in alium transferre ratam haberi, ut habetur §. *per traditionem Instit. de rer. divis.* Solet autem fieri traditio per aliquem contractum, vel quasi contractum, puta per commutationem, venditionem, aut donationem. Ad hoc autem, ut per traditionem dominium acquiratur, plura requiruntur: 1. Quod tradens habeat jus transferendi dominium. 2. Quod res tradita sit in commercio hominum. 3. Quod traditio fiat ex aliqua justa causa, & ido-

& idonea ad transferendum dominium. 4. Quod interveniat hinc inde animus transferendi, & accipiendi dominium. 5. Si traditio fiat per solutionem quod facta sit solutio pretii conventi, vel saltem data sit fides de pretio solvendo, quæ & similia explicabuntur suo loco, prout opus fuerit.

DUBIUM VII.

De Præscriptione, & Usucapione.

57. POtissimus modus acquirendi dominium de Jure civili in bona, quæ alicujus fuerunt, independenter a voluntate domini, ex sola Juris dispositione, est *Præscriptio*, quæ ex vi nominis idem significat, quod *Exceptio*. Est autem *Exceptio* apud Juristas *oppositio, qua actionem aliquam, seu litem intentanti respondetur, idest id, quod defensor opponit ei, a quo intentatur actio, ut ei respondeat, & ostendat, actionem ejus admittendam non esse*. Et quia possessio rei ad alterum pertinentis continuata per tempus a lege definitum, opponi potest ei, qui actionem intentat ad rem suam recuperandam, & ita excluditur ejus actio, recte apud Juristas, aliosque Doctores vocatur *præscriptio*.

58. Hæc præscriptio re ipsa coincidit cum Usucapione, quæ, & ipsa est *acquisitio dominii per continuationem possessionis per tempus a lege definitum*, licet aliqui distinguant usucapionem a præscriptione, tamquam caussam ab effectu, dicendo, præscriptionem esse exceptionem, quæ possessori competit ex usucapione, id est ex acquisitione dominii facta per longam possessionem. Alii præscriptionem ab usucapione distinguunt in eo, quod illa sit rerum immobilium, ista mobilium, ac proinde præscriptio triennalis, quæ datur inter res mobiles frequentiori usu, & proprio nomine soleat in Jure dici *usucapio*, ut inquit Gloss. §. 1. *verb. usucapiuntur. Inst. de Usucapione*. Præscriptio vero longi, vel longissimi temporis communiter dicitur *præscriptio*. Alii denique distinguunt in eo, quod *usucapio* rebus tantum corporalibus conveniat, utpote quæ ipso usu capi, apprehendi, & acquiri solent; præscriptio vero magis late pateat, & rebus tum corporalibus, tum incorporalibus, immo & juris alieni peremptioni conveniat, ac proinde omnis usucapio sit præscriptio, non e contra, ut notat Palaus *disp. unic. de Just. punct.* 22. *num.* 4. Verum in Jure *Præscriptio*, & *Usucapio* pro eodem sumuntur, & ad res utriusque generis indifferenter applicantur; nam, quando res etiam mobiles, & corporales usucapimus, utimur præscriptione, seu exceptione erga priorem dominum, & in hoc sensu *Præscriptio*, seu *Usucapio* recte definitur: *Acquisitio dominii propter possessionem continuatam tempore a Lege definito, dummodo aliæ conditiones non desint.*

59. Præscriptio, seu jus præscriptionis, & Usucapionis, per quod a pristino domino jus aufertur, & alteri adjudicatur, introductum est jure humano positivo, tum Civili, tum Ecclesiastico, ob publicam utilitatem, & quietem, ne incerta semper essent rerum dominia, & infinitæ orirentur lites circa earum proprietatem: tum ne homines in rebus, & juribus suis conservandis segnes, & negligentes essent, ut habetur *l. 1. & seqq. ff. de Usucap. & l. 1. & seqq. C. de Præscr pt. longi tempor.* ubi plures tales leges præscriptionem introducentes reperiuntur, & cap. *Vigilanti de præscript.* ubi Pontifex fatetur quod *Ephesinus Legislator propter vitandam miserorum segnitiem, & longi temporis errorem, & confusionem, primus triennali, vel quadragenali præscriptione vigorem legis imposuit*. Potest enim Respublica per leges justas aliquorum dominia in alios transferre, quando id bono publico congruere judicaverit; at congruit bono publico dominium alicujus per præscriptionem in alium transferre ne incerta semper essent rerum dominia, & infinitæ orientur lites, circa earum proprietatem; eo enim ipso, quod res aliqua mihi est donata, aut legata, seu illam emi, non statim sum dominus, nam fieri potest, ut ille, qui mihi rem donavit, aut vendidit, non esset dominus, quo casu non potest in me dominium transferre, juxta regul. 79. Juris in 6. *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*; ac proinde nisi lex ob diuturnam possessionem bona fide, & justo titulo habitam illius rei, dominium mihi expresse tribueret, numquam de hoc securus essem, & semper possem timere, ne ab alio vindicetur.

60. *Hic dubitatur, utrum Præscriptio procedat, ac vim habeat non solum in Foro externo, sed etiam in Foro conscientiæ.*

Resp. procedere, & licitam esse in utroque Foro, modo habeat conditiones omnes in Jure requisitas. Ratio est, quia leges humanæ præcipientes, ut possessio alienorum bonorum continuata per longum tempus cum certis conditionibus, faveat possessori, sunt justæ, quia sic expediebat fieri, ad pacem tuendam inter Cives, & ut dicitur *l. 1. ff. de Usucapione*, bono publico introducta est Usucapio, ne diu, & forte semper incerta essent rerum dominia, ut supra diximus. Possunt autem leges humanæ, quando ita expedit bono communi, dominia ex uno in alium transferre, etiam sine culpa dominorum, quia semper bonum commune præferri debet privato, & semper expedit bono communi id facere, ad vitandas lites, ne rerum dominia incerta maneant, & ad pacandas conscientias, ac proinde dicendum est, præscriptionem esse licitam, & vim habere etiam in conscientia, nec teneri rem legitime præscribentem restituere, etiamsi postea advertat, fuisse alterius, dummodo non desint aliæ conditiones.

61. Dices; in cit. cap. *Vigilanti, fuisse derogatum legi Civili statuenti Jus præscriptionis; nam Pontifex, postquam dixit, Legislatorem Ephesinum præscriptionem introduxisse, subdit: Nobis autem tam in rebus cognitis, quam latentibus placuit non habere vigorem.*

Sed contra dico, ibi reprobari præscriptionem mala fide factam; voluit enim Pontifex possidentem rem alterius mala fide, sive conscio, & negligente priore domino, sive inscio, non posse illam præscribere, quamvis leges in triennali, & quadragenaria præscriptione bonam fidem olim non requisierint.

Quare Pontifex corrigit Legislatorem Ephesinum, non quoad præscriptionem simpliciter, sed quoad triennalem, & quadragenariam, quatenus eam, etiam mala fide, vigorem habere volebat.

62. Nec obstat Regul. 48. Juris in 6. dicens; *Locupletari quis non debet cum alterius injuria, aut jactura*: Nam procedit de locupletatione injuriosa, & injusta, cujusmodi non est hæc, quæ fit auctoritate legis ex rationabili, & publica caussa, ob communem Reipublicæ quietem, & pacem subditorum constitutæ. Nec valet, aliquem privari non debere re sua sine sua culpa: hoc enim verum est, quando alia non subsit justa caussa per Regulam *sine culpa de Regul. Juris in* 6. hic autem adest justa caussa, id est favor publicæ utilitatis; & inde habes, validam esse præscriptionem, non solum quando intercessit negligentia prioris domini in re sua recuperanda, sed etiam quando constat, nullam intercessisse; quia leges præscriptionis numquam meminerunt, eam statui in pœnam negligentiæ dominorum, sed ob bonum publicum, ne diu, & fere semper incerta essent rerum dominia, & ut lites aliquando finirentur, ut supra diximus.

63. Quatuor potissimum assignantur conditiones ad legitimam præscriptionem introducendam necessariæ, & sunt I. Possessio rei legitimo tempore, & Jure definito continuata. II. Bona fides possidentis. III. Justus titulus. IV. Ut res illa sit apta præscribi, & persona possidens præscribere possit, quæ in præsenti sunt explicandæ.

§. I.

De Prima Conditione, quæ est Possessio.

64. PRima conditio est Possessio, quia ex Regul. 3. Juris in 6. *sine possessione præscriptio non procedit*; nam præscribere est dominium acquirere, nemo autem dominium acquirit sine possessione; debet autem hujusmodi possessio civilis esse, nec sufficit naturalis. Naturalis possessio datur, quando quis corpore sed accidentaliter, vel sine animo faciendi rem suam, aliquid possidet, qua ratione possidet bajulus pecunias, quas transfert; vel injuste, qua ratione possidet fur res furto sublatas; vel non accommodate ad juris Civilis rationem, qui nomine alieno possidet, non proprio, ut Colonus, Depositarius, Commodatarius, Feudatarius, & similes non possidentes proprio nomine, qui propterea res locatas, depositatas, & commodatas nullo umquam tempore præscribunt, defectu possessionis Civilis, quæ est rei detentio corporis, & animi, jurisque adminiculo. Possunt tamen Feudatarius, Emphyteuta, & qui habent dominium utile, illud præscribere quoad fructus, & commoda, quia illorum Civilem possessionem habent. Lessius *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 6. Palaus *punct.* 22. §. 4. *num.* 4. Lugus *disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 13. Dicastil. *lib.* 2. *tr.* 1. *disp.* 1. *a num.* 172.

65. Tempus requisitum ad præscribendum diversis legibus, & in ordine ad diversas res, est diversimode definitum; res enim aliquæ sunt mobiles, quæ loco moveri possunt, ut pecunia, vestis, navis, animalia, & hujusmodi: aliæ sunt immobiles, quæ loco moveri non possunt, ut prædia, domus, agri, & similia. Nomine immobilium veniunt etiam Beneficia, Census, Reditus, Juspatronatus, & Ususfructus: hæc enim omnia fixa manent, & instar rerum immobilium afferunt fructum, & commoditatem suam, ut tradit Lessius *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 25. Veniunt etiam jura, & actiones ad immobilia;

nam

nam actiones, & jura ad mobilia, ut ad vestem, vel equum, computantur inter res mobiles non minus ac vestis, & equus, nam accessorium sequitur naturam principalis, ex *Regul. 42. Juris in 6.*

66. Ad præscribendas res mobiles privatæ personæ cum titulo, & bona fide, sufficit possessio triennalis inter præsentes, qui nimirum in eadem Urbe, vel Territorio commorantur, quadriennalis autem inter absentes: sine titulo vero triginta annorum, quia, spectata naturali æquitate, ac legum dispositione majus tempus requiritur ad rem aliquam præscribendam sine titulo, quam cum titulo, licet utrobique reperiatur bona fides. Eodem tempore triennii præscribuntur etiam bona mobilia Ecclesiæ, quæ in hoc non habet privilegium; nam respectu illarum rerum, vel actionum, quæ minori tempore, quam decennio adversus privatos præscribuntur, Ecclesia non habet privilegium, ut constat ex Auct. *quas actiones Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis*, ubi Locis Religiosis conceditur privilegium præscriptionis quadragenariæ, cum hac limitatione, *Usucapione triennii, & quadriennii præscriptione in suo robore permansuris*, quæ auctoritas fuit inserta Juri Canon. & recepta Can. *penult. §. quas actiones 16. qu. 3.* ita tenent Abbas in cap. *1. n. 13. de in integrum restit.* Innocent. *ibid. cap. 1.* Covar. *par. 2. in Reg. Possessor. §. 2. n. 5.* Lessius *lib. 3. cap. 6. nu. 22.* excipiens bona Romanæ Ecclesiæ, & cum Molina, Layman, & Sanchez, Palaus *pun. 22. §. 11. n. 2.*

67. Ad præscribendas res immobiles privatorum non vitiatas, id est non furto, nec vi sublatas, sufficit possessio decem annorum inter præsentes, viginti annorum inter absentes, si vero vitiosæ fuerint, & ad heredes omnino ignotos transmissæ, requiritur possessio annorum triginta inter præsentes, quadraginta inter absentes, ex *§. 1. Instit. de Usucapione*, & ex *l. sicut in rem Cod. de præscrip. 30. vel 40. annorum*, & tradunt Doctores communiter. Quod si quis dicto tempore partim absens fuit, partim præsens, tempus absentiæ duplicari debet, ita ut supra decennium tot anni adjiciantur, quot annis ex decennio fuit absens *l. quod si quis Cod. eod. tit. de præscrip. longi temporis*; nam unus annus præsentiæ æquivalet duobus absentiæ, & vicissim duo anni absentiæ faciunt unum annum præsentiæ.

68. Res immobilis contra Ecclesiam Romanam præscribitur spatio centum annorum, cap. *ad audientiam*, & cap. *cum vobis de præscrip.* cap. *1. eod. tit. in 6.* cap. *nemo 16. qu. 3.* & Authent. *quas actiones C. de sacrosanctis Ecclesiis*. Contra alias Ecclesias Romana inferiores spatio triginta annorum inter præsentes, & 40 inter absentes, cap. *ad aures de præscript.* ubi etiam Ecclesiæ contra Ecclesiam exigitur quadragenaria præscriptio, cap. *2. eod. tit. in 6.* Ecclesiæ æquiparantur loca pia, legata, & donationes ad pias causas, Monasteria, & hospitalia: quamvis enim omnes Ecclesiæ, & pia instituta gauderent olim privilegio præscriptionis centenariæ, ut patet Auct. *ut inter C. de sacrosanctis Ecclesiis*, postea tamen hoc factum est proprium Romanæ Ecclesiæ ut diximus. Excipiuntur quædam Monasteria, & Ordines Religiosi specialiter privilegiati, ut majori, quam quadraginta annorum præscriptione gaudeant; nam bona immobilia Monasteriorum S. Benedicti, & consequenter eorum omnium, qui eorum privilegiis gaudent, præscribi non possunt minori spatio, quam sexaginta annorum, ut constat ex privilegio concesso ab Eugenio IV. & a Julio II. relato in eorum privilegiis, ut testantur Molina, Lessius, & Layman, quos affert, & sequitur Palaus *§. 12. num. 4.*

69. Contra Pupillum, quamdiu in illa ætate perdurat, nunquam currit præscriptio: contra Minorem non currit nisi triginta annorum: contra Principem in bonis spectantibus ad Coronam non currit præscriptio, nisi centenaria; bona vero, quæ pertinent ad jurisdictionem Principis in subditos, non præscribuntur a subditis, nisi præscriptione immemorabili, cujus scilicet initii memoria non extat: contra hominem liberum, ut servus tibi fiat, nullo tempore præscribere potes; servus autem contra dominum libertatem præscribit spatio 20. annorum, etiam sine titulo. In servitutibus aliis tam mixtis, quam mere realibus, sufficit tempus ordinarium.

70. Beneficium Ecclesiasticum cum titulo colorato præscribi potest contra alium, ad quem vere pertinebat, decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes; sine titulo non potest præscribi, quia sine titulo prætenso canonicæ institutionis non potest in Beneficii possessione præsumi bona fides. Qui Beneficium possidet per triennium absque simoniaco ingressu præscribit contra actionem cujuscumque impetitoris, immo, secundum probabilem opinionem, reddit possessorem bonæ fidei postea in conscientia securum, etiam quando constiterit, collationem non fuisse validam. Ita Navarr. *de præbendis consilio 30.* Sà *Verb. Beneficium n. 14.* Nicolaus Garzia *de Benef. p. 8. cap. 1. nu. 15.* Lessius *lib. 2. cap. 6. dub. 10. in fine*. Licet alii velint, triennalem possessionem reddere possessorem securum contra quemlibet competitorem, juxta *Regul. Cancell. de trienn. possess.* non tamen velint reddere securam in conscientia sine dispensatione Pontificis.

72. Quando constat, Ecclesiam fuisse aliquando liberam, nullo tempore præscribi potest illius juspatronatus a Laico contra Episcopum: at si dubium sit, an fuerit aliquando liberæ collationis, præscribi potest a Parochianis, vel a quocumque Laico contra Episcopum cum titulo spatio quadraginta annorum; sine titulo, tempore immemorabili, ut docet Facundez *lib. 2. cap. 15. n. 47.* In Ecclesia non libera, cujus scilicet juspatronatus spectat ad Laicum, illud præscribi potest ab alio contra priorem dominum tempore ordinario, scilicet decennio inter præsentes, & spatio viginti annorum inter absentes; sine titulo annorum triginta. Legata, & fideicommissa præscribuntur contra Legatarium, & Fideicommissarium spatio triginta annorum, ut docet Facundez *n. 56.* Ulterius prosequi limitationes specialibus legibus contra specialia bona factas magis pertinet ad Juristas, quam ad præsens institutum. Ex Theologia videri possunt Facundez, Molina, Lessius, & Palaus.

72. In omni præscriptione requiritur, quod possessio non sit interrupta, sed legitime continuata per tempus a lege definitum; si enim deficiat possessio, deficit etiam præscriptio, quæ sine possessione non currit, juxta *Regul. 3. Juris in 6.* & interrumpitur per adventum malæ fidei, aut si successu temporis constet, rem esse alienam, aut si super eam moveatur lis, nam tunc dicitur interrumpi civiliter; si tamen Actor litem deserat, aut in ea succumbat, non censetur interrupta usucapio, ut tenet Covarr. *ad reg. possessor. p. 2. §. 12. n. 7.* Aliquando non cessat præscriptio, sed suspenditur, & dormire dicitur, si superveniat impedimentum, bellum, pestis, si jus non dicatur, si Ecclesia careat Episcopo, vel Rectore, vel habeat quidem, sed inutilem ad agendum, vel si is, contra quem præscribitur, agere non possit, ut Filius bonorum adventitiorum, & Uxor comparatione bonorum dotalium; tunc enim, adveniente tempore habili, poterit præcedens possessio, & præscriptio incepta continuari, ut docent Lessius *lib. 2. c. 6. dub. 16.* Palaus *punct. 22. §. 16. per totum*, ubi explicat, quando præscriptio currat, dormiat; interrumpatur, vel continuetur.

73. Hic obiter adverte, ad præscriptionem non requiri, quod una, & eadem persona continuet possessionem, sed jure permissum est, continuari posse, quamvis res possessa ab uno in alium transferatur a donatore in donatarium; a testatore in heredem, vel legatarium; a venditore in emptorem, aut alio justo titulo successorem: quod quidem intelligitur non tantum de primo successore, sed etiam de remotioribus, ut etiam in tertio, quarto, & quinto possessio continuetur, dummodo apud nullum medium interrupta fuerit, *l. pen. § 1. ff. de divers. temp. præscript.* si autem tempore præscriptionis, dum scilicet præscriptio perficitur, mutatio contingat ex parte personæ, adversus quam præscribitur, vel quia abest a loco, vel quia transfert jus suum in Ecclesiam, duplicatur tempus absentiæ, & proportionaliter tempus necessarium ad præscribendum contra Ecclesiam. Palaus *supra n. 19.*

§. II.

De Bona fide Possidentis.

74. SEcunda conditio est bona Fides possidentis; nam possessor malæ Fidei nullo unquam tempore præscribit, juxta reg. *Possessor de Regul. Juris in 6.* & cap. ultim. *de præscript.* Est autem bona Fides existimatio mentis, seu credulitas, qua quis prudenter sibi persuadet, rem, quam possidet, esse suam: *Prudenter* inquam, quia si ex ignorantia crassa, vel affectata, seu ex inordinata cupiditate habendi persuasio illa procedat, non erit bona, sed mala fides insufficiens ad præscribendum: & quamvis de jure civili bona fides tantum ab initio requiratur, adeo ut mala fides superveniens non impediat præscriptionem, attamen Sacri Canones salutem animarum attendentes, & considerantes omne, quod non est ex fide, esse peccatum, remque alienam cum mala fide sine peccato detineri non posse, ac iniquum esse, ut quis ex suo delicto cum alterius jactura commodum, & lucrum reportet, prædicta Juria Civilis constitutioni derogarunt, ita ut nulla hodie præscriptio procedat cum mala fide, sive ab initio, sive ex post facto interveniente, cap. *Vigilanti 5.* cap. *si diligenti 17.* & cap. *fin. de præscript.* ubi definitum dicitur in Conc. Later. sub Innoc. III. tali modo. *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus,*

ut nulla valeat absque bona fide præscriptio: cum generaliter sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ. Ex quo patet, neminem præscribere posse rem alienam, quam cognoscit esse alienam, quia contra conscientiam retinet.

75. Quæres: *An dubitans, rem, quam possidet, esse suam, vel alienam, possit illam præscribere.* Resp. negative, si dubium præcessit ab initio, adeo ut cum dubio cœperit possidere, nam cum tali dubio non stat bona fides, quam jura requirunt, ad inchoandam possessionem, & præscriptionem; siquidem dubitans, an res sit sua, vel alterius, non potest eam sibi arrogare, cum non sit melior conditio sua, quam alterius, qui prius possidebat, sed e contra melior sit conditio prioris possessoris. Covarr. *in Reg. Possessor par. 2. §. 7. nu. 3.* Palaus *punct.* 22. §. 6. Lessius *de Just. cap. 6. num.* 10. dicens, esse communem.

76. Quod si dubium supervenisset ei, qui bona fide cœpit possidere, non tollit, nec impedit continuationem præscriptionis, nec interrumpit possessionem, dummodo interim moralem diligentiam adhibeat pro inquirenda rei veritate. Ratio est, quia tunc licet non habeat bonam fidem speculativam, habet tamen bonam fidem practicam, qua scilicet recte judicare potest, licitam sibi esse possessionem talis rei, eo quod in dubio melior est conditio possidentis, juxta *Regul. 65. Juris in* 6. Item, quia in dubio favendum est reo potius, quam actori: dum autem quis jam est in possessione, si debet spoliari, se habet ad modum rei; ideo nisi positive constet, rem esse alienam, recte judicare potest licitam continuationem possessionis: sed ante possessionem inceptam, si vult possidere, se habet ut actor, ideo nequit recte judicare, sibi licitam esse possessionem, nisi positive constet, rem non esse alienam, & per consequens ante inceptionem possessionis debet adhibere diligentiam, & certificari, quod res non sit aliena, & tempus, quo talem diligentiam adhibet, non computatur in præscribendo, sicut computatur tempus, quo diligentiam adhibet pro dubio superveniente in continuatione possessionis; cujus diligentiæ adhibendæ utique urget obligatio, alioquin evaderet possessor malæ fidei. Ex quo clare constat, cum dubio practico præscriptionem inchoari non posse, bene tamen continuari, quatenus dubium practicum possessioni superveniens potest deponi, & possessor pro sua possessione potest præsumere, eique insistere, nam in dubio præsumptio stat pro possessore, & melior est conditio possidentis. Abbas *cap. ult. nu. 39. de præscript.* Bartolus *l. Naturaliter §. Quæro, utrum supervenientes ff. Usucapion.* Palaus, Lessius, & alii communiter.

77. Dices; In cit. cap. ult. *de præscript. requiritur, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ; at qui dubitare incipit conscientiam habet rei alienæ; ergo cum tali dubio nec incipere, nec continuare potest possessionem, & præscriptionem.*

Sed contra dico, excludi dumtaxat positivam, & practicam dubitationem, non autem speculativam, cum qua, sicut stat certitudo practica, ita stat continuatio præscriptionis, nam post inchoatam bona fide possessionem quis recte potest dubium practicum deponere, & prudenter judicare, rem esse suam, quousque per diligentem inquisitionem non constet, esse alienam, juxta Regul. *in dubio melior est conditio possidentis*, unde Can. *Si Virgo* 34. *quæst.* 1. de talibus bona fide possessionem inchoantibus dicitur: *Tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu possidere se ignorat alienum.* Ita cum Gloss. *in cap. fin. de præscript.* Verb. *nulla temporis*, & Panorm. *ibid. num.* 39. tenet Layman *l. 3. tr. 1. cap. 8. n. 10.* & cum aliis Covarr. §. 7. *nu.* 3. Sanchez, Palaus, Lugus, quos sequitur Andreas a Matre Dei *cap. 2. n. 114.*

78. Quæres 2. *An salvetur bona fides ad præscribendum requisita cum ignorantia juris, vel facti.* Conveniunt Doctores, errorem, vel ignorantiam facti non excludere bonam fidem ad præscribendum requisitam, nam jura solum excludunt ignorantiam juris, non facti, ut clare constat ex *l. 4. ff. de juris, & facti ignorant.* ubi dicitur: *Juris ignorantia in usucapione negatur prodesse: facti vero ignorantiam prodesse constat:* Ignorantia juris esset, si quis emeret a fure, seu pupillo, cognoscens, esse furem, seu pupillum, sed ignorans, illos non posse vendere, & alienare; si enim non cognosceret, esse furem, seu pupillum, haberet ignorantiam facti. Similiter ignorantiam juris haberet, si contractum usurarium, vel alterum a jure prohibitum faceret, ignorans esse prohibitum; si a Religioso agrum emeret, non servatis sollemnitatibus, putans illas non esse necessarias. Ratio est, quia si ignorantia facti non prodesset, numquam dari posset præscriptio, cum in omni præscriptione semper inveniatur error, & ignorantia facti; siquidem præscribens, si cognoscit rem esse alienam, non habet bonam fidem necessariam, si cognoscit esse suam, non indiget præscriptione; quæ tunc solum currit, quando quis rem possidet alienam, quam bona fide credit esse suam, & sic ignorantia facti bonam fidem necessariam non excludit.

79. Idem valet de errore, seu ignorantia juris dubii, & inter Doctores controversi, quia dum jus est dubium, & secundum diversas probabiles Doctorum opiniones intelligibile, relinquit cuilibet libertatem amplectendi partem, quam voluerit, cum non sit major ratio de una, quam de alia, illamque sequendo prudenter agit, & bona fide procedit, maxime quia talis ignorantia proprie dici non potest ignorantia juris, cum de ratione juris, & legis sit esse manifestum. Can. *erit autem lex dist.* 4. Unde difficultas procedit de jure claro, & manifesto, an illius ignorantia inculpabilis tollat bonam fidem, ad præscribendum necessariam.

80. Prima Sententia docet ignorantiam juris clari, & indubitati, tollere bonam fidem, & impedire præscriptionem tam in foro externo, quam in foro conscientiæ, licet sit invincibilis, & prorsus inculpata. Ratio est, quia beneficium præscriptionis, per quam dominium rei ab uno in alium transfertur, habetur solummodo ex jure positivo humano, at in Jure expresse dicitur ignorantiam juris non prodesse ad usucapionem, ut constat ex *l. 4. ff. de Juris, & facti ignorantia*, ubi universaliter dicitur; *Juris ignorantia in Usucapione negatur prodesse: facti vero ignorantiam prodesse constat in l. Numquam de Usucapion.* ibi *Numquam in usucapionibus error juris possessoribus prodest:* & in *l. 2. §. si a pupillo ff. Pro Emptore* habetur: *Si a pupillo emeris, & scias, pupillum esse, putes tamen pupillo licere res suas sine tutoris auctoritate administrare, non capies usu, quia juris error nulli prodest*, quæ & similes Leges nullibi reperiuntur correctæ, & revocatæ per Sacros Canones; ac proinde dicendum est, illas esse observandas, non solum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ. Covarr. *ad Regul. possessor. p. 2. §. 7. n. 6.* Palaus *punct. 22. §. 8. n. 2.* Layman *lib. 3. sect. 5. tr. 1. cap. 8. n. 11.* Lessius *lib. 2. cap. 6. num.* 14.

81. Dices: *Jus Can. cap.* Vigilanti; *& cap.* fin. de præscrip. *solum excludit malam fidem theologicam, & peccaminosam; sed qui habet ignorantiam invincibilem juris, non habet malam fidem theologicam, & peccaminosam; ergo non debet excludi a præscriptione.*

Sed contra: licet ad præscribendum necessaria sit bona fides theologica, & moralis, excludens peccatum, non tamen sufficit illa sola, sed ulterius requiritur bona fides civilis, & juridica, quæ sit legibus conformis; at qui habet ignorantiam juris invincibilem, licet non habeat malam fidem theologicam, & peccaminosam, habet tamen malam fidem civilem a legibus reprobatam & præscriptioni repugnantem, juxta *l. quemadmodum C. de Agricol. & censit. lib. 11.* ibi: *Mala fides namque possessorem esse nullus ambigit qui aliquid contra legum interdictum mercatur:* Concordat Regul. 82. Juris in 6. *Qui contra jura mercatur, bonam fidem non præsumitur habere*; & sic non potest præscribere, qui habet ignorantiam Juris etiam inculpatam, & invincibilem.

82. Secunda sententia, quæ est satis probabilis, negat errorem, seu ignorantiam Juris clari obesse præscriptioni, seu impedire bonam fidem requisitam ad præscribendum pro foro conscientiæ. Ratio est, quia leges civiles ideo negant ignorantiam juris clari prodesse posse præscriptioni, quia cum tali ignorantia non præsumunt adesse bonam fidem; si ergo constet, in foro conscientiæ dari bonam fidem, cum illa stare poterit præscriptio, nam forum internum, si constat de veritate in oppositum, non tenetur sequi forum externum, quando nititur falsa præsumptione, nec tunc leges civiles obligant in conscientia. Conf. quia de facto in sententia opposita in minore, milite, rustico, muliere, & similibus, toleratur juris error absque præjudicio præscriptionis, si aliquam diligentiam pro invenienda veritate fecerint, quia in illis præsumi nequit mala fides, ut cum Baldo, Molina, & Lessio notat Palaus *num.* 4. ergo in aliis ideo non toleratur, quia præsumitur mala fides: si ergo non datur mala fides, poterit etiam in aliis admitti præscriptio cum tali errore. Medina *C. de restit. qu. 17. circ. fin.* Ant. a Spiritu S. *disp. 5. n.* 177. eamque probabilem dicunt Covar. *n.* 8. Palaus *num.* 7. Lugus *disp. 7. sect. 3. num.* 32.

83. Quæres 3. *An valeat præscriptio, quando quis incipit possidere partim cum bona, & partim cum mala fide.* Resp. valere secundum eam partem, secundum quam possessor est in bona fide. Ratio est, quia mala fides quoad unam partem, cum non impediat bonam fidem quoad alteram, nec etiam impedire debet præscriptionem. Sic qui habet malam fidem de proprietate fundi,

be-

bonam fidem de usufructu, præscribit usumfructum, quamvis non proprietatem: qui habet bonam fidem de una parte fundi, ipsam præscribit, quamvis non præscribat alteram, de qua habet malam fidem. Palaus *pun.* 22. §. 10. *n.* 2. Rosignol. *contr.* 1. *prænot.* 2. *n.* 18.

84. Quæres 4. *An mala fides auctoris noceat successori, quo minus rem alienam præscribere possit?*

Resp. malam fidem auctoris impedire præscriptionem respectu successoris universalis, qui succedit ut heres, non respectu successoris particularis, qui in possessione talis rei succedit, aut ratione legati, aut ratione contractus, aut ratione cujuscumque alterius causæ, quæ non sit hereditaria. Ratio est, quia successor universalis ita repræsentat personam defuncti, ut repræsentet etiam, & induat ipsius onera, & ideo induit onus restituendi rem mala fide possessam a defuncto; & sicut defunctus cum tali onere numquam potuisset præscribere, ita heres nullo umquam tempore præscribet, quia ut heres, semper repræsentat tale onus, ut expresse dicitur in *l. cum heres ff. de divers. & temporal. præscript.* ibi: *cum heres in jus omne defuncti succedit, ignoratione sua defuncti vitia non excludet.* Quæ ratio non militat de successore particulari, qui non induit vitia, & onera auctoris, ideo, si aliunde successor habeat bonam fidem, vitium malæ fidei in auctore ei non imputatur, nec nocet, *l. an vitium ff. de divers. & temp. præscrip.* ubi dicitur, *vitium auctoris non obesse emptori, vel legatario.* Palaus §. 9. Rosignol. *n.* 29.

85. Limitant nonnulli, ut heres universalis rem titulo hereditatis acceptam præscribere nequeat tempore ordinario, nimirum trium, vel quatuor annorum, si fuerit res mobilis; aut per decem, aut viginti, si fuerit immobilis: posse tamen præscribere tempore extraordinario, scilicet triginta, vel quadraginta annorum spatio, quia ad talem præscriptionem extraordinariam non requiritur titulus, sed sufficit bona fides, quæ datur in tali herede præscriptionem inchoante solo titulo hereditatis aditæ, ut cum Lessio, Vasquez, & Palao tenet Andreas a Matre Dei *cap.* 2. *de dominio n.* 120. addens, posse præscribere fructus rei possessæ tempore ordinario, ex *l. bona fides ff. de acquirendo rerum dominio,* ibi: *illi qui non possunt usucapere propter rei vitium, fructus suos faciunt.* Heres mediatus, id est heres hujus heredis poterit rem totam præscribere tempore ordinario, si prior heres bona fide possedit: unde mala fides defuncti, quamvis præjudicet heredi immediato, non tamen heredi mediato, nec illis, qui ab herede immediato titulo emptionis, vel simili acceperunt.

86. *An vero bona fides Prædecessoris prosit Successori ad præscribendum?*

Resp. prodesse posse, quia probabile est, eum qui succedit possessori bonæ fidei, quamvis dubitet, an res sit aliena, legitime continuare præscriptionem, eo quod dubium impediat præscriptionem in inceptione, non in continuatione possessionis. Unde si successor dubitet, an res relicta sit aliena, si facta diligentia, non constet, esse alienam, potest illam accipere, & deposito dubio, continuare possessionem sui prædecessoris; nam possessio secundum se incepit cum bona fide, quamvis possessor succedens inceperit cum dubio, ut cum aliis tenet Lugus *disp.* 7. *n.* 16.

§. III.

De Titulo ad præscriptionem requisito.

87. Tertia conditio ad præscribendum est justus Titulus, qui nihil aliud est, quam causa possidendi legibus approbata, qualis est titulus emptionis, donationis, permutationis, hereditatis, legati de jure civili: item titulus occupationis, accessionis, inventionis de jure gentium. Aliquis ex hisce justis titulis requiritur ad transferendum, & acquirendum dominium jure præscriptionis, eo quod sine justo titulo stare nequeat possessio bonæ fidei; neque enim recte, & bona fide quis credit, rem, quam possidet, esse suam, nisi hoc justo titulo sibi persuadeat. Verum quidem est, titulum debere esse præsumptum, non verum; nam verus titulus transfert dominium independenter a lapsu temporis, ex vi propria, non vi præscriptionis; si quis enim mihi donat rem vere propriam, quia talis donatio est verus titulus, statim transfert in me dominium talis rei; at si quis mihi donat rem alienam, quam putat propriam, quia non est verus titulus, non transfert statim dominium; quia tamen est titulus præsumptus, & existimatus verus, dat mihi jus præscribendi, & acquirendi dominium, post impletas conditiones ad præscriptionem requisitas, adeo ut non tenear amplius eam restituere vero domino, etiamsi postea error deprehendatur, ac manifestum fiat, rem illam a principio fuisse alterius, nec potuisse mihi ab eo, a quo accepi, tradi titulo donationis.

88. Circa hanc conditionem notandum est, titulum non requiri in omni præscriptione, sed dumtaxat in præscriptione ordinaria decem, aut viginti annorum, non vero in longiori præscriptione triginta, aut quadraginta, vel centum annorum; nam tunc sufficienter præsumitur titulus adesse, nam sæpe tituli obliviscimur, & inter res nostras plura habemus, quæ ignoramus, an emptione, donatione, vel hereditate possideamus: nisi Jus positivum resistat præscribenti, prohibendo talem possessionem, nam tunc requiritur possessio immemorabilis, quæ est instar tituli, immo quod non potest allegari melior titulus de toto Mundo, ut loquitur Fagnanus, cap. *cum Apostolica num.* 6. *de his, quæ fiunt a Prælatis* post Rotam *decis.* 642. *num.* 2. *par.* 4. *divers.* & *decis.* 150. *num.* 4. *part.* 5. *Recent.* dummodo adsit capacitas in possidente, ut limitat Fagnanus *loc. citat. numer.* 7. & *cap. cum contingat numer.* 8. *de foro Compet.*

§. IV.

Quæ possint præscribi, & a quibus?

89. Altera conditio est qualitas rei præscribendæ, ut scilicet nec vitiosa sit, nec alienari prohibita. Res vitiosa dicitur, quæ furto, aut vi possessa est: hujusmodi res, nisi redeat ad priorem dominum legitimum, sicque a vitio expurgetur, ad quemcumque transeat possessorem, quamvis bonæ fidei, præscribi non potest, eo quod vitium furti est vitium reale sequens rem quocumque eat. Item, quia si bona fides sufficeret ad præscribendas res furtivas, quia res, præsertim mobiles, facile transeunt ad possessorem bonæ fidei, facile omnes res furtivæ præscriberentur, & inde §. *furtivæ* Instit. *de Usucap.* absolute dicitur, quod *furtivæ res, & quæ vi possessæ sunt, non possunt usucapi.* Hoc tamen intelligitur de præscriptione ordinaria decem, aut viginti annorum, nam a tertio bonæ fidei possessore, puta qui res illas emit, bona fide præscribuntur annis triginta, vel quadraginta *l. sicut in rem Cod. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* & *l.* 1. §. *ad hæc Cod. de annal. except.* ac notat Gloss. *cit.* §. *furtivæ verb. prædicto longo tempore* Instit. *de Usucap.* & nos notavimus supra §. 1. *n.* 61.

90. Res alienari prohibitæ, quæ nullo modo, nulloque tempore præscribi possunt, sunt, homo liber, qui non potest fieri servus, res publicæ, scilicet ad commodum, & usum publicum deputatæ, ut via publica, platea, forum, pons, & alia hujusmodi. Res Sacræ, & Religiosæ, nec non jura spiritualia, ut Jus decimarum, jus conferendi Beneficia Ecclesiastica, & hujusmodi, nullo tempore a laicis præscribi possunt, cum talia possidere non possint cap. *cum caussam de præscrip.* estque communis Doctorum Sententia; secus est dicendum de Jurepatronatus, nam hujus Laici non sunt incapaces; alia plura, quæ præscribi non possunt, refert Palaus *pun.* 22. §. 15.

91. Requiritur etiam qualitas personæ præscribentis, ut scilicet capax sit acquirendi dominii; cum enim præscriptio sit modus, & species dominii acquirendi, non potest non esse incapax præscriptionis, qui est incapax dominii, sic nec servus, nec pupillus, nec furiosus potest legitime præscribere. Quia tamen furiosi, & pupilli, licet nequeant dominium se ipsis acquirere, retinent dominium eorum, quæ vel illi ante furorem, vel isti, mediante Tutore, acquisiere, fit, ut quamvis nec furiosus, nec pupillus valeant legitime incipere præscriptionem, possint tamen legitime continuare præscriptionem jam inceptam a furioso ante furorem, a Pupillo auctoritate Tutoris. Colligitur ex *l. sequitur §. pupillus,* & §. *furiosus ff. de usucapion.* sic Palaus §. 3. Similiter Religiosus præscribere non potest, quia nihil nomine suo, & ut suum potest possidere. Procurator, & Curator præscribere non possunt contra bona Minoris, & Pupilli, quia ea non possident nomine proprio; & universaliter præscribere non possunt, qui sunt incapaces dominii, vel qui rem aliquam non possident nomine proprio, ut notavimus supra §. 1. *n.* 64.

§. V.

Quibus concedatur Restitutio in integrum adversus præscriptionem peractam.

Restitutio in integrum est Juris remedium, quod, finita præscriptione, relinquitur priori domino, qui rem suam amisit, ut auctoritate Judicis possit restitui in dominium, & possessionem rei amissæ. Hoc beneficium restitutionis in integrum de Jure Civili conceditur minoribus 25. annis, & hoc non tantum dum in minori ætate sunt constituti, sed etiam durat per quadriennium, postquam majores esse cœperunt, ut possint tali

tempore reclamare contrà præscriptionem, durante minoritate peractam, ut colligitur ex *l. ult. Cod. de tempor. in integrum restit. l. unicu Cod. si adversus usucapionem*, & fuse tradit Covar. *p. 3. in c. Possessor §. 3. num.* 1. sequitur Layman *lib. 3. tr. 1. cap. 8. n.* 20.

93. Eodem beneficio gaudent Ecclesiæ, Hospitalia, & alia loca pia, quia sunt instar Minoris, & Pupilli, ut tradunt communiter Doctores in cap. 1. *&* 2. *de restit. in integr. lib.* 6. Covar. *n.* 4. Molina *disp.* 80. Lessius *l.* 2. *cap. 6. dub.* 18. Idque locum habet in Minore contra Minorem, & in Ecclesia contra aliam Ecclesiam, ut manifeste constat cap. *auditis* 3. *de in integrum restit.* & *l. verum* 11. *§. penult. ff. de Minoribus*, & notavit Laymano *loc. cit. circa finem*. Nec obstat, quod privilegiatus contra privilegiatum non utatur privilegio, sed Jure communi, quia id procedit, quando par est utriusque ratio, secus si alter certet de lucro captando, & alter de damno vitando, quia iste præferri debet, ut notat Panorm. *in d. cap. auditis n.* 8.

94. Hoc beneficium restitutionis in integrum conceditur etiam Majoribus adversus præscriptionem 10. vel 20. annorum, quando probant propter captivitatem, vel propter absentiam caussa Reipublicæ, vel alio legitimo impedimento non potuisse reclamare, & præscriptionem litis contestatione interrumpere. *An vero concedatur etiam contra præscriptionem longissimi temporis 30. vel 40. annorum*, affirmant Lugus *disp. 7. n.* 105. & Palaus §. 17. *nu.* 3. apud quos plura hujusmodi videri possunt, quæ magis ad Juristas, quam ad Theologos pertinent, & ideo a nobis omittuntur, sicut alia, quæ de præscriptione, & restitutione in integrum a Juristis pertractantur, quæ ad forum externum, non ad regulandas conscientias spectant.

CAPUT V.

De Justitia distributiva.

DUBIUM I.

Quid sit Justitia distributiva, & Acceptio personarum.

1. JUstitia distributiva est *Virtus ordinans bonum commune ad Cives, & dirigit totum ad partes, distribuendo, & dividendo officia, bona, & onera propria Communitatis inter Cives juxta merita, conditionem, & dignitatem personarum secundum proportionem geometricam.* In quo differt a legali, quæ ordinat partes ad totum, Cives ad bonum commune per observantiam legum, tam Divinarum quam humanarum, secundum quas ordinat omnium virtutum operationes ad bonum commune: & justitia commutativa ordinante partes inter se secundum proportionem arithmeticam dari, & accepei, & versatur circa commutationes, & contractus, ut diximus supra *cap. 1. dub.* 4.

2. Justitia hæc distributiva principaliter residet in Principe, Superiore, & Magistratibus, quibus competit distributio bonorum, officiorum, & munerum communium, vel etiam in eo, qui Superioris vices gerit in officio, & exercitio distributionis. Secundario residet in Civibus, quatenus eos disponit, ut justitiam distributivam ament, & approbent, ac sibi complaceant circa distributionem legitime factam. Possunt etiam indirecte obligari eadem virtute ad non procurandum, quod Superior leges debitæ distributionis non observet, ne participes fiant aliquo modo ejus culpæ, ea ratione, qua omnes aliæ virtutes indirecte obligant alios, ut non impedtant exercitium suorum actuum in iis, quos directe obligant, ut docet Lugus *disp. 34. sect. 1. n.* 2.

3. Acceptio personarum opposita justitiæ distributivæ, *est injustitia, qua in distributione eorum communium, quæ pro meritorum proportione debentur, debita proportio non servatur, & una persona alteri præfertur propter caussam indebitam, & conditionem incongruentem.* Colligitur ex D. Thoma 2. 2. *qu.* 63. *art.* 1. ex eo, quod æqualitas justitiæ distributivæ consistit in hoc, quod diversis personis diversa tribuuntur secundum proportionem ad dignitates personarum; si ergo non consideretur qualitas personarum conducens ad rectam distributionem, sed qualitas alia disparata, & incongrua, ob quam qui minus dignus est præfertur digniori, talis distributio erit vitiosa, & injusta, ut si Prælatus in distributione Beneficiorum, officiorum, vel sacrorum Ordinum, amicitiam respiciat, consanguinitatem, & divitias, non vero idoneitatem, scientiam scilicet, & bonitatem, & illa conferat indignis, vel minus dignis, quia amici, consanguinei, divites; si Judex sententiam ferat pro amico, non pro eo, qui jus habet.

4. Duo itaque requiruntur ad acceptionem personarum; primo, ut bona, quæ distribuuntur, sint aliquo modo communia, saltem destinatione ejus, qui illa distribuit, quo modo qui ludos instituit, propositis præmiis, facit ex propria destinatione talia præmia communia ludentibus; essetque personarum acceptor, si ea postea non distribueret victoribus, sed amicis suis. Quod si bona non sint communia, nec aliquo modo debita, distributor non erit personarum acceptor, si unum alteri præferat, ut si bona sua donet, vel relinquat consanguineo potius, quam alteri, & ille Paterfamilias in Evangelio absque ullo vitio dedit æqualem mercedem denarii diurni etiam iis, qui tarde venerant, & minus laboraverant, nec de tali liberalitate poterant juste conqueri primi laboratores. Secundo requiritur, ut in distributione spectetur aliqua conditio personæ nihil ad distributionem faciens, ob quam indignior præferatur digniori.

5. Hinc sequitur, in Deo non habere locum acceptionem personarum, cum sæpe dicatur in Scriptura; Deus personam non accipere, *Deuter.* 10. *Paralip.* 19. *Job.* 34. *Lucæ* 20. *Actor.* 10. *Roman.* 2. *Galat.* 2. *Ephes.* 6. *Coloss.* 3. & alibi sæpe. Ratio est, quia ex D. Thoma *ad* 3. Justitia distributiva locum habet in distributione bonorum communium, quæ non sunt propria distribuentis, sed aliquo modo debita iis, quibus distribuuntur; omnia autem bona sive naturalia, sive supernaturalia sunt propria ipsius Dei, non vero communia, nec debita, & sic in Deo non potest dari personarum acceptio, nec talis dicitur, si unum assumat, & alterum relinquat: nam, ut recte ostendit D. Aug. lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianor. cap. 7. *Non est acceptor personarum, qui uni donans, alterum non fraudat, &c.*

6. Acceptio personarum est de genere suo peccatum mortale, nisi excuset parvitas materiæ, aut imperfecta deliberatio, quia omne peccatum contra Justitiam ex genere suo est mortale, cum justitia ex genere suo graviter obliget, & magis quam aliæ virtutes; sed acceptio personarum est contra justitiam, fitque per illam dignis manifesta injuria, & injustitia, qui licet non habeant jus strictum & legale ad officia distribuenda, habent tamen jus, seu titulum late sumptum, cum sint membra Reipublicæ, quibus Superior ex justitia distributiva tenetur ea conferre; & sic est de genere suo peccatum mortale. Idque confirmari potest ex malis, & damnis, quæ secum trahit talis personarum acceptio, cujusmodi sunt contemptus virtutum, bonorum meritorum neglectus, Simoniæ, scandala, pessima regimina, & hujusmodi; constat etiam ex Scriptura, quæ non solet, nisi peccata lethalia prohibere, & tamen pluribus in locis acceptionem personarum prohibet, *Deuter.* 1. *&* 16. *Levit.* 19. *Proverb.* 18. 24. *&* 28. *Ecclesiast.* 42 *Jacob.* 2. & alibi sæpe.

7. Quæres: *in quanam rerum distributione locum habeat personarum acceptio.* Certum est, in distributione bonorum fortunæ, scilicet pecuniarum, & divitiarum, facile habere locum acceptionem personarum; cum enim hujusmodi res sint divisibiles inter partes Reipublicæ; facile potest servari in ipsarum divisione proportio geometrica, quo casu servaretur justitia distributiva. Potest etiam facile non servari talis proportio, & inde potest facile locum habere personarum acceptio. Difficultas est: *an talis acceptio locum habeat in distributione beneficiorum, & officiorum tum Ecclesiasticorum, tum Sæcularium, & præcipue: an tale vitium contingat, quoties Beneficium confertur digno, relicto digniori: an locum habeat in oneribus distribuendis, quæ justa proportione distribui debent, ne pauperes magis graventur, quam divites, & in judiciis ferendis.* Proinde sit

DUBIUM II.

An Beneficia Ecclesiastica conferri semper debeant Dignioribus.

8. QUamvis numquam licitum sit eligere Ministrum improbum, ineptum, & malum ad officia, & beneficia, sive Ecclesiastica, sive sæcularia propter innumera mala, quæ veniunt in Republica ex mala, & indigna electione Ministrorum; non est tamen illicitum eligere aliquem minus bonum in moribus, nam fieri potest, ut minus bonus in moribus sit magis idoneus, utilis, & aptior ad tale officium exercendum: in officiorum enim distributione attendi magis debet bonitas secundum quid, ad tale determinatum officium, quam bonitas simpliciter, quæ dici solet bonitas morum; loquimur autem de illo, qui in moribus minus bonus, minusque probus est, non de illo, qui simpliciter malus, & improbus est. In ordine ad Beneficia Ecclesiastica dubitari solet; *an in nullo umquam casu licitum sit illa conferre indigno, & an semper debeant conferri digniori, relicto digno.*

9. Resp. Numquam licitum esse conferre beneficia

Ec-

Ecclesiastica Indigno, quando Dignus haberi potest. Constat ex cap. *Grave nimis, de Præbendis* ubi Alexander III. in Conc. Lateranensi ait: *Grave nimis est, & absurdum, quod quidam Ecclesiarum Prælati, cum possint viros idoneos ad Ecclesiastica Beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non judicium rationis: unde quanta Ecclesiis damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat.* Consonat Conc. Trid. *sess. 7. cap. 3. de Reformat.* ubi etiam refert, & innovat antiquos Canones. Ratio est, quia Beneficium datur propter officium; ergo qui ineptus est ad officium præstandum, jure naturæ repelli debet a Beneficio: in quo conveniunt Doctores communiter, asserentes, peccare mortaliter qui scienter indignum eligunt, & in *cit. cap.* jubentur suspendi. Nec sufficit, quod Collator nesciat, illum, cui Beneficium confert, esse indignum, sed debet positive scire, esse dignum, ut ex Adriano notat Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 12. nu. 56.* quia ex officio tenetur, quantum in se est, curare, ut conferantur dignis, & sic debet positive, saltem probabiliter, judicare esse dignum. Quod idem dicendum asserit de Patronis, qui habent jus præsentandi; nam graviter peccant, cum aliquem præsentant, de cujus vita, moribus, & doctrina non sunt satis informati per Viros probos, & idoneos, ita ut merito possint confidere, esse idoneum, ut colligitur ex cit. cap. *Grave nimis de præbendis.*

10. Cum dignitas ad beneficia Ecclesiastica obtinenda consurgat ex tribus: ex scientia sufficienti ad tale munus obeundum; ex bonitate morum; & ex idoneitate, seu aptitudine ad suum officium exercendum, ille erit dignus, qui cum probitate morum, vitæque honestate necessaria in Dei ministro, habet scientiam, sufficientiam, & alias qualitates a Jure requisitas ad ejus ministerium rite obeundum: indignus est, cui deest aliqua ex qualitatibus ad ministerium beneficiale de jure requisitis. Dignior vero censetur qui comparatione aliorum majorem sufficientiam, idoneitatem, & aptitudinem ad ministerium habere dignoscitur, quæ quidem major idoneitas, & sufficientia non est pensanda ex una duntaxat qualitate, puta ex majori honestate, & probitate morum, aut ex majori doctrina, seu generis nobilitate, sed ex omnium consideratione, adeo ut, consideratis omnibus simul cum aliis animæ, & corporis dotibus, ipsaque aptitudine ad regendum, ille dicatur dignior, qui Ecclesiæ, cui præficitur, præ ceteris utilior fore credatur; fieri enim potest, ut magis doctus nesciat exercere suum munus, vel non possit pro aliis occupationibus, vel quia non est datus praxi, & exercitio exteriori, quo casu magis doctus non solum non erit dignior, sed nec erit dignus.

11. Resp. 2. Ad beneficia Ecclesiastica curam animarum annexam habentia semper dignior est eligendus, & peccat mortaliter, qui dignum eligit, relicto digniore. Ita expresse D. Thomas 2. 2. *qu. 63. art. 2. ad 3.* ubi ait; *ut electio non possit impugnari in foro judiciali sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calumniam: Sed ad conscientiam eligentis necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune.* Et ibid. ad 1. docet, *Prælatum posse eligere consanguineos suos, si æque digni sint, non autem si alii sint digniores.* Colligitur ex Scriptura, in qua omnes electiones semper sunt de digniore; sic *Levit. 8.* eligitur Aaron, quia ostenditur ceteris præstare, ex virga ipsius, quæ sola floruerat, simulque emiserat frondes, & fructus: 1. *Reg.* 9. eligitur Saul, de quo dicitur, quia non erat altus melior illo in Israel. *Joan.* 20. eligitur Petrus, qui interrogatus fuerat, diligeret ne plus ceteris? alia hujusmodi Scripturæ exempla, auctoritatibus SS. PP. roborata videri possunt apud Salonium *qu. 63. art. 2. contr. 3. concl. 1.*

12. Conf. ex cap. un. *ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*, ubi Innoc. III. quempiam reprehendit; *Quia non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Beneficium in personam magis idoneam dispensare.* Consonat Trid. *sess. 24. cap. 1. de reformat.* ubi dicitur; *Omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quomodocumque jus habent, alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.* Sed quia horum verborum sensum nonnulli Auctores sinistra interpretatione pervertere conabantur, illos exclusit Innoc. XI. damnando illam propositionem, quæ est in ordine 47. *Cum dixit Conc. Trident. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hoc Digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.* Cum enim Concil. Trid. adeo gravibus, & apertis verbis inculcet necessitatem promovendi digniores ad curam animarum, ac declaret, alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui digniores neglexerint, immerito, & contra mentem Concilii illud verbum *Digniores* ad alium sensum detorquent, aut limitant hoc præceptum ad casum Concursus.

13. Et licet *ibid.* Concilium solum expresse loquatur de promovendis ad Episcopatum, seu Cardinalatum, eadem tamen ratio valet etiam de aliis promovendis ad Ecclesias Parochiales, ad quas etiam digniores sunt promovendi, ut docet Conc. *sess. 24. cap. 18. de reformat.* ubi: *Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit*; & paullo post: *Patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus Episcopo præsentare teneatur.* Inde Joan. Cardenas in crisi theologica super propositionem 47 damnatam ab Innoc. XI. *cap. 4. n. 40.* docet, huic damnationi subjacere, si quis dixerit, quando Concilium decernit ad munus Parochiale esse assumendum digniorem, nomine *digniores* intelligi *dignum*, sumpto comparativo pro positivo, aut solum valere in concursu. Idem docet ex nostris Pater D. Joan. Maria Sbogar in Theologia Radicali *tr. 15. n. 10.* dicens, quod *si quis affirmaret, sufficere dignum, relicto digniore pro Parochia, incurreret damnationem propos. 47. ab Innoc. XI. proscriptæ.*

14. Ratio desumpta ex D. Thoma 2. 2. *qu. 63.* est, quia bona communia, & publica distribuenda sunt juxta merita personarum, servata proportione geometrica, quam respicit justitia distributiva; sed beneficia Ecclesiastica sunt bona communia Ecclesiæ, & præmia meritorum, quæ ex natura rei conferri debent secundum proportionem meritorum; ergo facit contra justitiam distributivam in re gravi, & peccat mortaliter qui, non servata tali proportione, beneficia confert digno, relicto digniore: præfert etiam unam personam alteri propter caussam indebitam, & incongruentem, nam caussa debita, & congrua major est in eo, qui est dignior, & sic peccat contra justitiam distributivam peccato acceptionis personarum; facit injuriam digniori, & violat jus, quod habet dignior, ut digno præferatur, & inde oriuntur scandala, frigescunt litterarum studia, & bonorum morum cura vilescit, si non pro meritis, sed alio titulo incongruenti Beneficia distribuantur, & conferantur.

15. Conf. quia electores, & qui jus habent conferendi beneficia Ecclesiastica, non sunt domini, sed dispensatores Mysteriorum Dei, seu Jurium spiritualium; dispensator autem debet esse fidelis, juxta Apost. 1. Corinth. 4. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*, & sic tenetur ex jure naturali, & ratione dispensatoris consulere bono communi, seu Ecclesiæ meliori modo, ac proinde Ministros digniores eligere; non enim fideliter se gerit, qui potens utiliores operarios conducere in vineam domini sui, conducit minus utiles; & inde qui beneficia confert digno, relicto digniore, peccat contra justitiam commutativam, & obligationem, quam habet procurandi utiliores Ministros Ecclesiæ, & peccat contra justitiam distributivam, cum beneficia Ecclesiastica non solum sint stipendia laborantium in vinea, sed etiam præmia meritorum, quæ secundum justitiam distributivam melioribus, & dignioribus sunt conferenda, prout docent Doctores communiter; quos affert, & sequitur Sanchez *in consil. l. 2. cap. 1. dub. 2. num. 15.*

16. Dices, cap. *cum nobis 29. de election.* & cap. *cum dilectus 32. eod. tit. approbatur, & confirmatur electio digni, etiam existentibus dignioribus; ergo non est semper necesse eligere digniorem, sed sufficit eligere dignum.* Et *ratio est, quia beneficia sunt in utilitatem Ecclesiæ, ut illis, velut stipendiis, provideantur in Ecclesia idonei Ministri, ad hoc autem sufficit, quod eligantur digni; maxime quia nimis esset grave, animi anxius, ac scrupulis plenum, eligere semper digniores, cum dignior conseri non debeat, qui est sanctior, doctior, nobilior, sed qui est Ecclesiæ magis utilis, quod non potest ita facile judicari.* Sed contra dico in cit. capitulis approbari electionem digni, tamquam validam, non tamquam licitam, nam electio digni est valida in utroque foro, tam interno scilicet, quam externo, nec rescindi potest, quia secus, ut ait D. Thom. *qu. 62. art 2. ad 3.* omnis electio posset habere calumniam, omnia verterentur in lites, unoquoque judicante se esse digniorem, contenderet probare invalidam electionem alterius. Nec obstat quod tunc eligens peccet, quia *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*, ut dicitur in cap. *Ad Apostolicam 16. de Regular.* nec reperitur, Ecclesiam irritare electionem digni, bene tamen indigni.

17. Ad rationem dico; Beneficia Ecclesiastica ita esse in utilitatem Ecclesiæ, ut etiam sint præmia me-

meritorum, ac proinde dignioribus, & utilioribus ministris conferri debent ex præcepto justitiæ distributivæ, ac titulo fidelitatis, quod quidem non metaphysice, sed humano modo præstari debet, ut scilicet illis conferantur, qui, deposita passione, & humano affectu, & attentis aliis circumstantiis, meliores, & utiliores Ecclesiæ judicantur.

18. Quod si nullus inveniatur dignus, vel inventus non admittatur, tunc Beneficium conferri poterit indigno, ad majora mala vitanda, ne scilicet deveniat ad hæreticos, vel ad magis indignos, ut tenet Lessius, *cap. 34. dub. 12. nu. 55.* nam indignus respectu magis indigni censetur absolute dignus; collato autem Beneficio alicui indigno, tenetur se dignum præstare, & satisfacere officio tum per se, tum per alium, quantum commode fieri potest, secus non potest facere fructus suos, sed illos tenebitur restituere; nam lege justitiæ tenetur præstare munus sui officii, & sic tenetur se reddere idoneum, quantum potest, ut habet *ibid.* Lessius.

19. Nonnulli assignantur casus, in quibus licitum est Beneficium conferre minus digno. Primo quando exiguus est excessus inter beneficia, quamvis sit notabilis excessus inter personas; vel quando est exiguus excessus inter personas, quamvis sit notabilis inter Beneficia, quia parvitas materiæ, seu parvus excessus excusat a lethali. 2. Quando beneficium est institutum cum conditione, ut conferatur semper alicui ex aliqua determinata Familia, seu Communitate, tunc satis est Electoribus conferre illud digniori ex tali Familia, seu Communitate; non tenentur, nec possunt eligere extraneum, quamvis digniorem. 3. Quando beneficium conferendum est Concurrentibus ad examen intra certum tempus; satis enim est Electoribus eligere digniorem ex iis, qui concurrerunt; non autem debet, immo nec potest eligi dignior, qui non concurrit. 4. Quando dignior cedit juri suo, vel Elector est valde certus de dignitate unius, est vero dubius de majori dignitate alterius, quamvis hic alter re vera sit dignior; in hoc enim casu major dignitas certa jure præferri potest majori dignitati dubiæ, 5. Eligi potest minus dignus, quando dignior ex industria ad aliud majus Beneficium brevi vacaturum reservatur. quia hoc magis conducit ad bonum commune, & utilitatem Ecclesiæ, cui dignior reservatur, ut cum Soto notat Sanchez *in consil. lib. 2. cap. 1. dub. 2. n. 23.*

20. *An verò valeat eadem ratio de beneficiis simplicibus non habentibus annexam Curam animarum, adeo ut peccet mortaliter, qui illa confert dignis, relictis dignioribus, ut diximus de beneficiis habentibus annexam curam animarum;* Affirmat Palaus *tom. 2. tr. 13. disp. 2. punct. 11. §. 2. n. 8.* esse conferenda Dignioribus, tum ex vi justitiæ distributivæ, cum & illa sint præmia meritorum, tum ob venerationem Ecclesiæ debitam, ut præstantiores ministri ei dignius famulentur, & contrarium usum vocat abusum. Sed alii probabilius negant, esse peccatum mortale eadem conferre dignis, omissis dignioribus; & ratio est, quia neque Conc. Trid. *sess. 24. cap. 1. & 18.* neque propositio damnata agit de beneficiis simplicibus, sed solum de Curatis; tum quia primario sunt instituta in utilitatem Ecclesiæ, quæ nullum, aut modicum patitur detrimentum, si ea conferantur dignis, omissis dignioribus, cum in aliis beneficiis omnes digni fere sint æque digni, cum æque possint officio divino satisfacere. Quod si aliquo speciali casu etiam in ordine ad alia beneficia dignitas unius valde excedat dignitatem alterius, erit etiam in ordine ad alia beneficia lethaliter peccaminosa electio digni, relicto digniore. Lugus *disp. 35. sect. 2. n. 20.* Lessius *cap. 34. dub. 14.* Garzias *part. 7. de benef. cap. 16. nu. 16* Sanchez *supra n. 10.* qui solum excipit Canonicatum in Ecclesia Cathedrali, cui est annexa præbenda Theologalis, aut Pœnitentiaria, quia requirit majorem sufficientiam in Ministro, quam Beneficia curata, Navar. *l. 2. de restit. c. 2. n. 172.* Diana *par. 2. tr. 1. miscel. resol. 38.* & probabile dicit Joan. Cardenas *supra propos. 47. Innoc. XI. cap. 1. n. 6.* & alii plures.

DUBIUM III.

Solvuntur aliquæ difficultates.

21. QUæres 1. *An patronus laicus teneatur in conscientia præsentare digniorem ad Beneficium.* Conveniunt fere omnes, patronum laicum, qui ex suis bonis Ecclesiam, seu beneficium fundavit, posse absque peccato eligere, seu præsentare dignum, omisso digniori, quia de propriis bonis conveniens est, ut possit sic disponere, & decisum habetur cap. *Monasterium 16. qu. 7.* ubi ex Synodo Romana dicitur; *eum, qui construxit Monasterium, vel Oratorium posse præsentare quem voluerit, modo is malus non sit,* & ibi gloss., & communiter scribentes; Cæsar Lambertin. *de jurepatron. lib. 2. 1. p. q. 10. art. 3. n. 17. & seqq.* Covar. *in reg. peccatum 2. par. §. 7. n. 9. vers. quarto,* Sotus *de just. lib. 3. qu. 6. art. 2. Concl. 14.* Vasquez *de benef. cap. 2. §. 3. dub. 4.*

22. Successores non posse præsentare dignum, sed teneri præsentare digniorem, docet communis Sententia. Ratio est, quia præsumendum est, fundantem voluisse, ut ejus successores servent modum præsentandi ab Ecclesia præscriptum; qui enim ex propriis bonis fundavit Ecclesiam, seu Beneficium, ea bona transtulit in jus, & potestatem Ecclesiæ, ut proinde dispensari debeant dignioribus, sicut alia Ecclesiæ bona. Nec obstat Caput *Monasterium 16. qu. 7.* quia ut bene observant Lambert. *supra,* & Rebellus *lib. 3. qu. 4.* Canon solum loquitur de primo fundatore, cui Ecclesia hoc indulget in vita sua, ut possit præsentare quemcumque dignum in Rectorem beneficii, quæ quidem indulgentia utilis est Ecclesiæ, ut tanto facilius alliciantur fideles ad Oratoria construenda, & Beneficia fundanda, quæ ratio non valet de aliis successoribus, qui proinde non possunt præsentare dignum, sed tenentur præsentare digniorem. Azor. *par. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 15. qu. 7. & cap. 22. qu. 5.* Gutier. *Canon. qu. lib. 2. cap. 11. num. 19. & 16.* Covarr. Molina, Spino, Mandosius, Aragon. Salon. & alii, quos sequitur Sanchez *cap. 1, dub. 5. n. 3.*

23. Hæc Sententia quamvis sit magis communis, tamen est probabilis etiam opposita, docens, sufficere patrono, si præsentet dignum, nec teneri præsentare digniorem. Favet caput *Monasterium 16. qu. 7.* & Trid. *sess. 24. cap. 18. de reform.* ubi præcipit patronis Ecclesiasticis, quod ex approbatis debeant eligere digniorem, si tamen beneficium sit juris patronatus laicorum, dicit, quod præsentatus examinetur a deputatis, & idoneus repertus admittatur, nec illis imponit onus præsentandi digniorem; Ratio est, quia patroni succedunt in jure præsentandi, quod fundator habebat; sed ille poterat eligere dignum, omisso digniore; ergo idem præstare possunt alii successores. Quod confirmari potest ex usu, & praxi, qua solent patroni laici præsentare dignum absque ulla inquisitione facta de digniore, de qua nec solet interrogare Superior qui approbat, & instituit præsentatum, si inveniat esse dignum, & consentire videtur Trident. dum non postulat concursum in patronatu Laicorum, sicut postulat in patronatu Ecclesiastico. Sic Lambert. *de jurepatron. p. 1. lib. 2. qu. 10. art. 3. n. 17.* Rica. *in decis. part. 3. decis. 306. n. 4.* Bellet. *in disquis. cleric. p. 2. §. 4. n. 30* Garzia *de benef. part. 7. cap. 16. n. 19.* Petrus Navarra *lib. 2. de restit. cap. 1. n. 150.* Castro Palao *de benef. tr. 13. disp. 2. pun. 11. §. 2. nu. 10.* & alios referens Diana *p. 2. tr. 1. miscell. resol. 37.*

24. Quæres 2. *An permutans, sive renuntians beneficium in favorem alterius teneatur eligere digniorem.* Affirmant nonnulli apud Dianam supra *resol. 41.* ubi inventes Vasquez satis rigorose locutum, sequitur P. Joan. Maria Sbogar *tract. 15.* ubi postquam dixit Patronum, sive Ecclesiasticum, sive Laicum non posse in foro conscientiæ eligere ad munus parochiale dignum, relicto digniore, hoc idem asserit *nu. 12.* de Parocho renuntiante Parochiam, seu aliud beneficium.

25. Resp. permutantem, seu renuntiantem beneficium in favorem alterius, non teneri eligere digniorem, sed sufficere si eligat dignum. Ratio est, quia permutans, seu renuntians non est distributor boni communis, quod digniori debeat conferri, cum beneficium sibi appropriatum non sit amplius bonum commune; sed jus, quod habet, in alterum transfert, unde non peccat contra justitiam distributivam, nec contra Ecclesiam, cui satis idoneum ministrum confert, & substituit; & sic ex nullo capite apparet obligatio quærendi digniorem. Quod confirmatur ex usu, & praxi, qua videmus beneficia permutari, seu renuntiari, nulla facta perquisitione de digniore. Ita Reginal. Lessius, Malderus, quos citat, & sequitur Diana *cit. resol. 41.* Sanchez *cap. 2. lib. 2. dub. 7.* Palaus *punct. 11. §. 2. n. 11.*

26. Dices ex Trid. *cit. sess. 24. cap. 1. de reformat. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi digniores, & Ecclesiæ magis utiles promoveant; quæ dispositio Trident. locum habet in omnibus, qui jus habent promovendi, sive sint Electores, sive Patroni, sive resignantes, & permutantes; ergo omnes isti tenentur eligere, & promovere digniorem, & peccant mortaliter si promoveant dignum, relicto digniore.*

Sed contra dico, dispositionem Tridentini intelligi de ordinariis Collatoribus, de quibus etiam alia jura loquuntur, non vero de patronis, qui ex privilegio ratione fundationis sibi concesso, jus habent præsentandi quemcumque dignum, nec de resignante, aut permutante, qui non distribuunt bona communia, sed bona quasi propria, & sibi concessa, qui proinde non peccant contra justitiam distributivam, si non promoveant digniorem, nec offendunt Ecclesiam, qui conferunt

Mi-

Ministrum idoneum, & sufficientem pro servitio talis Ecclesiæ. Nec peccat Episcopus conferens beneficium illi digno præsentato a patrono, seu in cujus favorem renunciatum est, quia sibi sufficit, quod præsentatio sit valida, qualis est in nostro casu, ut notat Sanchez *dub. 7.*

27. Quæres 3. *An etiam ad Prælaturas Regulares sub mortali sint eligendi digniores, & utiliores.* Negat Palaus *disp. 2. p. 11. §. 2. num. 24.* dicens, sufficere eligere dignum, seclusis specialibus Religionum Constitutionibus, quia non militat eadem ratio in Prælatura Religionis, quæ est in Episcopatu, & beneficio parochiali, eo quod illa non sit perpetua, sed temporaria, & facile possit occurri incommodis mutando Superiorem, quod fieri non potest in Prælatura Ecclesiæ perpetua, & difficulter amovibili. Sequitur Filliuc. *tom. 3. tr. 41. cap. 4. num. 187.*

28. Resp. etiam ad Prælaturas Regulares eligendos esse digniores, & utiliores sub mortali. Sic ex communi Sententia Lugus *disp. 35. n. 84.* & cum Suarez, Azorio, Sayro, & Bartholomæo a S. Fausto. P. Don Joan. Maria Sbogas *tr. 15. n. 8.* dicens, quod Regulares in suis Capitulis congregatis pro electione Superiorum tenentur semper eligere in Generalem, Abbatem, Provincialem, Præpositum, Guardianum, Virum omnibus præstantiorem, qui virtute, observantia, capacitate, cæteris paribus, super omnes eminent, & addit rationem, quia hi omnes habent jurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos. Ita etiam Diana *part. 2. tr. 15. & 1. miscell. resol. 61. & part. 5. tr. 14. resol. 88.* Ratio universalis est, quia Electores tenentur consulere bono communi, & quantum fieri potest damna communitatis impedire; sed si digniores non eligantur in electionibus Regularium, eadem damna oriri possunt, ac in aliis electionibus; quare, si in aliis electionibus Electores tenentur semper eligere digniores, hoc idem dicendum est de electionibus Regularium.

29. Nec obstat disparitas adducta a Palao, quia si Superior electus sit dignus, non potest intra tempus præfixum mutari, nec ita facile præcaveri mala, quæ a digniore fuissent impedita, & sic dignior, & utilior regiminis, & curæ animarum semper eligi debet, tam in Prælaturis Regularium, quam in beneficiis Ecclesiasticis; quod deinde Prælatura Regularis non sit perpetua non tollit inconvenientia; si enim primo triennio licitum est eligere dignum, omisso digniore, id etiam erit licitum in secundo triennio, & sic successive cum præjudicio boni communis. Adde, quod etiam inter Regulares ex justitia distributiva conferenda sunt officia, & dignitates secundum merita Religiosorum, quantum fieri potest, ne studium virtutis tepescat, & observantia relaxetur cum detrimento boni communis, & periculo scandalorum.

30. Quæres 4. *An in distributione beneficiorum Ecclesiasticorum curam animarum annexam habentium, cæteris paribus, dignor habendus sit, & præferendus Theologus, an Canonista; quamvis possit in hoc dubio videri Theologus Judex suspectus.* Resp. omnino præferendum esse Theologum. Ratio est, quia in ordine ad habendam curam animarum longe utilior est peritia Theologiæ, quam peritia Canonum; animarum quippe cura habetur per elucidationem Mysteriorum, per explicationem Scripturarum, per prædicationem Evangelii, per rectam administrationem Sacramentorum, quæ, & similia munera sunt Theologi, non Canonistæ. Plures hujus veritatis probationes videri possunt apud Salonium *quæst. 63. art. 2. contr. 2.* Aragonium *ead. quæst. 63. art. 2. §. de scientia competenti*; videri etiam potest Lugus *disp. 35. dub. 4.* ubi notat, Christum dedisse Pontificatum D. Petro, prævio duplici examine, altero circa sanctitatem: *Diligis me plus his?* & altero circa scientiam: *Vos autem quem me esse dicitis?* & respondit ex Theologia *Tu es Christus filius Dei vivi*, quo responso se probavit Theologum, & Pontificatum accepit.

DUBIUM IV.

An ad Officia sæcularia debeant eligi digniores.

31. PLures negant, adesse obligationem eligendi digniores ad Munera, & Officia sæcularia, dicentes, sufficere si eligantur digni, & idonei, quia non sunt multiplicandæ obligationes sine gravi fundamento, nullibi autem reperitur latum esse præceptum de tali electione dignioris. Adde, quod hujusmodi munera, & officia non sunt bona communia, quæ ex justitia distributiva conferri debeant dignioribus, sed bona Principis, cui competit gubernatio Reipublicæ, ut proinde possit illa munera, & officia distribuere prout voluerit, absque vitio acceptionis personarum. Ita Cajet. *in sum. verb. Electio col. 4.* Vasquez *de benef. cap. 2. §. 3. dub. 23. a n. 96.* Molfes. *in sum. tom. 1. tr. 6. cap. 6. nu. 83.* Homobon. *de exam. par. 2. tr. 9. cap. 4. qu. 7.* quos refert Diana *par. 2. tr. 1. miscell. resol. 67.* eamque probabilem dicit *par. 3. tract. 4. miscell. resol. 172.*

32. Communis, & vera Sententia docet, non esse licitum, officia sæcularia conferre dignis, dignioribus omissis, sed esse peccatum de genere suo mortale acceptionis personarum, quando hujusmodi munera, & officia sunt magni momenti; quod quidem intelligendum est non solum de iis, ad quos pertinet officiorum sæcularium distributio auctoritate dependenti, & delegata, quales sunt Proreges, Præsides Consiliorum, & similes; verum etiam de iis ad quos pertinet talium officiorum distributio auctoritate independenti, propria, & absoluta, ut sunt Reges & omnes Principes non agnoscentes Superiorem. Ita tenet Salonius, Aragonius, Perez, & Molina, quos affert Sanchez *in cons. l. 2. c. 1. dub. 36. n. 9.* ita etiam tenent Palaus *disp. 2. p. 11. §. 2. n. 15.* Malderus *tr. 9. c. 1. dub. 5.* Lessius *c. 32. dub. 3. n. 17.* Reginaldus, Valentia, Rebellus, & alii, quos affert, & sequitur Diana *cit. resol. 67.*

33. Ratio est, quia eamdem fere habent proportionem officia sæcularia cum Republica sæculari, quam officia Ecclesiastica cum Republica Ecclesiastica, eodemque modo contingere potest acceptio personarum in illis, quo in istis; nam officia Ecclesiastica sicut non dantur præcise ut stipendia ratione laboris, quem debet impendere minister in ipsis exercendis, sed etiam ut præmia, & bona aliquo modo communia, ratione honoris, quem secum afferunt, ita pariter officia sæcularia, cum & ipsa non solum laborem involvant, sed etiam honorem conferant, & præcellentiam existimationis. Conf. eadem inconvenientia sequuntur in Republica Sæculari, si eligantur minus digni ad officia sæcularia, quæ in Republica Ecclesiastica, dum eliguntur minus digni ad officia Ecclesiastica; utrobique enim sequitur, proportione servata, quod disciplinarum, & bonorum morum cura vilescat, justitiæ splendor obtenebretur, boni communis amor frigescat, subditorum ad Superiorem amor minuatur, Civium inter se concordia collabatur, &c. Conf. insuper; hi, ad quos spectat sæcularia officia conferre, quamvis sint Reges, & Principes habentes absolutam jurisdictionem, & independentem potestatem, nequeunt talia officia conferre, ex propriæ voluntatis arbitrio præcise, secus possent ad libitum quodcumque detrimentum afferre subditis, sed tenentur ea conferre cum aliquo ordine, quo nullus alius convenientior est eo, quem præscribit justitia distributiva, & sic tenentur talem ordinem sequi, & peccant contra justitiam distributivam peccato acceptionis personarum ex genere suo lethali, si a tali ordine deficiant: ex quo infert Lessius *lib. 2. cap. 32. dub. 3. n. 15.* graviter peccare Senatores, si promoveant eos tantum, qui sanguine, vel amicitia ipsis juncti sunt, vel munera obtulerunt, vel privatis ipsorum intentionibus melius serviant, præteritis aliis longe aptioribus.

34. Nec dicas; *Reges, & Principes habere absolutum dominium omnium officiorum, & sic posse illa distribuere pro libito quibus magis libuerit.* Contra enim facile negatur, Principes habere dominium absolutum officiorum, eorumque præsertim, in quibus administratur justitia: sed Respublica eis commisit dispensationem, & illorum distributionem, intendens idoneos habere Officiarios, & spe promotionis ad virtutem Cives excitari. Unde sequitur, conferentes officia minus digno, relicto digniori, peccare, tum contra justitiam distributivam propter injuriam, quam faciunt digniori, tum contra commutativam propter injuriam, quam faciunt Reipublicæ, cui tacite se obligarunt ad procurandum majus ipsius Reipublicæ bonum, quod resultat ex meliori Ministrorum electione.

35. Quæres; *utrum officia sæcularia licite vendi possint.* Resp. licite vendi posse, nonnullis servatis conditionibus. Ratio est, quia talia officia ex natura sua sunt vendibilia, siquidem ex duplici capite aliquid non est vendibile, vel quia caret pretio, ex quo capite non sunt vendibiles res spirituales; vel quia sit jam debitum ex justitia, ex quo capite non potest a Judice vendi Sententia justa, cum ratione officii teneatur ex justitia justam Sententiam proferre; sed officia sæcularia non carent pretio, immo ratione dignitatis, & eminentiæ, quam conferunt, ratione juris ad exigenda stipendia, & ratione occasionum lucrandi, quas secum trahunt, sunt valde pretio æstimabilia; nec sunt debita ex justitia, quia licet digniores Reipublicæ jus aliquod videantur habere ad ista officia, illud tamen cessat, quando aliter exigit majus Reipublicæ bonum, quod est una ex conditionibus assignandis pro licita venditione talium officiorum.

36. Conditiones necessarias pro licita venditione talium Officiorum enumerat D. Thom. *opusc. 21.* ad Ducissam Brabantiæ, dicens, non expedire Regibus, & Princi-

pibus talia officia vendere, licere tamen, nonnullis servatis conditionibus: prima est, ut venditio fiat ob necessitatem, & maximam utilitatem Reipublicæ; cum enim Princeps non sit dominus absolutus talium officiorum, non potest ea vendere pro libitu, sed solum ex gravissima, justaque caussa. Secunda est, ut venditio fiat, quantum fieri potest, digniori, ne grave damnum Reipublicæ sequatur; unde venditio facta simpliciter, & omnino indigno, est illicita, & invalida, & tenetur qui vendidit contractum rescindere, & damna Reipublicæ caussata resarcire. Tertia est, ut venditio fiat moderato pretio, quod scilicet facile possit ex stipendiis pro tali officio statutis recuperari, ne detur occasio emptori, ut, ad servandum se indemnem, multa inique extorqueat. Quarta est, ut venditio fiat ab habente auctoritatem, quæ, regulariter loquendo, reperitur solum in habentibus plenam, & supremam potestatem: ceteri, qui potestatem habent dependentem, nisi ipsius consuetudo immemorabilis jus tribuerit, possunt solum talia officia vendere, facultate accepta a Principe Superiore.

37. Hæc officiorum venditio, quamvis, convenientibus assignatis conditionibus, sit licita, regulariter tamen est mala, & damnanda propter damna, & inconvenientia, quæ inde sequi solent, & vocatur a Doctoribus caussa omnium malorum, & pestis Reipublicæ. Inconvenientia nonnulla enumerat Lessius *cap. 32. dub. 3.* Ab aliis dicitur hæc venditio speculative licita, id est de se non mala, sed practice iniqua, & damnanda, ut videri potest apud Sanchez *in consil. lib. 2. cap. 1. dub. 37.*

DUBIUM V.

De Tributis, & Gabellis, in quibus locum habet Acceptio personarum.

38. QUoniam justitia distributiva non solum respicit officiorum, & beneficiorum distributionem, sed etiam onerum, & tributorum impositionem, quæ fieri debet proportione servata ad caussam, pro qua Tributa imponuntur, & ad facultates, & possibilitatem eorum, quibus imponuntur; ideo nonnulla de illis in præsenti dicemus.

§. I.

Requisita ad justam impositionem Tributorum, & Gabellarum.

39. TRibuti nomen generaliter sumitur pro omni pensione, quæ subditis solvenda imponitur ad onera Reipublicæ, & Principis dignitatem sustinendam, & in eadem generalitate sumitur etiam nomen *Vectigal*. Stricte tamen nomen *Tributi* sumitur pro eo, quod solvitur ratione prædiorum, & bonorum stabilium, seu pro pecunia prædiali, & nomen *Vectigalis* sumitur pro eo, quod solvitur ratione mercium in Civitatem aliquam, seu Provinciam importandarum, aut ex eadem exportandarum, & communi nomine vocantur *Gabella*. Ultra hæc duo potissima onerum genera dantur alia quædam, quæ a Juristis vocantur *Munera*, & hæc triplicia sunt, realia, personalia, & mixta; realia sunt obsequia, quæ subditi rebus suis, puta jumentis, plaustris, &c. Principi præstant: personalia sunt obsequia, quæ subditi præstant Principi propriismet personis, ut certis temporibus Principi personaliter inservire, ipsumve in bello comitari: mixta sunt obsequia, quæ subditi tum propriis personis, tum propriis rebus Principi præstant, ut cum quis tenetur non solum propria persona, sed etiam propriis rebus, propriisque sumptibus in bello adesse Principi.

40. Alia onerum genera, quæ possunt assignari, sunt, *angaria, parangaria, portorium, pedagium, guidagium, tallia, collecta, præstantia*, quæ quomodo distinguantur a Tributo videri potest apud Sylvestrum verbo *Gabella* 2. & Molinam *disp. 661.* *Angaria, & Parangaria* videntur fuisse munera personalia aliquid vehendi, præsertim in transitu Exercitus: hac ratione milites Simonem angariaverunt. *Angaria* vero dicitur quando propriis sumptibus obsequia illa sunt præstanda, *Parangaria*, quando alienis; vel e contra, ut habet Molina. *Portorium, aut Pedagium* est, quod solvitur pro transvectione mercium per flumina, & pontes: *Guidagium*, quod pro ducatu, aut protectione in transitu exercitus, seu pro custodia viarum: *Tallia, Collecta, Præstantia*, aut *Impositio*, pro eodem sumuntur, & significant, quod Princeps exigit pro rata substantiæ cujusque, & imponi solent ad tempus ob aliquam publicam necessitatem, licet aliquando omnia supradicta nomina confundantur, & unum pro alio accipiatur, ut notat Lessius *lib. 2. cap. 33. in principio.*

41. Resp. tres potissimum conditiones requiri ad onera publica, Tributa, Vectigalia, seu Gabellas juste imponendas. Prima est auctoritas, & potestas, quæ reperitur in illis omnibus, & solis Principibus, & Rebuspublicis, quæ liberam, & absolutam suorum subditorum administrationem habent; hujusmodi sunt Summus Pontifex in terris sibi temporaliter subjectis, Imperator in suo territorio, Reges in suis Regnis, Duces, ac Principes absoluti in suis Provinciis, & Respublicæ in suis ditionibus. Ratio est, quia soli Principes absoluti, independentes, & nullum agnoscentes Superiorem, ipso jure naturæ debent a propriis subditis sustentari, cum aliunde non habeant e quo sustententur, & a quo accipiant necessaria subsidia pro gubernatione, & defensione Principatus, ad quam etiam sustentationem, & subventionem populi, & subditi se tacite obligarunt, dum jura imperii, & gubernandi, ac regendi potestatem in hujusmodi Principes transtulerunt. At vero qui a Superiore dependet, & ipsius nomine subditorum administrationem habet, ab eo, a quo dependet, & a quo regendi, & gubernandi potestatem habet, sustentari debet, & necessaria subsidia recipere, ideo nequit propria auctoritate talia subsidia exigere a subditis per novas impositiones; nisi forte subditi ipsi libere, & liberaliter consentiant, quo modo Civitates etiam subditæ ex libero Civium consensu, ut plurimum per suffragia expresso in Comitiis, ad quæ vel omnes Cives, vel a Civibus specialiter deputati conveniunt, imponunt nonnulla onera, quæ Collectæ dici solent, ad reparationem moenium, pontium, viarum, & similium. Ita Lessius, Salonius, Molina, Toletus, Salas, Navarrus, quos affert, & sequitur Bonacina *disp. 2. quæst. 9. punct. 1.* ubi etiam cum iisdem Auctoribus dicit, imponentes nova Tributa, vel jam imposita augentes sine legitima facultate incurrere excommunicationem latam in Bulla Cœnæ.

42. Secunda conditio est legitima, & justa caussa, ob quam tributa imponuntur, quæ adeo necessaria est, ut, ea deficiente, Tributum evadat injustum, & iniqua potius rapina, quam Tributum dici debeat. Duplex autem assignatur hujusmodi caussa; prima, & principalis est bonum publicum, utilitas nimirum, & necessitas publica, cui aliter commode nequeat occurri, & cui non sufficiat, quod alias in eum finem Principi deputatum est; cum enim bonum publicum præponderet privato, nil mirum, si urgente bono publico, gravari possint populi in solvendis tributis. Hæc publica necessitas complectitur sustentationem Principis in proprio statu, & dignitate, stipendia militaria pro exercitu necessario ad arcendos hostes, reparationes Urbium, vindicationem maris a piratis, viarum a latronibus, & hujusmodi; cum enim ad Principem spectet populum regere, jus dicere, pacem, & tranquillitatem Reipublicæ totis viribus procurare; ita potest compellere subditos ad præstandos necessarios sumptus, ad pacem, & tranquillitatem conservandam requisitos, eosque præstare populi tenentur. Lessius *dub. 6. n. 41.* Lugus *disp. 36. sect. 2. n. 18.* & alii Doctores communiter.

43. Altera est justa vindicta, & compensatio damnorum injuste illatorum: hoc titulo possunt imponi nova tributa, & onera tam subditis, qui a suo Principe rebellando fuerunt ei multorum sumptuum, & damnorum occasio, tum hostibus devictis, & debellatis, qui vel damnum intulerunt, vel iniquum bellum moverunt. Possunt autem utrisque nova onera imponi, non solum jure resarciendorum damnorum, sed etiam jure vindictæ ob irrogatam injuriam, ut cum Victoria *relect. 4. de jure belli n. 37.* tenet Lessius *dub. 6. num. 49.* sequitur Lugus *num. 22.*

44. Tertia conditio est conveniens forma impositionis, ut scilicet Tributum imponatur, servata debita proportione; nam proportio est veluti forma tributorum: debet autem hujusmodi proportio servari, tum facta comparatione tributi ad personas, quibus imponitur; tum ad necessitatem, ob quam imponitur; tum ad materiam, supra quam imponitur. Ex primo capite injusta est impositio, quando vel non fit pro ratione contractuum, & facultatum cujusque, puta, attentis facultatibus, & rationibus contractuum, pauperes magis gravantur, quam divites; mercatores magis, quam non mercatores, aut e contra; vel fit personis exemptis, puta quando Princeps temporalis imponit tributum personis Ecclesiasticis, de quibus infra §. 3.

45. Ex secundo capite injusta est impositio, si gravamen immodicum sit, & majus, quam necessitas exigat; tunc enim gravamen qua parte excedit, est iniquum. Immodicum censetur tributum, quando majus est malum, cui populus exponitur, & quod patitur ex solutione talis tributi, quam illud, quod timere posset, si ad eam necessitatem ita non contribueret: quod potissime considerandum videtur, inquit Lugus *disp. 36. sect. 2. n. 21.* quando tota caussa tributorum gravissimorum est sustinere bella, quæ geruntur inter duos Principes, qui

de

de jure legitimæ successionis in eo Regno contendunt, & ille, qui possidet, extrahit substantiam, & sanguinem a subditis, ut se in eo Regno conservet. Et quidem, si ille, qui ingressu prohibetur, infidelis, vel hæreticus esset, vel talis, sub cujus regimine gravissima mala subditi timere possent, non est dubium, quod subditi debeant se bonis spoliare, ut eum totis viribus prohibeant. Aliquando tamen nullum malum aliud bono publico timetur ex alterius adventu, nisi variatio Principis, & fortasse ille alius melior erit ad publicum bonum. Quare non est certum, quod subditi cum tanto dispendio suorum bonorum debeant Principem priorem adjuvare; non enim est regnum propter Regem, sed Rex propter Regnum. Ita Lugus *loc. cit.*

46. Ex tertio capite injusta videtur impositio, quando imponitur gravamen rebus omnino ad victum necessariis: Pani, Vino, Oleo, Carnibus, & aliis esculentis, & poculentis, quia in his plus gravantur pauperes, quam divites, & magis pauperiores, qui plures habent filios, ad quos alendos plura emere coguntur, cum divites, & nobiles plura ex his habeant ex suis possessionibus, absque eo quod emere cogantur, atque ideo nihil solvunt. Ita Hostiensis, Cajetanus, Angelus, Tabiena, Ledesma, & alii, quos afferunt Sanchez *dub.* 44. *cap.* 4. *in consil.* & Diana *part.* 2. *tr.* 3. *Miscell. resol.* 28.

47. Alii tamen probabiliter asserunt, onus, & gravamen imponi posse in rebus etiam ad vitam necessariis, & ratio est, quia, urgente gravi necessitate, debent subditi exponere vitam pro bono publico; ergo etiam possunt privari in necessariis ad vitam pro bono publico, & Reipublicæ necessitate, nec proinde magis gravantur pauperes, quam divites; nam licet illi cogantur emere, plura tamen emunt divites, & nobiles una die, quam pauperes emant uno mense propter majorem familiam, quam habent, & propter lautiorem victum, quo utuntur, cum pauperes parcius vivant, & paucioribus sint contenti, ut ponderat Lugus *n.* 25. Dato tamen, quod pauperes in his æque, aut etiam plus gravarentur, quam divites, facile tamen a divitibus compensantur; nam quo cariora sunt, quæ ad communem victum pertinent propter tributa, eo solent artifices, operarii, & alii divitibus locare suas operas, ut lucrum, & victum solitum sibi comparent. Ita tenent Doctores magis communiter, Sylvester, Angelus, Navarrus, & alii, quos affert, & sequitur Sanchez *cit. dub.* 44. & 45. Lessius *c.* 33. *dub* 7. Malderus *tr.* 5. *cap.* 6. *dub.* 5. Azor. Turrianus, Reginaldus, quos sequitur Diana *cit. resol.* 28.

48. Iste modus imponendi tributa in rebus, etiam ad victum necessariis, videtur suavior, minusque difficilis, & minora secum affert incommoda, quam si tributum esset imponendum super capita, vel taxando cujusque vires, & facultates, ut a singulis exigatur, quod solvere possunt; constat etiam experientia, populum minus turbari, & libentius ferre tributa hoc modo imposita minutatim solvenda, quam si a singulis pro mensura, & ratione propriæ facultatis exigerentur. Conandum tamen est, quantum fieri potest, ne tributa in rebus ad vitam necessariis imponantur, & æquiora esse monet Lessius *n.* 58. quando in rebus non necessariis, sed ad delicias, elegantiam, & luxum spectantibus, ut in pannis pretiosis, sericis, vasis argenteis, vinis, & edulis pretiosis, & similibus, quæ communia non sunt pauperibus, nec ad victum humanum necessaria.

49. Deficiente aliqua ex prædictis conditionibus allatis, impositio tributi evadit injusta, & qui talia tributa extorquent, tenentur ad restitutionem; primo quidem Princeps ipse, qui est caussa principalis impositionis, & exactionis. Principe deinde non restituente, tenetur exactor tamquam caussa executiva, & instrumentalis damnificationis injustæ subditis illatæ. Peccat autem Princeps cum obligatione restituendi, tum quando sine justa, publica, & necessaria caussa novas exactiones, & gabellas imponit, seu jam impositas auget; quocumque nomine, seu colorato prætextu imponat, nam caussa debet vere, & non ficte subsistere: tum quando plus exigit, quam necessitas ipsa postulat, vel si, cessante caussa, adhuc duret in exactione tributi, quod cessare debet, cessante caussa, ob quam fuit impositum, nisi forsan alia consimilis caussa loco prioris subintret. Peccat insuper Princeps contra justitiam cum obligatione restituendi, si ob nimium luxum, pompam excessivam, ædificia superflua, immoditas donationes, recreationes, & hujusmodi ærarium totum exhauriat, vel etiam debitis Cameram gravet, adeo ut, adveniente necessitate, cogatur nova imponere tributa, & gabellas, cum alias satis fuissent jam imposita, & multo magis, si ob immodicas donationes, & luxum, absque alia necessitate hujusmodi tributa imponat. Quod maxime advertere debent Consiliarii, & Confessarii Principum, ne alias, vel canes muti, vel adulantes politici, vel displicere timentes, & se, & Principem in æternum perdant, ut cum Molina *disp.* 667. notat Lugus *disp.* 36. *n.* 19. Sanchez *cap.* 4. *dub.* 2. *n.* 8. Lessius *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 1. Navarrus *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 255. & alii satis communiter.

§. II.

An defraudantes Gabellas peccent, & teneantur ad restitutionem.

50. QUando certo constat, impositionem, & exactionem Gabellarum, & Tributorum esse illicitam, & injustam ex parte Principis, quia vel deest caussa, & justa necessitas, vel in majori quantitate exiguntur, quam postulet justa necessitas, vel imponuntur sub prætextu justæ caussæ, & interim ad usus non necessarios, aut privatos applicantur, juxta superius dicta, tunc non obligant in conscientia, sed quisque licite potest vel ex toto, vel ex parte defraudare; &, si in foro externo solvere cogatur, uti poterit occulta compensatione, quia nemo tenetur dare id, quod ab eo injuste petitur, &, si ad dandum quovis modo cogatur, potest occulta compensatione se servare, & facere indemnem, ut docent Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 5. Sylvester *verb. Gabella* 3. *qu.* 3. & 24. Molina *disp.* 674. Lugus *disp.* 36. *n.* 39. aliique communiter, Malderus *tr.* 5. *cap.* 6. *dub.* 4.

51. Si dubium sit *an Tributum, seu Gabella sit juste imposita*: secundum communem sententiam non obligat in conscientia, sive dubium sit negativum, sive positivum, & opinativum, quia nimirum dantur pro utraque parte rationes probabiles. Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis *ex Regul.* 65. *Juris in* 6. & inde, si dubium sit, an gabella, seu tributum juste petatur, & exigatur, melior est conditio subditi res suas bona fide possidentis, arg. cap. *Pervenit, de censib.* & cap. *Quamquam, eod. tit. in* 6. *Nec dicas; quando dubitatur de justitia legis, seu præcepti, præsumptio stat pro Superiore, cui parendum est*: Contra enim est, quia hoc non verificatur, quando agitur de proprio interesse Principis, & gravi præjudicio subditi: nam licet Princeps sit in possessione præcipiendi respectu subditorum, non est tamen dominus absolutus rerum subditorum, sed solum illis uti potest, concurrentibus legitimis utendi caussis; ipse vero subditus est dominus, & est in possessione illarum, seu illas tuendi, & conservandi. Lessius *lib.* 2. *cap.* 33. *p.* 67. Bossius *var. moral. par.* 1. *tit.* 1. §. 24. *n.* 381. Lugus *disp.* 36. *sect.* 6. Sanchez *lib.* 2. *consil. cap.* 4. *dub.* 6. Molina *disp.* 674. *n.* 6. & 9.

52. Inde, si dubium sit positivum, & opinativum, quia pro utraque parte militant rationes probabiles, caussam Tributi esse justam, & non esse justam, tunc Princeps juste exigit Tributum, & populus juste negat, quia utraque pars utitur jure suo, sequendo rationes probabiles, quomodo sæpe contingit Bellum esse utrinque justum ex ignorantia. Confessarius tamen ante factum suadebit solvere, ne populus se exponat periculo injustitiæ erga Principem, sicut alias in dubio ad obedientiam, & reverentiam Principi præstandam populus inducendus est: post factum non coget solvere, seu restituere, quia in dubio melior esse potest conditio possidentis, ut monent Sylvester *verb. Gabella* 3. *n.* 29. Molina *disp.* 674. *n.* 7. & 9. Malderus *tract.* 5. *cap.* 6. *dub.* 4. quod quidem intelligi maxime debet de Tributis, & Gabellis noviter impositis, nam si dubitatur de antiquis, de quorum initio non extat memoria, præsumendum est, ex justa caussa esse imposita, & consequenter obligare in conscientia, ut cit. Doctores, & alii fere communiter affirmant.

53. Si certo constat, aut probabiliter judicatur, talem impositionem, & exactionem Tributorum esse justam, servatis debitis circumstantiis, tunc dubium est; *an licita sit illorum defraudatio, vel quisque teneatur in conscientia solvere, & restituere, si forte fraudatum aliquid sit*. Affirmant nonnulli, licitam esse, & fraudantes tutos esse in conscientia, solumque in foro exteriori, si deprehendantur, pœna commissi, vel confiscationis mulctari posse. Ratio est, quia leges humanæ habentes pœnam adnexam non obligant in conscientia, cum Legislator annectens pœnam videatur illa esse contentus, absque aliqua obligatione conscientiæ. Ita Angelus *verb. Pedagium n.* 6. Navarrus *in Man. cap.* 17. *n.* 200. & *cap.* 23. *num.* 54. Beja *in respon. p.* 1. *casu* 13. Duardus *in comment. Bullæ cœnæ lib.* 2. *comm.* 5 *qu.* 12. *n.* 9. ubi solvit argumenta contraria, sequitur Diana *par.* 1. *tr. de Legib. resol.* 19.

54. Communis, & vera sententia docet, Tributa, & Gabellas etiam novas juste impositas, idest servatis debitis circumstantiis, obligare in conscientia, adeo ut eas defraudantes mortaliter peccent pro gravitate materiæ, & teneantur ad restitutionem. Ratio est, quia obligatio solvendi Gabellas juste impositas est de jure divi-

divino, ut colligitur ex illo Romanor. 13. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Et hoc utique ex obligatione conscientiæ, nam ante præmisit; *Necessitate subditi estote, etiam propter conscientiam: Deo enim* (nota obligationem conscientiæ,) *& tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes:* & postea infert; *Reddite ergo omnibus debita* &c. & *Matth.* 22. Christus Dominus, ostenso sibi numismate, quod per capita singulorum exigebatur, ait; *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo;* idque non tantum verbo, sed exemplo suo ostendit, dum tributum jussit solvi pro se, & Petro, quamvis ad id non teneretur. Est etiam de jure naturali, quia tributa, vel exiguntur, & solvuntur tamquam merces Principi debita, pro ejusdem sustentatione, & tunc debentur ex justitia commutativa, quia dignus est operarius mercede sua; sicut enim Princeps debet Reipublicæ curam, & vigilantiam pro illa conservanda, & gubernanda, ita Respublica debet Principi subsidium congruum suæ dignitati, & mercedem pro laboribus. Vel solvuntur pro communi utilitate Reipublicæ, & tunc jure naturali membra communitatis contribuere tenentur, quæ necessaria sunt pro bono communi conservando, & malo vitando: & inde Jure divino, & naturali tributa sunt debita Principi, nec defraudari possunt sine peccato, & obligatione restituendi. Hanc Sententiam tenent communiter Doctores, Lugus *disp.* 36. *sect.* 4. Homobon. *de exam. part.* 1. *tr.* 7. *cap.* 29. *qu.* 120. Malderus *tr.* 5. *cap.* 6. *dub.* 13. Lessius *cap.* 33. *dub.* 8. Molina *disp.* 674. Vega, Rodriquez, Graffius, Suarez, Sanchez, Navarra, & alii, quos affert, & sequitur Diana *part.* 1. *tr. de legib. resol.* 19.

55. Nec obstat ratio in contrarium adducta, quia Tributa non solvuntur tamquam pœnæ, & mulctæ, quæ non debentur ante Judicis Sententiam, sed ex contractu oneroso, quo Princeps Reipublicæ debet curam, & vigilantiam, & Respublica debet Principi congruum dignitati subsidium, quam obligationem non tollit pœna transgressoribus imposita, quin potius declarat, mentem legislatoris fuisse sub gravi culpa obligare. Defraudantes Gabellas non tenentur ante condemnationem solvere pœnam transgressoribus impositam, nec bona sua proprio motu in commissum dare, tenentur tamen in conscientia tributum solvere ex Jure naturali, & divino, ut supra dictum est. Quod Leges humanæ habentes annexam aliquam pœnam possint obligare in conscientia constat ex dictis in *tr. de Legibus cap.* 2. *dub.* 4.

56. Dices: *quod licet jure naturali Gabellæ, seu tributa debeantur Principibus, adhuc tamen licitum esse illas defraudare absque peccato, & hoc ex tacita illorum conventione, seu permissione, qui, addendo pœnam transgressoribus, videntur illis contenti absque alia obligatione conscientiæ; seu videntur subditorum voluntati permittere, an velint Tributa solvere, aut pœnam, si forte defraudasse reperiantur, quod satis probabiliter colligitur ex eo, quod omnes leges Gabellas imponentes latæ sint sub forma legis puræ pœnalis, taxant pecuniam solvendam,* v. g. pro introductione, vel extractione mercium, secus talem pœnam incurrant; quo loquendi modo non videtur lex aliud intendere, nisi pœnam in casu non solutionis; & de facto defraudantes Gabellas solum coguntur solvere pœnam, non vero restituere fraudatum, quod tamen esset necessarium, si ad id tenerentur in conscientia; ea ratione, qua fur non solum tenetur, & cogitur solvere pœnam a Judice, seu per legem impositam, sed etiam domino restituere furto sublata.

57. Nec obstat damnum, & præjudicium, quod ex tali defraudatione Gabellarum resultat illas ementibus; nam sibi imputare debent, si non invigilant, quia sub tali conditione illas emerunt; immo etiam cum scientia, quod sæpe fraudentur, & sic minori pretio conducunt, quam valeant, parati subire aliquas fraudes, quamvis non sit recedendum a Sententia communi, & probabiliori docente, Gabellas justas esse solvendas. Hæc tamen sic explicata non caret probabilitate, tum propter rationem, tum propter auctoritatem, eamque sequuntur Angelus, Navarrus, Beja, & Duardus supra, ubi latissime contraria solvit; & inde Emmanuel Sa verb. *Gabella n.* 6. asserit, defraudantes vectigalia non esse a Confessariis urgendos ad restitutionem. Idem asserit Malderus *dub.* 15. casu quo pœnitentes nollent restituere; nam, sequendo hanc opinionem probabilem, licite possunt a Confessariis absolvi; ut cum illis notat Diana *part.* 3. *tr. de Legib. resol.* 19.

58. Certe hoc tempore cum, experientia teste, nonnumquam Gabellæ imponantur injuriæ, aut excessivæ ad pompam, luxum, aut aliam caussam incongruentem, non videtur illicitum subditis illas defraudare, vel ex toto, vel ex parte, prout ex toto vel ex parte injustæ communiter existimantur.

59. Quæres 1. *an Gabellæ sint solvendæ antequam exigantur:* Resp. Gabellas justas esse sponte solvendas antequam exigantur, nisi obstet consuetudo in contrarium. Ratio est, quia Gabellæ non ideo debentur, quia a Gabellariis exiguntur, sed exiguntur, quia debentur, quando jam sunt impositæ, ut notat Malderus *dub.* 14. Alii tamen asserunt, neminem obligari ad Gabellæ solutionem, nisi ab exactoribus exigatur, & petatur, dummodo qui merces advehit non occultet eas, nec fraude utatur, ne exactores in cognitionem earum deveniant, sed esse imputandum ipsis Gabellarum conductoribus, qui debitam diligentiam non adhibuerant, ut eas a publice transeuntibus peterent, ut cum Soto, Azorio, Caspensi, Tabiena, Henriquez, Sanchez, & aliis tenet Mastrius *disp.* 6. *de obligat. Justitiæ qu.* 1. *art.* 2. *n.* 20. quorum aliqui addunt, etiam illos, qui consulto occultant merces, ne ab exactoribus tributum exigatur, non peccare, nec teneri illud solvere donec petatur. Probabilius tamen est, observandam esse consuetudinem, quæ est optima legum, & voluntatis Principis interpres: sicut enim onus Gabellæ potuit juste imponi, ita potuit juste imponi onus aperiendi, & manifestandi ea, quæ advehuntur, ut asserit Lessius *dub.* 8. *nu.* 61. & sequitur Bonacina *disp.* 2. *qu.* 9. *p.* 1. *n.* 6.

60. Quæres 2. *An Creditor Principis possit sibi compensare creditum, fraudando Gabellas.* Resp. id esse licitum, servatis legibus compensationis, si Gabellæ non sunt venditæ, vel locatæ; secus si sint venditæ, vel locatæ, quia tunc infertur damnum alteri, scilicet emptori, qui nullum contraxit debitum cum creditore, nisi forte creditum antecedat venditionem, nam tunc creditor habet sibi hypothecata omnia bona Principis, quæ cum onere transeunt ad ultimum possessorem. Malderus *dub.* 16. & cum aliis Sbogar *tr.* 85. *n.* 19.

§. III.

An, & quo Jure Ecclesiastici sint immunes a Tributis, & Gabellis.

61. CONstans est omnium Theologorum, Canonistarum, & Juris consultorum Sententia, quam nullus Catholicus impugnare audet, ut asserit Barbosa *de Jure Ecclesiast. univers. lib.* 1. *cap.* 30. §. 5. *n.* 1. Ecclesias, Ecclesiasticas personas, & illorum bona esse libera, & immunia a quibuscumque Tributis, & Gabellis per Communitates, & Principes sæculares impositis; idque definitum est in Concil. Lateran. sub Alexandro III. *p.* 1. *cap.* 29. sub Innoc. III. *cap.* 46. & habetur cap. *Non minus* 4. cap. *Adversus* 7. *de immunit. Eccles.* cap. 1. *&* 3. *eod. tit. in* 6. cap. *Quamquam de censib. in* 6. Clement. unica *de immunit. Eccles.* Can. *Tributum* §. *quamvis* Can. *Sancimus*. Can. *Convenior* 23. *qu.* 8. quas sanctiones innovavit Concil. Trid. *sess.* 25. *de refor. cap.* 20. & Romani Pontifices quotannis in Bulla Cœnæ §. 18. excommunicant imponentes, & exigentes hujusmodi tributa. Accedit Jus Civile Authen. *Item nulla* C. de Episcopis, & Cleric. ibi: *Item nulla communitas, vel persona publica, vel privata collectas, vel exactiones, angarias, vel parangarias Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis imponere, aut invadere bona Ecclesiastica præsumat &c.* & *l. Sancimus* 2. *C. de Sacrosanctis Ecclesiis* omnibus piis locis immunitas ista conceditur.

62. Sunt autem Clerici immunes, & exempti a Gabellis, & omnibus tributis per communitates, & Principes sæculares impositis, non solum pro bonis Ecclesiasticis, quæ tamquam Clerici, & Beneficiati possident, sed etiam pro bonis patrimonialibus, quia bona Clericorum potiuntur eodem privilegio, prout bona Ecclesiastica, ut probatur Juribus supra citatis, & maxime cap. *Quamquam de censibus in* 6. ubi Bonifacius VIII. universaliter, & absque ulla distinctione de omnibus rebus, & bonis ad Ecclesias, & Ecclesiasticas personas pertinentibus ait; *Cum igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsorum non solum jure humano, quin & divino a sæcularium personarum exactionibus sint immunes*, ubi Pontifex distinguit bona Clericorum a bonis Ecclesiarum, & vult, omnia esse libera a vectigalibus, ibi; *pro rebus suis propriis*: & infra excommunicat personas privatas ipso facto, quæ Talias ab Ecclesiasticis exigunt, & Communitates subdit Interdicto, a quibus pœnis non possint absolvi, nisi facta restitutione; & contrariam consuetudinem dicit esse corruptelam. Idem habetur ex Bulla Cœnæ Domini, ubi excommunicantur omnes, qui absque speciali, & expressa Summi Pontificis licentia imponunt *Collectas, Decimas, Talias, Præstantias, aut alia onera personis Ecclesiasticis, aut eorum bonis, sive Ecclesiarum, aut Monasteriorum ipsorum*, ubi pariter distinguit Pontifex bona Clericorum a bonis Ecclesiarum, ac proinde loquitur non tantum de bonis Ecclesiasticis, quæ dicuntur bona Ecclesiarum, sed de quibusvis bonis Ecclesiasticorum. Accedit declaratio S. Congre-

gregat. apud Pignatellum *tom. 2. consult. 54. nu. 99.* illis verbis, *Patrimonium Clerici est exemptum instar bonorum Ecclesiasticorum*. S. Congreg. in Tricaricen. 14. Novembris 1663. & ita tenent Doctores communiter, quorum longum catalogum dabit Michael du Cortiada *tom. 3. decis. 201.*

63. Ratio esse potest, quia *accessorium naturam sequi congruit principalis* juxta Regul. 42. Juris in 6. & *magis dignum trahit ad se minus dignum*, arg. cap. *Quod in dubiis de consecrat. Eccles.* sed Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ personæ sunt principale, & magis dignum respectu suorum bonorum; si ergo illæ gaudent immunitate, nec gravari possunt Gabellis, & Tributis; eadem immunitate gaudebunt illorum bona, quæ proinde non possunt gravari Tributis, & Gabellis; tum quia Domini sæculares, onerando, & gravando bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, necessario gravant personas, illis præcipiendo, & trahendo ad suum tribunal, in eosque jurisdictionem exercendo; sed Domini sæculares nullam prorsus habent jurisdictionem in personas Ecclesiasticas, quæ sunt immunes ab illorum jurisdictione; ergo pariter illorum bona debent esse libera, & immunia ab illorum Gabellis, & Tributis.

64. Quæ hucusque dicta sunt de exemptione, & immunitate Clericorum, & bonorum omnium patrimonialium a Gabellis, & oneribus per communitates, & Principes laicos impositis, valent a fortiori pro bonis illis, ad quorum titulum sunt ordinati, quia in locum beneficii succedunt. Glos. in cap. *Episcopus 4. verb. subsidium de prabend.* & exprese Concil. Trid. *sess. 21. c. 2. de refor.* & ideo bona Ecclesiastica debent censeri juxta regul. *quod subrogatum, &c.* & sæpe definitum fuit a Sacr. Congreg. apud Pignatellum *tom. 2. consul. 54.* ubi *n. 97.* habet, *Bona, ad quorum titulum ordinatus est Clericus, gaudent privilegio bonorum Ecclesiasticorum, & ideo sunt exempta ab omnibus Collectis, Gabellis, & oneribus laicorum*. S. Congr. Episcop. in Cathacen. 3. Augusti 1591. *&c.* & sub *n. 95.* habet, *Bona acquisita a Clericis, & a quibusvis personis Ecclesiasticis, sunt immunia ab oneribus laicis; S. Congr. Immunitatis sæpe.*

65. Gaudent hujusmodi privilegio immunitatis omnes Clerici, etiam in Minoribus constituti, vel sola prima Tonsura initiati, nec non etiam Regulares utriusque sexus cujuscumque Religionis approbatæ, tam professi, quam Novitii, vel Novitiæ, ut cum aliis tenet Barbosa de Jure universali Eccles. *lib. 1. cap. 39. § 5. n. 15. & 23.* quia præfata Jura universaliter, & indistincte omnibus Ecclesiasticis personis, eorumque bonis immunitatem competere asserunt; Minoritæ autem, sicut omnes Religiosi, sunt Clerici, seu personæ Ecclesiasticæ; unde debent gaudere tali privilegio, maxime quia favores sunt ampliandi, cap. *odia, de Regul Juris in 6.* & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

66. Excluduntur ab hac immunitate Clerici conjugati cum unica, & virgine, etiamsi tonsuram, & vestes deferant Clericales, licet gaudeant privilegio Canonis, & Fori, ut patet ex cap. *unico de Clericis conjugatis in 6.* Immo Trid. addit, quod nec privilegio Fori gaudeant nisi fuerint ab Episcopo deputati Ministerio alicujus Ecclesiæ. Excluduntur etiam Clerici negotiatores pro rebus, quas deferunt, aut deferri faciunt, causa negotiationis, ut constat ex cap. *Quamquam de censib. in 6.* ubi exprese statuitur, *Ecclesias, & Ecclesiasticas personas ad Pedagia, & Guidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum, vel solvendum Talias pro rebus suis propriis, quas non causa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, aut transmittunt*; ergo a contrario sensu, si negotiationis causa faciunt, immunes non sunt, ut cum aliis notat Barbosa in dict. cap. *Quamquam*, & supra *num. 63.* cum aliis a se citatis.

67. Negotiari dicitur ille, qui aliquid emit, vel contractu oneroso acquirit, ut iterum vendat, & ex venditione lucrum faciat, & inde non dicitur negotiari, nec tenetur solvere Gabellas Clericus quando emit aliquid ad sui ipsius, suorum, & suæ familiæ sustentationem, licet postea, animo mutato, cum lucro vendat; cum enim non emerit animo vendendi, & lucrandi, non dicitur negotiari, si postea ex accidenti, animo mutato, vendat, ut observat Sylvest. *V. Excommunicatio 9. n. 46. fin*, Navar. *in man. cap. 27. num. 128.* & alios referens Barbosa *de Jure univ. Eccl. cap. 39. §. 5. n. 64.* Nec qui reditus, & fructus sui beneficii Frumentum, Vinum, Oleum, Lanam, animalia vendit: alia, quæ spectant ad Clericorum negotiatorem, & quæ negotiatio sit illis licita, aut illicita, videri possunt apud Barbosam *lib. 1. Jur. un. Eccl. cap. 40. a n. 114.*

68. *An vero bona habentia annexam obligationem Gabellæ, si postea transeant ad Ecclesias, vel Ecclesiasticos, gaudere debeant immunitate*, Resp. bona, quæ antequam pervenirent ad Ecclesiam habebant annexa certa quædam, & determinata onera, ut solvendi censum Principi, vel reparandi vias publicas vicinas, &c. cum illis ad Ecclesiasticos transire, ut cum communi tenet Bonacina *disp. 2. qu. 9. p. 2. n. 2.* quia res transit cum suo onere; sed non posse amplius gravari, citra læsionem immunitatis, novis, & extraordinariis impositionibus, ut contributionibus, quidquid in contrarium practicetur, quam praxim reprobant Sacri Canones, & Pontifices quotannis sub anathemate damnant, ut docet Barbosa *Juris Eccl. uni. lib. 1. cap. 39. §. 5.* & in collect. ad caput *Non minus de immunit.* & cum aliis tenet Bonacina *loc. cit.* & quidem Clericos non teneri ad onera nisi ea sint certa, realia, & invariabilia copulative, sæpe definivit Sacra Congr. Immunit. in una *Camerinen. 17. Januarii 1626. Asculana 10. Sept. 1629.* Bona Ecclesiarum, piorum locorum, & Ecclesiasticorum, quæ eis devenerunt titulo hereditatis, donationis, emptionis, & similium non sunt subjecta, nisi oneribus certis, realibus, & invariabilibus, non obstante quacumque inhibitione, in *Mutinen. 21. Nov. 1635.* in una *Montis Regalis 12. Augusti 1638.* & in una *Casalen. 23. Augusti 1623.* dictum fuit, *onera ordinaria, & extraordinaria a laicis imposita non possunt exigi ab Ecclesiasticis*, quod alibi sæpe definitum est, & ita tradunt Fagnanus in cap. *non minus 4. de immunit.* & Pignatell. *tom. 3. consult. 15. per totam*, ubi contraria solvit.

69. Urgente gravi, & publica necessitate, seu utilitate, quæ æqualiter statum laicorum, & Clericorum concernat, concurrere tenentur etiam Ecclesiastici, juxta caput *Non minus 4.* & caput *Adversus 1. de Immunit.* juxta naturale illud principium, *qui sentit commodum, sentiat & onus*. Ad hoc tamen concurrere debent quatuor conditiones. 1. Ut necessitas, vel utilitas sit publica, quæ æque principaliter, ac directe statum Ecclesiasticum, ac sæcularem concernat. 2. Ut Laicorum facultates non sufficiant. 3. Ut onera non imponantur, nec exigantur auctoritate laicali, sed Ecclesiastica, cum consensu Cleri. 4. Ut, nisi periculum fuerit in mora desuper Summus Pontifex consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere. Fagnanus in cit. cap. *Non minus*; Barbosa *in collect. & Jure Eccl. Univer. lib. 1. c. 29. §. 5.* Pignatell. *tom. 3. consult. 15. a n. 33. & seqq.*

70. Quæres: *Quo Jure Ecclesia, & Ecclesiasticæ personæ, & illorum bona gaudeant immunitate reali, & personali?* Quamvis nonnulli apud Lessium *lib. 2. c. 33. dub. 4.* docuerint, talem immunitatem esse dumtaxat Juris humani, & descendere ab Imperatoribus, & Principibus Christianis, quia neque ex sacris litteris, neque ex traditione, neque ex naturali ratione, neque Patrum testimonio talis exemptio probari potest. Probabilior tamen, & communior sententia est, illam esse de Jure divino, ut expresse habetur in cap. *Quamquam de censib. in 6.* ibi: *Cum igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solum Jure humano, quin & divino a sæcularium personarum exactionibus sint immunes*; & Concil. Trid. *sess. 25. cap. 20. de reform.* ubi expresse dicitur *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam esse*. Concordat cap. *Nimis 30. de Jurejurand.* Deinde Prælati, & Episcopi per Spiritum Sanctum *Act. 20.* constituuntur Rectores Ecclesiarum, & consequenter legitimi superiores, & Judices personarum, & bonorum ad eas pertinentium, ut perpetuus Ecclesiæ Catholicæ usus demonstrat, ac proinde laicali potestati, quæ est diversi ordinis, subesse non potest.

71. Nec obstat, antiquitus Clericos aliquando solvisse tributa Principibus laicis, & hanc exactionem iisdem Principibus indulgentibus; nam id fuit factum, & practicatum per viam facti, & non Juris, quando Imperatores nondum erant Catholici, & Ecclesiastica potestas propter ingentes persecutiones emergere non poterat. Hanc sententiam tenent glos. in can. *si Imperator dist. 96. V. & discuti*. Barbosa *lib. 1. de Jur. Eccles. univ. cap. 39. §. 5. n. 3.* citans plures alios, Fagnanus in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ nu. 10. & seqq. de constit.* dicens, quod crebrior gravissimorum interpretum sententia est, eam exemptionem esse de Jure divino. Spereilus *decis. 37. fori Eccles. n. 1.* allegans plures alios, tum Theologos tum Canonistas. Bonacina *qu. 9. p. 2. n. 8.*

72. Hinc bene infertur, contra hanc immunitatem nullam consuetudinem, aut præscriptionem etiam immemorabilem valere, quia contra Jus divinum nulla valet consuetudo; &, quamvis esset de Jure humano, adhuc tamen nec licita, nec valida esset consuetudo contraria, quæ expresse vocatur *corruptela* cit. cap. *Quamquam de censib. in 6.* ibi: *contraria consuetudo quæcumque, quæ verius dicenda est corruptela non obstat*, & singulis annis revocatur in Bulla Cœnæ Domini, ut cum Lessio, Sanchez, & aliis notat Bonacina *n. 8.*

CA-

CAPUT VI.

De Judiciis.

DUBIUM I.

De Judice.

1. HOc nomen *Judicium*, quamvis multipliciter sumi possit, ut constat ex gloss. cap. *in Judiciis, de Regul. Jur. in 6.* præcipue tamen duobus modis sumi solet: Primo pro sententia animi vera, vel falsa de quacumque re illa sit, seu accipitur pro secunda operatione intellectus, contradistincta a simplici apprehensione, & discursu, & talis operatio, & sententia specialiter appellatur *Judicium*, si de aliena probitate, aut pravitate sit, de quo plura diximus in octavo præcepto Decalogi, *Cap. 2. dub.* 3. Magis proprie sumitur in præsenti pro sententia a Judice prolata, adeo ut Judicium sit nomen a Judice derivatum, & idem fere sonet, ac *Jus dictum*. Extenditur etiam ad significandum totam actionem judicialem, & caussæ discussionem, quæ in tribunalibus fieri solet, per quam Judex disponitur, ut justam sententiam ferre possit, ut notat Lessius *cap. 29. dub. 1.*

2. Tres personæ specialiter concurrunt ad constituendum judicium, Actor, Reus, & Judex. Actor dicitur ille, qui actionem intentat contra alium, & aliquid ab eo petens in judicio agit, & si agit contra alium criminaliter ad publicam vindictam pro crimine infligendam, speciali nomine dicitur Accusator. Reus dicitur ille, contra quem in judicio agitur: Judex autem sic dicitur, quasi jus dicens populo. Aliæ personæ, quæ ad judicium minus principaliter concurrunt sunt, Testes, Advocatus, Procurator, Assessor, & Notarius, de quibus est successive dicendum. Et primo de Judice, in quo tria necessario requiruntur, scilicet Auctoritas, & publica potestas judicandi. 2. Veritas, ut judicet secundum veritatem, id est secundum allegata, & probata. 3. Ut judicet secundum leges, & formam ab illis præscriptam. Ut autem clarius procedamus, sit

§. I.

De Auctoritate in Judice requisita.

3. PRimo requiritur in Judice potestas, seu Jurisdictio, quæ adeo necessaria est, ut sine illa nulla, & invalida sit Sententia ab ipso prolata. Ratio est, quia sententia est veluti lex quædam particularis, vim habens obligandi; lex autem non potest obligare, nec habere vim coactivam, & coercitivam, nisi feratur ab illo, qui publicam habet potestatem, nec potest obligare nisi subditum, ut habetur cap. *at si Clerici, de Judiciis*, ubi dicitur, sententia a non suo Judice lata non tenet, & cap. *nemini de constit. in 5.* habetur *extra territorium jus dicenti non paretur impune*, idque etiam constat ex Tit. *de foro competenti*; ergo nulla, & invalida est sententia ab illo prolata, qui publicam non habet potestatem, & jurisdictionem, in quo conveniunt Doctores communiter.

4. Jurisdictio, & publica potestas in subditum, alia est ordinaria, alia delegata; ordinaria est illa, quæ habetur a Jure, ratione alicujus Officii, seu Dignitatis, cui est annexa. Hanc habet Summus Pontifex in omnes fideles, Episcopus in sua Diœcesi, Rex in suos subditos: delegata est, quæ habetur per delegationem, & concessionem alicui factam ab habente potestatem ordinariam, cujus etiam vices gerit; hanc habet Legatus Apostolicus in Provincias, ad quas mittitur, Prorex, & Gubernator in Provincia, seu Civitate sibi commissa. Acquiritur etiam jurisdictio ex consensu partium, quando litigantes ex compromisso aliquem eligunt, vel tamquam arbitratorem, qui amicabiliter, & ex naturali æquitate litem inter ipsos componat, vel tamquam arbitrum, seu Judicem, qui, servato Juris ordine, controversiam dirimat: vel ratione delicti in alieno territorio perpetrati, vel ratione contractus, & domicilii, aut rei controversæ circa possessionem. Acquiritur etiam ratione injuriæ subdito alterius Principis illatæ; nam si Superior ejus, qui injuriam intulit, interpellatus, nolit eam vindicare, id facere poterit Princeps illius, qui passus est injuriam.

5. Qui sine jurisdictione aliquo ex assignatis modis acquisita judicium usurpat, & sententiam profert, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem damni, si aliquod inde sequatur: hac ratione peccant Judices sæculares judicantes Clericos, in quos nullam habent potestatem, & jurisdictionem, ut diximus cap. præced. *dub.* 5. §. 3. peccant etiam, & excommunicationem incurrunt, qui vi, & fraude violenter extrahunt ab Ecclesia ad illam confugientes, & condemnant ad mortem, seu mutilationem; nam violenter usurpant jurisdictionem, quam non habent, & ultra excommunicationem, quam incurrunt, tenentur extractum Ecclesiæ restituere, suntque violatores immunitatis Ecclesiasticæ.

6. Qui a parte rei vere Judex non est, valide potest sententiam ferre. 1. Si habeat titulum coloratum. 2. Si ex errore communi existimetur verus Judex. 3. Si non adsit impedimentum juris divini, aut naturalis. Ita decisum habetur in l. *Barbarius ff. de offic. Prætor.* ubi occasione Barbarii, qui cum esset servus, Romam veniens, Præturam obtinuit, cujus, titulo servitutis, erat incapax, & dubitatum fuit; an acta ipsius judicialia essent valida, & dictum fuit, esse valida, *cum populus Romanus etiam servo potuisset decernere hanc potestatem*. Inde in utroque Jure Canonico, & Civili semper observatum est; gesta per Judicem putativum cum errore communi esse valida propter communem utilitatem, ad tollenda scilicet gravissima incommoda, & scandala, quæ alias sequerentur, si gesta per Judicem putativum non essent valida.

7. Ad hoc tamen requiritur, quod interveniat error communis, adeo ut talis communiter existimetur legitimus Judex, unde non sufficit error unius, aut alterius, seu paucorum putantium, illum esse legitimum Judicem, sed requiritur communis error in Civitate, seu loco, in quo judicium exercet; nam jura se fundant in errore communi, ut cit. l. *Barbarius*, ibi, *si servus quamdiu latuit*, & C. *infamis 3. qu. 7.* ibi, *si servus dum putaretur liber.*

8. Requiritur etiam titulus coloratus, quod nimirum Judex ille putativus non sit intrusus, sed sit in possessione sui officii ex aliquo titulo colorato sibi collato a legitimo Superiore, habente facultatem conferendi, seu instituendi in tali officio, licet ob occultum impedimentum sit invalide collatum. *An vero sufficiat error communis sine titulo colorato?* Resp. negative, ut late diximus in *tr. de pœnit. cap. 13. d. 10. n. 72.* quia secundum dispositionem utriusque Juris cum errore communi requiritur etiam titulus auctoritate Superioris collatus, licet occulte invalidus, nam in illo servo, de quo *l. Barbarius ff. de offic. Prætor.* cum errore communi reperitur titulus coloratus, nam antea a Populo Romano designatus erat Prætor, sed invalide, cum esset servus.

9. Requiritur insuper ad validitatem gestorum, quod subjectum ex jure Divino, seu naturali non sit incapax jurisdictionis, quia Jus commune talem defectum supplere, talemque jurisdictionem debet conferre posse, ut habetur ex d. l. *Barbarius, ff. de Offic. Prætor.* ibi, *cum populus Romanus etiam servo potuisset decernere hanc potestatem*; quare si non Sacerdos absolveret, aut consecraret, nihil faceret, quamvis errore communi putaretur Sacerdos, aut Confessarius, quia Ecclesia facere non potest, quod non Sacerdos valide absolvat, aut consecret, cum ad hoc de Jure divino sit necessarium Sacerdotium; si autem Sacerdos existimaretur Parochus valide Sacramenta conferret, quia illi potest Ecclesia talem potestatem, & jurisdictionem conferre. Vide quæ diximus *in tract. de Pœnit. loc. cit.*

10. Hinc sequitur, valida esse gesta Judicis excommunicati, si excommunicatio sit occulta, quia error communis tribuit jurisdictionem, seu Ecclesia supplet defectum jurisdictionis, ut supra dixi; si autem excommunicatio sit publica, adhuc gesta illius sunt valida quoadusque non sit declaratus, & vitandus, juxta disposit. extravag. *ad evitanda*, quamvis aliter disposuerint antiqui Canones. Peccat tamen Judex excommunicatus, si non se abstinet, propter communicationem cum fidelibus sibi prohibitam; cum hoc tamen discrimine, quod si est vitandus, nullo modo potest officium exercere, quia tunc ipsi prohibetur communicatio cum fidelibus, & fidelium cum ipso; si tamen non est vitandus, quia tunc alii fideles non prohibentur agere cum ipso, ideo poterit in eorum favorem, & ab eis requisitus judicare absque peccato, secus si se ingereret non vocatus, ut fuse docent Doctores agentes de Censuris, & de Excommunicatione.

11. Quæres: *An aliquis possit esse Judex in caussa propria.* Resp. negative, regulariter loquendo, *l. Un. c. Ne quis in sua caussa judicet*, quod adeo verum est, ut si Judex tamquam privatus habeat caussam consimilem, possit recusari ut suspectus, quia censeri potest nimis propensus, & sibi favorabilis; hoc tamen non procedit de supremo Judice non habente Superiorem in terris, ut Papa, Imperator, & Rex, quamvis conveniens sit, & æquitati consonum, quod caussam, quam habet cum subdito, debeat alteri committere decidendam.

§. II.

§. II.

De Veritate in Judice requisita.

12. JUdex, regulariter loquendo, judicare debet secundum allegata, & probata, & secundum allegationes, & probationes in judicio factas, ut constat eu Can. *Judicet* 3. *qu.* 7. ubi habetur, *Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, & proposito domesticæ voluntatis, sed juxta leges, & jura pronuntiat, statutis Juris obtemperat, non indulget propria voluntati, nihil præparatum, & meditatum de domo defert, sed sicut audit, ita judicat: & sicut se habet negotii natura, decernit, obsequitur legibus, non adversatur; examinat caussæ merita, non mutat.* & in cap. 1. *de sen. & re judic. in* 6. Judex gravissime puniendus decernitur, si contra conscientiam, & contra justitiam in gratiam partis alterius quicquam in judicio fecerit per gratiam, vel per sordes.

13. Maxime tamen controvertitur, *an Judex possit, ac debeat judicare secundum allegata, & probata contra propriam conscientiam, & condemnare innocentem, quando in judicio per testes, & alias probationes probatur esse nocens, & reus; ipse vero privata scientia certo cognoscit, esse innocentem*, quam difficultatem satis suse examinavimus in quinto præcepto Decalogi, loquentes de homicidio *cap.* 1. *dub.* 10. & ex ibidem dictis constat, præmittendam esse omnem, & exactissimam diligentiam, ut veritas, & innocentia cognosci possit, qua præmissa, si non cognoscatur, sed innocens probetur esse reus, tunc

13. Prima sententia docet, Judicem posse, ac teneri, judicando secundum allegata, & probata, condemnare innocentem probatum reum ad mortem, quamvis privata scientia sibi certo constet, esse innocentem. Ratio est, quia Judex in judicando, cum non agat ut persona privata, sed ut persona publica, & publica auctoritate, sequi non potest scientiam privatam, sed tenetur sequi scientiam publicam, secundum quam Reus est nocens, & morte dignus, & sic debet ad mortem condemnare: secus esset in liberatione Judicis, quos vellet liberare, dicendo, sibi privata scientia constare, illum esse innocentem, ex quo seditiones, scandala, & perturbationes in Republica possent oriri. Sic cum D. Thoma tenent Cajet. Bannez, & alii a nobis allati loco cit. *cap.* 1. *dub.* 10. *de homicidio*.

15. Secunda sententia, quæ est probabilior, & sequenda, negat, licere Judici condemnare innocentem probatum reum, quia directe occisio innocentis est intrinsece mala, nec potest fieri licita, nec etiam pro vitando excidio totius communitatis; nam solus Deus habet potestatem supra membra, & vitam innocentis, qui proinde non potest a Judice condemnari, quamvis ille sit probatus nocens, cum Deus non concesserit illi talem facultatem, ut, pluribus allatis, diximus *loc. cit.*

16. Nonnulli media via incedentes asserunt, Judicem secundum allegata, & probata posse probatum reum condemnare, si non agatur de pœna capitis, aut mutilationis, sed tantum de pœna pecuniaria, privationis officii, vel bonorum, quia de rebus, & bonis temporalibus suorum Civium potest Respublica disponere, secundum quod expedit bono regimini, & majori utilitati Reipublicæ. Hoc tamen ab omnibus non admittitur, quia, exigente bono publico, non solum potest Respublica privare subditum bonis temporalibus, sed etiam illum exponere periculo mortis, & indirecte, ac per accidens occidere. Quare in casu posito, vel potest Judex innocentem damnare ad mortem, vel non potest illum bonis suis spoliare; nam Judex, judicando secundum allegata, & probata, non intendit directe, & positiva occisionem innocentis, sed tantum intendit servare Juris ordinem, & consulere bono publico.

17. Judex si privata scientia cognoscat, aliquem esse reum dignum morte, non potest ipsum condemnare, si delictum in judicio, & servato Juris ordine, non sit probatum, & multo minus si sit probatum oppositum, quia nemo non citatus, non auditus, ac per testes non convinctus potest condemnari, ut diximus, dicto *cap.* 1. *de homicidio dub.* 2. *a nu.* 9. ubi alia plurima de Judice etiam supremo sunt soluta.

18. Dubitari etiam solet: *an Judex in judicando sequi possit sententiam probabilem*. Hæc difficultas fuse discussa, & soluta fuit *tr.* 1. *de Actibus humanis cap.* 3. *de conscientia dub.* 9. & ex *ibid.* dictis constat, Judicem non posse judicare juxta opinionem minus probabilem, maxime post Decretum Innocent. XI. damnantis, inter alias, illam propositionem, quæ est in ordine 2. *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Ratio est, quia Judex, ut prudenter, & juste operetur, debet judicare secundum merita caussæ, & majus jus, quod ex allegatis, & probatis parti competere cognoscit; sed qui habet opinionem probabiliorem pro se habet majora merita caussæ, & majus jus; ergo Judex debet judicare, & ferre sententiam juxta opinionem, quæ, inspectis allegationibus, & probationibus, probabilior apparet, & conformior juri, legibus, & rationibus, & inique ageret aliter judicando; non enim constitutus est Judex a Republica, ut pro libito sententiam dicat, sed juxta merita caussæ, & majus jus partis.

19. Data æquali probabilitate opinionum utriusque partis litigantium, non est licitum Judici pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio, cum hoc sit damnatum ab Alexandro VII. damnante illam propositionem, quæ est in ordine 26. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.* Nec potest Judex in favorem amici judicare, eidem totum adjudicando, etiam stante æquali probabilitate caussæ, quia Judex non debet esse acceptor personarum, ex Regul. 12. Juris in 6. ibi; *in Judiciis non est acceptio personarum habenda*, sed si stante æquali jure, rem totam uni parti adjudicaret, utique esset acceptor personarum, & faceret contra justitiam auferendo alteri litigatori partem, ad quam bonum, & æquale jus habet; quæ, & similia satis fuse discussa sunt, *cit. cap.* 3. *de conscientia dub.* 9.

§. III.

De modo juridice procedendi.

20. TRes communiter assignantur a Doctoribus modi, quibus Judex potest juridice procedere, scilicet via Accusationis, via Denuntiationis, & via Inquisitionis, cap. *Qualiter, & quando* 2. *de accusat.* Via accusationis procedit, quando actor, & accusator spondet, se objecta probaturum: via denuntiationis, quando deferens crimen non vult suscipere onus probandi: via inquisitionis, quando Judex ex officio procedit ad inquirendum criminis auctorem. Commodius tamen Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 12. ex Julio Claro duos tantum assignat modos procedendi contra criminosos, alterum ex officio, alterum ad instantiam partis; Denuntiatio enim non est per se aliqua via diversa procedendi, sed est quidam prævium, ut Judex procedat ex officio: tunc autem procedit ex officio, quando, præcedente aliqua infamia, vel denuntiatione, capit informationes, & format inquisitionem contra auctorem, ut sic ad plenam probationem, & sententiam perveniat.

21. Tunc procedit ad instantiam partis, quando pars offensa, vel alius legitimus accusator porrigit accusationem, eaque admissa, Judex procedit secundum ejus probationes, & inde quando Judex agit ex officio procedit per inquisitionem; quando vero ad instantiam partis, procedit per accusationem: & quamvis Judex nunquam possit condemnare sine accusatore, hoc tamen intelligi debet de accusatore generaliter sumpto, hoc est vel de formali, quando procedit per accusationem, vel de virtuali, quando præcedit denuntiatio, vel crimen est notorium; vel auctor est contumax, vel præcedit infamia, seu clamorosa insinuatio, hæc enim omnia vices gerunt accusatoris, arg. cit. c. *Qualiter, & quando de accusation.* ibi *sed quasi denuntiante fama, vel deferente clamore.*

22. Itaque Inquisitio est investigatio criminis a Judice ex officio facta; cum enim jam raro inveniantur, qui subire velint officium accusatoris, onus probandi delictum in se suscipere, seque ad pœnam obligare, si deficiant in probatione, ne delicta maneant impunita, debet Judex ex officio procedere ad inquisitionem, quæ duplex est: alia generalis, qua in genere quæritur; an leges observentur, an crimina aliqua committantur, an de aliquo sit facta suspicio, vel infamia alicujus criminis, & hac utuntur Prælati, & Superiores in visitatione Diœcesis, Provinciæ, & locorum sibi subjectorum; alia specialis, quæ fit de persona aliqua determinata, & de delicto determinato, puta, an Petrus commiserit simoniam, furtum, adulterium, &c. Datur etiam mixta, qua de persona singulari quæritur delictum in genere; an Petrus suas Regulas, & Statuta observet, vel de persona in genere crimen particulare, ut quisnam Paulum occiderit; & quæritur, qua ratione Judex his tribus modis legitime possit inquirere, & an semper præcedere debeat criminis infamia.

23. Resp. 1. Judicem procedere posse ad inquisitionem generalem, quamvis nulla præcesserit denuntiatio, vel infamia. Sic habetur cap. *sicut olim de accusation.* c. 1. *de officio Judicis ordinarii*, cap. *Romana de censib. in* 6. quibus locis præcipiuntur visitationes, & inquisitiones generales faciendæ suis temporibus a Prælatis, nullo habito respectu ad præcedentem infamiam. Ratio est,

est, quia talis inquisitio generalis est valde utilis ad purgationem Reipublicæ, nec ulli facit injuriam, cum de nullo in particulari inquiratur, secus Episcopi, & Prælati Regulares sæpe peccarent, dum in suis visitationibus generaliter inquirunt, an leges observentur, aut mala aliqua committantur.

24. In hac inquisitione generali subditi interrogati non tenentur, nec possunt occultos criminosos manifestare, de quibus infamia non præcessit, & peccant contra justitiam, si crimen occultum manifestant, quia ad id Judicis potestas non se extendit, etiam si id præciperet sub excommunicatione, aut sub præcepto obedientiæ, quia sicut extra visitationem nemo tenetur, nec potest occulta crimina manifestare, ita nec in visitatione; unde Prælatus injuste ageret, si subditum compelleret ad manifestandum, & si ex ignorantia subditus ea manifestet, tenetur Prælatus ea secreto tenere, nisi crimen redundet in damnum commune, aut innocentis. Hoc titulo si sciam, aliquem esse hæreticum, aut furem, possum alios admonere, ut sibi caveant: si homicidium a Petro commissum imputetur Paulo innocenti, qui ob id sit capite plectendus, possum, & ex caritate teneor manifestare verum auctorem homicidii, ut alibi diximus.

25. Resp. 2. Judicem non posse procedere ad inquisitionem specialem contra personam aliquam particularem, nisi præcesserit infamia, prout habetur ex cap. *Inquisitionis §. Tertiæ de accusat.* ubi dicitur. *Ad hæc respondemus nullum esse pro crimine, super quo non laboret infamia, seu clamorosa insinuatio non præcesserit, puniendum: quinimmo super hoc depositiones contra eum recipi non debere, cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt.* Idem habetur cap. *qualiter, & quando 2. eod. tit.* ibi; *sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic & denuntiationem caritativa monitio, & inquisitionem clamosa insinuatio prævenire*, quod ibid. confirmatur exemplo Villici Evangelici *Lucæ* 16. cui Dominus dixit; *Quid hoc audio de te? Redde rationem Villicationis tuæ*: & ex illo Gen. 18. ubi Dominus de delicto Sodomorum ait: *Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Ratio est, quia Judex ad punitionem ex publica scientia procedere debet, & non sine accusatore formali, aut virtuali; cum autem Judex procedit via inquisitionis non adest accusator formalis; ergo debet adesse saltem virtualis, qui in proposito non est, nisi infamia præcedens: & merito quisquam posset conqueri sibi fieri injuriam, si sine præcedente infamia contra ipsum juridice inquireretur; nam per talem inquisitionem læditur, & minuitur ejus fama, & redditur suspectus, ut notat Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 15. n. 122.*

26. Ut autem quis dicatur de crimine infamatus non sufficit, quod duo testes jurati affirment, aliquem commisisse crimen aliquod eisdem videntibus, ut expresse habetur cap. *Inquisitionis*, quia adhuc res est occulta, & per publicam inquisitionem non est prodenda, sed requiritur, quod rumor sit diffusus per majorem partem Viciniæ, Civitatis, Collegii, Monasterii, in quo quis habitat, ut dicatur ibidem infamia laborare, ut cum Bartolo, Soto, & aliis notat Lessius *n. 123.* & quod ortum non habeat ex malevolis, & levissimis hominibus, quia illa non est vera infamia, sed a providis honestis, & fide dignis, ut habetur dicto cap. *Qualiter*. Verum quia sæpe dubium est, a quibus, aut qualibus orta sit, monet Glossa *in dictum cap.* indicendam purgationem, saltem propter scandalum; quæ tamen non erit indicenda, quando violenta fuerit suspicio de malevolentia primorum diffamantium.

27. Excipiuntur aliqui casus particulares, in quibus Judex procedere potest ad specialem inquisitionem sine infamia præcedente; hujusmodi sunt crimen hæresis, propter periculum animarum, & damnum, quod affert Reipublicæ, crimen læsæ Majestatis, & alia nonnulla atrociora, in quibus tamen semper prærequiritur aliqua denuntiatio, vehemens suspicio, aut alia indicia sufficientia, quæ viam aperiant ad talem inquisitionem.

28. *An vero sit de jure naturæ, quod Judex non inquirat contra non infamatum, vel accusatum.* Resp. esse tantum de jure positivo, ut cum Soto, Valentia, & Sanchez tenet Lugus *disp. 37. sect. 6. n. 64.* qui inde excusat praxim Judicum sæcularium, qui, nulla præcedente infamia, ex simplici delatione alicujus procedunt ad specialem inquisitionem contra aliquam personam, quia nimirum infamia præcedens non prærequiritur, nisi ex jure positivo, cui per contrariam consuetudinem derogari potest, videntibus, & tacentibus Principibus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, & hoc ob bonum commune Reipublicæ, ne delicta maxime graviora maneant impunita, esto id quandoque non fiat sine culpa crimen occultum denuntiantis.

29. Quæres: *an infamatus, & convictus de uno crimine possit de aliis occultis interrogari, de quibus non est infamatus.* Resp. affirmative, si crimina sint connexa, & regulariter unum conjungatur cum alio, secus si sint disparata, quia diffamatus in uno genere adhuc retinet bonam famam in aliis disparatis, ut diximus circa 8. præceptum Decalogi *c. 1. n. 33.* colligitur ex cap. *Inquisitionis de accusationibus*, ubi aperte dicitur, debere inquisitionem fieri solum super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt. Similiter cap. *cum oporteat eod. tit.* dicitur ad eorum tantum criminum inquisitionem esse procedendum, super quibus rei fama læsa fuerit, nisi crimina sint ita connexa, ut unum regulariter non detur sine alio, & sic convictus de adulterio, & consuetudine cum uxore aliena potest interrogari de occisione mariti, qui domi occisus invenitur. Lugus *n. 65.*

30. Quæres 2. *An convictus de crimine, possit interrogari de sociis occultis, qui non laborant infamia.* Resp. negative, regulariter loquendo, nisi in delictis exceptis. Colligitur ex cap. *Cum Monasterium, de Confessis*, ibi: *secundum utriusque Juris statuta de se confessi super aliorum conscientiis interrogari non debent.* Similia habentur cap. *veniens de testibus*, & cap. *Nemini 15. qu. 3.* Item *l. finali C. de accusationibus*. Ratio est, quia non solum Judex peccat interrogando, sed etiam reus injuriam facit occultis complicibus, si eos prodiderit. Adde, quod crimen de se in judicio confessus, eo ipso fit infamis, vilis, ac dubiæ fidei, & ideo jure merito a testimonio ferendo repellitur, cap. *Testimonium 54. de Testib.* & quia hujusmodi confessio est periculosa, nam veniam, aut liberationem rei sperare solent propter flagitia adjuncta, ex *cit. loc. fin.*

31. Excipiuntur crimina excepta, ut crimen læsæ Majestatis divinæ, & humanæ, Conjurationis, falsæ Monetæ, crimen Sacrilegii, maleficii, viarum grassatoris, & assassinii, quæ cum valde periculosa sint Reipublicæ, bonumque publicum graviter lædant, Jus ipsum statuit, de se confessos posse de sociis criminis interrogari.

32. Resp. 3. Circa inquisitionem mixtam Judicem procedere posse per inquisitionem generalem ad inquirendum reum ignotum, quando crimen est notorium, & publicum, & examinare testes circa auctorem illius delicti, non tamen inquirere posse circa personam aliquam determinatam, & in particulari, donec fuerit infamata, & circa illam dentur indicia sufficientia. Ratio est, quia multum interest Reipublicæ, ne cum scandalo publica crimina sine inquisitione dissimulentur; unde Judex potest, ac tenetur generaliter inquirere, quinam tale malum commiserit, non autem utrum fuerit Petrus, aut Paulus, siquidem auctor in genere quodammodo ipso facto est infamatus, non autem Petrus, & inde subditus etiam sub juramento interrogatus, non tenetur, nec debet auctorem manifestare, si nulla laboret infamia, nec dentur contra ipsum indicia sufficientia, nisi in casibus exceptis, ut supra dictum est.

33. Nec talis inquisitio redditur inutilis, quamvis subditus non teneatur, nec licite possit revelare auctorem occultum criminis, de quo nulla datur infamia, aut indicia sufficientia: non redditur, inquam, inutilis, quia de facto adesse possunt, & esse Judici ignota: quo casu licite poterit reus manifestari, & Judex poterit contra illum procedere. Poterit etiam procedere, quamvis revelans sine præcedenti infamia peccaverit, aut ex ignorantia fecerit, sicut potest procedere, quando alias crimen occultum extra judicium, aut injuste, aut ex ignorantia publicatur, quia in utroque casu utitur jure suo, dummodo non intercedat revelatio Sacramentalis confessionis. Prodest etiam talis inquisitio ædificationi populi, qui alias offenderetur, nisi Judices inquirerent auctorem manifesti, & publici criminis. Prodest etiam maleficis, dum vident reos etiam occultos aliquando manifestari, vel ex ignorantia revelantis, vel ex malitia, aut alio præcedenti indicio, ut docet Fillliuc. *tr. 40. in 8. præcep. cap. 16. n. 186.*

DUBIUM II.

De Accusatore, & Denuntiatore.

34. Accusatio stricte sumpta est Delatio rei de crimine ad vindictam publicam libello facta; finis enim accusationis est vindicta publica ad exemplum aliorum, ut ab hujusmodi criminibus sibi caveant, ut cum aliis tenet Lessius *lib. 2. cap. 30. dub. 1.* Ad eam ex Jure communi plura requiruntur 1. enim requiritur, ut fiat in scriptis, aut etiam verbis, quæ statim in scriptis per Notarium redigantur, ut notat Clarus *qu. 12. nu. 7.* ut constet quid sit probandum, nec possit accusator aliquid mutare, si forte videat deficere in probatione criminis delati.

35. Secundo requiritur, ut in libello accusatorio scribantur nomina accusatoris, & accusati, *l. libello-*

tum

rum ff. de accusat. ut constet quinam sit accusator, & quinam accusatus; quod si accusati nomen ignoretur, potest ex habitu, officio, vel aliis circumstantiis describi. Tertio, ut declaretur species delicti, de quo reus accusatur, & etiam socius criminis, si delictum sine socio fieri non possit, ut sunt Sodomis, adulterium &c. addito etiam loco, & tempore, quo delictum fuit patratum; addi etiam debet dies, & hora, si reus id postulet, ut probet, se eo tempore alibi fuisse: sufficit exprimere mensem, si diei, & horæ non recordetur, ut fusius probat Lessius *lib.* 2. *cap.* 30. *n.* 4.

36. Quarto requiritur inscriptio accusantis qua scilicet accusator se obligat ad crimen objectum probandum, &, si defecerit in probatione, ad pœnam talionis, id est ad eam pœnam subeundam, quam reus pati debuisset, si crimen fuisset probatum, *l.* 3. *ff. de accusat.* & *l. ult. Cod. eod. tit.* Hodie tamen hæc pœna talionis mutata est in pœnam arbitrariam, & extraordinariam, quia per eam multi ab accusando deterriti fuerunt, & rari sunt, qui velint suscipere onus probandi sub tanto periculo, & sic delicta impunita manebant, tum quia hoc tempore Judex ex officio procedere potest, si accusator defecerit, ut notat Lessius *n.* 8.

37. Denunciatio est criminis alicujus apud Judicem sine inscriptione delatio. Differt ab accusatione per hoc, quod illa non debet necessario fieri scripto, nec denuntians tenetur probare crimen, nec ad pœnam talionis se subjicere, si defecerit in probatione, dummodo appareat denuntiationem esse factam cum bono zelo, & non animo calumniandi; siquidem denuntiatio cum loco accusationis sit introducta, ad eum potissimum finem recipi solet, ut Judex ex officio postea inquirat, cap. *ult. de denuntiat.*

38. Denuntiatio duplex est, altera juridica, quæ fit Superiori tamquam Judici, ut delinquentem puniat, altera Evangelica, quæ fit Superiori tamquam Patri, nec tendit ad punitionem Rei, sed ad illius emendationem. Ad illam non requiritur, quòd præcedat secreta monitio, cum non sit ordinata ad emendationem, sed ad punitionem delinquentis, ut exemplo ejus alii deterreantur, & sic excludantur malefactores, & perturbatores Reipublicæ: bene tamen requiritur, quod præcedat secreta monitio ante denuntiationem Evangelicam, ut habetur ex Evangel. Matth. *cap.* 18. *vers.* 15. illis verbis: *si peccaverit in te frater tuus*, quo nomine omnis Christianus intelligitur, *corripe eum inter te, & ipsum solum: si te non audierit, dic Ecclesiæ.* Addunt nonnulli, denuntiationem Canonicam, qua detegitur impedimentum inter duas personas, quæ volunt matrimonium contrahere, vel aliud crimen contra Canones. Non requirit monitionem præviam, cum non sit ordinata ad emendationem spiritualem, sed ad impediendum aliquod malum.

39. Quilibet accusare tenetur, vel saltem denuntiare crimen, quod in grave damnum Reipublicæ, vel alicujus innocentis redundat, si iste fieri, vel pendeat in futurum, nec aliter impediri possit, quam per accusationem, aut denuntiationem. Ratio est, quia quilibet impedire tenetur damnum publicum, eo meliori modo, quo potest; ergo si non potest aliter impedire, quam accusando, vel denuntiando, accusare, vel saltem denuntiare tenetur. Quod verum est, etiamsi sub juramento promiserit servare secretum, dummodo non sit secretum Confessionis, nam tale juramentum, utpote de re illicita, non obligat, cum non sit vinculum iniquitatis, & tacitam semper habet conditionem, modo licite servari possit, ut cum aliis notat Bonacina *qu.* 3. *p.* 1. *n.* 6.

40. Cessat obligatio juridicæ accusationis, seu denuntiationis, si crimen jam patratum sit, puta homicidium commissum, ita ut nullum amplius incommodum ab eo timeatur, vel si peccatum non nocet Communitati, vel alicui privato; nam tunc sufficit denuntiatio Evangelica, præmissa correctione fraterna, si spes sit emendationis. Peccat mortaliter cum obligatione restituendi, qui non accusat, seu denuntiat, quando ad id tenetur ex officio, & Justitia, secus si solum tenetur ex caritate, nam tunc peccat quidem mortaliter pro gravitate materiæ, sed non tenetur ad restitutionem, etiamsi pecuniam acceptasset, ne malum impediat, ut constat ex dictis *de restit. cap.* 3. *dub.* 5. *per totum.*

DUBIUM III.

De Reo.

41. Conveniunt communiter Doctores, Reum non teneri veritatem fateri, nec jurare juxta mentem interrogantis, quando Judex non interrogat juridice hoc est, non servato Juris ordine, ut colligitur ex cap. *Qualiter, & quando*, cap. *cum oporteat*, & cap. *Inquisitionis de accusationibus*, quia tunc Jus non tribuit ei facultatem reum obligandi ad manifestandam veritatem. Unde reus non tenetur ad ejus mentem respondere, & jurare, sed eludere potest aliquo artificio. Tunc autem Judex non interrogat juridice, quando de crimine non præcessit infamia contra reum, nec indicia manifesta, aut semiplena probatio, ad quam non sufficit dictum solius accusantis, aut denuntiantis, sed insuper requiritur unus Testis idoneus, aut infamia, seu indicia sufficientia.

42. Nec item tenetur respondere, & crimen fateri, quando dubitat, an Judex juridice interroget, servato Juris ordine, quia nemo tenetur obedire Superiori cum gravissimo suo incommodo, nisi constet, ipsum habere potestatem præcipiendi, & obligandi; sed, stante illo dubio, nondum constat, quod Superior, seu Judex legitime præcipiat; ergo non tenetur obedire, sed potest manere in possessione suæ libertatis, & incolumitatis, seu bonæ famæ. Nec valet, in dubio parendum esse Superiori, qui est in possessione præcipiendi; nam hoc valet, quando, concessa auctoritate legitimi Superioris, dubitatur, an res præcepta sit licita, nec ne; secus autem si dubitatur, an ille habeat potestatem præcipiendi, ut notat Lugus *n.* 2. tunc enim in dubio potius favendum est reo, qui non debet subire gravissimum damnum, & privari bonis, libertate, & vita, quousque non constat de legitima potestate præcipientis; & inde Judex tenetur aperire reo statum caussæ, probationes, & indicia, & testes, ut sciat certo, se juridice procedere.

43. Hinc non potest Judex reum interrogare de occulto crimine, de quo nulla præcessit infamia, aut semiplena probatio, nam occulta non sunt publicanda, sed soli Deo reservanda, & graviter peccant Judices, ut ait Lugus *disp.* 40. *n.* 1. qui in caussis criminalibus, aut notabilis infamiæ sine prævia diffamatione, aut sufficientibus indiciis aliquem comprehendunt, & ad detegendam veritatem juramento adstringunt, & de gravi crimine interrogant, & aliis ad illud concernentibus in particulari; nam tales graviter lædunt famam proximi, & simul agunt contra justam prohibitionem Juris Canonici, volentis, ut absque prævia diffamatione, aut semiplena delicti probatione, contra criminosos specialiter non inquiratur. Idem habet Navar. *cap.* 18. *n.* 41. *cap.* 25. *n.* 36. & cap. *Inter verba num.* 747. prout refert Lugus *supra*; si vero præcedat infamia, aut semiplena probatio, tunc

44. Resp. Reum legitime interrogatum, servato Juris ordine, teneri sub mortali veritatem fateri, nisi agatur de amittenda vita, damnatione ad triremes, confiscatione omnium bonorum, aut alia simili gravissima caussa, & spes esset evadendi. Ratio primæ partis facilis est, quia obediendum est Superiori legitime præcipienti, & interroganti; sed Judex legitime procedens est Superior habens potestatem præcipiendi, & obligandi reum ad veritatem manifestandam; ergo reus tenetur obedire, ac fateri veritatem, secus daretur bellum utrinque justum, dum Judex legitime præcipit, & reus legitime negat obedientiam; bellum autem utrinque justum, seposita ignorantia, dari non potest. Ita tenent Doctores communiter.

45. Secunda pars est satis controversa, nam plures asserunt, reum legitime, & secundum jura interrogatum teneri semper veritatem fateri, etiamsi, veritate manifestata, condemnandus sit ad mortem, quia reus tenetur obedire, & veritatem fateri Superiori legitime præcipienti, & interroganti: ex quo inferunt, Confessarium non posse hujusmodi reum sacramentaliter absolvere, non manifestata veritate, quamvis sit capite plectendus, quia negando veritatem Judici legitime secundum jura præcipienti, manet in peccato. Ita cum D. Thoma 2. 2. *qu.* 69. *art.* 1. tenent Cajet. Bannez, Salon. Sotus, Corduba, Sayrus, & alii, quos affert Diana *part.* 2. *tr.* 15. *& Miscell.* 1. *resol.* 27. ita etiam Beja *part.* 1. *casu* 32. Navarr. *cap.* 25. *n.* 52. Sylvius *in* 2. 2. D. Thomæ *qu.* 69. *art.* 4.

46. Sed alii plures asserunt, reum non teneri obedire, quando, negata veritate, spes est mortem evadendi, etiamsi juridice interrogetur. Ratio est, quia dum crimen non est plene probatum, & adest spes evadendi, nimis durum, & supra vires humanas est, obligare reum ad veritatem fatendam in caussa capitali, cum hoc sit ipsum obligare ad arma ministranda ipsum interficere volenti, quod est contra naturalem inclinationem, quam quisque habet se conservandi, & defendendi, cum moderamine inculpatæ tutelæ, contra aliquo ipsum interficere volentem. Conf. ex *l.* 4. *ff. de testibus*, nemo cogi potest ad testificandum contra parentes sanguine junctos, aut quando sibi gravissimum imminet damnum; sed nemo cuiquam est magis sanguine conjunctus, quam sibi ipsi; ergo non tenetur contra se ipsum testificari, quando gravissimum mortis periculum sibi imminet. Adde, quod leges, & præcepta humana non obligant

cum

cum periculo mortis, nisi magnitudo negotii aliud exigat; at ex confessione criminis reus incurrit certissimum periculum mortis, non confitendo autem est ei spes evadendi; ergo non tenetur confiteri. Ita tenent Joan. Valerus, Villalobos, & alii, quos affert, & sequitur Diana *part.* 2. *tr.* 15. *& Miscell.* 1. *Resol.* 27. hanc probabilem dicit Bonacina *qu.* 3. *punct.* 2. *n.* 7. Lessius *cap.* 31. *n.* 16. P. Navar. *de restit. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 242. Malderus *in* 2. 2. *tr.* 6. *cap.* 3. *dub.* 1. Reginaldus *in praxi tom.* 2. *lib.* 24. *c.* 3. *sect.* 3. *n.* 3. & esse multo probabiliorem oppositam dicit Lugus *disp.* 40. *n.* 15.

47. Ad rationem oppositam dicendum est, Judicem obligare posse reum ad veritatem dicendam, quando non agitur de pœna capitali, aut gravissima, aut quando delictum est jam plene probatum, non vero si agatur de pœna capitali, & delictum non sit plene probatum, sed adhuc spes sit evadendi; tunc enim non potest ipsum obligare ad culpam, sed solum ad torturam, ut debeat veritatem fateri, si non vult torturam experiri: juste obligat reum ad carcerem, a quo tamen fugere potest, obligat, inquam, non sub culpa, sed sub pœna subeunda, si fugiat: & Dominus juste jubet servo suo, ne fugiat, ipse tamen fugiendo se liberare potest a servitute.

48. Dices; *Implicat, quod Judex habeat jus præcipiendi, & reus non teneatur obedire; nam jus præcipiendi, & debitum parendi sunt essentialiter correlativa; ergo cum Judex præcipit, quod justum est, reus tenetur obedire, secus non posset Judex reum torquere ad habendam veritatem, quia iniquum est quemquam cogere ad id, quod præstare non tenetur.* Sed contra dico; implicare, quod Judex habeat jus præcipiendi sub culpa gravi, & reus non habeat debitum parendi sub culpa gravi, quia hæc sunt essentialiter correlativa: at non implicare, quod Judex habeat jus præcipiendi sub pœna, & reus non habeat debitum obtemperandi sub culpa; siquidem plures dantur leges, & præcepta, quæ non obligant ad culpam, sed ad pœnam, ita se habet lex, & præceptum Judicis obligantis reum ad respondendum, quando juridice interrogat, quod non obligat ad culpam, sed ad pœnam, quam ipsi dare potest, si non fateatur veritatem, sed reus non tenetur sub culpa respondere, & manifestare delictum, quia jus naturale ad propriam vitam tuendam illum excusat ab obedientia in re tam gravi, qualis est proprio testimonio se exponere certo periculo moriendi, ut docet Lugus *supra n.* 16. & nos etiam notavimus *in tr. de Juramento, & Voto cap.* 3. *n.* 41. Quod quidem notare debent Confessarii, ut sciant qualiter possint absolvere reos negantes, seu verius occultantes veritatem. *Quomodo autem non sit perjurium, nec mendacium, juramentum præstitum de veritate dicenda,* diximus *loco cit. de juramento.*

49. Resp. 2. Reus, sicut etiam Testis juridice interrogatus non tenetur fateri crimen, seu factum externum contra legem, quando ob aliquam circumstantiam excusatur a culpa, sed potest illud negare, intelligendo scilicet de facto criminoso: ut si quis hominem occidit ignoranter, putans esse feram, aut in propriam defensionem; aut si quis rem alienam accepit in debiti certi compensationem, potest juridice interrogatus negare, se hominem occidisse, aut rem alienam surripuisse, quia interrogatio Judicis ex circumstantia judicii de solo facto criminoso intelligitur, ut cum Diana *p.* 3. *tr.* 6. *Resol.* 30. diximus *loco cit. de juramento.*

50. Idem asserit Lugus *num.* 4. de illo, qui de crimine interrogatur ex falsa præsumptione delicti, qui potest negare, si nullum fuerit delictum; ut si Titius interrogetur a Judice, an exierit ex tali domo stricto ense, poterit id negare, quamvis exierit, non tamen facto delicto, sed ob aliam caussam, quia tunc Judex non interrogat juridice, nisi ex falsa præsumptione; si enim sciret veritatem, & innocentiam Titii, Titium de illo egressu non interrogaret, nec interrogare posset, ne ipsum injuste diffamaret, imponendo grave crimen innocenti, cum periculo, quod ob illud condemnetur, si fateatur egressum ex tali domo, & tali tempore, stricto ense.

51. Quæres: *An in casibus, in quibus reus tenetur veritatem fateri, teneatur se retractare, si forte negavit, & an debeat ad id obligari a Confessario.* Affirmant plures, quando veritatem negavit ante judicium finitum, quia per illam negationem differtur Sententia, & ei conceditur appellatio, & defensio, & sic tuetur caussam injustam. Ita Sayrus in Clavi Regia *l.* 12. *cap.* 17. *n.* 13. Angel. *in floreb.* 2. *par. qu. de correct. frater. art.* 3. *diff.* 7. Malderus in 2. 2. *tract.* 6. *cap.* 3. *dub.* 1. *assert.* 4. & alii citati a Sanchez *in sum. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 8.

52. Resp. esse satis probabile, reum, qui legitime interrogatus negavit veritatem metu mortis, ad quam juste damnaretur, non teneri dictum suum retractare; nec ad id debere a Confessario obligari, sed debet illum absolvere a peccato commisso, dummodo in genere proponat, amplius non peccaturum. Ratio est, quia reus negando veritatem, quam fateri tenebatur, non peccavit contra justitiam, nec alicui intulit damnum, ut suppono, sed peccavit solum contra obedientiam, quia solum ex præcepto Judicis, & ex obedientia illi debita tenebatur respondere, & sic, transacta illa occasione, non tenetur se retractare, sed solum pœnitere de peccato commisso, & esse paratus veritatem fateri, si iterum interrogetur; ea ratione, qua quis interrogatus sub juramento de aliqua re tenetur ex veracitate, & religione verum fateri; si tamen mentiatur, non tenetur retractare mendacium, quando non vergit in præjudicium alicujus, sed dumtaxat pœnitere de peccato commisso, cum proposito iterum non peccandi. Sic tenent Sanchez *loc. cit.* Bonacina *de legib. qu.* 10. *punct.* 2. *num.* 8. Azor. *par.* 3. *lib.* 13. *c.* 25. *dub.* 5. Lugus *disp.* 40. *nu.* 17. Diana *part.* 2. *tr.* 15. *& Miscell.* 1. *resol.* 26.

53. Reus non tenetur se retractare non solum quando judicium durat, & adhuc est sub Judicis potestate, sed etiam finito judicio, quando convictus condemnatus est ad mortem; multo minus tenetur veritatem fateri, & se retractare, si fuit absolutus, & reperiatur extra Judicis potestatem, vel si e carcere fugiens jam est in tuto positus; non enim tenetur redire, ut fateatur veritatem: per quod patet ad rationem oppositam; siquidem negando veritatem solum peccavit contra obedientiam debitam Superiori legitime præcipienti, quod peccatum tolli debet per pœnitentiam, non per retractationem.

54. Quæres 2. *An qui metu tormentorum confessus est peccatum, quod non fecit, & propter illud sit damnandus ad mortem, teneatur illud retractare.* Resp. negative, si confessus est peccatum, quod non fecit, ad evitanda gravissima tormenta, ut fuse diximus circa octavum Decalogi præceptum *cap.* 1. *dub.* 6. *n.* 45.

DUBIUM IV.

Alia solvuntur circa personam Rei.

55. QUæres 1. *An Reus ad se defendendum possit falsa crimina imponere testibus, & accusatori.* Solutio pendet ex dictis a nobis circa octavum Decalogi præceptum *cap.* 1. *dub.* 4. ubi *n.* 28. diximus, licitum esse ad evitanda tormenta, vel aliud grave damnum, occultum crimen alterius Judici revelare, quia non teneor cum tanto meo incommodo, & damno servare vitam, & famam proximi: ac proinde licitum erit reo occulta crimina Testis, & Accusatoris revelare, si hoc necessarium sit ad sui defensionem, & elidendum dictum Testium, & Accusatoris; & *n.* 31. diximus, numquam licitum esse falsum crimen alteri imponere, sive ad vitandam torturam in tormentis, sive ad quodcumque aliud grave malum nostrum impediendum, quia mendacium est intrinsece malum, &, si sit in materia gravi, est peccatum mortale, quod numquam potest esse licitum proferre, sive in judicio, sive extra illud proferatur; at qui falsum crimen, & graviter nocivum alteri imponit, profert mendacium nocivum in materia gravi, & sic peccat mortaliter; unde merito damnantur ab Innocent. XI. duæ illæ propositiones, quarum prior in ordine 43. sic se habet. *Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* altera in ordine 44. *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alteri, ut suam justitiam, & honorem defendat: & si hoc non sit probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia,* & ab Alexandro VII. jam damnata fuerat alia in ordine 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet Sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare.*

56. Nec valet eadem ratio de revelante grave crimen alterius occultum, sed verum, quia iste non mentitur, sed solum famam alterius non custodit, quam custodire non tenetur cum gravi suo incommodo, sicut non tenetur alienum depositum servare cum gravi damno, & detrimento. Addunt Lugus *sect.* 2. *n.* 21. & Lessius *cap.* 31 *dub.* 2. non peccare reum de gravi crimine accusatum, quod probari nequit, si illud neget, & dicat accusatorem mentiri, & calumniari; nam qui accusat de eo, quod probare non potest, præsumitur calumniator, sibique imputare debet detrimentum honoris, dum accusat id, quod probare nequit.

57. Quæres 2. *An reus teneatur obedire Sententiæ injustæ, vel possit se defendere quacumque via.* Certum est, teneri obedire, & mortem subire, si juste damnetur, quia Judex habet jus exequendi Sententiam a se juste latam, quam proinde reus non potest impedire, nec illi resistere; nam Romanor. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem*

acqui-

acquirant. Si autem Sententia fuit injusta, tunc videndum est, an sit injusta, quia fuit lata contra dispositionem Juris, & contra allegata, & probata, vel quia fundatur in falsa præsumptione, licet sit servatus Juris ordo, & sit justa secundum allegata, & probata. Si fuit injusta primo modo, non obligat in conscientia, quia Judex non habet potestatem ferendi Sententiam, nisi secundum dispositionem Juris; quare si ab illa recedit, Sententia est nulla, nec obligat in conscientia, unde poterit reus contra illam se defendere, secluso scandalo, quia non operatur ut Judex, sed ut privata persona, cui licitum est resistere, & se defendere, ut cum Div. Thoma, Soto, Sylvestro, Sanchez tenet Lugus *n.* 38.

58. Nec item obligat in conscientia, si fuit injusta secundo modo: quia licet talis Sententia sit justa secundum allegata, & probata, vere tamen a parte rei est injusta, nec obligare potest scientes, & cognoscentes veritatem. An vero tunc reus possit per vim se defendere contra Judicem, & ipsius Ministros, ne hanc Sententiam exequantur, negat Bonacina *qu.* 3. *punct.* 2. *nu.* 21. quia Judex habet jus exequendi Sententiam, quam tulit, Juris ordine servato; si autem reus posset resistere, daretur bellum utrinque justum, & sequerentur scandala, & perturbationes in Republica contra bonum commune, quod præferri debet privato, maxime, quia hoc reputatur crimen læsæ Majestatis: quæ quidem Sententia valde probabilis est, eamque tenent Lessius *cap.* 31. *dub.* 4. *n.* 29. Sanchez *lib.* 6. *consil. cap.* 4. *dub.* 17. Salonius *q.* 69. *art.* 4. Covarruvias *lib.* 1. *Variar. cap.* 2. *n.* 13. Vasquez 1. 2. *disp.* 174. *cap.* 1. Malderus *dub.* 5.

50. Alii non improbabiliter tenent, reum per se loquendo, &, secluso scandalo, licite se defendere, & resistere, quia Judex non procedit juste secundum veritatem, sed solum ex falsa præsumptione, quæ veritati cedere debet; unde qui certo cognoscit veritatem, potest resistere, & se defendere, ea ratione, qua innocens se defendere potest ab Invasore furioso, qui tamen invadendo non peccat, & ab eo, qui invincibiliter existimat, quod possit illum occidere. Hac ratione Milites licite se defendunt ab aliis invadentibus, qui existimant se habere justum titulum invadendi; sic Lugus *n.* 39. dicens, ita sentire Victoriam, Bannez, & alios Theologos doctissimos de hac re consultos; ita etiam tenent Valentia, Angles, Ledesma, Villalobos, & alii relati a Diana *part.* 9. *tract.* 9. & *Miscell.* 4. *resol.* 43. quamvis ipse contrarium sentiat, & sequatur primam.

60. Quæres 3. *An reus possit e Carcere fugere*. Resp. reum tam ante, quam post Sententiam Judicis licite posse fugere e carcere, nisi juramento promiserit ibidem permanere: Idque præstare potest etiam vincula, & carcerem infringendo: licitumque est aliis reo fugam consulere, & instrumenta ad fugam, carcerisque infractionem inservientia ministrare, ut diximus *in tr. de Legibus cap.* 2. *n.* 55. ubi etiam habes, an non solum possit, sed etiam teneatur fugere, quæ non sunt hic repetenda. An teneatur redire ad carcerem, qui hoc cum juramento promisit, diximus *in tr. de Juram. cap.* 2. *n.* 18. Licitum est sine vi, & injuria decipere custodem, ut reus opportunitatem fugiendi capiat, puta tradere vinum, & potum, ut somno corripiatur, vel aliquid aliud faciat, ut illo dormiente, vel absente reus fugere possit. Potest etiam pecuniam dare custodi animo conciliandi sibi ejus amicitiam, ut, accepta postea occasione, fugere possit, quia utitur jure suo, ad servandam propriam vitam, non tamen potest directe dare pecuniam, ut liberam sibi faciat evadendi facultatem, quia custos talem facultatem licite dare non potest, ut docet Bonacina *punct.* 2. *n.* 20. Numquam tamen licitum est interficere falsos Testes, Accusatorem, aut Judicem, etiamsi iniqua immineat Sententia, cum hoc sit damnatum ab Alexandro VII. qui damnavit illam propositionem, quæ est in ordine 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua imminet Sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

DUBIUM V.

De Testibus.

61. INter Testibus, ut sint idonei ad testificandum, sex conditiones communiter requiruntur, quæ illis Versiculis continentur.

Conditio, Sexus, Ætas, Discretio, Fama,
Et Fortuna, Fides, in Testibus ista requires.

Primæ tres conditiones referuntur in cap. *Forus* 10. *de verb. signif.* ubi etiam additur ratio cur debeant adesse, illis verbis. *Testes antiquitus superstites dicebantur, eo quod super caussæ statu proferebantur: nunc, parte ablata nominis, testes vocantur. Testes autem considerantur conditione, natura, & vita; Conditione, si liber, non servus, nam sæpe servus metu dominantis testimonium supprimit veritatis. Natura, si Vir, non femina, nam varium, & mutabile Testimonium semper femina producit: Vita, si innocens, & integer actu, nam si vita bona defuerit, fide carebit, non enim potest justitia cum scelerato homine habere commercium:* tres aliæ conditiones scilicet dignitas, ætas, atque fortuna habentur ex *l.* 2. & 3. *ff. hoc tit.* ubi recensentur qualitates in Testibus desideratæ.

62. Itaque jure Canonico, & Civili in caussis criminalibus repelluntur. 1. Servi dum manent in servitute, quia præseferunt timorem dominationis. 2. Feminæ propter instabilitatem, admittuntur tamen in civilibus, & in criminalibus, licet illarum dictum non sufficiat ad torturam, sufficit tamen ad capiendam informationem. 3. Mares minores 20. annorum, quorum dictum sufficit quidem ad inquisitionem, non ad torturam; in civilibus tamen admittuntur mares 14. & feminæ 12. annorum, si sint puberes. 4. Inimicus ejus, contra quem Testimonium dicitur, si inimicitia sit gravis. 5. Sanguine conjuncti, Ascendentes nimirum, & Descendentes accusatoris, & collaterales usque ad quartum gradum. 6. Domestici ipsius producentis, quia præsumuntur affecti in eum. 7. Infames infamia juris, & facti. 8. Socius criminis, *l. fin. C. de accusat.* & cap. *Veniens* 1. *de testib.* nam iste facile alium nominabit, vel quia illius privilegio veniam sperat, vel quia odio cupit illum eodem supplicio perire; admittitur Socius in criminibus exceptis, ut in Hæresi, crimine læsæ Majestatis, falsæ monetæ, Maleficio, Sodomia, & furto famoso, ut notat Lessius *cap.* 30. *dub.* 5. quæ omnia fusius explicantur a Juristis.

63. Ad legitimam probationem, plenamque fidem faciendam requiruntur, & sufficiunt in qualibet caussa sive civili, sive criminali, duo Testes idonei, probatæ vitæ, & omni exceptione majores; nisi plures in aliqua caussa per legem, aut Canonem expresse requirantur. Testis idoneus ille dicitur, cui nihil opponi potest, quin fides ei adhibeatur, & alio nomine dicitur Testis legitimus, utpote secundum leges ad ferendum testimonium admittendus, cum nulla legitima exceptione repelli valeat; dicitur etiam testis habilis, testis integer, & omni exceptione major: ad differentiam testis minus idonei, qui etiam dicitur inhabilis, cui aliquid opponi potest, quod ejus testimonium debilitat, vel penitus evacuat, quia est infamis, servus, impubes, & hujusmodi.

64. Tres conditiones adhuc requiruntur, ut testes plenam fidem faciant, maxime in criminalibus, ut sint jurati, contestes, & sensu aliquo factum perceperint: debent esse jurati, quia ut habet Honorius III. in cap. *Nuper de testibus. Nullius Testimonio, quantumvis religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi:* debent esse contestes, ut scilicet deponant de eodem facto, nam testes singulares non probant, quia unus alterius dictum non confirmat, sed uterque suum tantum; unde esset probatio tantum per unum testem; debent convenire in tempore, loco, & specie delicti; ex diversitate enim temporis, & loci colligitur, non esse idem factum, de quo deponunt; si tamen unus exprimat certum diem, & alter dicat, se non meminisse diei, valet: debent sensu aliquo factum percipisse, quia non possunt esse certi de facto externo, nisi per aliquem sensum, unde si solum ab aliis audierint, non satis probant, sed solum faciunt indicium ad inquirendum ab illis. His breviter præmissis, videndum est, quam obligationem habeat testis a Judice interrogatus.

65. Resp. Testem juridice interrogatum teneri respondere, & veritatem fateri, nisi justam habeat reticendi caussam. Ratio ex supradictis de reo est, quia obediendum est superiori legitime interroganti, & præcipienti, sed Judex legitime procedens est superior habens a Republica potestatem præcipiendi, & indagandi veritatem propter bonum commune; ergo testis tenetur respondere, & veritatem fateri, in quo conveniunt Doctores communiter cum D. Thoma 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. Valentia, Lessius, Salonius, Aragon. Reginaldus, Azor, quos affert, & sequitur Bonacina, *disp.* 10. *q.* 3. *p.* 3. *n.* 4.

66. Excusatur testis a veritate dicenda, quando Judex procedit per viam accusationis, aut denunciationis judicialis ad punitionem, si crimen plene probari non possit, eo quod solus testis, & accusator sciunt, crimen illud fuisse commissum: cum enim testis certo sciat, neminem alium scire delictum a reo patratum, ac proinde probari non posse, manifestando illud delictum, sine caussa reum infamaret, & exponeret vexationi, cum ex solo testimonio unius non possit condemnari, Lessius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 6. *n.* 49. Villalob. *in sum. tom.* 2. *tr.* 17. *diff.* 1. *n.* 11. Diana *par.* 3. *tr.* 5. & *Miscell.* 1. *resol.* 101. *alias* 100. ubi ex Octaviano Spatario *in praxi de modo corrigendi Regulares tr.* 7. *c.* 8. *n.* 7. refert sequentia, *Ex quo patet, quod non tenetur quis testificari, si sciat nullum alium esse contestem,*

vel aliud æquivalens indicium, sive procedatur ex munere, sive ad instantiam partis; & ego aliquando interrogatus sub præcepto, & juramento, super delicto, quod sciebam, nullum alium nosse nisi denuntiantem, numquam testificari volui, etsi de visu, & certa scientia potuissem quod tuta conscientia fecisse reputavi, & reputo, ita Spatarius, & Joan. de la Crux, in directorio conscientiæ *par.* 1. *p.* 8. *art.* 4. *dub.* 3. in principio asserit. *Si accusator habeo solum unum testem, iste dum sibi non constat de alio conteste, tenetur sub peccato mortali dicere, se nihil scire.*

67. Oppositum tenet Bonacina, *supra num.* 3. dicens, testem teneri veritatem fateri, etiamsi non possit plene probari, quia crimen notum est uni soli Testi, & accusatori, nam etiam in eo casu testis legitime interrogatur, & sic tenetur respondere: citat Sotum, Azorium, Salon. Aragon. Sayrum, & alios, sed prima sententia non desinit esse probabilis.

68. Excusatur etiam Testis a veritate dicenda, quando Judex procedit per viam inquisitionis, & interrogat de delicto occulto, cujus nulla præcessit infamia, nec alia indicia sufficientia ad faciendam semiplenam probationem; nam occulta soli Deo reservantur, ac proinde negando, tale delictum fuisse a Titio commissum, non esset mendax, nec perjurus, quia non fuit publice commissum, ita ut Testis teneatur illud fateri; nam Judex solum interrogat, & solum interrogare potest de notitia publica, de qua Testis negat, fuisse commissum: qua ratione, qui alterius crimen occultum manifestavit, potest se retractare dicendo; se falsum dixisse, quia licet illud sit verum veritate occulta, non tamen est verum veritate publica, & manifestabili: ut diximus *in tr. de restit. c.* 4. *dub.* 9. *n.* 116.

69. Excusatur si ex testificatione timeat notabile damnum sibi, vel suis in fama, honore, divitiis, immo etiamsi timeat grave damnum in amicitia, pace, concordia, &c. quia in caussis ordinariis præceptum Judicis non obligat cum tanto detrimento, ut cum Soto, Sanchez, & Navarro, docet Lugua *disp.* 39. *n.* 10. dixi, in caussis ordinariis, quia si agatur de bono publico, & gravi damno avertendo, tenetur testificari etiam cum aliquo detrimento proprio, nam bonum publicum præponderat privato.

70. Excusatur si notitiam delicti accepit sub secreto Sacramentali, de quo non potest esse dubium, cum ea, quæ habentur ex confessione Sacramentali in nullo umquam casu possint manifestari, ut constat ex dictis suo loco de Confessione: Sed etiam si illam accepit sub secreto naturali, nisi forte grande aliquod malum immineat Communitati, aut etiam alicui privato, quod adhuc pendeat in futurum, nec alia ratione possit impediri, nisi auctoritate Judicis: in eo enim casu possunt revelari ea, quæ fuerunt accepta sub secreto naturali, quamvis juramento promisisset secretum, quia ad id tenetur jure naturali, quod per juramentum non potest impediri; si autem nullum immineat damnum, tunc obligat secretum naturale, nam licet præceptum Superioris de se obliget, non tamen contra jus naturale feciret, quod multo magis urget, quando quis crimen novit per injuriam aperiendo v. g. litteras, vel cogendo alterum ad revelationem. Hinc solent excusari a delictis detegendis, Medicus, Consiliarius, Advocatus Obstetrix, Chirurgus, & similes personæ, quibus sub secreto explicito, vel implicito revelantur crimina pro remedio, aut consilio obtinendo. Non valet eadem ratio de illis, qui propriis oculis delictum viderunt, vel audierunt, & postea sub juramento promittunt non revelare; talis etiam promissio jurata non obligat, quando Judex legitime interrogat, cum sit de re illicita, scilicet de non manifestando eo, quod extra secretum noverat, ut notat Lugus *num.* 12.

DUBIUM VI.

Solvuntur aliæ Difficultates.

71. Quæres 1. *An Testis teneatur aliquando se offerre ad testificandum in favorem innocentis.* Resp. nullus, per se loquendo, tenetur se offerre ad testificandum in favorem alicujus cum præjudicio alterius, seu quando suo dicto esset caussa damni, aut mortis alterius, quia cum utrumque teneatur ex caritate diligere, non potest obligari ad ferendum auxilium uni, cum gravi detrimento alterius: si tamen juridice interrogetur, tenetur respondere, & testificari etiamsi inde grave malum alteri eveniat, quia Judici legitime, & juridice interroganti tenemur obedire, ut constat ex supradictis.

72. Quod si testimonium non solum utile, sed etiam necessarium sit ad liberandum innocentem a periculo perdendi vitam, tenetur se offerre ad testificandum, si facere possit sine suo damno. Colligitur ex dictis a nobis *de homicidio cap.* 1. *dub.* 7. *n.* 77. ubi diximus, quemlibet non solum posse, sed etiam teneri sub culpa gravi defendere innocentem injuste aggressum, quando id facere potest sine gravi suo incommodo, nam id omittendo, faceret contra caritatem, qua tenemur proximum diligere; non dicitur autem proximum diligere; qui proximo indigenti, & in gravi necessitate posito denegat auxilium, quod facile præstare posset; quæ ratio militat in præsenti.

73. Si tamen omittat auxilium præstare innocenti, peccat quidem graviter contra caritatem, non tamen tenetur restituere damna, quæ innocenti sequuntur ex denegato testimonio, quia ad id tenetur solum ex caritate, non ex justitia, transgressio autem præcepti caritatis non inducit obligationem restitutionis. Nec tenetur ad restitutionem, si citatus a Judice non compareat, sed fugiat, vel se abscondat, quia peccat solum contra præceptum Superioris, & contra obedientiam, non contra justitiam, multo minus contra illam peccat si se abscondat antequam citetur; tunc enim peccat solum contra caritatem, ut cum Salonio, Molina, Lessio, Navarro, & aliis a se citatis tenet Bonacina, *disp.* 10. *qu.* 3. *p.* 3. *n.* 12. & 13.

74. Major difficultas est: *an peccet contra justitiam commutativam, & teneatur ad restitutionem Testis, qui interrogatus a Judice occultat veritatem, & dicit, se nihil scire.* Affirmant plures satis probabiliter, quia testis in judicium vocatus, & a Judice legitime interrogatus ex lege justitiæ tenetur ad veritatem dicendam ex officio, quo in judicio fungitur, & obligatur ad restitutionem damni, quod sequitur ex veritate non manifestata. Sic Azor. *part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 27. *dub.* 4. Malderus 2. 2. *tr.* 6. *cap.* 2. *dub.* 9. §. *dico tertio.* Turrianus, Navarrus, Sotus, relati a Diana.

75. Sed alii probabilius negant. Ratio est, quia hujusmodi testis, cum ante sententiam Judicis non teneatur ex justitia commutativa testificari, nec etiam tenetur, accedente mandato Judicis, per quod oritur solum obligatio justitiæ legalis, & obedientiæ, non vero justitiæ commutativæ; quare veritatem occultando, graviter peccat contra caritatem erga proximum, & contra obedientiam, & justitiam legalem erga Judicem, sed non tenetur ad restitutionem, nec etiam, ratione juramenti, quod solum inducit peccatum sacrilegii contra religionem. Ita Joan. de la Crux *in direct. part.* 8. *artic.* 4. *dub.* 13. *concl.* 5. Sylvius *in* 2. 2. *D. Thomæ qu.* 71. *art.* 1. *concl.* 6. Pitidianus *in pract. exam. part.* 2. *cap.* 6. *fol.* 191. Vallalob. *in sum. tom.* 2. *tr.* 12. *diff.* 1. *n.* 12.

76. Nec obstat ratio in oppositum adducta, quia licet testis in judicium vocatus ex justitia teneatur fateri veritatem, si acceptavit officium testis, quod illi Judex imponere vult, secus si officium non acceptat, sed recusat; tunc enim peccat contra obedientiam non acceptando officium, non contra justitiam, ea ratione, qua jussus a Magistratu acceptare officium Tutoris, aut Curatoris, tenetur ex justitia curam habere bonorum Pupilli, & Minoris, si tale officium acceptavit, secus si nollet officium acceptare, vel falsis prætextibus se excusaret, quia tunc solum esset inobediens Magistratui, & peccaret contra obedientiam Superioris, non contra justitiam commutativam.

77. Nec dicas; jussus a Judice, ut exhibeat Scripturam pertinentem ad litem, tenetur restituere damna, quæ parti sequuntur, si Scripturam occultat, vel lacerat; ergo etiam tenetur ad damna, qui jussus a Judice fateri veritatem, illam occultat, & manifestare recusat; si enim imponere potest obligationem justitiæ ad Scripturam proferendam, ita potest eamdem obligationem imponere ad veritatem dicendam. Sed contra disparitas est, quia Scriptura non est actio personalis, sicut testificatio, sed res externa, de qua Respublica, & Superior potest cum caussa disponere, sicut de aliis bonis, illiusque usum uni parti applicare, qua applicatione facta, pars alia patitur injuriam, si impediatur, ne illam consequatur; testificatio vero est actio personalis, & libera, de qua Judex non est dominus, nec illius usum potest alteri applicare.

78. Quæres 2. *An testis possit accipere pecuniam pro Testimonio ferendo, & veritate dicenda.* Resp. in primis a teste pecuniam accipi posse pro labore itineris, pro expensis, pro lucro cessante, vel damno emergente, ut communiter docent Doctores, vel si quid sit illi liberaliter datum ex gratitudine. Pro falso Testimonio ferendo non potest testis licite aliquid accipere, quia ordinatur ad finem intrinsece malum, & hoc titulo acceptum debet restitui ante testimonium præstitum: post factum, pretium acceptum potest retineri, juxta regulam generalem, quod accepta ob turpem caussam, puta propter homicidium, vel quid simile, non debent restitui, prout diximus suo loco *in tract. de restit. cap.* 4. *dub.* 2. Pro vero Testimonio dicendo non potest aliquid recipi, & acceptum debet restitui; licet enim non semper

tenea-

teneatis ex justitia testificari, tamen si vis testificari, teneris ex justitia veritatem fateri, ut diximus *loco cit. dub.* 3. pretium tamen acceptum non esse necessario restituendum ante Sententiam Judicis, nonnulli asserunt, quia hæc restitutio est pœnalis.

79. Quæres 3. *Ad quid tenetur, qui falsum deposuit in judicio*. Resp. peccasse mortaliter, & teneri ex justitia falsum Testimonium retractare, immo etiam teneri restituere damna temporalia, si quæ ex falso Testimonio alicui sequuntur, nam illorum omnium censetur caussa efficax, quando nimirum sciens, & volens, falsam deposuit in judicio; & inde qui per suum falsum Testimonium innocentem posuit in periculo vitæ, tenetur suum dictum retractare, si id sperat profuturum, & quidem cum æquali periculo propriæ vitæ, quia in æquali periculo damni melior est conditio innocentis, quam delinquentis, ut docent communiter Doctores, & nos etiam diximus *de restit. cap.* 4. *n.* 119.

80. Nec dici potest, quod quilibet tenetur sibi potius consulere, quam alteri, ut proinde non sit obligatio succurrendi vitæ alienæ cum periculo propriæ: nam hoc solum valet in pari caussa innocentiæ, ut quando alter est in periculo vitæ absque mea culpa, tunc enim non teneor illi succurrere cum periculo vitæ meæ, secus si vita aliena ex mea culpa periclitetur. Et inde si bona fide quis falsum testificatus est sine culpa, non tenetur cum tanto suo incommodo dictum retractare, quia bona fide testificando non peccavit. Vide quæ diximus *loco cit. de restit. famæ*.

81. An, & quatenus liceat persuadere alicui, ut juret, ac testificetur objectum quidem verum, sed quod ille ignorat; vel inducere Petrum ad jurandum, & testificandum id, quod ipse existimat esse verum, licet re vera falsum sit; sufficienter diximus in materia de scandalo circa primum præceptum Decalogi *tr.* 4. *c.* 7. *dub.* 6. *num.* 47. *&* 48. & videri potest Lugus in præsenti *disp.* 39. *sect.* 3.

D U B I U M VII.

De Advocato.

82. QUatuor conditiones communiter requiruntur a Doctoribus in Advocato. Prima est conveniens scientia, qua valeat cognoscere jura, consuetudines, & alia necessaria ad Clientum caussas juste, & recte defendendas; unde peccat graviter, si absque sufficienti cognitione, ac scientia, Clientum caussas defendendas suscipit, & tenetur ad restitutionem, si damnum aliquod Clienti advenit ex negligentia, & imperitia, seu ignorantia ipsius, qui nescit, vel non adhibet sufficientem diligentiam, ut sciat ea, quæ secundum statum suum, attenta qualitate caussæ, scire tenetur, & sciunt, vel scire debent communiter officium Advocati exercentes; nam ex vi sui officii tenetur esse sufficienti peritia instructus, & scire saltem ea, quæ communiter ad suum munus bene exercendum spectant, & juxta gravitatem, vel difficultatem caussæ tenetur majorem diligentiam ad illius defensionem, ut cum Navarr. Graff. Lessio, Trullench, & aliis tenet Bossius *var. moral. part.* 1. *tit.* 2. *num.* 766. Peccat insuper cum obligatione restituendi damna, si expeditionem caussæ cum præjudicio Clientum differat, postponat, vel adeo multas defendendas suscipiat, ut eas expedire non valeat.

83. Ex quanam culpa teneatur Advocatus constat ex dictis *in tr. de restit. cap.* 1. *dub* 6. ubi diximus, in foro conscientiæ non teneri ad reparandum damnum ex culpa dumtaxat levi, aut levissima in officio commissa, sed solum ex culpa lata, quæ sit peccatum mortale, quia nemo tenetur in officio suo diligentior, doctior, ac prudentior esse, quam ejuscemodi homines passim esse solent. Inde, si adhibita sufficienti, & prudenti diligentia, adhuc damnum sequatur, & cliens caussam amittat, quia forte non fuit diligentissimus, & prudentissimus, non tenetur aliquid restituere. Bonacina, Lugus, Gaspar Hurtadus, Trullench & alii a nobis *ibidem allati*.

84. Secundo requiritur justitia caussæ suscipiendæ, & defendendæ, quam proinde perscrutari debet, antequam illam defendendam suscipiat; unde peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur Advocatus, si ex malitia, vel ignorantia culpabili caussam injustam defendat: tenetur, inquam, ad restitutionem damni, tum parti adversæ, tum suæ, nisi forte Clientem prius admonuit de injustitia caussæ, nam tunc sibi imputabit, ut habetur ex D. Thoma *qu.* 73. *art.* 3. quem sequitur Lugus *disp.* 41. *n.* 5. Si autem in decursu litis, & post maturam, & diligentem considerationem advertat, caussam, quam ab initio justam putabat, re vera esse injustam, eam deserere debet, & Clientem admonere de injustitia, eumque inducere ad cedendum, ut habetur ex Thoma *art.* 3. *ad* 2. non tamen debet eam prodere parti adversæ cum præjudicio sui Clientis.

85. Non potest in eo casu litigantes inducere ad transactionem, & compositionem faciendam; nam solum in caussa dubia transactio locum habet. Navar. *cap.* 25. *num.* 28. Bonacina *qu.* 3. *punct.* 4. *num.* 6. inde inferens, graviter peccare Advocatos, & Consiliarios, qui dum in litis successu advertunt caussam injustam ab altera parte tueri, alteram inducunt ad compositionem; si vero ad transactionem inducunt sine damno, aut sine deceptione, sine vi, aut metu, non peccant, quia nulli faciunt injuriam, & adversarium redimunt a vexatione, quam forte pateretur, si cognoscant Clientem non cessaturum a lite.

86. An vero Advocatus, & Caussidicus in patrocinando licite possit suscipere caussam, & partes sive Actoris, sive defensoris, quando post sufficientem diligentiam adhibitam, justitia caussæ apparet dubia, aut in jure, aut in facto, ita ut facile non appareat quænam pars justior sit, satis constat ex dictis in *tract. de actibus humanis*, agentes de conscientia dubia, & probabili *cap.* 3. *dub.* 8. *a num.* 66. ubi etiam diximus, posse Advocatum, & Caussidicum patrocinari caussam non solum quando ex utraque parte habet auctores æque graves, & rationes æquales, sed etiam quando est major probabilitas alterius partis: quod satis fuse tractat Bossius *var. moral. part.* 1. *§.* 28. *a num.* 739. *&* 755. & videri potest etiam Lugus in præsenti *disp.* 41. *sect.* 1.

87. Tertio debet Advocatus esse fidelis, tum erga Clientes, illos admonendo quando caussa est dubia, aut minus probabilis, nec illis tunc promittere victoriam certam, & hoc modo inducere ad prosequendam litem, nec debet secreta, & merita caussæ parti adversæ manifestare. Tum erga Rempublicam, & propriam conscientiam, non afferendo leges falsas pro veris, aut sensus a vera doctrina alienos pro legitimis, vel falsas cavillationes pro solidis rationibus, aut dilationes non necessarias petendo: licet tamen Advocato justam caussam defendenti prudenter occultare ea, quibus impediri posset processus, & victoria caussæ.

88. Quarto requiritur, ne stipendium exigat ultra justum pretium, quod illud esse censetur, quod est vel a lege taxatum, vel a locorum consuetudine præscriptum; vel, si nihil taxatum est, justum stipendium taxandum erit arbitrio viri prudentis, habita ratione gravitatis caussæ, & laboris in patrocinio. Non potest Advocatus, seu Caussidicus convenire, & pacisci cum Cliente de certa quota litis, puta tertia, vel quarta parte sibi danda, si litis victoriam obtinuerit; hoc enim prohibitum est *l. Sumptus ff. de pactis*, ne fraudibus via aperiatur in caussarum defensione. Quia tamen hæc lex fundatur in præsumptione fraudis, si vere coram Deo præsumptio cessat, & ab Advocato justitia non violetur, & hoc pactum fiat a Cliente, ut se ipsum liberet a molestia sæpius adeundi Advocatum, nullum erit peccatum pacisci de quota litis, cum non sit contra legem naturalem, Divinam, aut Ecclesiasticam, sed solam contra legem civilem, fundatam in præsumptione fraudis. Ita Homobon. de Bonis *de statib. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 5. Navar. *cap.* 25. *num.* 30. Valerius *in differentiis utriusque fori Verb. contractus diff.* 3.

89. Non est illicitum Advocato pacisci cum Cliente de aliquo Salario certo, sed justo sibi dando, sive vincat, sive non; sed tunc cavendum est, ne Advocatus de stipendio certus occasionem sumat caussam sui Clientis negligenter tractandi. Nec est illicitum Advocato post victoriam, ultra pretium acceptum a Cliente, donum aliquod accipere gratis sibi datum in signum gratitudinis, sicut etiam possunt eorum famuli scribentes aliquid accipere a litigante, si sit gratis datum.

90. Quæres: *quinam possit esse Advocatus*. Resp. omnes fungi posse officio Advocati, si sint habiles, & non repellantur a Jure. Repelluntur autem hæretici, pagani, & excommunicati. Item Religiosi, nisi sit in caussa Monasterii de mandato sui Prælati, & Clerici habentes beneficium, vel Ordinem Sacrum cap. *Clerici*, & cap. *Cum Sacerdotis de postulat.*; possunt tamen esse Advocati in caussa propria, & Ecclesiæ, & in caussis Viduarum, Pupillorum, & pro sibi conjunctis, & amicis intimis, etiam coram Judice sæculari, & in caussa sæculari. Item possunt in caussis Ecclesiasticis, & in tribunalibus Ecclesiasticis, quia hoc eis non prohibetur: sicut nec ipsis prohibetur domi consulere, & Juris allegationes in scriptis conficere. Clerici in Minoribus constituti, si non habeant beneficium Ecclesiasticum, non repelluntur ab officio advocandi, nec in civilibus, nec in criminalibus; sicut enim possunt absque peccato redire ad statum laicalem, ita possunt hoc munus exercere, ut cum Navar. Sylvestro, & aliis notat Bonacina *qu.* 3. *p.* 4. *punct.* 1.

91. Nemo poteſt in eadem cauſſa, nec ſimul, nec ſucceſſive utrique parti patrocinari propter communem admirationem aliorum, & ſuſpicionem fraudis, avaritiæ, & voracitatis ad lucrum: nec item Judex, vel Aſſeſor poteſt eſſe Advocatus in eadem cauſſa, ut late tradit Boſſius *var. moral. part.* 1. §. 28. *a num.* 777. *& ſeqq.*

92. Quæ hucuſque diximus de Advocato, ſervata proportione, dici debent de Procuratore, & Notario, qui tenentur juſte, & fideliter officium ſuum exercere, ſive ex debito muneris tantum, ſive etiam ex juramento: tenentur habere ſcientiam ſaltem mediocrem eorum, quæ ad ſuum officium ſpectant, maxime quia ex Notariorum imperitia, ut loquitur Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 10. *de reform.* plurima damna, & multarum occaſio litium oriatur.

DUBIUM VIII.

De Appellatione.

93. PRo complemento nonnulla hic addenda ſunt de Appellatione, quæ eſt remedium quoddam naturale conceſſum illis, qui per Judicis Sententiam ſe gravatos putant. Definitur a Juriſtis appellatio, quod ſit provocatio ab inferiori Judice ad Superiorem, ratione gravaminis illati, vel inferendi: eſtque duplex, alia judicialis, alia extrajudicialis. Judicialis dicitur illa, quæ fit ab actibus judicialibus, ideſt a Sententia tum definitiva, tum interlocutoria; extrajudicialis vero dicitur illa, quæ interponitur extra judicium a quocumque gravamine illato, aut inferendo, & fieri ſolet contra electiones, collationes, & proviſiones Beneficiorum, quando quis ſe gravatum ſentit, cap. *Concertationi hoc tit. in* 6.

94. Appellatio a Sententia definitiva fieri poteſt incontinenti, & voce per verbum *appello*, aut aliud ſimile: ab interlocutoria debet fieri in ſcriptis, explicata cauſſa gravaminis. Si quis autem appellaret a Sententia definitiva poſt intervallum, ideſt poſt unum, vel alterum diem, debet & ipſa fieri in ſcriptis, ſed non eſt neceſſe cauſſam gravaminis exprimere.

95. Appellatio a Sententia definitiva duos habet effectus principales, nimirum ſuſpenſivum, & devolutivum, quatenus ſuſpendit juriſdictionem Judicis *a quo*, eique ligat manus, ut ad executionem procedere non poſſit, totamque cauſſam devolvit ad Judicem ſuperiorem, qui dicitur Judex *ad quem*.

96. Tempus interponendi appellationem ſunt decem dies, computandi ab hora, & momento latæ Sententiæ, niſi condemnatus ignoraverit Sententiam latam, quia tunc decem dies ſunt computandi a tempore ſcientiæ; nam ignoranti non currit tempus, curritque de momento in momentum, unde dies termini computantur in termino, qui nec ex compromiſſo partium, aut Judicis permiſſione prorogari non poteſt. Si autem Judicis copia non ſit, vel immineat periculum capturæ, poterit appellans immediate recurrere ad Judicem ſuperiorem, vel appellationem proponere cum proteſtatione coram Notario, & honeſtis viris.

97. Tempus petendi Apoſtolos ſunt 30. dies, computandi a die latæ Sententiæ, dummodo appellans illam non ignoraverit. Apoſtoli in præſenti ſunt litteræ dimiſſoriæ, quas Judex, a quo appellatum eſt, tranſmittit ad Judicem ad quem, ſive ad eum, qui de appellatione cogniturus eſt, & in eis teſtatur, Titium v. g. appellaſſe a Sententia ſua, quam inter ipſum, & Cajum circa talem cauſſam tulerat, & iſtæ litteræ, ſeu libelli dimiſſorii vulgo dicuntur Apoſtoli. Tempus exercendæ, & finiendæ appellationis eſt unius anni, vel biennium ex juſta cauſſa, ſi nimirum appellans primo anno fuit legitime impeditus; quo tempore finito, appellatio habetur pro deſerta, & Sententia tranſit in rem judicatam.

98. Regulariter loquendo, quilibet appellare poteſt, tum a gravamine ſibi extrajudicialiter illato, tum a Sententia contra ipſum lata, ſi per hanc ſe injuſte gravatum exiſtimat, nam appellatio eſt ſpecies quædam defenſionis jure naturæ omnibus regulariter permiſſa; unde etiam debet a Judice admitti, niſi fuerit manifeſte frivola, vel a jure prohibita. A ſupremo Judice non datur appellatio, quia Superiorem non agnoſcit, & in Bulla Cœnæ *caſu* 2. excommunicantur omnes, qui a Sententia Papæ ad futurum generale Concilium appellant, quia Concilium etiam generale non eſt ſupra, ſed infra Pontificem, a quo omnia Concilia congregantur, & robur habent.

99. Quamvis a Sententia ſupremi Principis non detur appellatio, licitum tamen eſt ſupplicare pro remiſſione cauſſæ. Eſt autem ſupplicatio, prout ſumitur in præſenti, quædam precum porrectio facta Principi, ut is ex quadam benignitate reſtituat ſupplicantem adverſus Sententiam, contra quam non competit medium ordinarium, eſtque introducta, æquitate ſic ſuadente, non ſolum intra decem dies, ſed etiam integro biennio licitum eſt ſupplicare. Aliquando cauſſa delegatur alicui cum clauſula *appellatione remota*, qui modus delegandi convenit ſolis Principibus ſupremis, & per illam prohibetur omnis appellatio, quæ a Jure non conceditur expreſſe; nam appellationibus frivolis, etiam ſine tali clauſula, deferendum non eſt, per illam non tollitur ſupplicatio, & reviſio cauſſæ. Alia plura tractari ſolent de appellatione, quæ omittuntur, quia potius ſpectant ad Juriſperitos pro foro externo, quam ad Theologos pro foro conſcientiæ.

TRACTATUS SECUNDUS
DE RESTITUTIONE.

UTilis ſimul atque neceſſaria eſt Reſtitutionis notitia, & tractatio, quæ dum cuilibet Perſonæ jus ſuum ſervat illæſum, illudque reparat per æqualem compenſationem, ſi fuerit læſum, ad æqualitatem, & pacem inter homines ſervandam ordinatur: eſtque principalis actus juſtitiæ commutativæ, de qua proinde agendum eſt poſt explicatam ſuperioris Tractatus naturam, & ſpecies Juſtitiæ commutativæ.

CAPUT I.

De Reſtitutione in communi.

DUBIUM I.

Quid ſit Reſtitutio.

1. REſtitutio ex vi nominis ſignificat poſitionem rei in priſtinum ſtatum, in quem, quia ponitur res ablata dum reſtituitur, inde ſignificat rei ablatæ redditionem, ſive juſte, ſive injuſte ablata fuerit; & hac ratione D. Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 1. dicit: *reſtituere nihil aliud eſſe videtur, quam iterato aliquem ſtatuere in poſſeſſionem rei ſuæ*. Sumitur aliquando late, prout præciſe importat reddere aliquid alteri, quocumque titulo reddatur, etiam ex liberalitate, & gratia, qua ratione dici ſolet aliquis reſtitutus in priſtinam ſanitatem, in priſtinam gratiam, & amicitiam: magis proprie ſumitur pro redditione rei alienæ, etiam juſte habitæ ſine culpa, ut eſt redditio mutui, pignoris, & depoſiti, aut pro redditione rei injuſte ablatæ per furtum, rapinam, aut alterum contractum iniquum, ſeu pro compenſatione damni alteri illati.

2. Differt reſtitutio proprie dicta a ſatisfactione, quod illa eſt compenſatio damni illati, iſta vero eſt compenſatio injuriæ. Differt damnum ab injuria proprie dicta, quia damnum eſt actio, qua jus alterius in rem aliquam violatur; injuria vero eſt actio, qua violatur alterius perſona, vilificatur, & humiliatur, tunc videlicet patitur aliquis damnum, cum minus habet in rebus externis, quam habere deberet; patitur autem injuriam, cum perſona ejus abjicitur, & dehonoratur. Reſtitutio ergo compenſat damnum, reddendo rem ablatam: ſatisfactio compenſat injuriam honorando perſonam offenſam, & humiliando perſonam offendentem, quantum humiliata eſt perſona offenſa. Differt etiam reſtitutio proprie dicta a ſolutione, quæ non præſupponit injuriam, fitque per exhibitionem rei diverſæ a re, quæ fuit alterius; reſti-

restitutio aūtem præsupponit injuriam, saltem materialem, & exigit, ut res eadem quantum fieri potest, reddatur, saltem æquivalenter; solutio etiam magis late patet, quia non est actus solius Justitiæ, sicut restitutio, sed actus aliarum etiam Virtutum; nam solutio est etiam rei debitæ ex caritate, voto, gratitudine, &c. aliquando tamen minus rigorose loquendo, solutio cum restitutione, & restitutio cum satisfactione confunditur, sic qui debitum solvit, aut rem furto sublatam restituit, dicitur satisfecisse creditori, & vero domino; in præsenti sumitur restitutio rigorose, prout est illati damni compensatio: & hoc modo

3. Restitutio recte definitur: *Actus justitiæ commutativæ, quo secundum æqualitatem res ad rem redditur alicui aliquid, in quo ipse materialiter, vel formaliter læsus est*: id est quo res accepta restituitur, vel damnum illatum compensatur; ad hoc enim tendit restitutio, ut servetur æqualitas inter partes, & damnum alicui illatum reparetur, & quidem secundum æqualitatem rei ad rem, quia Justitia commutativa, cujus actus est restitutio, respicit æqualitatem arithmeticam, quæ versatur inter rem, & rem, & reddit unicuique quod suum est. Dicitur: *in quo quis materialiter vel formaliter læsus est*, quia restitutio stricte sumpta, sicut sumitur in præsenti, supponit læsionem, & injuriam saltem materialem, in quo differt a restitutione large sumpta, per quam redditur mutuum, depositum, & pignus; & a satisfactione, per quam compensatur injuria; & a solatione, per quam reddi potest res debita solo titulo Caritatis, gratitudinis, aut Religionis, in quo conveniunt Doctores communiter.

4. Dubium solum est: *an talis obligatio restitutionis consurgat tantum ex violatione justitiæ commutativæ, vel etiam ex violatione justitiæ distributivæ*; pro quo nota, ex dictis *tract. præced. cap. 1. dub. 4.* Justitiam particularem dividi tamquam in duas species, in commutativam, & distributivam. Commutativa est illa, quæ versatur in commutationibus, & commerciis hominum particularium, ponendo in illis æqualitatem arithmeticam cum jure stricto, & privato, quod quisque habet, non attendendo ad qualitates, & merita personarum, sed æqualitatem rei debitæ, ut scilicet reddat quatuor pro quatuor sublatis, vel acceptis; sex pro sex; decem pro decem. Justitia vero distributiva est illa, quæ versatur in distributione bonorum, & onerum communitatis, ut sunt dignitates, præmia, officia, beneficia, & spolia bellica, quæ dividuntur inter milites cum proportione ad merita, dignitatem, & vires cujuscumque, habita proportione geometrica, ut si habenti merita ut octo, tribuitur præmium ut quatuor, habenti merita ut viginti, tribuatur præmium ut decem.

5. Resp. cum sententia communi, restitutionem esse actum solius Justitiæ commutativæ, non distributivæ. Ratio est, quia restitutio per se ordinatur ad reparandum damnum illatum, & ponendam æqualitatem arithmeticam dati, & accepti, tantum scilicet reddendo, quantum ablatum est, nullo habito respectu ad merita; seu dignitatem personarum, quibus facienda est restitutio, quod est proprium solius justitiæ commutativæ, non distributivæ, quæ tantum distribuit, & dividit bona communia inter privatas personas, non servando æqualitatem arithmeticam, sed geometricam, dando scilicet magis, vel minus pro majori, vel minori dignitate, ac meritis personarum, quibus talia bona sunt distribuenda, & sic restitutio est actus solius justitiæ commutativæ, prout cum D. Thom. 2. 2. *qu.* 62. tenent Lugus *de Just. disp. 1. sect. 3. n. 31.* Bonacina *disp. 1. de restit. qu. & part. 1. n. 10. 11. & 12.* Lessius *lib. 2. cap. 1. & cap. 32. dub. 3.* Rosignol. *prænot. 1. n. 1.*

6. Dices: distributor bonorum communium, si illa non distribuat secundum merita, & dignitatem personarum, sed plura tribuat minus merenti, peccat, & tenetur ad restitutionem damni magis merentibus illati; ergo quia restitutio est actus etiam justitiæ distributivæ: quod clare patet in eo, qui ex testamento debet aliqua bona distribuere pauperibus, aut alumnis alicujus Collegii, servata proportione meritorum, doctrinæ, aut paupertatis, qui certe tenetur ad restitutionem, si bona distribuit, non servata tali proportione meritorum doctrinæ, & paupertatis; ergo restitutio non est actus solius justitiæ commutativæ, sed spectat etiam ad justitiam distributivam.

7. Resp. in allatis, & similibus casibus obligationem restitutionis non oriri ex justitia distributiva, sed commutativa, quæ sæpissime, & fere semper cum distributiva conjungitur, & cum eadem violatur: nam bona communia, vel sunt distribuenda ex vi donationis, legis, testamenti, & contractus, vel ex sola quadam decentia, & convenientia; si ex sola decentia, iniquus distributor peccat quidem contra debitum morale inique distribuendo, sed non contrahit obligationem restituendi, quia nullius jus legale, & rigorosum violat: si vero tenetur distribuere ex testamento, donatione, vel contractu, inique distribuendo peccat non contra justitiam distributivam, sed commutativam, & contrahit obligationem restituendi, quia violat jus proprium, & rigorosum, quod ex tali lege, donatione, contractu, vel testamento quisque acquirit, ut sibi bona illa distribuantur, servata proportione dignitatis, seu paupertatis, perinde ac si talis portio sibi fuisset determinate legata, prout tenent Bonacin. Lugus, Lessius, & alii apud ipsos.

8. A fortiori sequitur, ex violatione caritatis, & aliarum virtutum, non oriri obligationem restituendi, quamvis secutum sit damnum proximo, quia res aliena non usurpatur, nec violatur jus proprium, & rigorosum alicujus, sed debitum dumtaxat morale, ad quod quia obligatur ex sola honestate virtutis, non ex jure activo alterius. Quare qui, cum debet ex caritate, non succurrit proximo indigenti, non tenetur ad restitutionem damni inde secuti. Lugus *sect. 3. n. 32.* Bonacina *punct. 3. §. unic. n. 2.* Navar. *in Sum. cap. 17. n. 11.*

DUBIUM II.

An, & quomodo restitutio sit necessaria ad salutem.

9. RESp. restitutionem, seu compensationem damni illati necessariam esse ad salutem, non necessitate medii, sed præcepti. Ratio primæ partis est, quia illud dicitur necessarium necessitate medii, sine quo non potest haberi salus, etiamsi inculpabiliter ex impotentia, vel ignorantia omittatur; at hujusmodi non est restitutio, quæ, si ex impotentia, vel ignorantia omittatur, non impedit salutem; ergo non est necessaria necessitate medii. Deinde, quia ex notatis *in tract. de Eucharist. cap. 1. dub. 3.* illud dicitur necessarium ad salutem necessitate medii, quod directe, immediate, & positive concurrit ad salutem, caussando gratiam illam, sine qua non potest haberi salus; hac enim ratione Baptismus dicitur necessarius ad salutem, aut in re, aut in voto, quia confert primam gratiam, justificantem a peccato originali, sine qua non potest haberi salus: similiter pœnitentia est necessaria lapsis post baptismum, quia dat primam gratiam remissivam peccatorum, sed hujusmodi non est restitutio, quæ non concurrit ad salutem directe, caussando gratiam, sed indirecte removendo, prohibens scilicet peccatum injustitiæ, quod perseverat in continuata detentione rei alienæ, & impedit gratiam, & salutem. Votum autem ipsius in contritione contentum, quamvis aliquando conducat ad gratiam, conducit solum dispositive, non directe, formaliter, & immediate. Bonacina *punct. 2. num. 2.* Rosignol. *prænot. 2. num. 1.* Taullench *lib. 7. in Decalog. cap. 6. dub. 1. num. 11.*

10. Nec dicas: Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ, dicitur necessarium necessitate medii, saltem in voto, quia tale votum virtualiter includitur in ipsa contritione; sed etiam votum restituendi virtualiter includitur in contritione; ergo restitutio, saltem in voto, necessaria erit necessitate medii ad salutem. Sed contra dico; Sacramentum baptismi, & pœnitentiæ, non ex eo præcise dici necessarium necessitate medii, saltem in voto, quia virtualiter continetur in contritione, secus observantia cujuscumque præcepti, etiam positivi, deberet hoc modo dici necessaria necessitate medii, saltem in voto, sed quia per se primo, & directe ordinatur ad caussandam primam gratiam justificantem; cujusmodi non est restitutio, quæ proinde, nec in re, nec in voto, est necessaria necessitate medii ad salutem, quamvis debeat quis habere propositum restituendi, quando illa fuerit sibi possibilis, sicut habere debet propositum vitandi quodcumque peccatum, & adimplendi legem.

11. Ratio secundæ partis est, quia non minus est contra justitiam rem alienam retinere, invito domino, quam illam accipere; siquidem rem alienam retinere est continuata injustitia, & continuatum furtum; quare, cum necessarium sit ad salutem rem alienam non accipere, juxta præceptum Decalogi: *Non furtum facies*, ita necessarium erit illam non retinere, invito domino, & sic necessarium erit restituere. Quapropter S. Aug. *Ep.* 52. quæ est ad Macedonium dicit; *si res aliena, propter quam peccatum est, reddi potest, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur; si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*; si nimirum restitui potest. In Scriptura sæpe restitutio præcipitur, ad Rom. 13. *Reddite omnibus debitum: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem honorem. Nemini quidquam debeatis.* Tobiæ 2. *Videte, ne furtivus sit, reddite illum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Lev. 6. *Qui vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, aut quidquam* simi-

simile commiserit omnia integrum primum restituat. Matth. 22. *Reddite, quæ sunt cæteris, cæteri*, & sic restitutio necessaria est ad salutem necessitate præcepti, tum naturalis, tum Divini, tum humani, cum omnibus illis furtum prohibeatur: & ita tenent Doctores communiter, Lugus *disp.* 8. *sect.* 2. *n.* 23. Bonacina *punct.* 2. *nu.* 3. Trullench *cap.* 6. *dub.* 1. *n.* 10. Rosignol. *prænot.* 2. *n.* 4.

12. Dices: *qui retinet aliena, domino consentiente, vel saltem non rationabiliter invito, non tenetur restituere; sed qui aliena injuste accepit, ea retinet, Domino non rationabiliter invito, immo debente consentire; nam unusquisque tenetur ex caritate postponere propria bona temporalia saluti spirituali proximi, ac proinde ne proximus peccet, & detrimentum spirituale patiatur, tenetur quilibet propria bona temporalia, etiam injuste accepta ei condonare, qua ratione cessat obligatio restituendi*. Sed contra dico; tunc solum esse postponenda bona temporalia propria saluti spirituali alienæ, quando talia bona sunt simpliciter ad alienam salutem necessaria, non quando sunt necessaria ex aliena malitia, secus quis traheret emolumentum ex propria malitia, & facile quisque posset alium ex caritate obligare ad sibi elargienda propria bona, dicendo; velle se *v. g.* suspendere, nisi propria ille alter elargiatur; immo furtum numquam esset peccatum, quia dominus deberet donare rem illam volenti furari, ad evitandum peccatum proximi. Potest autem fur suum malum spirituale vitare absque eo, quod dominus ei remittat, aut condonet restitutionem; si autem ex sua malitia hoc facit, non obligat dominum ad condonandum.

13. Dices 2. *Christus* Lucæ 11. *postquam Pharisæos de rapina reprehendit, subjungit*, Verumtamen, quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis; *ergo ut quis mundetur a rapina, & furto, non est necessaria restitutio, sed sufficit eleemosyna*. Sed contra dico; ibi non excludi necessitatem restitutionis, sicut nec excluditur pœnitentia, sine qua fures non mundantur. Itaque non vult Christus eleemosynam sufficere, sed esse optimam dispositionem ad munditiam animi, sicut *Daniel.* 4. dum dicitur *peccata tua eleemosynis redime*, non significatur, sufficere eleemosynam ad peccata redimenda, sed valde conducere, dummodo alia requisita non desint. Alii, cum quibus sentit Molina *disp.* 716. accipiunt illa verba tamquam irrisorie, & ironice dicta contra falsam doctrinam Pharisæorum, putantium, solam eleemosynam sufficere ad delenda peccata, ut sensus sit: post tot crimina, & rapinas date eleemosynam, & cogitate vos statim mundos, & sanctos esse, cum tamen peccatores, & raptores sitis: unde non præcipit Christus, sed irridet talem eleemosynam, tamquam de se sufficientem ad delenda peccata, ut falso existimabant Pharisæi, quam interpretationem ex Cajet. refert etiam, & sequitur Petrus de Aragon. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 2. *§. hoc supposito, ad primum*

14. Disputant hic Doctores, utrum præceptum illud primario, & principaliter sit positivum, præcipiens actum positivum; an vero sit negativum, prohibens actum positivum. Prima Sententia docet, esse positivum: nam illud præceptum est affirmativum, quo præcipitur aliqua actio positiva, negativum vero, quo talis actio prohibetur; sed præcepto restitutionis præcipitur actio positiva, reddendi scilicet alteri rem suam, vel compensandi damnum illatum; ergo præceptum illud est affirmativum. Adde, quod præceptum restitutionis non obligat semper, & pro omni tempore, sed solum quando adest opportunitas restituendi, quod est proprium præcepti affirmativi. Sic Bonacina *punct.* 2. *n.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 10. *n.* 49. Tambur. *lib.* 8. *in Decal. tr.* 3. *cap.* 1. *n.* 5. Sotus *lib.* 4. *de just. qu.* 6. *art.* 2.

15. Secunda Sententia, cui adhæreo, docet, quod licet præceptum restitutionis secundum formam verborum videatur positivum, re vera tamen est negativum, pertinens ad septimum præceptum Decalogi non furandi, quia per illud præceptum primario prohibetur detentio rei alienæ, licet secundum corticem verborum videatur imperari actio positiva, quæ tamen per accidens solum imperatur, ne detineatur res aliena, qua ad dominum utcumque redeunte, statim cessat obligatio auferentis. Potest autem ad dominum redire per actionem ejusdem domini, aut cujuslibet alterius, aut etiam per se ipsam, si sit brutum, aut servus, nihil prorsus agente, aut etiam nolente agere per se, vel per alium, illo, qui læsit. Obligat etiam præceptum restituendi semper, & pro semper eo modo, quo est præceptum; non enim est præceptum, nec obligat simpliciter, ut alienum non retineas, sed ut non retineas, domino rationabiliter invito; aliquando autem propter circumstantias speciales dominus non est rationabiliter invitus circa retentionem, puta, quod restitutio differatur per horam, aut ad breve tempus, non est malum, nec contra voluntatem Domini. Quare præceptum restitutionis debet dici principalius negativum, prohibens detentionem rei alienæ, quod affirmat D. Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 8. *ad* 1. dicens: *Præceptum de restitutione facienda quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere*. Ita Petrus Navar. *lib.* 1. *de restit. cap.* 1. *dub.* 3. Lugus *disp.* 8. *num.* 18. Layman *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 2. Rosignolus *prænot.* 2. *num.* 5.

DUBIUM III.

Unde generaliter oriatur obligatio restituendi.

16. DUæ sunt radices restitutionis, prout ex duplici capite oritur obligatio restituendi. Prima est res accepta, secunda injusta acceptio, seu damnificatio. Ex primo capite nascitur obligatio restituendi, quando res aliena sine mea culpa ad me devenit, & apud me existit, ut si eam emi a fure, quem ignorabam esse furem, sed putabam verum dominum, vel per inadvertentiam accepi cum rebus meis, vel quacumque alia ratione sine mea culpa apud me existit; teneor enim ad restitutionem, quia semper res est aliena, & clamat ad dominum, qui dum ea caret, minus habet, quam debeat habere, & ego plus habeo. Secundo nascitur obligatio restituendi ex injusta acceptione, per quam intelligitur damnum quodlibet illatum alteri cum peccato injustitiæ, quod proinde teneor restituere, quamvis res alterius amplius non existat apud me, nec ex ea factus sim locupletior; si enim illam habeam, teneor ex duplici capite, scilicet ex re accepta, & ex injusta acceptione: magnum autem est discrimen inter utramque radicem, nam in multis casibus excusatur a restitutione, qui solum tenebatur ratione rei acceptæ, in quibus non excusatur, qui tenetur ex injusta acceptione, ut postea dicam, cum de Possessore bonæ, & malæ fidei.

17. Addunt nonnulli cum Bonacina tertiam radicem, quam vocant ex contractu, sed non videtur necessaria, cum possit reduci ad unam ex assignatis; nam, vel teneris restituere ex contractu licito, puta ex deposito, mutuo, pignore, commodato, & tunc obligatio restituendi reducitur ad primam radicem, scilicet ad rem acceptam: si autem teneris restituere ex contractu injusto, puta ex usura, fraude, ex damno dato, aut alia injustitia, quia vendidisti ultra summum pretium justum, aut emisti ultra infimum, obligatio restituendi reducitur ad secundam radicem, scilicet ad injustam acceptionem, ad quam reducuntur omnes læsiones injustæ; unde Doctores magis communiter duplicem tantum assignant radicem restitutionis. Difficultas solum est ex quanam culpa, seu delicto, consurgat obligatio restituendi propter injustam læsionem proximi; si enim læsio sequatur absque ulla culpa, non erit læsio formaliter injusta, sed materialiter tantum, ex qua non oritur obligatio restituendi: proinde

18. Nota, culpam aliam esse Theologicam, aliam juridicam; Theologica, quam considerant Theologi, est peccatum mortale, aut veniale; Juridica, quam considerant Jurisperiti, nihil est aliud, quam omissio diligentiæ debitæ, ex qua sequitur alteri damnum: & hæc triplex est, lata, levis, & levissima. Culpa lata est omissio illius diligentiæ, seu cautelæ, quam passim adhibent ejusdem sortis, & conditionis homines, ut si quis librum commodatum relinquat foris ante ostium, qui proinde deperditur; sic enim dicitur commisisse latam culpam in custodiendo libro, eo quod in eo custodiendo non adhibuerit eam diligentiam, quam communiter viri prudentes adhibere solent; quod verum est, etiamsi librum ibi reliquerit ex inculpabili oblivione illum excusante a peccato Theologico, seu culpa coram Deo, non tamen excusatur a culpa juridica, seu civili, quæ homini potest esse involuntaria, & absque culpa Theologica.

19. Culpa levis est omissio illius diligentiæ, & circumspectionis, quam solent diligentiores illius artis, vel professionis adhibere, ut si quis librum sibi commodatum relinquat in cubiculo, sed ostium relinquat apertum; nam homines diligentiores solent ostium claudere, & sic, non claudendo, dicitur commisisse culpam levem. Culpa levissima est omissio illius diligentiæ, quam prudentissimi, & diligentissimi adhibent, qualis esset, si librum sibi commodatum relinquat intra cubiculum, & ostium claudat, sed non tentavit manu, an illud bene sit obseratum, quam diligentiam adhibere solent prudentissimi, & diligentissimi, prout cum Navar. Salonio, Rebello, & aliis explicat Bonacina *disp.* 3. *de contr. qu.* 1. *punct.* 6. Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *de restit. punct.* 2. *n.* 9.

20. Porro difficultas procedere potest, *quando ex officio tenebaris impedire malum, & non impedisti, vel quando ad id tenebaris ex contractu, vel quando culpa fuit*

extra

extra contractum, & officium. Et quidem certum videtur apud omnes, regulariter loquendo, neminem teneri ad restitutionem ob damnum absque ulla prorsus ejus culpa juridica, & Theologica alteri subsecutum; quia tunc non potest teneri ex re accepta, quam non habet, nec ex injusta actione, quæ nulla datur, ubi nulla culpa committitur, ut si quis in loco deserto, per quem non solent homines pertransire, nec animalia domestica, sagittam emittat, adhibita omni diligentia, ne cuipiam damnum eveniat, si tamen, non obstante omni cautela, damnum alteri sequatur, non tenetur restituere, quia nulla intercedit culpa; unde cap. ult. *de injuriis, & damno dato*, Pontifex sic ait: *Sane licet, qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse, secus est tamen in illo dicendum, qui, ut non accideret, de contingentibus nihil omisit*.

21. Certum e contra est, illum teneri ad restitutionem totius damni, qui dolo, seu fraude damnum dedit, quia peccavit mortaliter, si damnum ad quantitatem notabilem ascendat, quia ibi datur culpa lata juridica simul, & Theologica: immo talia injuste damnum inferens, rem alienam destruendo, domum comburendo, segetes conculcando tenetur restituere non solum valorem damni dati, sed etiam lucrum cessans, & quodlibet aliud damnum ex illa injusta læsione caussatum, ut docent communiter Doctores. Tenetur etiam ad restitutionem damni, si sola intercedat culpa lata cum plena advertentia, sine fraude, & dolo, ut habetur in cit. cap. fin. *de injuriis* ibi: *Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verosimiliter posse contingere*. Dixi; *regulariter loquendo*, quia propter contractum potest quis teneri, quatenus se obligavit ad omnem eventum, & casus fortuitos, & inopinatos, juxta inferius dicenda. Sed, ut distinctius procedamus, sit

DUBIUM IV.

Ex qua culpa oriatur obligatio restituendi ex damno dato extra Contractum, & Officium.

22. Resp. qui extra contractum, & officium caussat alteri grave damnum non tenetur ad restitutionem ex delicto, nisi tale damnum caussaverit cum culpa lata, & peccato mortali, nec sufficit culpa levis, aut levissima. Ratio primæ partis est, quia nemo tenetur adhibere majorem diligentiam in suis operibus, ne alteri noceat, quam ejusdem conditionis homines passim in similibus casibus adhibere solent, & eam adhibendo facit totum id, ad quod obligatur, & sic nullam committit injustitiam, nec tenetur ad restitutionem, si malum alteri sequatur; nam hoc malum censetur casuale, & involuntarium operanti, qui non tenetur exquisitissimam diligentiam adhibere, licet teneatur adhibere illam, quam homines ejusdem conditionis communiter præstare solent, qua sola non adhibita, tenebitur restituere; ergo solum ex culpa lata, non vero ex levi, aut levissima oritur obligatio restituendi: tum quia, qui ordinariam adhibet diligentiam, ne alteri noceat, non tenetur restituere damnum secutum ratione rei acceptæ, quæ supponitur consumpta, nec amplius extare, nec ratione injustæ actionis, quia ista non fuit culpabilis, & sic ex nullo capite tenetur restituere. Sic Petrus Navarra *lib. 2. de restit. cap. 1. a n. 57.* Villalob. *tr. 11. diff. 4. num. 11.* Lessius *lib. 2. cap. 7. n. 24.* Rosignol. *de restit. disquisit. 1. §. 5. n. 4.* Lugus *disp. 8. sect. 4. a nu. 49.* Trullench *lib 7. in Decal. cap. 6. dub. 3. n. 4. & 6.* Andreas a Matre Dei *cap. 1. §. 2. n. 16.*

23. Oppositum tenent Abbas in cap. ult. *de injur. & damno dato*. Molina *de restit. qu. 9.* Angelus *verb. Culpa §. 6.* Adrianus *in 4. de restit. §. Utrum in foro animæ*, Barbatius, Panormit. & alii relati a Molina *tom. 7. disp. 698.* Idque constat ex cap. *ultim. de Injuriis, & damno dato*: ibi: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt, Jure super his satisfacere te oportet: nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verosimiliter posse contingere, vel jacturam*. Constat etiam ex Jure Civili *l. 2. & seqq. ff. ad legem Aquiliam*. Verum hujusmodi Leges, vel loquuntur de culpa lata, & de negligentia lato modo culpabili, vel spectant ad forum externum, nec obligant, nisi post Sententiam Judicis: & juste imponitur dicta pœna etiam pro culpa levi, ut quisque cautior, & diligentior fiat, ne ex suis operibus tertius damnum patiatur, sicque pax communis, & publica Civium quies, atque indemnitas bonorum suorum conservetur, & præcludantur aditus innumeris fraudibus, & malitiis hominum, quæ in foro externo sunt difficilioris probationis, & sic pro foro externo tantum vim habent prædictæ Leges.

24. Culpa lata nec etiam de se sufficiens est ad inducendam obligationem restitutionis in foro conscientiæ, nisi conjuncta sit cum culpa theologica gravi, quæ sit peccatum lethale: nam ubi nulla prorsus datur culpa Theologica, quamvis sit malum subsecutum, nulla datur in foro conscientiæ læsio injusta, & sic non potest dari pro foro conscientiæ obligatio restituendi ante Sententiam Judicis, quia culpa juridica lata solum facit, ut læsio præsumatur injusta in foro externo, non vero facit, quod in veritate, quam respicit forum conscientiæ, sit injusta.

25. Culpam hanc Theologicam debere esse gravem, & peccatum mortale, negant plures, volentes, sufficere culpam theologicam, quæ sit peccatum veniale, quia nimirum qui alterum injuste lædit, tenetur damnum illatum restituere; sed qui per culpam venialem damnum infert, revera alterum injuste lædit; & sic tenetur tale damnum restituere. Ita P. Navar. Rebell. & Reginaldus, quos sequitur Bonacina *disp. 1. de restit. qu. 1. p. 3. §. un. nu. 5. 8. 9. & 10.* Gaspar Hurtad. *disp. 5. de restit. diff. 1.* Molina *tom. 3. disp. 699.* Layman *lib. 3. tr. 3. par. 1. c. 6. n. 4.* sequitur Rosignol. *disquisit. 1. §. 5. n. 5.* quorum aliqui docent, non esse obligationem restituendi totum damnum, sed solum partem pro qualitate culpæ. Addit Bonacina n. 9. posse esse adeo levem culpam venialem in damno inferendo, ut vix adsit obligatio ad centesimam partem damni restituendam, & e contra posse esse adeo gravem intra lineam venialia, ut obliget ad decimam partem: quando vero dubium est, an culpa fuerit mortalis, an venialis, obligatur damnificator ad restitutionem dimidii damni, quia sic recta ratio dictare videtur.

26. Verum probabilius est, non sufficere culpam venialem, sed requiri culpam theologicam, quæ sit peccatum mortale. Ratio est, quia obligatio restituendi, quæ oritur ex culpa lata, quæ non sit peccatum mortale, sed dumtaxat veniale, non est obligatio gravis, nec obligatio levis; ergo nulla datur talis obligatio: & quidem non potest esse obligatio gravis, nam ista supponit culpam gravem, & injustitiam gravem, quia proportionari debet culpæ, & injuriæ illatæ, ex qua nascitur talis obligatio, & sic ex culpa, & injuria, quæ non sit gravis, & peccatum mortale, non potest oriri gravis obligatio sub lethali, cum effectus non possit excedere virtutem suæ caussæ. Sed nec etiam oritur obligatio levis, nam obligatio levis dicitur illa, quæ oritur, & specificatur a materia, & nocumento levi, sicut obligatio gravis oritur, & specificatur a materia, & nocumento gravi; nemo enim sub veniali tenetur centum aureorum millia restituere; ergo qui grave alteri attulit nocumentum sine culpa gravi, quæ sit peccatum mortale, nullam contrahit obligationem restituendi.

27. Deinde ex culpa solum veniali non nascitur obligatio restituendi totum damnum illatum, ut cum aliis tenet Bonacina, nec partem aliquam damni illati; nam illa pars, quæ dicitur restituenda, vel est in se gravis, & notabilis, & tunc obligat sub culpa gravi, quæ dari non potest, si injuria fuit levis, cum obligatio non possit esse major in suo ordine, quam injuria, ex qua nascitur in suo, ut notat Lessius *lib. 2. cap. 7. n. 27.* & Lugus *disp. 8. n. 59.* Si autem dicatur levis, & minima, de illa non loquuntur Adversarii, nec habetur in consideratione.

28. Conf. ex culpa juridica levi, seu levissima non oritur in foro externo ulla obligatio restituendi, ut supra diximus cum communi Sententia Doctorum, ergo nec in foro interno nascitur obligatio restituendi ex culpa levi theologica, sed solum ex culpa gravi, quæ sit peccatum mortale. Conf. 2. Obligatio restituendi ob damnum alteri illatum, cum sit onus impositum a Justicia commutativa, est veluti pœna, quæ debet proportionari culpæ; ergo restitutio gravis non potest imponi propter solam culpam levem, & venialem. Ita tenent P. Navar. *lib. 2. de restit. cap. 1. n. 48.* Lessius *lib. 2. cap. 7. dub. 6. n. 28.* Lugus *disp. 8. n. 56.* Trullench *lib. 7. c. 6. dub. 3. n. 12.* Tambur. *lib. 8. in Decal. tr. 3. cap. 2. §. 5. num. 3.* Andreas a Matre Dei *cap. 1. punct. 2. n. 16. & 19.*

29. Culpa theologica gravis tunc solum censetur adesse, atque ab ea damnum grave fuisse caussatum, quando quis directe ex voluntate nocendi absque justa caussa damnum intulit, vel quando quis se exposuit periculo damni inferendi, cum potuisset, & debuisset abstinere a tali periculo, & actione, ex qua prævidebat, damnum grave secuturum, aut sequi posse, vel quando damnum inferri non impedivit cum posset, & ex justitia tenebatur impedire, ut habetur ex cap. ult. *de injur. & damno dato*. Quod si aliqui Doctores absolute dixerunt, ex culpa lata nasci obligationem restitutionis, ideo est, quia culpa lata raro, & difficulter invenitur sine culpa mortali theologica, si tamen hæc re vera absit, ut abesse potest, obligatio restituendi non inducitur.

30. Dices: *cum nulla est culpa, nulla est obligatio*;

cum est culpa lethalis, est obligatio gravis, & sub lethali; ergo etiam, cum est culpa venialis, erit obligatio sub veniali. Sed contra; negatur consequentia, quia, ut dixi, gravitas, aut levitas obligationis pensatur, & specificatur ex materia, & sic ubi materia est gravis, erit obligatio gravis, aut obligatio nulla: si fingas, materiam esse levem, & nocumentum leve caussatum cum plena, & perfecta advertentia, tunc inducit obligationem restituendi sub veniali. Sed de hac obligatione non procedit difficultas, sed solum quando nocumentum caussatur ex inconsideratione, & imperfecta advertentia, quæ non sit peccatum mortale, & hanc dicimus non inducere obligationem, nec gravem, nec levem.

31. Dices 2. *Quando plures rem alterius paullatim furantur, v. g. fructus vineæ alii aliorum insciis, peccatum est dumtaxat veniale; si tamen postea sciant, fuisse illatum ab omnibus grave damnum, tenetur quisque sub mortali partem suam restituere; ergo ad gravem obligationem restituendi sufficit peccatum veniale. Similiter, si pluribus acceptionibus levibus grave damnum proximo intulisti, teneris postea sub mortali totam Summam restituere, & tamen illæ acceptiones fuerant peccata venialia: ergo ex culpa veniali potest nasci obligatio gravis restituendi. Item, si projicis in mare gemmam alienam, putans illam valere tribus assibus, cum valeat mille nummos, teneris reddere mille nummos. Denique quando aliquis, alterius damni periculo prævisa, opus facit cum animo resarciendi totum damnum, si secutum aliquod fuerit, tunc sæpe contingit, ut non peccet, & tamen obligatur ad restitutionem.*

32. Resp. numquam ex peccato solum veniali posse oriri obligationem gravem restituendi; nam si plures aliquid notabile furati sunt ita ut singuli aliquid tantum leve acceperint, obligatio restituendi, si est gravis, de quo dicetur inferius, non oritur ex priori peccato, sed ex injusta retentione rei gravis, quam omnes jam scienter retinent per modum unius: & ideo omnes obligantur ad curandum, quod dominus non careat re sua notabili, quam detinent, quod aliter fieri non potest, nisi singuli suam partem restituant. Idem dicendum de modicis furtis, obligationem scilicet restituendi non nasci immediate ex illo furto, sed ex retentione totius illius summæ, quæ retentio est culpa gravis. Ille, qui projicit in mare gemmam valentem mille nummos, putans illam valere tantum tres asses, non tenetur restituere integrum pretium gemmæ, quia non commisit peccatum, nisi veniale, cui tanta illa pœna non potest esse proportionata; si autem putasset, suam valere centum aureos teneretur reddere totum pretium gemmæ, quia commisisset peccatum mortale, cui proportionata est pœna reddendi mille aureos. Qui, præviso periculo damni alieni, facit aliquid cum animo illud restituendi, si secutum forte fuerit, obligavit se ad illud damnum reparandum, unde debet illud reparare propter tacitum contractum, quo se obligavit.

33. Hinc sequitur, neminem teneri reparare damnum grave alteri illatum ex culpa juridica levi, aut levissima, vel etiam ex culpa lata, quæ non est conjuncta cum culpa theologica, quæ sit peccatum mortale; unde qui egrediens cubiculum, & alia cogitatione distractus, illud ex oblivione reliquit apertum, non tenetur reparare damnum, si furtum sequatur: qui inculpabiliter segetes alterius incendit, aut conculcavit: qui puteum ex oblivione reliquit apertum, si aliquis incidat in illum, non tenetur de damno: qui habebat lucernam juxta periculosum locum, si somno correptus, aut alia superveniente caussa, oblitus est illam extinguere, non tenetur reparare damnum, si sequatur incendium; nam hi, & similes censentur casus fortuiti, qui sunt extra humanam prudentiam, & contingunt sine peccato, & per consequens sine obligatione reparandi damnum secutum, ut cum Rebello, Lessio, P. Navarra, & Medina tenet Bonacina *p. 3. §. unico n. 6.*

34. Quod totum verum est, etiamsi damnum sequatur, dum quis dat operam rei illicitæ, ut si quis noctu domum ingrediatur ad furandum, & eam inadvertenter incendat, vel aliquid inadvertenter pedibus, vel alio modo frangat, quia talis casus est per accidens, nec intentus a fure, immo est præter omnem suam intentionem, & absque culpa, ex qua nascitur obligatio restituendi. Bonacina supra *nu.* 7. & 11. ubi addit, quod ille, qui passus est damnum, poterit agere in judicio contra eum qui damnum intulit, & quod sibi fuerit per sententiam adjudicatum tuta conscientia retinere, juxta *l. in lege ff. ad legem Aquiliam*, sequendo præsumptionem fori externi; quamvis fur in conscientia non teneatur restituere, cum careat culpa respectu damni per accidens secuti, & sententia fundetur in falsa præsumptione. Ita etiam tenent Lugus *tom.* 1. *de just. disp.* 18. *n.* 87. Tamburin. *lib.* 6. *cap.* 4. *§.* 2. *n.* 2. Trullench *lib.* 7. *in Decalog. c.* 6. *dub.* 3. *n.* 7. *& cap.* 8. *dub.* 1. *num.* 8. Andreas a Matre Dei *p.* 2. *num.* 14.

35. Ex hoc principio infert Leander *par.* 5. *tr.* 2. *disp.* 16. *qu.* 7. non incurrere irregularitatem illum, qui dans operam rei illicitæ, etiam periculosæ, aut sibi ex aliquo jure prohibitæ, per accidens, & involuntarie caussavit homicidium, quia tale homicidium procedens ex opere illicito, etiam periculoso, est omnino casuale, & involuntarium in ratione homicidii, ac proinde inculpabile; unde non potest caussare irregularitatem, quæ provenit ex delicto: & *q.* 11. infert, Clericum non fieri irregularem, qui incumbens venationi periculosæ casu hominem occidit, si diligentiam adhibuit, ne sequeretur homicidium, quia ad contrahendam hanc irregularitatem, parum refert, quod res prohibita, cui quis vacat, sit periculosa, & ob id interdicta, nec ne: solum enim attendendum est, ut homicidium sit aliquo modo voluntarium, & mortaliter peccaminosum, & quod ad illud specialiter concurrat committens: ita similiter dicendum est, non contrahere obligationem restituendi, qui dans operam rei illicitæ, damnum caussat per accidens, & involuntarie, quia sic agendo non peccat contra justitiam.

DUBIUM V.

Solvuntur aliquæ Difficultates.

36. PRima difficultas est: *an ex culpa juridica levi, seu levissima conjuncta cum animo nocendi, nascatur in foro conscientiæ obligatio restituendi*: puta quis adhibuit diligentiam illam ad præcavendum malum, quam communiter adhibere solent homines suæ conditionis, sed abstinuit ab exactiori, & exactissima, ea intentione, & animo, ut alteri malum sequatur; ante projectionem sagittæ diligentiam communem adhibuit, quam homines communiter adhibere solent, ut cognosceret, an esset homo, vel fera; noluit tamen adhibere exactiorem, & majorem diligentiam, quam diligentiores, seu diligentissimi adhibere solent, ut si forte pertranseat inimicus illum occideret loco feræ. Contentus est Medicus, seu Chirurgus in curatione infirmi adhibere diligentiam illam, ad quam tenetur; noluit tamen ex odio, seu inimicitia, majorem adhibere diligentiam, ut mors infirmi sequatur: quæritur ergo; an, si de facto mors sequatur, aut inimicus occidatur, teneatur ad aliquam restitutionem. Quod est idem, ac quærere: *an, ex ignorantia invincibili consequenti, orta ex pravo affectu teneatur quis ad restitutionem damni secuti.*

37. Affirmant plures, quia licet dari possit effectus, qui non sit ita connexus cum sua caussa, ut qui vult caussam censeatur velle effectum, si tamen accedat intentio determinata illius effectus, & ex tali intentione ponatur caussa, ut sequatur effectus, hæc intentio est sufficiens ad ponendam connexionem inter caussam, & effectum, adeo ut, qui vult caussam positam cum tali intentione censeatur velle effectum, & quod effectus sit voluntarius operanti, & ponenti caussam; ad rationem enim caussæ multum conducit intentio operantis: sic eadem tentatio a Deo permissa, vel posita ad probationem, non facit Deum caussam peccati, nec proprie tentantem ad peccatum, eadem vero immissa a Dæmone ex intentione peccati denominat Dæmonem tentatorem, & caussam peccati subsequentis, quia nimirum Deus, & Dæmon ex diversa intentione tentationem illam ponunt. Similiter inordinate cœnans, si prævideat secuturam pollutionem, non dicitur illius caussa, nec ipsi imputatur, si eam non intendat; bene tamen si inordinate cœnat, ut pollutio sequatur: & ideo si pollutio voluntaria esset reservata, vel sub aliqua censura prohibita, qui sic eam intenderet incurreret reservationem, & censuram; ita licet omittens majorem illam diligentiam ad præcavendum malum, non dicatur illius caussa, nec teneatur restituere si sequatur, quia nimirum illam ponere non tenebatur; si tamen illam omittat, ut malum sequatur, jam censetur vera caussa illius mali, quod proinde reparare tenetur. Sic, pluribus relatis, Lugus *disp.* 8. *sect.* 6. *n.* 75. quem sequitur Andreas a Matre Dei *c.* 2. *punct.* 2. *n.* 22.

38. Probabilior est Sententia opposita, negans ex tali culpa oriri obligationem restituendi. Ratio est, quia ex culpa juridica levi absque intentione nocendi, non oritur obligatio restituendi, ut diximus *dub. præced.* ergo nec oritur talis obligatio, quamvis illa culpa conjuncta sit cum animo, & voluntate nocendi; nam sola intentio non facit, ut opus sit injustum, & obliget ad restitutionem, si alias tale non sit ex natura sua, & ex circumstantiis: cum ergo, præcisa intentione nocendi, opus non sit injustum, nec inducat obligationem restituendi, cum sit caussatum ex culpa levi, quam quis vitare non tenebatur ex justitia, nec erit injustum, nec caussativum obligationis ex justitia, quamvis sit conjunctum cum intentione nocendi. Peccabit quidem contra Caritatem, qui habet animum nocendi, non contra

tra justitiam, cum non ponat actionem, quam ex justitia vitare teneatur. Ita tenent Lessius *lib. 2. cap. 7. n. 25. & cap. 9. n. 113.* Bonacina *disp. 2. qu. ult. sect. 2. pun. ultim.* Diana *part. 5. tr. 4. resol. 51.* Sanchez *lib. 1. consil. cap. 4. dub. 5. n. 9. & lib. 2. cap. 1. dub. 49. num. 6.* Turrianus *disp. 21. dub. 3.* Gaspar Hurtado *disp. 5. de restit. diff. 3. & disp. 10. diff. 3.* Tambur. *lib. 6. cap. 4. §. 1. a n. 3. & §. 3. n. 28. & lib. 8. tr. 3. cap. 2. §. 5. n. 13.*

39. Ad fundamentum oppositum dicendum est, ponentem caussam, ex intentione, ut sequatur effectus malus, peccare mortaliter contra caritatem ex pravo affectu, & mala voluntate, & etiam affective contra justitiam, si habeat animum occidendi, seu graviter lædendi: non tamen effective peccat contra justitiam, nec contrahit obligationem restituendi, si non faciat actionem externam injustam, quamvis per accidens malum sequatur; nec sufficit prava intentio, quæ de se non facit, actionem esse injustam, & obligatoriam restitutionis, quando talis non est ex natura sua, aut ex circumstantiis; falsum enim est, pravam intentionem supplere connexionem caussæ cum effectu, & facere quod illa sit vera caussa effectus, quæ, præcisa prava intentione, talis non est. In nostro casu, qui omittit majorem diligentiam, quam præstare posset ad præcavendum malum, ex intentione, ut mors, & malum sequatur, peccat mortaliter contra Caritatem, aut etiam affective contra justitiam malum alterius desiderando, sed non contrahit obligationem restituendi, quia realiter non peccat contra justitiam, nec facit actionem injustam, quia non habet obligationem ponendi majorem illam diligentiam, qua posita vitari posset damnum alterius: nec obstat prava voluntas, & intentio lædendi, quæ non obligat ad restitutionem, nec facit actionem, seu omissionem esse contra justitiam.

40. Inordinate cœnans, ut pollutio sequatur in somnis, peccat illam intendendo, & desiderando, & pollutio sequens ipsi imputatur tanquam volita, & amata, non tanquam procurata, cum ex obligatione castitatis non teneatur vitare cœnam, in qua si prævideatur, sed non intendatur pollutio, non imputatur cœnanti, nec est peccaminosa; si vero intendatur, est peccaminosa, & imputatur, non tanquam procurata, sed tanquam volita, & amata, cum cœna non habeat malitiam contra castitatem, sed contra temperantiam, si sit immoderata, satisque erit in confessione dicere, se desiderasse pollutionem: si alicubi illa esset reservata, aut sub excommunicatione prohibita, hanc non incurreret, qui ex intentione pollutionis immoderate cœnaret, quia non diceretur procurasse pollutionem, sed illam amasse, & voluisse, quæ voluntas, cum sit mere interna, non subjacet reservationi, nec excommunicationi.

41. Multo minus ex obligatione justitiæ tenetur restituere, qui ex ignorantia invincibili concomitante damnum alteri caussat, seu alterum occidit, quem invincibiliter credebat esse feram, quamvis illum occidisset, si cognovisset esse hominem; quia actio exterior homicidii facta cum ignorantia concomitante non est injusta, nec imputatur ad culpam; nam ignorantia concomitans excusat actum externum a peccato, quamvis non excuset pravum affectum internum, ut diximus supra *tr. 1. cap. 1. n. 41.* & tenent Bonac. *de restit. quæst. 1. pun. 3. §. unico n. 7.* Dicast. Lugus, Lessius, & Reginaldus, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *pun. 2. n. 15.*

42. Secunda difficultas est: *an qui delictum, seu homicidium committit, aut damnum infert, quod alteri innocenti imputatur, cui proinde grave sequitur damnum, teneatur ad restitutionem illius damni.* Conveniunt communiter Doctores, nullam adesse obligationem restituendi, si non prævideas, delictum, seu damnum fore alteri imputandum, vel etiam si prævideas, sed hoc non intendas, quia tunc illud damnum sequitur per accidens, & contra intentionem committentis, seu operantis, qui non fuit caussa, ut alteri imputaretur delictum, & damnum, sed duntaxat occasio, ex qua non consurgit obligatio justitiæ, cum non sit actio injuriosa.

43. Si vero prævideas, & intendas, delictum esse alteri imputandum, ex quo ipsi magnum sequitur damnum, tunc Lugus, *supra num. 80.* & Andreas a Matre Dei *num. 25.* dicunt, te teneri, & obligatum esse ad restitutionem omnium damnorum inde alteri innocenti provenientium; sed probabilius est, te ad id non teneri, quia si actio externa de se, & ex natura sua non est injuriosa, & contra justitiam, talis non evadit ex sola intentione operantis, qui peccabit contra caritatem, non contra justitiam, ut diximus *diff. præced.* At qui occidit Petrum prævidens, & intendens, quod homicidium imputetur Francisco, non facit actionem externam Francisco injuriosam, nec damnum ipsi sequitur ex natura talis actionis; sed solum ex malitia, aut ignorantia aliorum, qui se immiscent. Lessius *cap. 9. dub. 16.* Bonacina *supra punct. ult. num. 4.* Trullench *lib. 5. cap. 5. dub. 2.* Sanchez, Hurtado, Diana, Tamburinus supra relat.

44. Nec obstat, quod malum illud fuerit prævisum, immo etiam intentum: nam obligatio restitutionis, cum non proveniat ex animo, & intentione prava, sed ex actione externa, quæ sit injusta, si tua actio externa non est ex natura sua, & ex circumstantiis injuriosa respectu tertii innocentis, etiamsi fiat ex prava intentione, non potest inducere obligationem restitutionis, quia animus, & intentio non faciunt actionem externam esse injuriosam, quando ex natura sua, & ex circumstantiis non est talis. Peccabis quidem contra Caritatem, si prævideas damnum tertii innocentis, nec illud evitas desistendo ab homicidio, aut alio damno inferendo, cum tenearis ex caritate desistere, at non peccabis contra justitiam cum obligatione restitutionis respectu tertii innocentis, ut cum Bonacina, Diana, Sanchez, & aliis diximus *difficult. præced.*

45. Teneris tamen restituere innocenti totum id, quod coactus fuit dare parti læsæ, quia ad id totum tenetur, qui homicidium fecit, nam fuit caussa injusta illius damni. Si ad occidendum accipias gladium alterius, & facto homicidio, reponas gladium sanguinolentum in vagina, & aufugias, Ministri vero justitiæ tali indicio dominum gladii comprehendant, & vi tormentorum confessum occidant, teneris ad restitutionem, quia censeris caussa moralis illius damni, & homicidii, & tua actio est injusta, utpote ex natura sua illativa damni alterius, cum ponat indicia sufficientia, ut alteri imputetur, ut docent Tamb. *lib. 6. cap. 4. n. 4.* Trullench *lib. 5. cap. 5. dub. 2. n. 3.* Andreas a Matre Dei *pun. 2. n. 25.* Si Cadaver hominis a te, vel ab alio occisi ante propriam januam, ad tollenda indicia a te, longe auferas a domo tua, & Ministri justitiæ comprehendant habitatores vicinæ domus, & damnentur ad mortem, non teneris damnum restituere, quia illa non videtur caussa per se, ut delictum alteri imputetur, siquidem casu ibi mori potuit alibi vulneratus. Lugus supra *n. 114.* Villalob. *tr. 11. disp. 6. n. 1.* Reginal. *lib. 10. cap. 22. n. 325.* Tambur. *num. 5.* qui tamen non excusat a restitutione damni secuti propter incarcerationem; siquidem collocatio cadaveris ante alterius domum est talis, ut ex illa, ut plurimum, sequatur incarceratio habitantis in domo, & sic inducit obligationem restitutionis damnorum ex incarceratione secutorum.

46. Casum singularem proponit, & solvit Lugus *disp. 8. n. 86.* prout sequitur. Quidam, ut alium occideret ficum veneno infecit, & apposuit in prandio, sed quidam alius, qui proxime assidebat, fici pulcritudine allectus prior arripuit, & comedit; qui vero ficum apposuit, ne suum delictum proderet, dissimulavit, & permisit accipienti, ut illum comederet, qui postea veneno interiit, & censuit, hunc non fuisse homicidam, nec irregularem, nec ad restitutionem teneri, quia periculum non prævidit, & postea non tenebatur cum tanto periculo impedire damnum, quod per accidens, & præter intentionem evenit, ex actione illicita quidem, & injusta erga illum, quem occidere volebat, non tamen injusta erga eum, qui occisus est.

47. Tertia difficultas est; *utrum damnum illatum per servos, vel animalia restituendum sit a Domino.* Resp. ante Sententiam Judicis dominum non teneri ad restitutionem damni absque sua culpa theologica illati per servos, vel animalia, ut tradit Bonac. *qu. 3. p. 8.* Ratio est, quia, qui sine sua culpa damnum infert alteri, non tenetur ad restitutionem, ut supra diximus; ergo neque tenetur, quando ejus animalia damnum intulerunt sine ipsius culpa, secus etiam teneretur ad restitutionem damni illati a sua domo, quæ casu ruinam faciens multos extraneos oppressit. Leges, quæ obligant ad restitutionem damni illati per servos, aut animalia absque culpa domini sunt pœnales, quæ proinde non obligant ante Judicis Sententiam ad pœnam subeundam, ut diximus supra *tr. 3. c. 2. dub. 4. §. 2.* & ita tenent Lessius *cap. 9. num. 117.* Lugus *disp. 8. a n. 41.* Trullench *cap. 6. dub. 3. n. 9.* Tambur. *cap. 4. §. 2. n. 4.* Andreas a Matre Dei *pun. 2. nu. 11.* Diana *par. 5. tr. 4. resol. 52.*

48. In foro externo, & post Sententiam Judicis, si animal tuum absque alia culpa tua damnum intulit, percutiendo, vel occidendo animal proximi; segetes depascendo, & conculcando, teneris damnum illatum resarcire, vel pro illo belluam, seu mancipium tradere, ut constat ex *Instit. & l. 1. ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur,* & ex lege *si Servus ff. de noxalib. actionib.* & ex cap. *si culpa 9. de injuriis, & damno dato,* nisi forte animal tuum invasum sit ab alio, quia si illud occidat ad nihil teneris, vel si latro domum, vel hortum tuum ad furandum intret, & a canibus tuis lædatur, vel si aliquis incautus ad feram tuam, quam ligatam tenes, accedat, & ab illa damnificetur, ut habet Andreas a Matre Dei *cit. n. 11.* Tamb. *cap. 4. §. 2. n. 5.* Quod si Servus,

vus, vel animal tuum verum damnum non intulit, non teneris in conscientia restituere, nec etiam post Sententiam Judicis, & potes tibi occulte compensare, si cogaris solvere, quia Sententia semper supponit damnum factum a tuo animali, vel servo, quo deficiente, cessat obligatio restituendi, nec teneris in conscientia stare Sententiæ, utpote injustæ. Si autem res sit dubia, teneris stare Sententiæ, quia possessio stat ex parte Judicis, donec appareat manifeste injustitia, ut docet Tambur. *loc. cit.* sequitur Ant. a Spiritu S. *disp.* 8. *n.* 271.

49. Dices: *nec ante, nec post Sententiam Judicis tenetur quis restituere damnum a se caussatum absque ulla sua culpa; ergo nec ante, nec post Sententiam Judicis tenetur dominus restituere damnum caussatum ab animali absque sua culpa.* Sed contra disparitas est, quia ad bonum commune, & pacem servandam inter cives, leges juste sanxerunt, damnum caussatum ab animali resarciendum a domino, vel dandum animal pro noxa, ut sic cautiores reddantur homines in custodiendis animalibus, ne damnum inferant; quod non reperitur sancitum de damno ab ipso domino illato, nec damno illato a Filio, inscio Patre, qui pro tali damno conveniri non potest. Rosignol. *disquis.* 1. §. 11.

DUBIUM VI.

Ex qua Culpa commissa in Officio oriatur Obligatio restituendi.

50. RAtione officii tenetur Magistratus ad procuranda bona, & avertenda mala subditorum; tenetur Artifex in suo opere artefacto; tenentur Advocati, Medici pretio conducti, & omnes alii, qui curam aliquam susceperunt: & quæritur, *ex qua negligentia, seu culpa teneantur, si quam admittunt in procurando bono, seu avertendo malo, quod procurare seu avertere susceperunt, an sufficiat in illis culpa levis, aut levissima, vel requiratur culpa lata, & gravis, quæ sit peccatum mortale. An Medico imputetur mors infirmi, si communem, & sufficientem adhibuit diligentiam, quamvis non fuerit diligentissimus.*

51. Resp. Nemo, etiam in officio constitutus, tenetur in foro conscientiæ restituere damnum secutum ex sua culpa levi, seu levissima, sed requiritur, ut damnum sequatur ex culpa lata, quæ sit peccatum mortale. Ratio est, quia nemo, etiam constitutus in officio, tenetur majorem adhibere diligentiam, quam soleant in tali officio prudentes adhibere; nemo enim tenetur in suo officio, vel artificio exercendo prudentior, aut diligentior esse, quam communiter alii ejusdem officii, & conditionis esse solent. Inde, si adhibita sufficienti, & prudenti diligentia, adhuc damnum sequatur, quia forte non fuit diligentissimus, & prudentissimus, non tenetur restituere. Sic Medicus, Advocatus, Artifex, qui sufficientem adhibuit diligentiam, in foro conscientiæ immunis est a peccato, & ab obligatione restituendi, si altera caussa amittat, infirmus moriatur, vel damnum sequatur, quod forte secutum non fuisset si diligentissimus fuisset. Idem dicendum de Magistratu, Architecto, & aliis hujusmodi. Lessius *lib.* 2. *c.* 7. *dub.* 7. Bonac. *disp.* 1. *qu.* 2. *pun.* 7. *a n.* 19. Lugo *disp.* 8. *sect.* 7. *n.* 90 & 91. G. Hurtad. *disp.* 5. *de restit. diff.* 5. Trullench *lib.* 7. *in Decal. c.* 6. *dub.* 5. *num.* 1. Andreas a Matre Dei *tr.* 13. *cap.* 1. *n.* 27.

52. Unum excipe casum, quando scilicet aliquis profitetur se diligentissimum, & peritissimum, & alicui quærenti non mediocrem, sed diligentissimum, & peritissimum se se offert, ut talem; tunc enim tenetur ex culpa levi, aut etiam levissima, quia tunc promittit, saltem implicite, quid amplius, quam alii passim præstent, & alter hanc ob caussam cessat meliorem quærere; ergo, nisi hanc diligentiam præstet, tenetur ad restitutionem, non quidem totius damni, sed quanti judicabitur spes illa valere, qua sperabat alter se compotem fieri posse, adhibita majori illa diligentia, & peritia. Hoc idem valet de Tutore, & Curatore, quos tamen duos asserit Sylvester *verb. Restitutio* 3. *qu.* 8. §. 3. obligari ad restitutionem ex culpa levi, & fatetur Lessius id in foro externo servari.

53. Hoc idem dicendum est de illo, qui dedit alteri consilium falsum; tenetur enim omnino ad restitutionem damni secuti ex culpa lata, & ex ignorantia crassa, si ex officio tenebatur id scire, respondetque absolute, ut si sit Parochus, Confessarius, Concionator, Theologus, Medicus, Jurisconsultus, vel ejus artis, & professionis, ad quam talis consultatio pertinebat, & dedit consilium falsum, tunc ex justitia tenetur revocare consilium, & reparare damna secuta ex consilio, modo tamen, ut dixi, commiserit peccatum mortale: sic tenetur Confessarius, qui dicit quempiam teneri ad restitutionem, qui non tenetur, vel non teneri, qui tenetur; seu contractum esse licitum, cum sit illicitus. Ratio est, quia ille, qui sic dedit consilium, putatur, & ex officio tenetur scire id, de quo consulitur, ideoque alterum revera decipit, estque caussa damni, & sic ratione injustæ damnificationis tenetur restituere. Addit Lessius, eum qui dubitanter respondet, non teneri ad restitutionem, quia tunc ille, qui decipitur, imputare sibi debet, non autem decipienti, seu cum dubio respondenti. Idem statuit de eo, qui respondet ex sententia probabili, & de eo, cujus insufficientia nota est, eo quod non sit talis professionis, nam etiam ille si decipiat, non tenetur restituere. Qui autem inculpate dedit alteri consilium falsum, tenetur revocare, si prævideat malum futurum. Andreas a Matre Dei *n.* 29.

DUBIUM VII.

Qualis Culpa requiratur, ut detur obligatio restituendi ex Contractu.

54. JUre positivo humano statutum est, ut quando contractus est in utilitatem solius accipientis, teneatur iste ad restitutionem damni secuti ex sua culpa levi, & levissima; si vero contractus cedat in utilitatem, & commodum solius deponentis, tunc accipiens teneatur solum de culpa lata, non de levi, & levissima. Quod si contractus cedat in utilitatem utriusque, uterque teneatur ex culpa lata, & levi, non vero ex levissima. Varias Leges affert Bonacina *disp.* 3. *qu.* 1. *punct.* 6. quæ omnes fundantur in æquitate naturali; siquidem naturalis æquitas postulat, ut qui aliquid accipit, tantummodo in sui commodum, maximam adhibeat diligentiam, ne damnum alteri sequatur, quod est teneri de culpa levissima; qui vero rem habet absque suo commodo non debet majorem diligentiam adhibere in illa custodienda, quam adhibeat in custodiendis rebus propriis, vel quam solent alii communiter adhibere; quod est teneri de culpa lata, non de levi, aut levissima: quando vero res cedit in utilitatem utriusque partis, debet majorem diligentiam adhibere, quam communiter soleant alii, qui nullam utilitatem percipiunt, & non exquisitissimam; quod est teneri de culpa lata, & levi, non de levissima.

55. Inde commodatarius communiter tenetur de culpa levissima, si res commodata pereat, quia commodatum communiter cedit in utilitatem solius accipientis: si habes librum, aut equum commodatum, teneris esse diligentissimus in custodia illius; & si omittas hanc summam diligentiam, & ob id equus, aut liber pereat, seu deperdatur, teneris ad restitutionem totius damni, cap. *unic. de commodato* ibi: *cum gratia sei tantum qui commodatum accipit, de levissima etiam culpa tenetur.* Quod si commodatum esset in utilitatem solius commodantis, non teneris nisi de culpa lata, seu gravi, *l. si ut certo ff. de commodato*, & d. cap. *unic. eodem tit.* Si autem res commodata (idem valet de conducta, vel depositata) pereat sine ulla prorsus culpa commodatarii, vel conductoris, tunc nulla prorsus est obligatio restituendi in conscientia rem illam, quæ periit, nisi aliter sit conventum, seu pactum intercesserit. Ratio est, quia semper res domino perit, si nulla intercessit culpa, vel pactio, ratione cujus teneatur ad damnum resarciendum; si enim ita contraxisses, ut commodatarius rem tuam omni modo integram redderet, quamvis sine ullius culpa periisset, tenetur reddere. Sicut etiam tenetur reddere, si usus fuerit re illa ad alios usus, quam permissos a domino, vel etiam si esset in mora restituendi rem illam commodatam, ita ut periisset, quia non fuit restituta tempore debito, modo tamen apud dominum res illa non eodem modo fuisset peritura; quia tunc, sicut non censeretur fuisse caussa damni, sic non teneretur restituere. Lessius *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 38. & alii communiter.

56. Conductor, sive locator de re conducta tenetur, si pereat dolo, vel culpa gravi, & levi, non autem de levissima, quia in gratiam utriusque cedit: qui scienter locat, idem valet si commodet rem vitiosam pro bona, tenetur conductori de damno, secus, quando simpliciter locavit, credendo, quod esset bona, qui locat tenetur de levi: qui vero commodavit, tenetur solum de lata. Famulus, cui ex officio, & stipendio specialiter incumbit onus rei domesticæ custodiendæ, tenetur ad restitutionem damni ex sua levi culpa secuti, quia famulus tenetur damnum præcavere ob contractum in utilitatem utriusque contrahentis celebratum, ut cum aliis notat Bonac. *disp.* 3. *qu.* 1. *pun.* 6. *n.* 14.

57. Depositarius tenetur tantum de culpa lata, cum Depositum fiat in gratiam solius deponentis, *l.* 1. §. *ult. de deposito*, & cap. *bona fidei eod. tit.* si autem accipiat pretium pro custodiendo deposito, si res perit, vel deterior redditur, tenetur de culpa levi, quia tunc contractus est in utilitatem utriusque. Qui habet pignus, si illud pereat, vel deterius fiat, tenetur ad restitutionem, & compensationem damni ex culpa gravi, & levi, ut

habet

habet Gloſs. in *l. ſi Creditor C. de pignoribus*, quoniam pignus eſt in utilitatem utriuſque.

58. Qui rem precario accipit tenetur tantum de dolo, & culpa lata, quamvis ſit contractus cedens in utilitatem ſolius accipientis, quia cum res precario, id eſt ad uſum petenti conceſſa, ad arbitrium dantis revocari poſſit, ille ſibi debet imputare, ſi accipiens in ea cuſtodienda levem culpam committat, cum e contra in commodato, quia res datur ad certum uſum, & tempus, tenetur commodatarius de culpa levi, & leviſſima, adeſt Text. clar. *l. Quæſitum §. cum quoque ff. de precario*.

59. Ex dictis facile colligitur, quid dicendum ſit in caſu, quo quis ex contractu rem habet alienam, quam non poteſt conſervare, niſi ſuam amittendo, quando ſcilicet, quis invaſus a latronibus non poteſt, fugiendo, ſimul transferre, & transportare res proprias, & alienas; aut ſi navis onuſta in mari exiſtens ita periclitetur, ut ſalvari nequeat, niſi exoneretur, & projiciantur aliquæ merces; an ſcilicet quis tunc teneatur majorem curam habere de rebus alienis, quam de ſuis, ita quod teneatur ad reſtitutionem, ſi pro ſuis conſervandis, alienas negligat: dicendum enim eſt poſſe res proprias etiam viliores præferre alienis pretioſioribus, ſi contractus factus eſt in utilitatem commodantis, ſeu deponentis; ſi autem factus ſit in utilitatem ſolius commodatarii; poteſt res ſuas pretioſiores alienis minus pretioſis præponere, ſuas autem viliores tenetur poſtponere alienis; ſi autem contractus ſit in utilitatem utriuſque, poteſt res ſuas pretioſas, vel pretioſiores præponere alienis. Ratio eſt, quia ille, qui eo modo ſe gerit, facit id, quod communiter faciunt prudentes; illi enim qui non tenentur, niſi ex culpa lata communem adhibent diligentiam, quamvis res ſuas præferant alienis, quas habent in utilitatem alterius: qui autem tenentur ſummam adhibere diligentiam, certe debent res ſuas viliores alienis pretioſioribus poſtponere; illi vero, qui tenentur ad diligentiam prudentiorum res ſuas æque pretioſas poſſunt alienis præponere. Ita cum aliis Bonac. *diſp. 3. qu. 1. p. 6. n. 22.*

60. Addunt Leſſius *lib. 2. cap. 27. n. 28.* & Layman *lib. 3. tr. 4. cap. 7. n. 7.* Depoſitarium, vel conductorem, qui aliena propriis etiam vilioribus præferendo, paſſus eſt damnum, & jacturam, poſſe a domino petere compenſationem damni ſibi emergentis, eo quod nulli officium ſuum debeat eſſe damnoſum; ſecus tamen dicendum eſſe de commodatario, nam cum in hujus ſolius gratiam commodatum ſit factum, tenetur is commodantem ſervare illæſum, & indemnem, diligentiſſime cuſtodiendo res ſibi commodatas. Conſentit Bonac. *n. 25.* qui tamen vult, partem ſolum damni eſſe reſtituendam, quando contractus eſt in utilitatem utriuſque contrahentis, quia par eſt, ut qui ſentit commodum, ſentiat onus ad ratam ſaltem incommodi.

61. Ut autem cognoſcatur in particulari quænam ſit dicenda culpa gravis, levis, aut leviſſima in unoquoque contractu, negotio, ſeu officio, videndum eſt, quid facere ſolent prudentes, periti in tali arte, negotio, & officio; non enim eodem modo ſemper judicandum eſt, ſed diverſimode pro diverſitate rerum, & perſonarum, adeo ut illa, quæ in uno caſu eſt culpa levis, in alio caſu dicenda ſit culpa gravis: qui librum commodatum relinquit in cubiculo aperto, ſeu non clauſo oſtio, dicitur committere culpam levem, & tamen ſi gemmam, aut rem aliam pretioſiſſimam eodem modo relinquas, diceris committere culpam gravem, quoniam diligentes, & prudentes diverſimode ſolent cuſtodire librum, & gemmam pretioſiſſimam: ſimiliter defectus, qui in ſæculari cenſentur leves, in Religioſo, vel Epiſcopo ſunt graves, propter majorem obligationem, quam habent, ut notat Andreas a Matre Dei *tr. 13. cap. 1. p. 2. nu. 37.* Ant. a Spiritu S. *diſp. 7. ſect. 3. nu. 251.* Lugus *diſp. 8. ſect. 9. num. 12.*

62. His præmiſſis, difficultas potiſſima in præſenti eſt; *an prædicta ſint vera, & obſervanda non ſolum in foro externo, ſed etiam in foro interno, adeo ut illi, quos diximus teneri ex culpa levi, ſeu leviſſima, teneantur in conſcientia ante Judicis Sententiam reſtituere damnum ex ſua culpa levi, ſeu leviſſima ſecutum*: in quo maxime diſcrepant DD. Affirmant plures, quia leges præſcribentes diligentiam adhibendam a contrahentibus, ſunt diſpoſitivæ, & decernunt curam, quæ præſtanda eſt erga rem alienam; cum autem contrahentes implicite ſe obligent ad præſtandam curam, & diligentiam, quam Jura præſcribunt, ſequitur, ipſos teneri ad reſtitutionem damni ſecuti ex omiſſione curæ, & diligentiæ, quam præſtare tenebantur, etiamſi damnum ſecutum ſit abſque culpa theologica, per oblivionem, & inadvertentiam: quæ quidem ſententia eſt valde probabilis, eamque ſequitur Bonacina *diſp. 3. de reſtit. qu. 1. p. 1. n. 20.* dicens, eſſe communiorem. Vaſquez *de reſtit. cap. 2. §. 2. dub. 6. a n. 44.* Amicus *tom. 5. diſp. 35. ſect. 5. n. 71.* Azor. *part. 3. lib. 7. cap. 7. qu. 1. & ſeqq.* Molina *de Juſt. tom. 2. tr. 2. diſp. 527. per totum.* Reginal. *in praxi tom. 2. lib. 25. cap. 46. ſect. 1. n. 563.*

63. Secunda ſententia, quæ non eſt minus probabilis, & magis placet, docet, neminem teneri in foro conſcientiæ ad reſtitutionem ex contractu quocunque, niſi damnum ſecutum ſit ex culpa lata, quæ ſimul ſit peccatum mortale, niſi aliter expreſſe conventum ſit inter partes. Ratio eſt, quia, attento jure naturæ, nemo tenetur majorem diligentiam præſtare in cuſtodia rei alienæ, etiam commodatæ, & conductæ, quam præſtet in cuſtodia rei propriæ, aut quam ipſe dominus adhibuiſſet, ſi apud ipſum manſiſſet; ſed in cuſtodia rei propriæ ſolum tenetur homo præſtare diligentiam prudentem, ſeu quam ſolent homines prudentes ſui ſtatus, & conditionis communiter adhibere; ergo ſi hæc diligentia ſit præſtita, ſi contingat rem perire, ſine culpa peribit, proinde nulla erit obligatio reſtituendi pro foro conſcientiæ, & ante Sententiam Judicis.

64. Leges poſitivæ diſponentes, quod in aliquibus caſibus quis, ratione contractus, teneatur ex culpa levi, aut leviſſima, ſolum ponuntur pro foro externo, ad tuendam pacem publicam, ne quis ſit negligens in cuſtodia rei alienæ, præcipue commodatæ, & ſic non obligant in conſcientia ante Sententiam Judicis, quam Sententiam ſequuntur graviſſimi Doctores, Dian. pluribus in locis *part. 1. tr. 8. reſol. 74. part. 3. tr. 6. reſol. 42.* & *par. 4. tr. 3. reſol. 30.* Filliuc. *tom. 2. tr. 34. cap. 1. nu. 24.* Lugus *diſp. 8. ſect. 8. a n. 106.* Leſſius *lib. 2. cap. 7. n. 45.* G. Hurtad. *diſp. 5. diff. 6.* Andreas a Matre Dei *cap. 1. nu. 31.* Sotus *lib. 4. de juſt. qu. 7. art. 2. verſ. dubium*, & alii apud ipſos.

65. Dixi, *requiri culpam latam conjunctam cum peccato lethali*, quia ſola culpa juridica, etiam lata, non obligat ad reſtitutionem, ut diximus ſupra *dub. 4.* quare ſi per ignorantiam, incogitantiam, ſeu oblivionem inculpabilem contingat, rem commodatam, ſeu depoſitam perire, non tenetur commodatarius, ſeu Depoſitarius in foro conſcientiæ reſtituere ante ſententiam Judicis, ut notat Rebell. *de obligat. juſt. part. 2. lib. 16. quæſt. unic. a n. 5.* Dixi; *niſi aliter expreſſe conventum ſit inter partes*, nam ex voluntate contrahentium poſſunt obligari ex levi, aut leviſſima culpa quamvis nulla detur culpa theologica, dummodo æquitatem contractus non excedat.

66. Dices: *qui tenetur ex officio, aut contractu cuſtodire rem alienam, aut alienum damnum vitare, majorem habet obligationem, quam habeant communiter alii, qui ſunt extra officium, & contractum; ſed iſti tenentur ad minus communem adhibere diligentiam, ne aliis damnum inferant; ergo illi tenentur adhibere majorem, & ſic tenentur de culpa levi, & leviſſima, & non tantum de culpa gravi, & lata.*

67. Reſp. obligatum ex officio, aut contractu cuſtodire rem alienam, aut alterius damnum vitare, utique majorem habere obligationem, majoremque debere adhibere diligentiam, quam communiter alii, qui ſunt extra officium, & contractum, quam majorem obligationem advertens, peccabit mortaliter ſi eam non adhibeat; at non tenetur majorem adhibere diligentiam, quam communiter alii ejuſdem conditionis, & ſortis ſolent adhibere, ut notat Bonacina ſupra *n. 20.* cum enim culpa non dicatur gravis, aut levis ſemper eodem modo, ſed diverſimode pro diverſitate rerum, & perſonarum, illa, quæ in homine ordinario, & non obligato ex officio, ſeu contractu cenſetur levis, in homine taliter obligato cenſetur gravis, propter majorem obligationem, quam habet, & inducit peccatum lethale, ſi advertenter omittatur. Inter obligatos autem, quia poteſt eſſe quis diligentiſſimus, aut ſolum diligentiam adhibere, quam communiter adhibent homines talis conditionis, & ſortis, diximus obligatos non teneri exquiſitiſſimam adhibere diligentiam, ſed communem duntaxat in tali ordine.

68. Si depoſitarius, ſeu commodatarius rationabiliter dubitat, an culpa ſua malum acciderit, depoſitum perierit, non tenetur in conſcientia aliquid reſtituere, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis: in foro tamen externo, ſi res depoſitarii remanſerint illæſæ, & incolumes, præſumitur de dolo *arg. cap. 2. de Depoſito* ibi: *Bona fides abeſſe præſumitur, ſi rebus tuis ſalvis exiſtentibus, depoſitum amiſiſti*, juncta *l. Quod Nerva ff. Depoſiti*, cum concordantiis; ceſſaret tamen præſumptio doli, ſi Depoſitarius probaret, depoſitum periiſſe, vel non potuiſſe ſimul cum rebus ſuis, imminente incendio, ſalvari.

CA-

CAPUT II.

Quisnam teneatur restituere.

DUBIUM I.

Qualem Obligationem restituendi habeat Possessor bonæ Fidei.

1. Difficultates omnes, quæ de Restitutione in genere solent agitari, ad septem capita generalia commode revocantur, quæ duobus illis versiculis continentur:
Quis? Quid restituet? Cui? Quantum? Quomodo? Quando?
Ordine? Quove loco? Quæ Caussa excuset iniquum?
Et primo loco videndum est; Quisnam teneatur restituere, & licet unico verbo dici possit, quod teneatur ille, qui rem habet alienam, aut illam distraxit; tamen, quia poterat illam habere bona fide, quando scilicet invincibiliter ignorabat, rem esse alienam, vel etiam poterat habere mala fide, cognoscendo esse alienam: videndum est, qualem uterque habeat obligationem. Primo quidem sermo erit de possessore bonæ fidei, & postea de possessore malæ fidei.

2. Resp. 1. Possessor bonæ fidei, qui possidet rem alienam, putans esse suam, tenetur illam ex justitia restituere, quando certificatur, esse alienam. Ratio est, quia nemo potest retinere rem alienam, invito domino; sed qui non restituit rem, quam bona fide possidet, credens esse suam, & postea cognoscit, esse alienam, retinet rem alienam, invito domino; ergo tenetur restituere siquidem dominus non amisit dominium rei suæ, ex eo, quod, ipso nesciente, & nolente, talis res ad alterum devenerit, quia dominium rei non potest in alium transferri, invito domino, & sic possessor rei alienæ debet illam restituere vero domino. Quod si non restituat cum primum commode potest, desinit esse possessor bonæ fidei, & incipit esse possessor malæ fidei, & iniquus detentor rei alienæ, de quo proinde judicandum est, ac de possessore malæ fidei, qui tenetur restituere non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ acceptionis. Ita Bonacina *de restit. disp.* 1. *qu.* 2. *punct.* 1. Lugus *disp.* 17. *n.* 1. Thomas Sanchez *tom.* 1. *sum. lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 2. Tamb. *lib.* 8. *tr.* 3. *cap.* 3. §. 1. & 2. Trullench *lib.* 7. *cap.* 11. *dub.* 1. *n.* 2. Andreas a Matre Dei *tr.* 13. *cap.* 1. *pun.* 3. *n.* 41.

3. Resp. 2. Possessor bonæ fidei solum tenetur restituere vero domino rem alienam, si extet, vel quantum ejus caussa factus est locupletior. Ratio est, quia possessor bonæ fidei non tenetur restituere rem alienam ratione culpæ, aut injustæ acceptionis, sed dumtaxat ratione rei acceptæ, & sic solum tenetur in quantum ipsa res, vel in se, vel in aliquo æquivalenti manet apud ipsum. Quod si pereat, vel amplius apud ipsum non extet, cessat cum illa obligatio restituendi, nisi factus sit locupletior, nam tunc id, in quo factus sit locupletior, cum succedat loco rei acceptæ, & consumptæ, debet restitui. Ille autem dicitur factus ditior, qui quibusdam sumptibus pepercit, quos ex re sua fecisset, seu qui aliquid habet, quod alias non haberet. V. g. si quis invitatus ad splendidam cœnam lautissimis cibis furtivis bona fide vesceretur, aut vestibus pretiosis furto sublatis indueretur, dicitur factus locupletior in eo, quod domi suæ comedisset, si non fuisset invitatus ad illam cœnam, aut in aliis vestibus vulgaribus, quas consumpsisset; si autem ditior non sit factus, quia cœnam domi faciendam domestici pranderunt, nihil restituere tenetur. Ita communiter Doctores: Lugus *n.* 18. Tambur. *n.* 4. Bonac. *n.* 5. Trullench *n.* 7.

4. Dixi: quantum ejus caussa factus est locupletior, quia si non fuit factus ditior ex re aliena, sed occasione tantum rei alienæ, tunc ad nullam restitutionem tenetur; nam id, quod plus habet, non est fructus rei alienæ, sed propriæ industriæ, quæ sibi soli prodesse debet: sic invitatus ad cœnam furtivam, si post cœnam ludat cum sociis, magnamque pecuniæ summam ludo vincat, non tenetur illam restituere.

5. Hinc sequitur primo, non teneri ad restitutionem illum, cui res aliqua periit, sive deinde casu, sive etiam ex culpa sua perierit, modo perierit tunc temporis, quo ipse rem bona fide possidebat, credens esse suam, quia, ut dixi, possessor bonæ fidei tenetur restituere solum ratione rei acceptæ; quando autem res accepta amplius non extat, nec in se, nec in æquivalenti, non tenetur restituere, nam cum re desinit obligatio, quæ inde oriebatur. Idem valet, si durante bona fide, rem illam consumpsisti, si illam voluntarie destruxisti, vel quacumque alia ratione distraxisti, nec sis factus ditior, ut cum aliis tenet Facundez *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 20. *n.* 12.

6. Sequitur secundo, eum, qui rem alienam emit bona fide, & postea eam vendidit æquali, aut minori pretio, non teneri ad ullam restitutionem faciendam vero domino comparenti; secus dicendum, si vendidit majori pretio, tenetur enim restituere incrementum pretii, eo quod in eo factus est ditior, nisi tale incrementum sit fructus suæ industriæ, ut postea dicam, cum de restitutione fructuum. Dixi; non teneri restituere vero domino, nam tenetur totum pretium restituere emptori, si forte ab eo dominus rem suam vindicavit, ita exigente contractu venditionis, ut emptor servetur immunis a damno, ea ratione, qua quando venditur res vitiosa pro sana; vitrum pro gemma; aurichalcum pro vero auro; moneta falsa pro legitima, cognito errore, tenetur venditor contractum rescindere, & emptori restituere damnum ex tali venditione emergens. Nec sufficit, quod venditor cedat emptori actionem, quam ipse habet contra latronem, quia emptor jus habet contra venditorem, non contra latronem, & generaliter debitor non satisfacit suo creditori, cedendo jus, quod ipse habet adversus alium debitorem, quia hoc debitum est personale, & potest creditor, aut emptor repudiare hujusmodi cessionem. Ita Tamb. *lib.* 8. *tr.* 3. *cap.* 3. §. 1. *n.* 14. Lugus *disp.* 17. *num.* 106. Reginal. *lib.* 10. *n.* 28. Bonacina *disp.* 1. *qu.* 4. *part.* 2. *nu.* 5. Andreas a Matre Dei *pun.* 3. *n.* 88. licet contrarium teneat Diana cum aliis *part.* 1. *tr.* 8. *de contr. resol.* 68.

7. Sequitur tertio, eum non teneri ad restitutionem, qui rem dono bona fide acceptam, alteri donavit, cujus similem, vel dissimilem non donasset, si rem illam non habuisset; non enim censetur ditior factus in ulla re. Si vero rem aliam donasset, tenetur restituere pretium illius rei, quam donasset, eo quod censeatur in eo factus locupletior. Idem dicendum, si rem dono acceptam, vel ejus pretium in ludos consumpsisti, non teneris restituere, nisi tantumdem, vel saltem aliquam partem ex tuis rebus in ludos consumpsisses, quia tunc non es factus ditior ex re aliena. Bonac. *n.* 12.

DUBIUM II.

Solvuntur aliquæ Difficultates.

8. Quæres 1. *An qui bona fide rem emit, aut dono accepit a latrone, teneatur restituere, si latro non sit factus impotens ad restituendum, sed aliunde habeat unde restituat; si enim latro per hanc alienationem sit factus impotens ad restituendum, certum est apud omnes, te debere restituere rem, si extet, vel id, in quo factus es ditior: certum est etiam, te debere restituere, si accepisti rem immobilem, ut vineam, domum, aut aliam rem unico usu non consumptibilem. Difficultas est de rebus consumptibilibus, quæ regulariter sunt materia mutui, ut sunt triticum, vinum, oleum, & pecunia, an tenearis illas restituere, si latro, qui eas dedit, aut vendidit, habeat alia bona, unde restituere possit.*

9. Prima Sententia negat, adesse hujusmodi obligationem restituendi. Ratio est, quia, cum res unico usu consumptibiles recipiant functionem in suo genere, adeo ut una pro alia substitui possit, non est necesse, quod fur restituat eamdem numero pecuniam, quam est furatus, sed sufficit, quod restituat aliam similem ejusdem bonitatis, & valoris; nec verus dominus habet jus petendi a fure eamdem numero rem, sed similem, & ejusdem pretii, sed res similis ejusdem bonitatis, & valoris remanet apud furem, quam potest restituere, cum non sit factus impotens ad restituendum; ergo recipiens a fure non tenetur restituere, sed poterit dominum remittere ad latronem, ut ab ipso recuperet res sibi furto sublatas. Ita Bannez 2. 2. *qu.* 62. *art.* 6. *dub.* 3. *concl.* 4. Salon. *eod. art. contr.* 7. *qu.* 5. Petrus de Ledesma *tom.* 2. *tr.* 8. *cap.* 14. *dub.* 5. ubi dicit, ita sentire communiter Thomistas, eamque probabilem judicat Diana *par.* 3. *tr.* 5. *Miscell. res.* 43. & alii apud ipsos.

10. Secunda Sententia affirmat, adesse hujusmodi obligationem. Ratio est, quia res aliena, apud quemcumque possessorem transeat, semper remanet obnoxia restitutioni, semperque clamat ad dominum, qui potest rem suam sibi vindicare ubicumque illam invenerit: tum quia fur cum non habeat dominium rei furto sublatæ, non potest in alium transferre per donationem, aut venditionem, & sic semper remanet sub dominio veri domini, cui debet restitui, si extet in se, vel in aliquo æquivalenti. Nec obstat, quod fur possit aliam similem restituere, quia quousque non sit facta restitutio res clamat ad dominum, sub cujus dominio remanet. Hanc magis communem vocat Diana *loc. cit.* illam tenent Azorius *par.* 3. *lib.* 4. *cap.* 3. *qu.* 4. Sanchez *in sum. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 34. Lugus *disp.* 17. *n.* 12.

11. Tertia Sententia probabilior, & verior distinguens asserit, res furtivas unico usu consumptibiles considerari posse, ut jam permixtas cum aliis rebus propriis ipsius furis; puta fur, qui furatus est quinquaginta aureos, potest

potest illos miscuisse cum aliis sibi propriis, idem valet de vino, tritico, & oleo, ita ut non possint amplius discerni, & distingui a propriis, vel potest adhuc illos impermixtos habere: si quinquaginta nummi furto sublati remanent impermixti, & discernibiles a reliquis, docet hæc Sententia, illos esse restituendos propter rationem secundæ Sententiæ, quæ est valida. Si vero fuerunt a fure permixti cum aliis propriis, docet, tunc non adesse obligationem restituendi. Ratio est, quia per illam mixtionem fur acquisivit dominium pecuniæ furto sublatæ, cum onere tamen tantumdem restituendi, & sic potest illud transferre in alterum per donationem, aut venditionem, non sic vero antequam sit facta permixtio: unde recipiens in primo casu, recipit a vero domino, & sic non habet obligationem restituendi. Sumitur ex *l. si alieni nummi ff. de solut. l. Idem. Pomponius ff. de rei venditione*, sequuntur Bonac. *qu. 3. p. 1. n. 5. & 6.* Layman *lib. 3. tr. 4. cap. 17. n. 23.* Andreas a Matre Dei *cap. 1. p. 3. n. 46.* Tamb. *lib. 8. tr. 3. cap. 3. §. 4. n. 26.* Vasquez *cap. 9. de restit. §. 2. n. 27.* Trullench *lib. 7. cap. 11. dub. 3. n. 6.* & omnes illi, qui admittunt per commistionem pecuniæ alienæ cum propria, idem valet de vino, tritico, oleo, & aliis commixtis, dominium acquiri alienæ pecuniæ commixtæ.

12. Hinc sequitur, quod ludens falsis aleis si partem pecuniæ, quam fraudulenter lucratus est, dedit Amico fraudis conscio, si iste ad fraudem non est cooperatus, non tenetur pecuniam acceptam reddere, si ludens tamen pecuniam jam miscuerat cum propria, ut ex Layman notat Andreas a Matre Dei *punct. 3. n. 94.* sequitur Diana *par. 4. tr. 4. resol. 67.* dicens, hæc notanda esse a Confessariis, quia multos scrupulos sedabunt. Hanc doctrinam admittit Lugus *nu. 17.* etiamsi fur per donationem fiat impotens ad restituendum, quia licet donans peccaverit donando in præjudicium sui creditoris, tamen cum acquisiverit dominium rei permixtæ, valide donavit, & accipiens accepit a vero domino, unde non tenetur restituere rem acceptam, nec id, in quo factus est ditior. Ita etiam Layman *n. 23.* & Diana *part. 3. tr. 5. Miscell. resol. 39.*

13. Quæres 2. *An, si accipias pecuniam, idem valet de tritico, & vino, a latrone, qui illam nondum miscuerat cum propria, tu vero accipiendo statim commiscuisti cum tuis propriis; an tenearis illam restituere; videris enim illius dominium acquisivisse confundendo illam cum tuis propriis, & sic liber a restitutione.*

14. Resp. Si pecuniam furtivam bona fide accipias a latrone titulo donationis, & gratuito, quamvis illam commiscueris cum propria, teneris restituere cum primo cognoveris, fuisse furtivam, non quidem illam eamdem, cum illius dominium per mixtionem acquisiveris, sed tantumdem, quia in totidem factus es locupletior ex re aliena: si vero habuisti titulo permutationis, aut venditionis, quia illi equum vendidisti, non teneris aliquid restituere, cum in nullo factus sis locupletior; licet enim pecuniam habeas, quam antea non habebas, & per additionem pecuniæ furto sublatæ auctus sit cumulus, & numerus tuarum pecuniarum, tamen cum equum dederis totidem valentem, in nihilo factus es ditior. Quare pro hoc casu valde tibi proderit acceptam pecuniam commiscuisse cum tua; si enim esset impermixta, foret restituenda, cum nec latro, nec tu acceptæ pecuniæ dominium acquisieris, etiamsi debeas equum amittere, ea ratione, qua si emisti equum a fure, cognita veritate, teneris restituere vero domino, etiam cum amissione pecuniæ datæ. Ita communiter Doctores, Reginal. *lib. 10. n. 36.* Lugus *disp. 17. n. 19.* Bonac. *num. 7.* Trullench *lib. 7. cap. 11. dub. 1. & dub. 3.* Andreas a Matre Dei *punct. 3. n. 94.* Diana *par. 3. tr. 5. resol. 40. & p. 4. tr. 4. res. 67.*

15. Quæres 3. *An qui bona fide rem alienam emit a latrone, possit, veritate cognita, illam reddere latroni, a quo emit, ut recuperet pretium datum.* Certum est, accipientem a latrone rem aliquam gratis, puta titulo donationis, debere, veritate cognita, illam reddere vero domino, non latroni, nisi moraliter certus sit, quod fur domino restituet, quia res aliena semper clamat ad dominum, illique restituenda, si possit sine suo incommodo; si autem moraliter certus sis, quod fur domino restituet, potes illi reddere, maxime si debeas pretium datum recuperare, nam in hoc non potest dominus esse rationabiliter invitus. Item, si facile possis pretium tuum a latrone recuperare, teneris reddere rem suam vero domino. Quod si rem bona fide habuisti a latrone titulo oneroso, puta venditionis, aut permutationis, tunc dubium est: *an possis illam restituere latroni ad pretium datum recuperandum, quod alia ratione habere non potes, quamvis scias, aut prudenter judicas, illum non restituturum vero domino.* In quo sunt duæ Sententiæ ambæ probabiles.

16. Prima docet, emptorem non posse rem alienam restituere furi, sed debere illam reddere vero domino, quamvis debeat pretium datum amittere, quia non poterit illud a fure recuperare. Ratio est, quia reddendo rem furi, qui non est illam domino restituturus, cooperatur injustæ detentioni, quod fieri non potest. 2. Quia si fur longe abesset, nec inveniretur, vel esset mortuus, emptor teneretur rem suam domino restituere, etiam cum jactura pretii, quod non potest, nec debet a domino petere; ergo etiam cum tali jactura tenetur domino restituere; quamvis fur sit præsens, nam præsentia, vel absentia furis, nec dat, nec tollit jus a vero domino. 3. Quia, sublata bona fide, ac veritate comperta, statim emptor fit possessor malæ fidei, & possessor malæ fidei, quando res extat, tenetur illam statim domino restituere, nec potest furi restituere ad recuperandum pretium datum, secus posset etiam rem illam vendere cuicumque alteri, ne pretium amittat, quod nullus concedit. Hanc sequuntur Cajet. Sotus, Covarr. Joan. Medina, Ledesma, Sylvester, & alii apud Facundez *lib. 7. in Decal. cap. 20. n. 3. & 5.* ubi dicit, hanc Sententiam probabiliorem, & sequendam; sequitur Molina *tom. 3. tr. 2. disp. 722.* & Layman *lib. 4. tr. 4. cap. 17. §. 3. n. 24.*

17. Secunda Sententia communior, & probabilior affirmat, posse emptorem rescindere contractum, remque furi restituere, ut recuperet suum pretium. Ratio est, quia emptor bona fide emendo rem alienam a latrone, nullam domino intulit injuriam, qui proinde non potest esse rationabiliter invitus, si emptor contractum rescindat, ne pretium amittat; nam contractum rescindendo, rem reponit in pristino statu, in quo erat ante contractum, in quo nulla domino fit injuria, ea ratione, qua ipsi nulla fit injuria, si inveniens rem aliquam in platea, aut loco publico, eamdem reponit in eodem loco, cum primum cognoverit sibi fore damnosam, quamvis periculum sit, ne ab aliis auferatur; nec tenetur, cum suo damno, illam domino restituere, quia nimirum nemo tenetur consulere bono alieno cum jactura proprii. Deinde, quia in pari casu innocentiæ emptor potius tenetur sibi consulere, quam domino rei; si enim iste jus habet ad rem suam, ita etiam emptor jus habet ad suum pretium, & ambo sunt innocentes. Ita tenent Lessius, Rebellus, Toletus, Salonius, Aragon. Vasquez, Navarr. & alii, quos citat, & sequitur Bonac. *qu. 4. p. 2. num. 1.* Tamb. *§. 2. n. 2.* Diana *par. 1. tr. 8. resol. 69. & par. 2. tr. 3. miscel. res. 4.* Trullench *cap. 11. dub. 3. nu. 2.* Lugus *disp. 17. sect. 2. n. 29.* Ant. a Spiritu S. *tr. 10. disp. 9. sect. 3. num. 382.* Andreas a Matre Dei *n. 83.*

18. Fundamenta opposita facile solvuntur: ad primum nego, emptorem, rescindendo contractum, cooperari iniquæ detentioni, quia utitur jure suo, ut se indemnem servet, nec furi suadet retentionem, ut non restituat. Ad 2. si fur longe abesset, aut esset mortuus, utique deberet res domino restitui, quia deficit emptori possibilitas recuperandi proprium pretium, propter quod recuperandum redditur licitum, illam non restituere domino. Ad 3. comperta veritate, potest emptor rem illam reponere in priori statu ad se servandum indemnem, non tamen potest alteri vendere, quia non reponeret illam in priori statu, sicut facit rescindendo contractum; & quia, cum non habeat illius rei dominium, non potest in alium transferre per venditionem, quin faceret ipsi injuriam vendendo rem restitutioni obnoxiam.

19. Nec dicas: *qui scit, rem esse alienam, nequit illam reducere a bono statu, in quo est, ad statum deteriorem, quia sicut fructus, quos res bona fide possessori producit, pertinent ad verum dominum, ita ad eum pertinet bonus status, quem acquirit; sed reddere eam furi, est reducere ad statum deteriorem; ergo non potest illam reddere furi.* Sed contra dico, non licere quidem positive reducere rem alienam ad statum deteriorem, bene tamen licere ad vitandum proprium damnum permittere, ut res aliena ad deteriorem statum deveniat. Sic Petrum ab incendio extractum nequeo iterum positive in incendium projicere, possum tamen desistere a continuata extractione, & sinere, ut cadat ad vitandum meum gravissimum damnum, puta incendium mihi imminens, nisi desistam ab extractione, & sinam eum cadere. Ita non licet quidem rem alienam positive deteriorem facere; at qui illam reddit furi ad recuperandum pretium, permittit tantum, ut deterior fiat desistendo a continuata liberatione, ad evitandum proprium damnum amissionis pretii.

20. Nec iterum dicas: *si dominus sciat, rem suam esse apud emptorem bonæ fidei, eique prohibeat, ne rem reddat furi, faceret contra justitiam reddendo eam furi, quamvis ad recuperandum pretium; ergo facit etiam contra justitiam, quando non adest talis expressa prohibitio, cum adsit semper prohibitio implicita ex præsumpta voluntate domini.* Contra enim disparitas est, quia in primo casu, qui redderet rem furi, positive resisteret domino volenti recuperare rem suam, quod nec etiam ad

vi-

vitandum proprium detrimentum licite fit. In secundo casu positive non resilleret domino, sed tantum ad ipsum positive rem non deduceret; nemo autem qui bona fide rem habuit, tenetur ipsam cum gravi detrimento proprio ad verum dominum deducere: quod Lugus *disp.* 17. *sect.* 2. n. 37. aliique nonnulli extendunt etiam ad eum, qui mala fide rem a fure emit, & accepit, dummodo caussa non fuit injustæ acceptionis, ut infra.

21. Quæres 4. *An emens a latrone mala fide rem, quam sciebat esse alienam, teneatur illam domino restituere, vel possit rescindere contractum, ut pretium recuperet.* Probabilior opinio asserit, ementem mala fide teneri rem suam domino restituere, non furi, sibique imputare debet, quod pretium dederit pro re, quam sciebat esse restitutioni obnoxiam; nam sic emendo, in se transtulit obligationem furis, eamque debet restituere, etiamsi casu pereat, quia non solum tenetur ad restitutionem ex re accepta, sed etiam ex injusta actione. Ita Andreas a Matre Dei *n.* 87. Vasquez *de restit. cap.* 9. §. 2. *dub.* 2. n. 14. Rebell. *p.* 1. *lib.* 2. *qu.* 9. n. 4. Trullench *dub.* 3. Reginal *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 5. *n.* 40.

22. Posse ementem mala fide contractum cum fure rescindere, & recuperare pretium datum, tenent etiam quamplures, quia sic reddendo rem illam furi, non constituit pejori loco, quam esset ante contractum, & unusquisque potest magis sibi consulere, quam alteri. Ita Lugus *disp.* 17. *n.* 37. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 17. *fine* Tambur. *cap.* 3. §. 3. *n.* 1. Anc. a Spiritu S. n. 387. eamque probabilem dicit Diana *par.* 2. *tr.* 3. *Miscell. resol.* 4. *& par.* 5. *tr.* 4. *resol.* 87. ubi plures pro ea refert.

23. Quod si quis rem emat a latrone, ut domino servet, illique comparenti restituat, non peccat: & si modico pretio emat, potest illud a domino repetere, rem suam illi restituendo, siquidem utiliter gessit negorium ipsius, rem illam eripiendo a periculo; & dominus tenetur illi solutum pretium restituere, quia nemo debet utilitati alterius prospicere cum detrimento proprio; si vero majori, vel æquali pretio emat, non tenetur dominus totum pretium restituere, sed partem arbitrio prudentum, quia tunc non gessit utiliter negotium domini, qui rem suam cogeretur emere majori, aut æquali pretio, nisi in casu, quo res illa esset domino valde cara, & utilis; nam tunc emptor poterit integrum pretium repetere. Lugus n. 4.

24. Quæres 5. *An, qui bona fide rem emit alienam, iterumque vendidit, teneatur domino comparenti indicare ubi illa sit.* Dictum est supra *n.* 6. ementem rem alienam bona fide, si iterum vendidit, non teneri aliquid domino restituere, nisi id, in quo factus est ditior. Modo quæritur: *an saltem teneatur indicare ubi res illa sit.*

25. *Resp.* negativa, si emptor non possit facile solutum pretium recuperare a latrone. Ratio est, quia nemo tenetur prospicere bono alieno cum detrimento proprio; si autem ostendat domino, ubi res illa sit, iste recuperabit rem suam a secundo emptore, qui pretium repetet a primo, & iste, cum non possit illud habere a latrone, detrimentum patietur. Quod si possit iste facile pretium recuperare a latrone, tenetur ex caritate indicare ubi res illa sit, cum jam cesset ratio detrimenti, quod indicando pateretur. Lugus *disp.* 17. *n.* 510. Reginal. *l.* 10. *n.* 44. Sanchez *cap.* 23. *n.* 20. Trullench *lib.* 7. *cap.* 11. *dub.* 5. *num.* 5.

DUBIUM III.

Qualem Obligationem restituendi habeat Possessor malæ fidei.

26. POssessor malæ fidei, dicitur iniquus detentor rei alienæ, quam vel furatus est, vel scienter accepit a fure, aut ab alio iniquo detentore; scienter enim accipiendo rem alienam, sive gratis, sive emptione, aut alio titulo oneroso accipiat, culpam, & injustitiam committit, & iniquus, ac injustus possessor denominatur. Tenetur restituere rem ipsam alienam, si exstat, quia res semper clamat ad dominum, si vero non extat, sed consumpta est, tenetur restituere pretium æquivalens, quamvis res aliena casu, & sine culpa sua perierit, & inde emolumentum aliquod non habuerit: in quo differt a possessore bonæ fidei, qui solum tenetur restituere rem, si extet, non vero, si durante bona fide, consumpta sit, quia habet ille obligationem restituendi non solum ex re accepta, ut possessor bonæ fidei, sed etiam ex injusta acceptione, ac proinde non solum tenetur restituere id, in quo factus est ditior, sed etiam totum id, in quo dominum damnificavit, quamvis ipse nihil emolumenti acceperit. Item tenetur restituere omnea fructus perceptos, de quibus postea dicam, & omnia damna, quæ ob id verus dominus passus est, quia illorum omnium caussa fuit per iniquam ablationem, seu detentionem rei alienæ.

27. Dubium est: *an teneatur ad restitutionem, quando apud ipsum perit res furtiva, quæ etiam apud dominum periisset.* Et quidem dupliciter intelligi potest, rem furto sublatam fore perituram apud dominum, nisi fuisset furto sublata; primo actione justa, puta incendio, tempestate, naufragio, naturali morbo, aut alia simili caussa. Secundo actione injusta, puta injusta inimicorum incursione, vel quia ab alio latrone fuisset furto sublata, consumpta, aut destructa. Item potest esse certum, rem illam fore perituram apud dominum, vel tantum potest esse dubium, & incertum.

28. Resp. primo. Si non est certum, sed dubium duntaxat, an res, quæ perit apud possessorem malæ fidei, esset apud dominum peritura, quia forte rem suam curasset, aut vendidisset, tenetur possessor malæ fidei ipsius valorem restituere. Ratio est, quia dum non est certum, sed dubium, an foret res illa peritura apud dominum, possessio stat pro domino innocente, & talis malæ fidei possessor censetur caussa efficax damni; unde tenetur illius valorem restituere, ut docent Bonac. *qu.* 3. *punct.* 10. *n.* 8. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 5. n. 92. Facundez in *præcep. Decal. lib.* 7. *cap.* 17. n. 7. Reginal. *lib.* 10. *n.* 88. Lugus *disp.* 18. n. 137.

29. Resp. 2. Si res, quæ periit apud possessorem malæ fidei, esset certo peritura apud dominum, sed actione injusta, quia fuisset ab alio furto sublata, aut destructa, tenetur possessor malæ fidei valorem illius restituere. Ratio est, quia si a caussa injusta erat malum illud inferendum, illam de facto habuisset obligationem restituendi, si malum illud intulisset; ergo si non illa, sed tu malum intulisti, non illa, sed tu contrahis obligationem restituendi; siquidem præveniendo, illud onus in te suscipis, quod alter haberet, si malum intulisset. Lessius, Bonac. & alii supra relati.

30. Resp. 3. Possessor malæ fidei non tenetur ad restitutionem, quando apud ipsum res perit, quæ eodem modo erat certo peritura apud dominum actione justa. Ratio est, quia in eo casu possessor malæ fidei non tenetur ratione rei acceptæ, quæ supponitur destructa, nihilque illius extare, nec ratione injustæ acceptionis, nam hæc non inducit obligationem restitutionis, nisi sit caussa efficax damni; at in nostro casu acceptio nullum intulit damnum, cum res illa foret similiter peritura, etiamsi non fuisset furto sublata, & sic nullam inducit obligationem restitutionis; non enim dici potest fuisse domino detrimentum allatum, ex eo, quod res periit apud latronem, quæ certo, & eodem modo peritura erat apud dominum. Conf. ex *l. prima ad legem Rodiam de jact.*, ubi nauta liberatur ab obligatione restitutionis, qui, invito domino, merces transtulit ab una navi ad aliam deteriorem, in qua perierunt, prima etiam pereunte in eadem tempestate. Bonac. *disp.* 1. *qu.* 2. *pun.* 10. Facundez *lib.* 7. *cap.* 17. n. 4. ubi hanc opinionem dicit communiorem, & probabiliorem: Vasquez *cap.* 5. *de restit.* §. 2. *n.* 70. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 92. Tamb. *lib.* 8. *tr.* 3. *cap.* 2. §. 8. Andreas a Matre Dei *pun.* 3. §. 2. *n.* 32.

31. Si vero res, quæ apud dominum certo erat peritura, non pereat apud furem, & possessorem malæ fidei casu fortuito, sine culpa, eodem modo, eodemque casu, quo peritura erat apud dominum, sed actione positiva ejusdem furis, qui talem rem destruxit; puta segetes alienas heri destruxisti, quas hodie tempestas devastasset, seu vestem alienam furto sublatam destruxisti, quam incendium in domo exortum hodie combusisset; an tunc fur liber sit ab obligatione restitutionis. Negant plures, quia culpa nemini debet patrocinari, patrocinaretur autem, si fur non teneretur ad restitutionem rei, quæ sua culpa periit. 2. Quia latro non debet esse melioris conditionis, quam depositarius, immo nec æqualis; sed depositarius tenetur ad restitutionem rei, quæ sua culpa perit, quamvis illa esset peritura apud dominum; ergo multo magis tenetur fur, qui rem injuste destruxit. 3. Quia fur, dum rem illam furto sustulit, se obligavit, velit, nolit, ad eam restituendam, si culpa illius periret. Ita Petrus Navar. *lib.* 4. *de restit. cap.* 1. n. 17. Palud. in 4. *dist.* 15. *qu.* 2. *art.* 1. *concl.* 5. Azor. *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 4. *qu.* 2. quibus ex parte consentiunt Tambur. *cit. cap.* 2. §. 8. *n.* 8. & Lugus *disp.* 18. n. 76. dum asserunt, furem liberari ab obligatione restitutionis, si quando vestem, aut segetes destruxit, incendium, & tempestatem prævidit; secus si minime prævidit, quia segetes tunc habebant totum suum valorem; ergo si illas inique destruxit, contrahit obligationem restituendi secundum illarum valorem, quem habebant, quæ obligatio tolli non potest, nisi actu fiat restitutio.

32. Resp. furem etiam in isto casu liberum esse ab obligatione restituendi, si nihil supersit, nec in aliquo factus sit ditior. Ratio est, quia fur rem illam destruendo, quamvis peccaverit contra justitiam, nullum tamen damnum intulit domino, & sic nullam habet obligationem restitutionis: non enim obligatur ex re accepta,

quæ

quæ amplius non extat, nec ex iniqua actione, nam actio injuſta in tantum inducit obligationem reſtitutionis, in quantum eſt vera cauſa efficax alicujus damni; ſed actio furis, quamvis fuerit injurioſa domino, nullum tamen intulit damnum, quod dominus non eſſet habiturus independenter ab actione furis, ſiquidem eodem tempore, vel paullo poſt ab alia cauſa juſta malum illud erat inferendum ſine obligatione reſtitutionis; ergo talis actio nullam intulit obligationem; non enim ſufficit animus nocendi, ſi ex tali actione damnum efficaciter non ſequatur.

33. Nec obſtat, quod tempore deſtructionis incendium, ſeu tempeſtas non fuit prævisa: non enim obligatio reſtitutionis oritur a prævisione, ſeu non prævisione tempeſtatis, & incendii, ſed a damno allato; ſi enim nullum fuit allatum damnum, nulla poteſt eſſe obligatio reſtitutionis; at in noſtro caſu, quamvis non fuerit incendium prævisum, nullum tamen eſt allatum damnum, quod non foret inevitabiliter inferendum ab incendio, & ſic nulla poteſt eſſe obligatio reſtitutionis. Quod fur rem deſtrexerit, non prævisо incendio, facit, ipſius actionem eſſe magis injurioſam, & culpabilem, arguitque animum nocendi, at non inducit obligationem reſtitutionis, quæ ut dixi non oritur ex ſolo animo nocendi, ſed ex damno realiter allato, quo ceſſante, ceſſat obligatio reſtitutionis.

34. Ad fundamenta oppoſita facile reſpondetur. Ad primum dico, neminem per ſe debere reportare commodum ex ſua malitia, & peccato; per accidens tamen parum refert, ſi aliquod commodum reportet citra præjudicium alicujus. Ad 2. dico, depoſitarium teneri ex contractu rem depoſitatam cuſtodire, & ſalvam reddere, tum quia res non dicitur peritura apud dominum, qui illius cuſtodiam alteri commiſit. Ad 3. dico, furem ex furto teneri ad rem domino reſtituendam, ſi culpa illius pereat, quando non erat apud dominum peritura, aut quando exinde damnum domino contingeret, ſecus ſi nullum damnum ſequatur. Hanc Sententiam tenent Leſſius *lib. 2. cap. 12. dub. 15. nu. 93.* Bonac. & Vaſquez *loc. cit.* & probabilem putat Facundez n. 13. quamvis dicat primam probabiliorem, & tenendam.

35. Qui ab incendio, ſeu naufragio eripuit aliquas merces certo ibi perituras, tenetur ad reſtitutionem, ſi tranſacto naufragio, ſeu incendio illas deſtruxit, vel iterum illas projecit in mare, ſeu in ignem, quia tunc cenſetur cauſa efficax damni; ſiquidem res ab incendio liberata, eſt ſub domini poteſtate, illique reſtituenda. Quare, ſi illam deſtruas, non facta reſtitutione, cenſeris cauſa efficax damni, cum ut ſic ab incendio liberata, non ſit amplius apud dominum certo peritura.

36. Quod ſi res ab incendio, ſeu naufragio liberata caſu fortuito pereat ſine tua culpa, videndum eſt, an fueris in mora culpabili reſtituendi; ſi enim fuiſti in mora culpabili, teneris reſtituere pretium, quia mora nocet illi, per quem ſit, & dum es in mora, jam es poſſeſſor malæ fidei, qui proinde teneris reſtituere rem, etiam caſu fortuito pereuntem. Si vero non fuiſti in mora reddendi rem illam domino, quia dum quærebas opportunitatem caſo fortuito periit, non teneris aliquid reſtituere. Ratio eſt, quia non teneris ex re accepta, cum non extet, nam ſupponitur poſt incendium periiſſe, nec ratione moræ, & injuſtæ detentionis, quia per te non ſtetit; nec fuiſti in mora non reſtituendi, cum non haberes commoditatem ad eam reſtitutionem faciendam; non ex injuſta acceptione rem illam ſurripiendo, quia cum eſſet omnino peritura, ſi illam non ſalvares, nullum damnum domino intuliſti, & ſic ex nullo capite teneris reſtituere.

37. Ex dictis infertur, non teneri ad reſtitutionem furem, qui diſſipavit ſegetes, quas tempeſtas erat ſtatim demolitura, nec qui fructus alienos immaturos deſtruxit, qui a domino non erant colligendi, niſi in maturitate, ſi ante tempus maturitatis tempeſtas contingat, quæ omnes fructus ſimiles deſtruat, quia per illam deſtructionem immaturam dominus nullum patitur damnum, quod non eſſet inferendum per tempeſtatem; ſi vero nulla ſequatur tempeſtas, vel dominus eſſet fructus illos collecturus, aut venditurus immaturos ante tempeſtatem; tunc qui fructus deſtruxit tenetur reſtituere juxta menſuram damni illati, ut notat Andreas a Matre Dei *punct. 3. n. 54.* Si furatus es equum morbo occulto, & incurabili laborantem, qui poſtea ſine tua culpa moritur, non teneris illius pretium reddere. Bonac. *qu. 3. pun. 10.*

D U B I U M IV.

An Poſſeſſor malæ fidei teneatur reſtituere juxta ſummum valorem, quem res habuit tempore totius detentionis.

38. PRetium rei furto ſublatæ poteſt eſſe varium, quia pro diverſo tempore poteſt creſcere, vel decreſcere: furatus es menſuram tritici, quæ in autumno valebat quatuor aureos, in hyeme crevit ad ſex, & in æſtate decrevit ad quinque, vel etiam ad tres; quæritur, ſecundum quem valorem debeas reſtituere, ſi res illa ſit conſumpta; ſi enim extat, debet illa reſtitui domino, etiamſi ejus pretium quocumque modo creverit, ſiquidem res domino ſuo creſcit. Si autem decrevit, debet reſtitui cum lucro ceſſante, vel damno emergente, ſi aliquod domino occaſione furti lucrum ceſſavit, aut damnum emerſit. Poteſt fur rem illam conſumpſiſſe tempore ſummi valoris, aut tempore quo minus valebat; in utroque caſu procedit difficultas, & quidem ſi fur rem illam conſumpſit, alienavit, vendidit, aut alio modo diſtraxit, tempore quo minus valebat.

39. Reſp. attendendum eſſe damnum, quod dominus paſſus eſt, & ſecundum illud faciendam eſſe reſtitutionem, nimirum juxta ſummum valorem, quando dominus paſſus eſt damnum juxta ſummum, juxta infimum, aut medium, ſi ſecundum illum paſſus eſt damnum. Ratio eſt, quia reſtitutio facienda eſt ad æqualitatem, debetque eſſe æqualis illato damno, ac proinde ſi damnum illatum eſt juxta ſummum, reſtituendum erit juxta ſummum, ſecus juxta medium, aut infimum, ſecundum quod damnum illatum eſt. Ut autem cognoſcatur, quodnam damnum illatum ſit, debet attendi tempus, in quo dominus erat triticum venditurus; ſi enim erat venditurus hyeme, quando valebat ſex aureos, teneris ſex aureos reſtituere, quia juxta ſex dominus paſſus eſt damnum; ſi autem erat venditurus autumno, quando valebat quatuor, vel ſervaturus uſque ad tempus, in quo decrevit ad tres, juxta quatuor, vel tres reſtituendum eſt, quia tantum eſt damnum, quod dominus paſſus eſt.

40. Quod ſi, omnibus penſatis, dubitetur quo tempore dominus fuiſſet triticum venditurus, aut tempore ſummi, aut infimi valoris, debet fieri reſtitutio arbitrio viri prudentis pro majori, vel minori incertitudine, prout notat Bonacina, additque Tambur. te non teneri credere domino dicenti, ſe frumentum ſervaturum fuiſſe ad tempus ſummi valoris, ſed ex aliis conjecturis eſſe veritatem indagandam, quia dolum præſumere potes. Tambur. *lib. 8. cap. 2. §. 7. n.* n. 6. Bonac. *qu. 3. p. 11. nu. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 12. dub. 16. n.* 109. Lugus *diſp.* 18. n. 121. & n. 135 Diana *p. 4. tr. 4. reſol. 63. & part. 2. tr. 17 reſ. 51.* Trullench *lib. 7. cap. 5. dub.* 11. Andreas a Matre Dei *p. 3. n. 56.*

41. Major difficultas eſt, *quando poſſeſſor malæ fidei rem furto ſublatam vendidit tempore, quo plus valebat, & dominus non erat ad illud tempus rem illam ſervaturus, ſed conſumpturus, aut venditurus tempore, quo minus valebat: an utrum debeat tunc reſtituere pretium ſummum, ſecundum quod rem illam vendidit; an ſufficiat reſtituere juxta valorem infimum, ſecundum quem fuiſſet dominus venditurus.* Hoc ſecundum videtur dicendum, quia in hoc tantum videtur dominus paſſus fuiſſe damnum, ut tenent Leſſius n. 103. Layman *lib. 3. ſect. 5. tr. 2. cap. 4. n. 5. & 6.* P. Navar. *lib. 4. cap.* 1. n. 37. Diana *par. 3. tr. 17. reſol.* 51. Alii vero abſolute negant, ſufficere reſtitutionem faciendam ſecundum valorem, in quo Dominus paſſus eſt damnum, ſed volunt, faciendam eſſe juxta pretium ſummum, quo fur rem illam vendidit, ſive augmentum pretii fundetur in bonitate intrinſeca, ſive in circumſtantia extrinſeca. Sic Andreas a Matre Dei n. 59. & apud ipſum Rebell. *lib. 6. qu. 2. n. 5.* Villalob. *tr. 12. diff. 22. n. 4.* Sylveſter *verb. Furtum qu.* 16. Palaus *de Juſt. in gen. diſp. unica punct.* 24. §. 9. *num.* 9. Lugus *ſect. 6. num.* 126.

42. Nota, res furto ſublatas, eſſe in duplici differentia, aliæ ſunt, quæ incrementum, & decrementum habent ab intrinſeco, ut ſunt pullus equinus, & vitulus creſcens: furatus es vitulum creſcentem, aut pullum equinum, qui quo tempore furto abſtuliſti, valebat decem, dum fuit in manu, & poteſtate tua crevit ad quindecim, & poſtea ob morbum, ſenectutem, vel aliud vitium iterum decrevit ad decem, in isto caſu augmentum valoris, quod habuit, fundatur in bonitate intrinſeca bovis, & equi. Aliæ ſunt, quæ incrementum, & decrementum pretii habent ab extrinſeco, ſcilicet a tempore, a loco, a modo, quo venduntur, ut triticum, frumentum, vinum, oleum, pannus, & aliæ hujuſmodi merces, quæ ſolum ratione temporis, loci, & modi, quo venduntur, majorem, vel minorem pretii valorem habent; ſi enim ad aliud tempus ſerventur, vel ad alia

loca

loca deferantur, ubi penuria illorum est, solent carius vendi.

43. Resp. 2. Si augmentum pretii fundatur in bonitate intrinseca rei furtivæ, & eam latro vendidit pretio summo, juxta ipsum debet restituere, quamvis dominus non fuisset juxta illud eam venditurus. Ratio est, quia totum illud incrementum, cum sit intrinsecum, & inseparabile a re furtiva, totum cedit domino, qui numquam amisit dominium suæ rei, estque veluti fructus naturalis, qui domino debetur, etiamsi non foret ab ipso percipiendus; ergo pretium fundatum in tali bonitate, atque commensuratum, totum debet domino restitui; possessor enim malæ fidei tenetur ad restitutionem rei, & fructuum naturalium, quos percepit, etiamsi non foret illos dominus percepturus. Inde si surripuisti vitulum crescentem, valentem decem, & educasti in bonum, quo tempore valebat, & vendidisti viginti, teneris totum pretium restituere, detractis expensis, & laboribus industriæ à te factis, quos dominus fecisset in tali animali educando. Ita Filliuc. *tom.* 2. *tr.* 32. *cap.* 4. *n.* 88. Facundez *lib.* 17. *cap.* 15. *n.* 9. & alii pro secunda Sententia superius adducti.

44. Resp. 3. Si augmentum valoris fundatur in circumstantia extrinseca, ut contingit in tritico, vino, oleo, panno, aliisque hujusmodi rebus, quæ nullum habent incrementum ab intrinseco, sed solum ab extrinseco, a loco, a tempore, & a modo, ut si in alium locum transferantur, in quo plus valent, si dominus non erat illas servaturus, & tali modo, loco, & tempore venditurus, non tenetur fur restituere pretium summum. Ratio est, quia augmentum pretii fundatum in sola circumstantia extrinseca non se habet, ut fructus intrinsecus, & naturalis, sed ut extrinsecus, & industrialis; unde sicut transferre triticum ad locum, ubi plus valet, & ibi carius vendere, est fructus industriæ, ita expectare ad circumstantiam temporis, in qua plus valet, & tunc plus vendere, est fructus industriæ; cum autem fur non teneatur restituere fructus industriæ, ita non tenetur restituere triticum juxta summum valorem, quo vendidit, si dominus juxta illum non erat venditurus. Facundez n. 13. & apud ipsum Lessius, Petrus Navarr. Covar. Medina, Sylvester, & favet Diana *par.* 4. *tr.* 4. *resol.* 63. utramque responsionem sequitur Bonac. *punct.* 11. *n.* 8.

DUBIUM V.

Quinam Fructus sint restituendi a Possessore bonæ, vel malæ fidei.

45. FRuctus, qui percipiuntur a re aliena, sunt in triplici differentia; alii sunt mere naturales; alii mere industriales; alii mixti ex naturalibus, & industrialibus. Naturales sunt illi, qui proveniunt a natura, nulla, aut fere nulla industria concurrente, ut herba pratorum, fœnum, gramina, poma, glandes quercuum, castaneæ, & plures fœtus animalium, qui absque hominis industria producuntur. Industriales sunt illi, qui per humanam industriam comparantur, quamvis concurrat natura, ut instrumentum, ut artefactum alieno instrumento elaboratum; lucrum, quod acquiritur negotiando cum pecunia, vino, tritico. Fructus mixti dicuntur illi, qui partim a natura, partim ex hominum industria producuntur, ut fructus vinearum, segetes, fructus agrorum, qui coluntur, lac, caseus, vinum, oleum, lana, & similes, ad quos etiam reducuntur reditus, mercedes, & locationes domorum, & jumentorum, qui fructus civiles appellantur.

46. Resp. 1. Possessor bonæ, sive malæ fidei non tenetur restituere fructus industriales perceptos ex re aliena. Ratio est, quia fructus industriales, non sunt vere fructus rei alienæ, sed fructus propriæ industriæ, qui proinde debentur illi, cujus propria est industria: quod verum est, tam de possessore bonæ, quam malæ fidei, cum hoc discrimine, quod iste tenetur restituere lucrum cessans, & damnum emergens, si quod domino propter carentiam rei præcise bonum cesset, aut damnum emergat. Tamb. *cap.* 2. §. 7. *n.* 22. Trullench *lib.* 7. *cap.* 11. *dub.* 2. Bonacina *disp.* 1. *q.* 3. *p. ult.* §. 1. *n.* 3. Andreas a Matre Dei *n.* 69.

47. Inde si quis aliena pecunia negotiando lucrum reportavit, si asportatione alieni tritici ad alium locum, ubi plus venditur, lucrum acquisivit, sibi acquirit, nec tenetur restituere, quia est fructus industriæ. Similiter qui semen alienum seminavit in agro suo, non tenetur restituere fructum, sed dumtaxat semen furtivum, & damnum emergens, si sit possessor malæ fidei, quia est fructus meræ industriæ, non seminis, quod destruitur, & perit; si alieno penicillo picturam efformasti, sibi cedit non domino pennicilli, & sic de aliis. Nec dicas, lucrum reportatum negotiando pecunia aliena non solum est fructus industriæ, sed etiam pecuniæ, quæ non est omnino sterilis, sed fructifera; nam in contractu societatis, quando unus ponit industriam, & alter pecuniam, lucrum æqualiter dividunt; ergo pecunia non est omnino sterilis. Sed contra dico, etiam in contractu societatis pecuniam esse sterilem, & lucrum dari ponenti pecuniam, tamquam fructum industriæ, cum magna sit industria dare pecuniam pro societate, ac negotiatione facienda, cum se exponat periculo lucri, & damni.

48. Resp. 2. Possessor sive bonæ, sive malæ fidei tenetur restituere fructus naturales, quia isti non sunt fructus propriæ industriæ, sed rei alienæ, quæ domino suo fructificat, cum hoc discrimine, quod a possessore bonæ fidei sunt restituendi fructus naturales, si extant, vel si in aliquo factus sit ditior, juxta dicta *dub.* 1. a possessore vero malæ fidei sunt restituendi fructus, quamvis non extent, nec in aliquo sit factus ditior, juxta dicta *dub.* 3. quia scilicet ille tenetur solum ex re accepta, qua pereunte, perit etiam obligatio restituendi; iste vero tenetur ex re male accepta, & actione injusta, ex qua provenit obligatio restituendi, sive res illa extet, sive non. Lugus *disp.* 17. *n.* 39. Andreas a Matre Dei *nu.* 69. Ant. a Spiritu S. *n.* 375. Trullench *cap.* 11. *dub.* 1.

49. Idem dicendum est de fructibus mixtis, quos uterque possessor tenetur restituere, cum vere sint fructus rei alienæ, ac proinde domino restituendi; & licet partim procedant ab industria, & partim a natura, tamen, quia natura principaliores habet partes in operando, censetur fructificare domino suo, cui proinde debentur hujusmodi fructus, deductis tamen expensis, in æstimatione industriæ, quia sicut possessor non debet ditescere ex re aliena, ita nec dominus debet fructum reportare ex aliena industria, & expensis. Bonac. *sup. n.* 7. Andreas a Matre Dei n. 69. Trullench *dub.* 2. Lugus n. 39.

50. Et quidem possessor rei alienæ debet restituere fructus, sive naturales, sive mixtos, non solum quos dominus ipse percepisset, sed etiam alios quoscumque perceptos, etiamsi dominus non fuisset percepturus, quia sunt fructus rei, quæ domino suo fructificat, & sic ad ipsum spectant, eo ipso, quod ex tali re percipiuntur: puta domum locavit, quam non erat dominus locaturus, vineam excoluit, quam dominus non excoluisset; fructus, qui percipiuntur a locatione domus, vel a vinea sic exculta, debentur domino domus, seu vineæ, deductis expensis.

51. Quid si rem alienam locasti, quæ ex se locari non solet, ut torquem auream ad ostentationem, aliqui te excusant ab obligatione restituendi pretium, quia est fructus industriæ, quem dominus non erat percepturus, cum torques aurea sit infructifera, sicut pecunia. Navar. *in sum. cap.* 17. *n.* 25. Lessius *c.* 12. *n.* 110. *fine*. Diana *par.* 2. *tr.* 17. *resol.* 50. Vere tamen teneris restituere pretium locationis, quia non est fructus industriæ locantis, sed datur pro usu rei, vel saltem est fructus mixtus ex industria, & usu rei, qui debet restitui deducta æstimatione industriæ: idemque valet de pecunia locata ad ostentationem, quæ licet de se sit sterilis, & infructifera, per accidens tamen fructum facere potest ex usu locato. Ita Sanchez *lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 132. Bonac. *p. ult.* §. 1. *n.* 4. Lugus *disp.* 17. *n.* 51. Palaus *de Just. qu. unic. p.* 24. §. 9. *n.* 4. Trullench *lib.* 7. *cap.* 5. *dub.* 12. *n.* 5. Andreas a Matre Dei *punct.* 3. *num.* 70.

52. Aliqui obligant possessorem malæ fidei restituere non solum fructus perceptos ex re aliena, quamvis dominus non esset illos percepturus, sed etiam fructus, quos de facto non percepit, sed potuit percipere, etiamsi dominus non fuisset illos percepturus. Ita Rosella *in sum. verb. Restitutio* 7. *n.* 28. Sylvester *verb. Restitutio* 3. *qu.* 7. *dict.* 1. Angelus, Tabiena, Armilla, *eod. verb.* Vere tamen non obligatur tales fructus non perceptos restituere, ratio est, quia ad talem restitutionem non tenetur ex re accepta, quia de facto tales fructus non percepit, ut suppono, nec ex injusta actione, seu damnificatione, quia ex non perceptione fructuum nullum damnum evenit domino, qui non erat illos percepturus: secus dicendum, si fructus aliquos percepit, quia teneretur ex re accepta, & si illos non recepit, quando dominus illos esset percepturus, quia teneretur ratione injustæ acceptionis, ut supra dixi. Sic Bonacina *supra* §. 2. *n.* 6. Lugus *disp.* 17. *n.* 54. Tamb. *cap.* 2. §. 7. *n.* 25. Andreas a Matre Dei *punct.* 3. *n.* 74. Villalob. *tr.* 11. *diff.* 12. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 118. loquendo de foro interno, quia de foro externo aliter judicant.

53. Possessor bonæ fidei liberatur ab obligatione restituendi fructus, sive naturales, sive mixtos, si illos per triennium bona fide possedit, quia, ut diximus *tr.* 1. *cap.* 4. *dub.* 7. *n.* 65. res mobiles per triennium possessionis cum bona fide præscribuntur, & fiunt illius, qui bona fide possedit, qui proinde liberatur ab onere illas restituendi, quamvis sint fructus Ecclesiæ, vel Beneficii, licet res immobiles longiori tempore præscribantur, ut

dixi-

diximus *loc. cit.* & tenent Bonacina *punct. ult.* §. 1. *nu.* 10. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 23. *a num.* 87. Trullench *cap.* 11. *nu.* 2. & hoc verum est, licet tales fructus ante lapsum triennium sint consumpti, quia si nihil illorum extat, nec in aliquo factus sit ditior, nihil restituendum est a possessore bonæ fidei; si vero in aliquo factus sit ditior, cum hoc succedat loco fructuum consumptorum, simul cum illis præscribitur per triennium, cum bona fide, ut notat Sanchez *nu.* 92.

DUBIUM VI.

Quas expensas possit deducere Possessor bonæ, & malæ fidei, restituendo rem alienam.

54. Expensæ factæ in re aliena sunt in triplici differentia; aliæ sunt necessariæ, aliæ utiles, & aliæ voluptuariæ, seu voluntariæ. Necessariæ sunt illæ, sine quibus aut res periret, aut deterior fieret, ut sunt alimenta animalium, illorum custodia, & reparatio domus ruinam minantis. Utiles sunt illæ, quæ rem reddunt meliorem, & utiliorem, ut plantare vineam, arbores, olivera, gregis augmentatio, & domus melioratio. Voluntariæ dicuntur illæ, quæ non sunt necessariæ, nec utiles, sed magis spectant ad ornatum, & recreationem, ut sunt viridaria, statuæ, picturæ, & hujusmodi, ex quibus, licet aliquo modo crescere possit æstimatio fundi, quia tamen ex illis plures non percipiuntur fructus, non dicuntur utiles, sed voluptuariæ, & voluntariæ.

55 Resp. expensas necessarias, & utiles factas ab utroque possessore, tam bonæ, quam malæ fidei, esse in foro conscientiæ deducendas in restitutione rei alienæ, & dominum rem suam recipientem teneri in foro conscientiæ compensare, & restituere hujusmodi expensas factas. Ratio est, quia sicut dominus non debet detrimentum pati recipiendo rem suam, ita non debet lucrum reportare, & ditior fieri expensis alienis, ut contingeret non restituendo expensas necessarias, & utiles, quæ cedunt in utilitatem domini, cujus res per illas expensas melior, & fructuosior facta est. Ita Lessius, Azor. Molina, Rebell. Salonius, & alii, quos affert, & sequitur Bonacina *punct. ult. quæst.* 3. §. 2. *num.* 9. Tambur. *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 3. §. 5. *numer.* 13. Lugus *disp.* 17. *numer.* 61. & alios referens Andreas a Matre Dei *num.* 77.

56. Nota hic cum Auctoribus citatis, expensas esse deducendas, & compensandas a domino, non secundum æstimationem, & valorem, ad quem res illa crevit cum melioramentis factis, sed præcise secundum valorem expensarum, quia nimirum valor, & incrementum censetur pars fundi, & cedit domino. Quod si utilitas, & valor rei melioratæ minor sit expensis factis, non tenetur dominus tantum solvere, quantum valent expensæ, sed quantum valet utilitas, & augmentum factum, quia dominus, sicut non debet ditescere ex rebus alienis, ita non debet detrimentum pati; pateretur autem detrimentum, si cogeretur solvere expensas, quæ pluris valent, quam valeat utilitas, & augmentum rei. Nec item dominus cogi debet solvere integras expensas; quando ipse eadem melioramenta, cum eadem utilitate esset facturus cum minoribus expensis, tunc enim detrahendæ tantum sunt illæ minores expensæ, quas dominus erat facturus, quia in istis tantum censetur ditior factus. Bonacina *nu.* 10. Lugus *num.* 52. 64. & 65. Tambur. *num.* 15. Andreas a Matre Dei *nu.* 78.

57. Quoad expensas factas in melioramentis voluntariis, & voluptuosis, conveniunt satis communiter Doctores, utrumque possessorem bonæ, & malæ fidei pro foro conscientiæ posse illas petere, & dominum teneri compensare, si cum illis crescat rei valor, & magis æstimatur, & erunt compensandæ secundum incrementum, & æstimationem valoris, ut supra dictum est. Si autem expensæ, & melioramenta non augent rei valorem, & æstimationem, sed solum deserviant ad ornatum, & voluptatem, tunc uterque possessor poterit illas asportare, si possint sine detrimento separari, ut sunt statuæ, portæ, horologium, & hujusmodi; si vero separari, & asportari non possint, tunc possessor bonæ fidei petere potest, quod in his melioramentis expendit, vel cogere dominum ad vendendam rem illam ipsi possessori justo pretio, deductis expensis, ut cum communi Sententia tenet Tambur. *lib.* 8. *cap.* 3. *tr.* 3. §. 5. *n.* 14. & cum illo Ant. a Spiritu S. *tr.* 10. *disp.* 9. *n.* 380. Possessori autem malæ fidei nihil erit pro illis solvendum; imputare enim debet sibi, si ex vanitate, quæ circa rem alienam sine domini consensu, & sine illius utilitate expendit: illisque in foro externo privatur in pœnam sui delicti.

DUBIUM VII.

Qualem Obligationem habeat Possessor dubiæ fidei.

58. Dubium adesse potest ante adeptam possessionem, quando quis rem aliquam emit, seu accepit, dubitans esse alienam; vel potest oriri post adeptam possessionem, quando quis emptione, dono, vel alio titulo rem bona fide possidet: in utroque casu facienda est moralis diligentia ad inquirendam veritatem, eaque non adhibita, se exponeret periculo accipiendi, seu retinendi rem alienam, quod esse non potest sine peccato; nam qui amat periculum, peribit in illo, ut cum aliis notat Bonacina *disp.* 1. *quæst* 2. *p.* 1.

59. Facta sufficienti diligentia, si veritas non potest inveniri, sed dubium adhuc perseverat, tunc Adrianus in 4. *de restit. quæst. de præscript.* §. *hoc supposito* tenet, rem illam esse restituendam etiam a possessore bonæ fidei, quia in dubiis tutior pars est eligenda, tutius autem est restituere, quam retinere, quia in restitutione nullum adest peccatum. Alii vero dicunt, in eo casu rem esse dividendam, pro ratione dubii, cum illa persona, de qua dubitatur, an res ipsius sit; & si non cognoscatur quænam sit ea persona, dividendam esse cum pauperibus, quia, stante æquali dubio, æqualis conditio, & æquale jus debet esse utriusque partis, ac proinde res erit dividenda. Ita Sotus, Mart. Ledesma, Corduba, & Aragon. relati a Bossio *var. moral. tit.* 1. *num.* 1831.

60. Resp. 1. Possessorem bonæ fidei, manente tali dubio post sufficientem diligentiam adhibitam, posse rem illam sibi integre retinere; quia in dubiis melior est conditio possidentis, juxta capit. *in dubiis* de Regul. Juris in 6. *&, cum partium jura sunt obscura, reo favendum est potius, quam actori, ex regul.* 11. in 6. possidens autem est reus, cui proinde favendum est, nec unquam in foro externo, stante dubio, possessor a Judice spoliatur re ab ipso possessa, nec in totum, nec in partem, nec cogitur rem illam, seu aliquam partem restituere, ut ex communi Sententia Doctorum tradit Bossius *supra nu.* 1833. ergo nec spoliari debet in foro interno, quia hoc cum externo debet conformari, quando istud non nititur in falsa præsumptione. Conf. quia possessio bona fide habita, est sufficiens titulus ad rei dominium retinendum, & transfert onus probandi in adversarium, ut scilicet possessor non debeat in judicio fori externi probare, rem esse suam, sed alter, qui eam repetit, qui nihil obtinebit, nisi fortioribus rationibus, & præsumptionibus probet, rem esse suam. Ita Sanchez *lib.* 1. *in Decal. c.* 10. *nu.* 9. & *lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 179. G. Hurtado *disp.* 6. *dif.* 1. Palaus *tr.* 1. *disp.* 3. *pun.* 2. *nu.* 11. Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *n.* 64. Lugus *disp.* 17. *num.* 86. Trullench *cap.* 11. *nu.* 4. & alii plures, quos affert, & sequitur Bossius *loc. cit.* & nos diximus *in tract. de Actibus hum. cap.* 3. *nu.* 124.

61. Nec obstant fundamenta opposita; nam licet in dubiis tutior pars sit eligenda, quando possessio non stat pro dubitante, secus si pro illo stet possessio, quæ tribuit jus practice certum, cui jus dubium prævalere non potest. Item, stante æquali dubio, jus erit æquale, si pro neutro adsit possessio; si autem pro altero stet possessio, non est jus æquale, quia possessio dat jus practice certum, quod in utroque foro prævalet ad retinendam totam rem.

62. Inde qui bona fide possidens aliquid incipit dubitare, an id legitimo titulo possideat, seu res sit aliena, potest dubium deponere, si, facta sufficienti diligentia, vinci nequit, quia in dubio melior est conditio possidentis, & possessio est sufficiens titulus deponendi dubium, & honestandi illam retentionem, etiamsi dubitans magis inclinet in eam partem, ut res sit aliena, quia major illa inclinatio, cum non excludat dubium, prævalere debet certa possessio, quæ tribuit jus certum possessori, quod non nisi a Jure certo vinci potest, ut cum aliis tenet Bossius n. 1839. Durante illa diligentia, non potes uti re, quæ usu consumitur, quia frustra dominus quæreretur; poteris tamen uti re, quæ usu non consumitur, animo solvendi pretium usus, deductis expensis, si alienam esse compertatur, ut diximus *in tr. de Actib. humanis cit. cap.* 3. *n.* 131. Bonac. *disp.* 1. *q.* 2. *p.* 2. *num.* 9. Diana *par.* 4. *tr.* 3. *res.* 25.

63. Post factam diligentiam si dubium adhuc perseverat, potest possessor rem illam consumere, & alienare, &, si postea compareat verus dominus, tenetur solum restituere id, in quo factus est ditior, quia illam consumpsit tamquam possessor bonæ fidei. Bonac. *par.* 2. *n.* 4. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 187. Andreas a Matre Dei *pun.* 3. *n.* 66. qui bene advertunt, vendentem in tali casu debere monere emptorem de dubio, quod habet an res sit aliena, quia nimirum vendens tenetur manifestare vitium

rei, ex quo potast emptori incommodum aliquod evenire, nisi ipse velit satisfacere domino comparenti, si forte compareat. Ita etiam Lugus *disp.27. nu.91.* Trullench *lib.7. c.11. dub.4. nu.2.*

64. Quod si possessor bonæ fidei, suborto dubio an res sit aliena, neglexit facere moralem diligentiam investigandi veritatem, & inde factus est impotens ad illam inveniendam, affirmant, ipsam teneri restituere illi, cujus rem esse dubitat, vel, eo ignoto, pauperibus, juxta qualitatem dubii, & spem, quam habebat inveniendi dominum, seu juxta illius spei æstimationem. Molina, Salas, Sanchez, Villalob. Lugus, & alii, quos affert, & sequitur Bossius *tr.1. var. moral. nu.1844.* Sed satis probabile est, non teneri ad ullam restitutionem, quia licet hujusmodi possessor peccaverit, negligendo inquisitionem veritatis, & omittendo diligentiam, qua forte poterat dominus reperiri, & agnosci esse alienam, tamen cum inceperit possidere bona fide, debet in dubio, quod jam non potest vinci, esse melior conditio possidentis. Deinde quia in dubio, an quia sua actione, vel omissione damnum intulerit alicui, non tenetur ad ullam restitutionem; sed in casu præsenti dubium est, *an possessor bonæ fidei, omittendo diligentiam, damnum intulerit alicui*; ergo non tenetur aliquid restituere. Bonacina *quæst.2. p.2. n.8.* Palaus *tom.1. disp.3. punct. 2. nu.9.* Diana *part.4. tr.3. resol.29.* Trullench *cap.11. dub. 5. nu.2.* Rebell. *lib.2. quæst.5. num.12.*

65. Si res, de qua dubitatur, an sit tua, vel aliena, ab alio bona fide possideatur, non potes ipsum spoliare, nec clam auferre, immo neque si probabiliter judices, quod sit tua, quia tunc alter possidet, eique melior conditio possidentis, non solum in dubio negativo, sed etiam in positivo, hoc est in concursu opinionum probabilium, ut cum Molina, Vasquez, Sanchez, Rebello, Trullench, Bonacina, & aliis ostendit Bossius supra *nu.1848.* Unde sic accipiens rem ab alio possessam peccat contra justitiam, & tenetur restituere; si autem res, de qua dubitatur, a nemine possideatur, non potest accipi tota, sed dividenda est juxta dubii proportionem, tam in foro interno, quam externo, quia cum nemini faveat possessio, non est major ratio, quod ab uno accipiatur, quam ab alio, ac proinde dividenda, si sit divisibilis, pro quantitate dubii; si autem non sit divisibilis, unus totam accipiat, & alteri tantum solvat, quanti pars illius æstimatur, prout inter illos, aut sponte, aut sortibus conventum fuerit, ut diximus circa quintum Decalogi præceptum agentes de Bello *cap.2. num.11.*

66. Resp. 2. Qui mala fide rem accipit, seu emit, ut sibi retineat, dubitans esse furtivam, peccat contra justitiam, &, facta diligentia, si adhuc dubius manet, tenetur restitutionem facere secundum proportionem dubii. Ratio est, quia emendo, seu accipiendo rem illam cum tali dubio, animo eam sibi retinendi, se exponit periculo accipiendi, & retinendi rem alienam, invito domino, nec sibi favet possessio, quam numquam habuit, ut, pluribus relatis, tenet Sanchez *nu.176.* Bonacina *punct.2. n.4.* Andreas a Matre Dei *punct.3. n.62.* & Bossius *n.1887.* Inde tenetur veritatem inquirere, &, facta sufficienti diligentia, si dubium adhuc perseverat non potest illam sibi retinere, quia cum non sit possessor bonæ, sed malæ fidei, non illi suffragatur possessio, quæ solum prodest possessori bonæ fidei. Quod confirmari potest ex dictis, Tractatu præcedenti *cap.4. n.75.* ubi diximus, dubitantem, rem, quam possidet, esse suam, vel alienam, non posse illam præscribere, si dubium præcessit ab initio, adeo ut cum dubio cœperit possidere; nam cum tali dubio non stat bona fides, quam Jura requirunt ad inchoandam possessionem, & præscriptionem, siquidem dubitans, an res illa sit sua, vel alterius, dici non potest, quod melior sit conditio sua, quam alterius, & ita tenent magis communiter Doctores. Bonacina *punct.2. num.11.* Trullench *cap.11. dub.4.* Lugus *disp.17. nu.81. & 82.* Molina, Sanchez, Lessius, Rebellus, Villalob. Coninch. Layman, & alii plures, quos affert, & sequitur Bossius *nu.1893.*

67. Et licet nonnulli asserant, ementem ab initio rem illam cum dubio, debere rem totam alteri reddere, de quo dubitat, an sit sua, vel, si non est persona aliqua determinata, debere illam inter pauperes distribuere; verius tamen est, non teneri restituere totam, sed juxta proportionem dubii, medietatem scilicet, seu partem majorem, aut minorem, prout dubium est æquale, vel inæquale, majus, aut minus, quia licet mala fide rem acceperit, dubitando esse alienam, vel emptam, seu dono acceptam esse furtivam; tamen cum hoc non sit certum, sed dubium, ita potest esse sua, sicut potest esse aliena; fieri enim potest, quod vere non sit aliena, nec furto sublata, & inde non tenetur rem totam restituere, sed potest sibi partem majorem, aut minorem retinere juxta proportionem dubii, cum non teneatur magis consulere aliis, quam sibi, ut docent præcit. DD. cum Bossio *num. 1895.*

68. Quod si, facta sufficienti diligentia, comperiat, rem vere esse furtivam, non potest illam retinere, sed tenetur eam domino restituere totam cum fructibus, nullo petito pretio, vel pauperibus distribuere, si certus dominus ignoretur, aut etiam restituere furi ad recuperandum pretium datum, quando illam emit. Non potest a domino solutum pretium exigere, quia dominus non tenetur rem suam emere, nec dato pretio quomodolibet eam comparare, sed solum potest tale pretium a venditore exigere, contra quam solum habet actionem, ut cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 62. art. 6.* tenet Cajet. ibid. Sanchez, Palaus, Lugus, Bonacina, & alii, quos sequitur Andreas a Matre Dei *n. 41.* E contra vero, si, facta diligentia, comperiat non esse alienam, nec furtivam, potest eam sibi retinere, nam licet peccaverit eam cum illo dubio accipiendo, animo illam sibi usurpandi, aut retinendi, tamen cum revera non sit furtiva, sed illius, a quo accepit, seu emit, vere illius dominium acquisivit, emptione, aut donatione, qua illam accepit. Bossius *nu.1888.*

69. Si autem ab initio sciens, aut dubitans, rem esse furtivam, illam accipiat, seu emat, non animo sibi usurpandi, & retinendi, sed animo restituendi, quæsito vero domino, quia alias prudenter credit non fore restituendam, non peccat sic emendo, quia utiliter agit domini negotium, ut tradunt communiter Doctores, & constat ex dicto S. Ambrosii relato a Gratiano in cap. *Rapinam 14. quæst. 5. Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, ut cui est ablata restituatur*; sed tenetur dominum inquirere, illique invento, seu comparenti rem totam restituere cum fructibus perceptis, deducto pretio, quo rem illam emit, quod etiam dominus reddere tenetur, quando empta fuit parvo, & modico pretio, quia tunc utiliter gessit negotium domini, qui rem suam vel numquam erat recepturus, vel probabiliter id timeri poterat, vel non nisi cum majoribus expensis, si modico illo pretio non fuisset empta. Si autem empta fuit rigoroso, & æquali, seu majori pretio, tunc asserunt plures, partem solum pretii esse reddendam, quantum scilicet æstimatur utilitas domini; sed alii magis probabiliter volunt, totum pretium solutum esse reddendum a domino recuperante rem suam, ut late explicat Bossius *a nu.1905.*

70. Quod si, facta sufficienti diligentia, adhuc dubium perseverat, & quæsitus dominus inveniri non possit, potest emptor eam sibi retinere, quia eo fine emendo, ut domino restituat, non peccavit, ac proinde si, facta diligentia, dominum non inveniat, potest se gerere tamquam possessor bonæ fidei, ut tradunt Tambur. *lib.8. tr.2. cap.8. n.12.* & Andreas a Matre Dei *nu.63.* Hoc idem dicendum putat Vasquez *cap.9. de restit. dub. 2. num.18.* de illo, qui cum tali dubio rem emit animo sibi retinendi; nam licet iste peccaverit sic emendo, tamen si, facta diligentia, non cognoscat esse furtivam, sed dubium adhuc manet, potest animum mutare, proponendo restituere, si comperiat esse furtivam, & sibi retinere, durante dubio, quia pravus ille animus potuit peccatum inducere, non tamen obligationem restituendi; communior tamen opinio docet, faciendam esse restitutionem juxta proportionem dubii, ut supra diximus.

DUBIUM VIII.

Solvuntur aliquæ Difficultates.

71. QUæres 1. *An qui dubitans, rem esse furtivam, illam emit, seu dono accepit, aut titulo hereditario ei successit, qui bona fide possidebat, si dubium vinci non potest, an tunc possit continuare possessionem, & rem totam sibi retinere.* Resp. affirmative, quia possessio bonæ fidei sui antecessoris ei suffragatur, ut diximus *tr. præced. cap.4. n.86.* nam rem illam ei vendendo, aut donando, transtulit in eum jus ipsum, quod ille habebat; cum autem esset possessor bonæ fidei, jus habebat rem illam retinendi, etiam suborto dubio, an sit furtiva, quando vinci non potest, hoc ipsum transtulit in suum emptorem, qui proinde potest in tali possessione perseverare, & rem totam sibi retinere, quod etiam docent Lugus *disp.17. n.7. & 83.* Trullench *lib.7. cap. 11. dub.4. n.4.* & alios referens Bossius *n. 1914.*

72. E contra vero mala fides prædecessoris nocet successori, qui tenetur rem totam restituere, dum cognoscit malam fidem prædecessoris, si sit heres universalis, & fructus perceptos etiam bona fide consumptos; secus si sit successor particularis, qui titulo emptionis, donationis, aut legati, rem bona fide accepit. Ratio est, quia successor universalis ita repræsentat personam defuncti, ut repræsentet etiam, & induat

ipsius

ipsius onera; & ideo induit onus restituendi rem mala fide possessam a defuncto, qui tenebatur illam domino restituere; quæ ratio non militat de successore particulari, qui non induit vitia, & onera prædecessoris; & & ideo si aliunde successor particularis habeat bonam fidem, vitium malæ fidei sui prædecessoris ei non imputatur, nec nocet, ut diximus *tr.1. c.4. nu.84.* ita etiam tenent Sanchez *lib.2. c. 23. nu.154. & 155.* Lugus *disp.17. n.79.* Tambur. *lib.8. tr.3. cap.3. §.6. nu.3.* Ant. a Spiritu S. *disp.9. n.401.* & alii communiter.

73. Quæres 2. *An ille, qui primo habuit malam fidem, deinde bonam, aut e contra, judicandus sit tamquam possessor malæ fidei in ordine ad restituendos fructus consumptos.* Resp. teneri restituere fructus consumptos tempore malæ fidei quidquid fuerit antea, vel post, quia tunc solum commisit injustitiam contra dominum, fructus consumendo, non autem si illos consumpsit tempore bonæ fidei; tunc enim tenetur solum restituere id, in quo factus est ditior, sive antea, sive postea habuerit malam fidem. Ita cum Tambur. Lugo, & Molina, Ant. a Spiritu S. *n.399.* Bonacina *§.2. nu.1.*

74. Quæres 3. *An teneatur ad restitutionem ille, qui mala fide consumpsit rem, quam putabat esse Petri; cum vere esset Pauli.* Resp. non teneri ad restitutionem, si rem illam consumpsit, ex eo præcise, quia putabat esse Petri, nullo modo consumpturus, si sciret esse Pauli, vel alterius. Ratio est, quia restituere non tenetur ex re accepta, quæ supponitur consumpta, nec ex illa factus ditior, nec ex injusta acceptione, seu damnificatione, quia licet talis consumptio sit injusta, & mala fide facta, non tamen est injusta comparative ad Paulum, cui proinde nihil restituere tenetur. Si autem præscindas ab illa expressa, & determinata voluntate damnum inferendi solummodo Petro, debet rem consumptam domino restituere, cognito errore, quia dum scit, rem non esse suam, & tamen eam consumit sine illa conditione, injuste agit, & tenetur restituere: Ita Lugus, Molina, Tambur. quos sequitur Ant. a Spiritu S. *numer. 400.*

75. Quæres 4. *Quid requiratur, ut quis dicatur emptor, seu possessor bonæ fidei ab initio possessionis; an sufficiat ignorare, rem, quam emere intendit, esse furtivam, & credere, non omnia ab aliquo vendita esse furtiva, quamvis rumor, seu vehementus suspicio sit, illum multa furtiva vendere.* Negant Molina, Sanchez, Villalob. & alii, ignorantiam illam sufficere, si occurrant indicia, & conjecturæ, ut merito credi, vel dubitari debeat, rem esse alienam, seu furto sublatam, ut contingeret, si esset vehemens suspicio, seu rumor, sive fama orta a fide dignis, quod res, quam vendere quis intendit, sit furto sublata; tunc enim non est licitum illam emere, nisi, præmissa sufficienti diligentia pro inquirenda veritate; quia se exponeret periculo usurpandi, & retinendi rem alienam, & sic non esset possessor bonæ fidei, cum in dubio; *an esset furtiva, & aliena, & cum peccato cæperit possidere;* Mitius loquitur Palans *tom.1. tr.1. disp.3. punct.3. num.5.* dicens, hoc procedere, quando rationes efficaces, seu moraliter convincentes adesfent, venditorem vendere rem furtivam, non quando dubiæ sunt, & probabiles; nam tunc debet quis deponere dubium, & credere, alium rite vendere, quia nemo præsumitur malus, nisi probetur, neque in dubio delictum commisisse, ex *reg. juris*, & ex *l. merito ff. pro Socio.*

76. Hinc sequitur, ementes a Filiis-familias, & aliis personis suspectis, teneri ad restitutionem rerum emptarum, quando non adsunt verosimiles conjecturæ, quod id, quod vendunt, aut aliter tradunt, sit ipsorum, nec judicari potest, quod id faciant de voluntate eorum, quorum sunt tales res. Similiter tenentur restituere, qui emunt fragmenta vestium a Sartoribus magistris, & eorum officialibus, quia probabiliter dubitari potest, ac debet, talia fragmenta ab officialibus, & famulis esse furto sublata; solent enim aliquando plus petere ad vestem conficiendam, quam sit necessarium: res autem, quæ sub dubio est, an juste possideatur ab altero, non potest emi, ut supra dictum est, nisi fragmenta: sint adeo modica, quæ, moraliter loquendo, a dominis pro derelictis haberentur, ut cum Sanchez *in consil. l.1. c.7. dub.3.* notat Bossius *nu. 1918.*

77. Aliam difficultatem affert Sanchez *dict. dub.3.* de Textoribus unam, vel alteram serici gausapini, seu telæ sericæ, ulnam vendentibus, de quibus prudenter dubitari potest, esse furto sublatam, quia certum est, eam ulnam, vel ulnas, quas textores vendunt, abscindere ex telis, quas texendas acceperunt: & difficultatem solvit, afferendo rationem, quam in sui favorem ementes allegant; nimirum; quod in singulis quibusque libris bombycis est pactum, quod exhibeatur plus unus quadrans textori pro dispendiis. Quod si aliqui quadrantes supersunt, propter suam ipsorum diligentiam ad ipsos pertinent: pactum enim est, quod modo supersit, modo desit, non plus, nec minus reddant, quam ipsum pondus, exceptis talibus quadrantibus, atque ita quidquid desit, solvunt institori, quando textor reddit telam. Hinc emptores dicunt, fieri posse, ut illæ ulnæ quas vendunt, supersint ex quadrantibus prædictis, vel, si non supersunt, textor solvit institori quidquid deest. Unde si non constat, textorem in rebus sui officii injuste, ac perperam procedere, potest tuta conscientia ab illo emi; nam id, quod emitur, potest pertinere ad quadrantes, vel si ita non est, leve, aut fere nullum est damnum Institoris, siquidem solvendum est illi integrum suum pondus. Ex eo autem quod aliqui sint, qui furentur variis utentes modis, & industriis, non est cur macula injiciatur in omnibus, & apponatur dubium. Ita expresse Sanchez, dicens, ita respondisse doctum quemdam Magistrum, & Henriquez a se consultos.

78. Hinc habes, quid dicendum sit de Mulieribus texentibus vela, seu telas Sericas, vel conficientibus alia indumenta Mercatoribus, & retinent sibi aliquid Serici, vel aliquas ulnas vendunt; si enim ex pacto detur illis a Mercatoribus aliquid plus, seu aliqui quadrantes, seu aliqua uncia pro dispendiis, cum obligatione reddendi reliquum Mercatoribus secundum pondus, aut solvendi quidquid deest, si ex industria aliquid sibi reservant, id possunt sibi retinere, & vendere; secus si nihil plus illis ex pacto detur, ut notat Bossius *numer. 1922.*

DUBIUM IX.

An Impediens aliquem a Consecutione alicujus Boni sperati, teneatur ad Restitutionem.

79. RESP. 1. Qui sine vi, & fraude alium impedit a consecutione alicujus boni non debiti ex justitia non tenetur ad restitutionem, secus si impediat per vim, & fraudem, quamvis bonum illud non sit debitum ex justitia. Ratio primæ partis est, quia obligatio restituendi ex delicto, & actione injusta nascitur ex violatione justitiæ, sed qui alterum impedit a consecutione alicujus boni sine vi, & fraude, sed solummodo blanditiis, precibus, suasionibus, aut veris rationibus propositis, non operatur contra justitiam, nec alteri irrogat injuriam, talem consecutionem impediendo, cum ille jus non haberet ad id, a quo impeditur. Quod verum est, etiamsi hoc faciat ex odio, & animo lædendi, nam pravus animus, & mala intentio non obligat ad restitutionem, nisi adsit actio externa injusta; peccabit quidem contra Caritatem propter odium, & animum nocendi, non contra justitiam, cum non ponat actionem, quam ex justitia vitare tenetur, prout colligitur ex dictis *supra cap.1. dub.5. diff.1. per totum.* Ita etiam Rosignol. *de Restit.21. Disquisit.21. §.4. nu.3.* & apud ipsum Lessius, Azor. Villalob. Navarra, Turrianus, Rebellus, & alii communiter.

80. Ratio secundæ partis est, quia licet alter, qui impeditur a consecutione alicujus boni, sea Beneficii non habeat jus in re, vel ad rem, habet tamen jus, ne per vim, aut fraudem impediatur a consecutione illius boni; proinde qui ponit impedimentum per vim, & fraudem, illi facit injuriam, & tenetur ad restitutionem, non quidem in integrum, sed quantum valebat, arbitrio boni viri, spes bonam illud consequendi, nam bonum in spe minus valet, quam bonum in re. Sanchez *in consil. lib.2. cap.1. dub. 49.* G. Hurtado *disp.5. diff.13.* Bonacina *disp.1. quæst.2. punct.12. n.2.* Trullench *lib.7. cap.11. dub.6. num.3.* Lugus *disp.18. nu.91.* Tambur. *lib.8. tr.3. cap.4. §.3. num.3.*

81. Cessabit obligatio restituendi, si removeat vim, & fraudem, quando res est adhuc integra, non vero si res non sit amplius integra: puta Petrus volebat instituere Paulum heredem, tu vero illum retrahis a tali voluntate falsis rationibus, aut falsa crimina imponendo; si nondum sit alteri delata hereditas, & Petrus adhuc potens sit instituere heredem, teneris retractare falsa crimina illi imposita, &, facta tali retractatione, non teneris amplius restituere, quamvis Paulus non relinquatur heres; nam, ablato impedimento posito, Petrus remanet in sua libertate instituendi, quem maluerit, & ex libera voluntate ipsius, non autem ex tua fraude procedit, si non Paulum, sed alium instituat heredem. Si autem res non sit amplius integra, quia volebat Petro donare equum, & tua fraude non Petro, sed alteri jam donavit, non sufficit fraudem tollere, sed teneris compensare damna ex fraude secuta. Ita Lugus *disp.18. n.109.* & Trullench *c.11. dub.6. n.5.*

82. Resp. 2. Qui sine vi, & fraudibus alium impedit a consecutione alicujus boni sibi debiti ex justitia, tenetur ad restitutionem, & compensare damna causata; multo magis si id faciat malis artibus, per vim, &

fraudem. Ratio est, quia impediendo consecutionem boni debiti ex justitia, quamvis id faciat sine vi, & fraude, sed suasione, consilio, precibus, donis, seu alio simili modo, injuriam illi facis, & operaris contra justitiam, tuis malis artibus cooperando cum illo, qui injuste negat bonum, quod ex justitia conferre tenebatur, ac proinde teneris restituere, ea ratione, qua tenemur omnes illi, qui injuste cooperantur ad malum, & multo magis ad id teneberis, si id facias dolo, vi, aut fraudibus. Bonacina *punct.* 12. *num.* 2. Navar. *cap.* 17. *num.* 60. G. Hurtado *disp.* 5. *diff.* 13. Trullench *dub.* 6. *num.* 2. Tambur. *cap.* 4. §. 2. *num.* 2. & cum aliis Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *nu.* 97.

83. Sequitur ex dictis, non teneri ad restitutionem illum, qui sine vi, & fraude curavit rescindi donationem nondum acceptatam, quia quousque non sit acceptata, semper remanet in libera voluntate donantis, qui citra injuriam potest illam pro libito revocare, nec talis voluntas tollitur, aut impeditur solis suasionibus, aut blanditiis; nam, illis positis, adhuc potest revocare, aut non revocare donationem nondum acceptatam, secus si intercedat fraus, & dolus, vel donatio jam esset a donatario acceptata; nam tunc jus habet ad rem, & injuste ipsi denegaretur, & ab altero impediretur.

84. Similiter, qui per vim, & fraudem impedit, ne Titius instituat Cajum heredem, aut legatarium, quem gratis volebat instituere, peccat, & tenetur compensare damnum secundum spem, quam Cajus habere poterat ad talem hereditatem, attentis circumstantiis, & dispositione Titii, non vero si hoc faciat sine vi, & dolo, seu fraude, sed solis precibus, blanditiis, & suasionibus, quia in primo casu operatur contra justitiam, violando jus, quod habebat Cajus, ne fraude, aut dolo, quis benefactorem impediat; non in secundo casu, quia sicut Titius remanet liber, nec peccat mutando voluntatem, ita non peccat, nec tenetur aliquid restituere, qui sine fraude, & dolo, mediis licitis operatur, ut Titius mutet voluntatem, aut testamentum jam factum, & alium instituat heredem, vel etiam sibi, vel amicis relinquat. Bonacina *punct.* 12. *numer.* 5. Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *punct.* 4. *numer.* 100. Peccat qui per vim, & fraudem impedit, ne alter testamentum faciat, aut mutet, impediendo, ne Notarius, vel Testes accedant, vel alia simili ratione, etiamsi sit Pater, qui prohibet Filium, vel si Filius prohibeat Patrem, ne testamentum conficiat, ut ipse succedat ab intestato; vel ne testamentum mutet, ut cum Molina, Salonio, & aliis notat Bonacina.

85. Non peccat, nec ad restitutionem tenetur, si alicujus crimina vera, sed occulta detegit testatori, qui proinde illum non relinquit heredem, vel testamentum mutat, quia nec vi, nec fraude testatorem induxit. Nec item injuriam illi facit revelando crimen verum, sed occultum; nam talis revelatio licita est, ne testator opes suas relinquat eas dissipaturo, & ne involuntarie heredem instituat illum, quem non institueret, si illius crimina, & defectus cognosceret. Trullench supra *nu.* 4. Tambur. *cap.* 4. §. 2. *nu.* 5.

86. Sequitur ulterius, peccare cum obligatione compensandi damnum, quanti valebat spes, qui per vim, & fraudes alterum impedit a consecutione alicujus Officii, seu Beneficii, cujus erat dignus; secus si esset indignus, quia indignus nullum jus habet, nec etiam remotum ad beneficium consequendum. Si per vim, & fraudes impedias dignum, ut beneficium conferatur alteri æque digno, peccas, & teneris restituere, quanti sua spes existimatur; quia jus habebat, ne per vim, aut fraudem impediretur a consecutione Beneficii, cujus erat dignus; secus si hoc facias, sine vi, & fraude, solis precibus, & suasionibus, quia cum æqualis in utroque sit dignitas, non tenetur Collator magis uni, quam alteri conferre, sed datur locus gratiæ, unde potes precibus beneficium impetrare pro digno.

87. Qui sine vi, & fraudibus operatur, ne beneficium conferatur digno, sed digniori, non peccat, nec tenetur restituere, quia tunc operatur secundum intentionem, & justam ordinationem Ecclesiæ præcipientis, quod beneficia debeant conferri dignioribus, nec dignus jus aliquod habet in concursu dignioris, qui semper debet præferri. At si operaretur, ut beneficium conferatur digno, neglecto digniori, tunc peccaret, sicut peccat Collator beneficium conferendo digno, relicto digniore. *An vero teneatur etiam ad restitutionem*, alii negant, quia dignior non habet jus justitiæ, ut sibi beneficium conferatur, sed pendet a voluntate Collatoris, quam non tollunt suasiones, & preces, nec tenetur aliquid restituere Reipublicæ, seu Ecclesiæ, quia non est illi facta injuria. Alii affirmant propter injuriam, quæ fit digniori, vel Ecclesiæ, quæ privatur dignioris obsequiis, vel utrique, prout videre est apud Andream a Matre Dei *c.* 1. *de restit. punct.* 4. *nu.* 106. ubi utriusque partis sectatores refert. Sed de hoc redibit sermo, cum de obligatione Collatoris, qui, si tenetur ad restitutionem, si beneficium conferat digno, relicto digniore, tenebitur etiam qui procurat, ut beneficium illi conferatur; secus non.

88. Qui alterum impedit a receptione beneficii sine fraude, & dolo, manifestando Episcopo, seu Collatori, qui tale beneficium illi erat collaturus, defectus, & delictum verum, sed occultum, non peccat, nec tenetur ad restitutionem, quia beneficium non est illi debitum, nec ullam illi facit injuriam, manifestando Episcopo, seu Collatori crimen occultum, quia licitum est manifestare Collatori ea, quæ collationem minus decoram & decentem reddunt; aut minus dignum & idoneum illum, cui beneficium conferre intendebat; unde etiam in similibus casibus fieri solent informationes occultæ. Si autem palam tale crimen, & defectum manifestet, ob quod alterius sequatur infamia, propter quam Episcopus ei beneficium non conferat, alias collaturus, peccat contra justitiam, & tenetur infamator ad restitutionem, quia gravem illi infert injuriam, & per injuriam illum impedit a tali consecutione. Sic Andreas a Matre Dei *numer.* 99. Trullench *dub.* 6. *num.* 4. Tambur. *cap.* 4. §. 3. *num.* 5. Lugus *num.* 99.

89. Quæres: *An teneatur ad restitutionem, qui Romæ existens per injuriam literas aperit Francisco missas, ex quibus intelligens, beneficium in Patria vacasse, sibi, aut amico procurat, & præveniendo obtinet.* Negat Diana *part.* 3. *tract.* 6. *miscell. resol.* 33. *corell.* 12. quia licet commiserit injuriam adversus Franciscum, aperiendo, & legendo ipsius litteras, non tamen procurando sibi, aut amico beneficium, quod pendebat a libera voluntate conferentis, nec Franciscus habebat majus jus supra ceteros. Resp. tamen affirmative, quia aperiendo, & legendo litteras, operatur contra justitiam, & tenetur ad damna, quæ ex revelatione secreti consequuntur, ut diximus circa octavum Decalogi præceptum *cap.* 2. *dub.* 4. *nu.* 27. quia procedunt ex injusta actione, ut docet Lugus *disp.* 18. *num.* 104.

CAPUT III.

De concussis, seu cooperantibus ad actionem injustam, & damnum inferendum.

DUBIUM I.

De Mandante.

1. Ratione injustæ actionis & damnificationis, non solum restituere tenentur illi, qui damnum immediate, & principaliter inferunt, sed etiam illi, qui ad damnum inferendum cooperantur, sive positive, sive solum negative, dummodo sint vera caussa damni, & in illud suo modo efficaciter influant. Hujusmodi autem ex D. Thoma 2. 2. *qu.* 62. *art.* 7. ad novem capita reducuntur, his duobus Versiculis comprehensa;

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, recursus,

Participans, Mutus, non obstans, non manifestans,

quorum primi sex positive, tres ultimi negative ad furtum, & damnum cooperantur, & sic tenentur ad restitutionem, dummodo efficaciter influant, & cooperentur ad damnum illud inferendum, quod non solum actione positiva, sed etiam negativa caussari potest. De quibus ordine dicemus, incipientes a Mandante, seu jubente, tamquam a primaria caussa damni.

2. *Jussio* igitur significat jubentem, seu mandantem, eum scilicet, qui imperio, mandatove suo expresso, vel tacito caussa est illati damni, quod proinde tenetur restituere, si malum sequatur per mandatum expressum, dicendo famulo, aut mandatario, ut occidat, vel malum inferat, aut per mandatum tacitum, si diceret; *quis me vindicabit? quantam jucunditatem mihi afferret, si talem hominem occideret?* quo modo censetur vera caussa damni illati, ut notat Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *num.* 115.

3. Tenetur autem restituere, quamvis, ipso non mandante, adhuc damnum illud eodem modo fuisset secutum, quia non defuisset alter, qui illud mandasset; nam per hoc non tollitur, quin sit vera caussa damni. Nec obstat, quod alius mandasset, seu damnum intulisset; nam præveniendo, suscepit in se obligationem restituendi, & restituere tenetur ea ratione, qua tenetur fur ipse, qui furatur rem, quam alius, ipso non furante, furatus fuisset; qui per hoc non eximitur ab obligatione restituendi. Quod confirmari potest ex dictis supra *cap. præced. dub.* 3. *num.* 27. & ita tenent Bonacina

quæst. 2.

quæst.2. p.7. num.7. Trullench *lib.6. cap.13. dub.1. nu.3.* Tambur. *lib.8. tr.4. cap.2. §.2. num.4. & 5.* Rosignol. *de Restit. 1. prænot. 12. sect.1. nu.4.*

4. Quod si mandans tempestive ante patratum homicidium seu damnum illatum, mandatum revocavit, idque notum fecit mandatario, non tenetur ad restitutionem damni, si forte sequatur, & a mandatario exequatur. Ratio est, quia, revocato mandato, & revocatione mandatario, vel per se vel per nuntium intimata, si malum exequatur, jam non operatur nomine mandantis & in ejus gratiam, sed ob suam voluntatem alias depravatam; & inde mandans non tenetur restituere, cum non sit caussa moralis illius damni. Quod verum putat Andreas a Matre Dei *cap.1. punct.5. n.115.* etiamsi tacite solum mandatum sit revocatum; quod contingit, quando qui mandavit alium occidi, se cum illo reconciliavit, talisque reconciliatio nota est mandatario. Lugus *disp.19. n.23. & 24.* Trullench *lib.7. cap.13. dub.2.* Rosignol. *supra num.5.* Bonacina *punct.6. nu.4.* Cessat quoque mandatum per mortem mandantis, & inde heredes mandantis non tenentur ad damnum a mandatario illatum post mortem mandantis, si ei de morte constitit.

5. Si mandatario non fuit nota revocatio mandati, quia forte non potuit ipsi intimari, eo quod longe distaret, aut revocationem ad eum misit & non pervenit, quia prius fuit homicidium patratum seu damnum illatum, antequam nuntius accederet, non liberatur mandans ab obligatione restituendi, quia adhuc durat influxus moralis in tale damnum, quod nomine mandantis fuit factum. Trullench, Bonacina, Rosignol. & alii: secus si mandatarius fingat, revocationem sibi non innotuisse, cum vere innotuerit, & damnum exequatur ad lucrandum præmium seu pecuniam promissam; nam tunc damnum non imputatur mandanti, sed mandatario, qui amplius non operatur virtute mandati, cum sibi constet de revocatione, sed ex suo arbitrio, unde ipsi, non mandanti debet damnum imputari. Lugus *disp.19. numer. 24.* Tambur. *lib. 8. tract. 4. cap. 2. num. 5.* Rosignol. *disquisit. 2. §. 36.* Si vero mandatarius rationabiliter credat, mandatum non fuisse serio revocatum, mandans tenetur ad restitutionem, quia licet de novo non peccet, peccavit tamen mandando, quod sufficit, ut ratione illius culpæ dicatur moraliter influere in executionem rei mandatæ, cum obligatione restituendi. Lugus *num.25.* Tambur. *num.6.* Ant. a Spiritu S. *tr. 10. de restit. disp.19. nu.1397.* qui putant, idem dicendum, quando mandatarius revocationem mandati acceptavit, & postea illius invincibiliter oblitus, mandatum exequitur; nam, licet per errorem, etiam ex vi prioris mandati operatus est.

6. Dices; *quando alicui datum fuit mandatum ad Matrimonium contrahendum, si illud fuit revocatum, Matrimonium subsequutum est nullum & irritum, etiamsi revocatio non innotuerit mandatario nec sponsæ, ut expresse definitum habetur c.* fin. de procuratorib. in 6. *ubi Pontifex assignat hanc rationem quia, revocato mandato, jam deest mandantis verus consensus, sine quo Matrimonium subsistere non potest, ut diximus* in tract. de Matrim. c.3. nu.50. *sed hoc idem videtur dicendum de mandante, qui revocavit mandatum datum ad occidendum seu damnum inferendum, quod proinde non debet ipsi imputari, si sequatur post revocationem mandati, quamvis non fuerit revocatio intimata.* Sed contra, disparitas est, quia ad validitatem Matrimonii, non sufficit, quod præcesserit consensus in caussa & mandato dato, sed Jura requirunt permanentiam consensus in ipso contrahente, dum Matrimonium celebratur; talis autem consensus non perseverat, si mandatum fuit revocatum & mutata voluntas. Ad contrahendam vero obligationem restituendi non est necesse, quod perseveret voluntas & consensus in mandante, sed sufficit, quod præcesserit, dum mandatum dedit, nam tunc damnum, quod sequitur dicitur voluntarium in caussa & in culpa præcedente commissa, quando mandatum dedit, & hoc sufficit, ut ratione illius culpæ dicatur moraliter influere in damnum, & executionem rei mandatæ, cum obligatione restituendi.

7. Qui ratum dumtaxat habet delictum suo nomine factum, non tenetur in foro conscientiæ ad restitutionem damni, quia ratihabitio superveniens damno jam patrato non potest esse caussa efficax illius; unde non tenetur restituere ex re accepta, quam non habet, nec ex injusta actione seu læsione, quam non caussavit, & sic ex nullo capite tenetur restituere. Nec refert, quod tuo nomine sit factum, quia inde tantum sequitur, voluntatem tuam fuisse solum caussam finalem, & ideo illud fecisse, ut tibi gratificaretur, quia putabat tibi gratum futurum; sed hoc non sufficit, ut tu censearis caussa efficiens & voluntarie movens ad damni irrogationem; finis enim solum movet per modum objecti propositi ab ipso operante, qui, sicut sibi proposuit unum finem, ita potuit sibi alium & alium pro ipsius libertate proponere. Ita Lugus, Lessius, Vasquez, & alii, quos sequitur Ant. a Spiritu S. *numer. 1399.*

8. Nec dicas: ex regula Juris in 6. ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari, unde etiam qui ratam habet Clerici percussionem, ipsius nomine factam, incidit in excommunicationem Canonis cap. *cum quis de sent. excom. in 6.* ibi: *cum quis absque mandato tuo manus injicit in Clericum, tuo nomine violatus, si hoc ratum habueris, excommunicationem latam a Canone incunctanter incurris.* Sed contra: ratihabitio comparatur mandato non respectu operis præteriti & obligationis restituendi, sed respectu contractuum, quia sola voluntate foris expressa firmari possunt contractus præteriti, non autem caussari damnum præteritum. Dispar est ratio de excommunicatione, quæ, cum sit pœna a Judice inflicta, imponi potest etiam propter peccatum ratihabitione commissum; & in foro externo qui ratum habet delictum punitur, sicut qui mandavit. An vero incurrat irregularitatem qui ratum habet homicidium suo nomine factum, negant communiter Doctores, quos sequitur Lugus *nu.34.* & cum aliis Ant. a Spiritu S. *num.1399.* quia ratihabitio non æquivalet mandato, nisi ad effectus, ad quos a jure acceptatur, nec irregularitas incurritur, nisi in casibus in jure expressis, nullibi autem reperitur expressum, irregularitatem incurri propter ratihabitionem homicidii suo nomine facti. Diana *p. 4. de irregul. resp. 13.* ubi plures pro se refert.

9. Quæres: *an Mandans homicidium seu damnum alteri inferendum, si non possit revocare mandatum, teneatur admonere illum, contra quem datum fuit mandatum, ut sibi caveat & rebus suis prospiciat.* Resp. non teneri, si mandatum revocavit, & Mandatario fuit revocatio intimata, quia jam tunc non est amplius caussa damni, & Mandatarius, si illud exequatur, non operatur nomine & ex persona Mandantis, qui totum id retractavit, quod posuit, ac proinde non est caussa damni, nec tenetur ad restitutionem, ut cum Diana, Henriquez, & Villalob. tenet Rosignol. *disquisit.2. §.38. n.4.*

10. Resp.2. teneri, si Mandans non potest tempestive revocare mandatum, illudque Mandatario intimare, & quidem cum periculo æqualis damni proprii, secus si monere non possit absque periculo majoris damni proprii. Ratio est, quia, si de facto damnum esset illatum, teneretur Mandans illud compensare & resarcire, si potest sine majori suo damno, licet cum æquali, ut omnes fatentur; ergo a fortiori tenetur impedire, quando nondum illatum est, si hoc facere possit sine periculo majoris damni proprii. Inde, si non possit impedire damnum fortunarum, nisi cum periculo vitæ aut famæ, quod est bonum superioris ordinis, vel longe majori damno suarum fortunarum, ad id non tenetur: bene tamen tenetur postea damnum illatum restituere, cujus fuit vera caussa, cum ex ipsius mandato processerit. Nec excusandus est per hoc ob impotentiam, quia non potest amplius mandatum revocare & malum impedire, nec partem læsam admonere ob periculum majoris sui damni, quia hæc impotentia mandantem excusat a novo peccato, non a peccato præterito, quando dedit mandatum, ex quo deinde provenit damnum parti læsæ. Lugus *supra nu.31.* Tambur. *nu.7.* & Rosignol. *nu.3.*

11. Quæres 2. *An Mandans teneatur ad restitutionem damni illati, si Mandatarius excessit fines mandati.* Resp. negative, si excedat fines mandati in re extraordinaria & gravi: nam talis excessus non debet imputari Mandanti, sed Mandatario, ut si Mandans jubeat alium verberare & leviter percutere, & Mandatarius occidit; vel si mandavit homicidium, & ipse domum incendat, cum posset occidere sine tali combustione, tenetur Mandans solum de homicidio, non de combustione. Bonacina *punct.6. nu.7.* Diana *part.8. tr.7. resol. 33.* Ant. a Spiritu S. *nu.1395.* Si autem mandasset gravem verberationem, ex qua fuit mors subsecuta, tenetur de toto damno, quia totius caussa est. Tambur. *lib.8. tr.4. cap. 2. num.2.* Si mandavit furari quinquaginta, & Mandatarius furatus est centum, non tenetur Mandans ad centum, sed ad quinquaginta solum, quia istorum, non illorum fuit caussa furti.

12. Quæres 3. *An Mandans, si post mandati executionem, furtum factum seu damnum illatum, mandet Mandatario restituere & compensare damnum, teneatur ipse restituere, si Mandatarius non restituat.* Resp. affirmative quia sicut ipse per mandatum fuit caussa efficax damnificationis in effectu positæ, & non tantum voluntatis damnificandi, ita, ad liberandum se ab obligatione, debet per contrarium mandatum ita operari, ut in effectu ponatur restitutio & compensatio damni, cujus per suum mandatum fuit caussa efficax. Rosignol. *de restit.*

1. prænot. 12. *sect.* 1. *n.* 7. Bonacina *punct.* 7. *n.* 5. Trullench *lib.* 7. *cap.* 13. *dub.* 2. *nu.* 4. Reginaldus *lib.* 10. *n.* 108.

13. Quæres 4. *An Mandans teneatur restituere damna, quæ Mandatarius passus est occasione mandati, ut si mandavit homicidium, & Mandatarius ipse occidatur, vel aliud malum patiatur.* Resp. affirmative, si Mandatarius erat famulus Mandantis, & periculum fuit prævisum. Ratio est, quia id, quod subditus facit ex mandato superioris, non tam voluntarie, quam coactus facere videtur, eo quod imperium est quædam vis moralis, ac proinde Mandanti debet imputari periculum, cui Mandatarius subditus exponitur, ut cum Rebello, Villalobos, & Tapia, docet Andreas a Matre Dei *c.* 1. *de restit. n.* 518. secus vero si Mandatarius non a superiore mandetur, sed voluntarie mandatum accipiat cum lucro, & stipendio, quia tunc sibi imputare debet malum, quod sequitur; nam voluntarie tali periculo se exposuit, & scienti & volenti non fit injuria. Bonacina *punct.* 7. *nu.* 17. & 18. Andreas a Matre Dei *cit. nu.* 118. Ant. a Spiritu S. *n.* 1396. Tambur. *lib.* 8. *tr.* 4. *cap.* 2. §. 1. *nu.* 3. multo minus tenetur Mandans restituere damnum, quod extraordinarie & omnino per accidens sequitur, ut si occidatur aut graviter vulneretur Advocatus, eo quod litem sui principalis & Mandantis defenderet in judicio; hoc enim damnum fuit accidentarium respectu Mandantis, cum regulariter succedere non soleat, ut cum Tambur. notat Ant. a Spiritu S.

DUBIUM II.

De Consulente.

14. **C**Onsilium significat Consulentem, ad quem reducuntur *preces, promissiones, & hortationes,* quibus hortari, dirigi, instrui, & sollicitari solet executor ad opus injunctum. Et quidem certum est, Consulentem teneri ad restitutionem totius damni, si suo consilio fuit caussa efficax actionis injustæ; nec damnum illatum ab exequente restituitur; nam Consulens vere est caussa damni, quando Consultarius, ex consilio accepto motus fuit ad malum inferendum. Adeo verum est, consulentem teneri ad restitutionem damni suo consilio illati, ut quandoque ipse solus, non Exequens obligetur, quando nimirum Consulens est persona gravis, & perita in materia, circa quam consulitur, & Exequens bona fide putat, consilium esse justum; tunc enim ipse, cum non peccaverit, nihil tenetur restituere, si in aliquo non sit factus ditior, sed tota obligatio restituendi reducitur ad Consulentem, qui Executorem movit & induxit ad opus. Ad hoc tamen requiritur, ut Consulens peccaverit mortaliter, sive scienter sive ex ignorantia crassa aut graviter culpabili, ut cum aliis docet Lugus *disp.* 19. *n.* 35. quod valde præcavere debent Confessarii, Medici, Advocati, & Consiliarii Principum. Potest excusari, si inculpabiliter malum consuluit, quamvis ex tali consilio malum sequatur, quia Consulens tunc non tenetur restituere ratione rei acceptæ, quam non habet, nec ratione injustæ acceptionis, quia supponitur non peccasse, sed inculpabiliter consuluisse. Sequitur. Ant. a Spiritu S. *disp.* 29. *nu.* 2401.

15. Excusatur Consulens a restitutione damni, si executor jam erat determinatus & paratus ad illud exequendum, quia non censetur illius caussa efficax, cum eodem modo contigisset, ipso non consulente; peccavit tamen propter malum animum. Excusatur etiam, si non consuluit malum quoad substantiam, sed quoad aliquam circumstantiam & modum; puta, si volenti furari dicas, quod occulte & caute faciat, vel quod differat ad diem crastinum; non enim fuisti caussa furti, sed illius circumstantiæ: vel, si volenti furari rem valentem decem, consulis, ut furetur aliam ejusdem valoris; consilium enim nullum damnum infert, nec est absolutum, sed conditionatum: si vis furari, tolle potius hanc rem, quam illam, quæ commutatio, cum sit æqualis, nullum malum infert; si autem volenti furari centum, consulas, ut furetur mille, teneris restituere excessum, quia illius fuisti caussa: si volenti occidere inimicum, consulas, ut citius aut crudelius occidat, non teneris restituere totum damnum, sed excessum, si quod per accelerationem fuit caussatum. Ita Lugus *disp.* 19. *num.* 6. Andreas a Matre Dei *c.* 1. *n.* 111. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tr.* 2. *cap.* 5. *nu.* 3. Navar. *cap.* 17. *num.* 30. Diana *part.* 3. *tr.* 5. *resol.* 47. & 48. & cum aliis Ant. a Spiritu S. *numer.* 1392.

16. Non tenetur aliquid restituere Consulens homicidium, furtum, aut aliud malum, si Consultarius ipse occidatur, seu damnum patiatur, quia sibi imputare debet, si consilium illud fuit executus, cum potuerit non exequi, nec ad hoc fuit coactus. Cap. *nullus, de regul. juris in* 6. ibi; *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Constat ex supradictis de Mandatario, qui non jussus a superiore, sed ex stipendio mandatum accepit, qui sibi imputare debet, si malum aliquod patiatur, quia voluntarie se exposuit periculo; & volenti & consentienti non fit injuria. Bonacina *quæst.* 2. *p.* 7. *nu.* 16. & alii supra relati.

17. Quæres 1. *An, qui consilium dedit ad occidendum, seu aliud malum inferendum, teneatur restituere, si ante homicidii seu damni executionem consilium revocavit, & revocationem intimavit illi, cui consilium dedit.* Negant plures, quia, sicut non tenetur, sed excusatur a restitutione Mandans, si ante patratum homicidium, furtum aut aliud malum mandatum tempestive revocavit, ita & Consulens. Ita Layman, Petrus Navarra, Avila, Tannerus, & alii, quos affert & sequitur Anton. a Spiritu S. *disp.* 19. *nu.* 142. ex quo infert, quod si quis consuluit feminæ abortum, si consilium serio revocavit, non incurrit irregularitatem, si revocatione consilii non possit feminam removere ab abortu procurando, & pro se citat Henriquez, Villalob. & Dianam *part.* 3. *tr.* 2. *de irregul. resol.* 21.

18. Affirmant plures alii, quia consilium non influit propter perseverantiam voluntatis in Consulente, sed propter utilitatem & commoditatem in opere consulto manifestatam, ideo si talis utilitas movens, consilium quamvis revocatum, adhuc influit, & Consulens adhuc manet in culpa, adeoque adstrictus restitutioni. Quod confirmatur ex discrimine, quod intercedit inter consilium, & mandatum, quod scilicet id, quod fit ex mandato, totum fit in gratiam Mandantis, nec habet aliud motivum, quam voluntatem Mandantis; ideo si Mandans mandatum revocet, nullatenus censetur influere in opus, quod post talem revocationem sibi notificatam Mandatarius exequitur: consilium vero non movet solum ratione voluntatis Consulentis, sed etiam, & præcipue, ratione motivi, quod manifestat; ideo, revocata voluntate, potest adhuc ratione motivi influere, & reddere culpabilem Consulentem. Lugus *disp.* 19. *nu.* 42. Molina *tom.* 2. *disp.* 736. *n.* 7. Rosignol. *disquisit.* 2. § 41. *nu.* 2. ubi dicit, esse communem.

19. Alii, & quidem probabilius, distinguentes dicunt, quod si dedisti consilium falsum, dicendo, contractum esse licitum, bellum esse justum, tunc sufficit, ut retractes sententiam, ostendendo, consilium datum esse falsum; tunc enim sufficienter tollitur motivum, quod operantem impellebat ad damnum inferendum; si vero dedisti consilium verum, ostendendo utilitatem vel honorem ex opere iniquo consequendum, vel machinanti malum occultam nocendi rationem aperuisti, non excusaris revocando consilium, & ostendendo, rem esse illicitam, nisi ille ab opere desistat; si enim ipse permotus ista utilitate vel commoditate exequendi, quam aperuisti, facinus perficiat, teneberis restituere. Ratio est, quia ostensione commodi vel honoris, voluntatem ipsius ad damnum inferendum permovisti, & hæc motio manet quamdiu ipse eodem motivo incitatus conceptum facinus vult prosequi; cum ergo sis caussa istius voluntatis, etiam es caussa effectus, scilicet damni secuti. Bonacina *quæst.* 2. *p.* 7. *num.* 6. & apud ipsum Lessius, Azor. & Vasquez.

20. Nec sufficit ad liberandum ab obligatione restituendi illum, qui consuluit homicidium vel aliud malum inferendum, & consilium revocavit, quod bona fide credat, id sufficere, ut occisio vel damnum non sequatur, si vere postea sequatur; nam bona fides revocantis consilium, licet sufficiat excusare Consulentem a nova culpa, non tamen impedit influxum consilii præcedentis in homicidium, si consilium tendebat ad utilitatem & convenientiam Consultarii, non vero si tendebat ad manifestationem veritatis; tunc enim sufficit revocatio, licet non proficiat, ut ex Bonacina supra dixi, & tenet Lugus *disp.* 19. *nu.* 26.

21. Quæres 2. *An qui consuluit vel mandavit, fieri homicidium aut furtum, &, facta debita diligentia, dubitat, an suo consilio vel mandato in homicidium & furtum secutum influxerit: an vero delinquens occiderit minime motus consilio vel mandato, teneatur ad restitutionem damni secuti.* Negant plures, quia in dubio, præcipue in materia justitiæ, melior est conditio possidentis; at qui dubitat, an suo consilio aliave actione sua fuerit caussa efficax damni, possidet suam libertatem & pecuniam, & dubitat de damno illato, & sic practice deponere potest illud dubium speculativum, & se non teneri tuta conscientia judicare; tum quia obligatio ad restituendum est odiosa, odia vero non sunt extendenda, sed restringenda. Quare, si moraliter certo non constat, quod suo consilio, mandato, & actione injusta fuerit caussa efficax damni, non debet obligari ad restitutionem, idque insinuari videtur a D. Thoma 2. 2. *qu.* 62. *art.* 7. in *cap.* dicente, quod tunc solum tenetur Consiliator ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi consilio fuerit injusta acce-

acceptio secita: & ita tenent Sylvester, Tabiena, Henriquez, Lessius, Rebellus, Bonacina, & alii relati a Bossio *part. 2. var. moral. tit. 1. num.* 1374. Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *nu.* 113. Bonacina *quæst.* 2. *p.* 4. *nu.* 1. Trullench *lib.* 7. *cap.* 13. *dub.* 1. *nu.* 6. & *dub.* 2. §. 1. *nu.* 5. Diana *part.* 4. *tr.* 3. *resol.* 28.

22. Resp. tamquam probabilius, affirmative, quia, supposito, quod facta diligentia, dubium permaneat, an consilium, seu mandatum in homicidium, aut furtum influxerit, præsumendum est, quod influxerit, & quod delinquens malum illud non fecisset, nisi consilio, seu mandato fuisset instigatus. Nec obstat, quod melior sit conditio possidentis, & quod in pari caussa reus absolvi debeat; nam in præsenti casu caussa non est par & æqualis, siquidem certo constat de consilio dato, & solum dubitatur de influxu, & sic pro influxu præsumendum est. Nec possessio stat pro libertate, seu pro mandante & consulente, qui possidet suam libertatem & pecuniam, sed pro consilio, de quo constat esse datum, & dubium solum sit de influxu, judicandum est influxisse, sicut judicatur, voventem se voluisse obligare, quando constat de voto emisso, & dubium est; an vovens habuerit intentionem se obligandi, ut cum Sanchez, Molina, Facundez, Arriaga, late tradit Bossius *loc. cit. num.* 1375. & tenent Lugus *disp.* 19. *num.* 21. & Diana *part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 28.

23. Dubitari potest: *an Consulens, seu Mandans, si, facta sufficienti diligentia, an suo consilio, vel mandato efficaciter influxerit in homicidium, aut furtum a principali factum, teneatur ad restitutionem totius damni dubii, si principale non restituerit; an vero solius partis majoris, vel minoris pro quantitate, & qualitate dubii.* Hoc secundum affirmat Molina cum aliis, sed melius teneri ad totum damnum cum pluribus aliis, tenet Bossius *num.* 1380.

24. Quæres 3. *An liceat consulere minus malum volenti facere majus, quando alia ratione non potest impediri majus illud malum; si enim alia ratione impediri potest, non erit licitum consulere minus.* Resp. licitum esse consilium, quando minus malum, minusve damnum, quod consulitur, respicit eamdem personam, quam respiciebat malum, damnumve gravius. Ratio est, quia ex una parte tale consilium est saltem implicite conditionatum, æquivalens huic, si vis malum facere, fac potius hoc minus, quam illud majus, quod est laudabile, & optimum consilium; ex alia parte damnum patiens nequit rationabiliter conqueri de consilio, cum utiliter ejus negotium egerit, impediendo majus ipsius malum; unde, etiamsi ad minus damnum inferendum non solum consilium, sed etiam opem præbuisset, ut majus facilius vitaret, ad nullum teneretur restitutionem, quia totum fecisset in gratiam domini, a quo proinde gratias potius, quam querelas reportare deberet, prout diximus circa primum præceptum Decalogi *cap.* 7. *dub.* 5.

25. Nec statim inferas: si licitum est non solum consilium, sed etiam opem ferre, & adjuvare furem ad minus furtum faciendum, quando alia ratione diverti non potest a majori, licitum etiam erit, non solum consilium, sed etiam opem ferre, & positive adjuvare ad fornicandum, si alia ratione quis averti non possit ab adulterio, seu actu sodomitico, cum eadem persona faciendo, vel etiam præbere pharmacum mulieri prægnanti ad faciendum abortum, si alia ratione non possit diverti a nece sibi, & proli inferenda, quia etiam fornicatio, & procuratio abortus est minus malum, & minus peccatum. Sed contra, disparitas est, quia fornicatio, & abortus ita sunt intrinsece mala, ut nulla ratione possint cohonestari, & ideo nec ad majus malum vitandum potest esse licita physica cooperatio ad illa; nam illa physica cooperatio, utpote physice influens, eamdem participat malitiam, quam habet ipsa operatio, fornicatio, & procuratio abortus: potest tamen esse licita suasio, & consilium, quod non est absolutum, sed conditionatum retrahens a majori malo, quod erat faciendum, nec alia ratione vitari potest; quæ ratio non militat de furto, quod aliquando potest cohonestari, & fieri licitum ex rationabiliter præsumpta voluntate domini, quando est medium unicum, & necessarium ad majus malum vitandum, & sic immunis ab obligatione restituendi; prout tenent Vasquez *de restit. cap.* 9. §. 1. *nu* 14. & de *Scandalo quæst.* 43. *art.* 1. *dub.* 2. *n.* 11. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 11. *num.* 18. Bonacina *punct.* 7 *num.* 9. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 123. Tumbur. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 5. §. 4. *nu* 23.

26. Quod si utrumque illud malum respiciebat diversas personas, tunc videndum est, an fur cogitaret de utroque damno, eratque omnino determinatus ad inferendum, vel utrumque, vel unum de duobus; & tunc licet consulere minus, quia Consulens nihil aliud præstat, quam manifestare furi veritatem honestam, & utilem, scilicet pejus esse majus malum, quam minus inferre, in quo nihil apparet illicitum. Si vero fur cogitabat solum de majori damno Petri, tunc non potes consulere minus malum Pauli, de quo fur non cogitabat, quia non licet consulere bonum cum detrimento, etiam minimo, alterius, nisi tam leve sit malum minus, & grave alterius, ut probabiliter tibi persuadeas, quod Paulus, cujus leve malum, ad impediendum grave alterius, suadetur, non sit illud ægre laturus, vel quod Petrus, cujus grave malum impeditur, sit compensaturus illud leve damnum, quod ad suum impediendum alteri suadetur. Addit Petrus Navarra *lib.* 3. *cap.* 4. *nu.* 31. quando suadetur leve malum inferendum diviti, ad vitandum notabile pauperis, licitum esse absque ulla præsumptione, eo quod tunc non possit læsus esse rationabiliter invitus, cum idem ipse eo casu facere teneretur, ut diximus *loco cit.* de scandalo.

D U B I U M III.

De Consentiente.

27. C*Onsensus* significat Consentientem, cujus nomine intelligitur ille, qui ratione sui consensus positive influit in damnum, estque illius caussa efficax, qui certe peccat, &, damno secuto, tenetur ad restitutionem; secus si non sit caussa efficax damni, quod sine suo consensu jam sit determinatum, & inferendum. Hoc præcipue attenditur in iis, qui per suffragia, quibus suum exprimunt consensum, alterius damnum caussant vel concaussant; sic qui suo suffragio concurrunt ad injustam litis Sententiam, ad decernendum injustum bellum, seu homicidium, ad imponendum injustum vectigal, ad injustam electionem ad Officia, seu Beneficia, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem damnorum, si illa suo suffragio caussant vel concaussant, sicut etiam, qui per suffragia vel subscriptionem consentiunt, & influunt in mortem injuste inferendam, vel in aliud damnum proximi; nam caussa efficax damni tenetur ad restitutionem, ut cum communi tenet Bonacina *punct.* 8.

28. Quando omnia suffragia sunt necessaria ad aliquod malum & damnum, peccant mortaliter cum obligatione de restituendo omnes illi, qui suo suffragio ad illud determinandum concurrunt, quia omnes sunt caussa damni; si vero sufficiant suffragia majoris partis, tunc posteriores, qui sciunt jam esse data suffragia sufficientia, & irrevocabilia ad damnum inferendum, quamvis & ipsi suum conferant suffragium, non tenentur ad aliquam restitutionem, quamvis peccent sic suffragando & consentiendo in damnum. Ratio est, quia non sunt caussa efficax damni, quod jam inveniunt omnino positum & illatum per præcedentia suffragia irrevocabilia, & sic non tenentur restituere, nisi pro majori damno, vel majore dedecore, si forte consurget ex majori numero suffragiorum contrariorum. Bonacina *disp.* 1. *qu.* 2. *p.* 8. *nu.* 4. Lugus *disp.* 19. *n.* 17. & 19. Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *n.* 181. Rosignol. *de Restit.* 1. *prænot.* 12. *sect.* 3. *num.* 2. Navarrus *cap.* 17. *num.* 21. Diana *part.* 1. *tr.* 3. *resol.* 16. & 17.

29. Quod si suffragia jam posita supponantur revocabilia, damnum nondum censetur illatum, cum pendeat non a prima sola positione suffragii, sed etiam a perseverantia in illo; quæ forte perseverantia defecisset, si quis revocando suum suffragium restitisset, & alios ad revocanda priora, quamvis jam sufficientia, inclinasset; multo magis si prævidit, seu spes erat, quod, posterioribus non suffragantibus, priores, qui suffragia dederunt sufficientia pro injusta Sententia, sua suffragia essent revocaturi, nam tunc damnum nondum censetur efficaciter caussatum; unde, qui posteriora tulerunt suffragia censentur veræ concaussæ cum obligatione restituendi. Sic Bonacina *punct.* 8. *nu.* 4. Rosignol. *nu.* 7.

30. *An vero teneatur ad restitutionem, qui dubitat, an suum suffragium posuerit post sufficientem numerum suffragiorum, quando illa sunt occulta & irrevocabilia, & utrum suum suffragium fuerit ex posterioribus.* Resp. affirmative, prout diximus *dub. præcedenti nu.* 21. qui tenetur ad restitutionem damni illati, etiamsi dubitet, an suum consilium fuerit caussa efficax illius damni, quia possessio stat pro damno, quod constat esse illatum, & quia in foro externo judicabitur contra ipsum, ut ibidem cum Bossio, Trullench, & aliis diximus, & tenet hic Bonacina *p.* 8. *nu.* 5. & cum aliis Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *nu.* 123.

31. Non tamen est eadem ratio de illo, qui, licet sufficientia suffragia nondum præcesserint, scit tamen, sine proprio suffragio futura esse plusquam sufficientia suffragia reliquorum, qui proinde non liberatur ab obligatione restituendi. Ratio est, quia iste suffragium primo positum non inveniens præcedentia suffragia, non invenit damnum caussatum, sed illud caussat, & suscipit in se

onus restitutionis, ad quod etiam obligatur, ex ratione, qua tenetur, & suscipit in se onus restituendi alicui damnum inferens, quod erat ab alio inferendum, nam ille præveniendo transtulit in se obligationem restituendi, ad quam teneretur alter, si damnum caussasset, ut diximus supra *cap. præced. dub.3.* & tenent Lessius, Villalob. Bonacina, Valentia, Dicastillus, quos sequitur Andreas a Matre Dei *cap.1. num.122.* & Rosignol. *prænot. 22. sect.3. nu.6.*

32. *An vero peccet cum obligatione restituendi, qui suo suffragio renuntiat in Capitulo, seu ire non vult ad Senatum, aut Capitulum, in quo prævidet, aliquid iniquum esse decernendum.* Resp. negative, quando non sperat, quod sua præsentia, & suo voto possit impedire injustum decretum, nam inutile redderetur tale votum; secus si sua præsentia, & voto possit illud impedire, nam se absentando, seu renuntiando, & non dando suffragium, censetur caussa damni secuti; & quidem si Decretum sit omnium votis concludendum, clarum est, quod non possit se absentare, quia unus cum suo voto potest impedire injustam conclusionem faciendam; si vero sit concludendum ex majori numero votorum, tunc solum tenetur quando sperat, se posse illud impedire. Bonacina *pun.8. n.7.* Diana *part.1. tr.3. resol.18. & 19.* Andreas a Matre Dei *c.1. n.121.* Lugus *disp.19. a n.60.* ubi notat, hoc procedere de illis, qui ex officio, & dignitate tenentur ad Capitulum ire, & suffragium dare, non vero si hoc habeat ex gratia, & favore, ut in aliquibus Religionibus conceditur jus suffragii in capitulo illi, seu illi, qui tot annis theologiam docuit, qui libere potest ire, & suffragium dare, sed non tenetur: notat etiam *nu.68.* quod sæpe fingimus nobis inutilem nostram diligentiam propter humanum timorem, cum tamen non raro contingat, quod ex unius sententia ingenue, & libere prolata in publico multi moventur, & sententiam jam dictam mutant: multi etiam pusillanimes, qui propter timorem ceteris consentiunt, si aliquem pro veritate stare, & pugnare viderit, eum sequuntur, timore deposito; oportet ergo ad hanc excusationem admittendam, quod clarissimum, & evidentissimum sit, præsentiam, & sententiam tuam ad nihil prorsus esse profuturam. Ita Lugus *loc. cit. nu.68.*

D U B I U M IV.

De Palpante, Recipiente, & Participante.

33. PAlpo, seu Palpator adulatorem significat, cujus nomine in præsenti intelligitur quisquis, vel plaudendo, & laudando, vel etiam exprobrando, irridendo, murmurando, aliove simili quocumque modo movet ad inferendum injustum damnum proximo, quod non fieret, ipso non movente, quia tunc vere sui adulatione, vel exprobratione est caussa talis damni, quod proinde restituere tenetur: hoc modo se habet, qui aut injuriam illatam exprobrando, aut propriam alicui nobilitatem exaggerando, ipsum impellit ad sumendam vindictam de proximo; aut qui offensum vituperant, aut irrident, convitiisque afficiunt, eo quod non ulciscatur, aut non furetur, aut aliud malum non faciat, vel etiam, qui exaggerant injuriam marito factam per adulterium uxoris, ex quo movetur ad uxorem, vel adulterum occidendum: isti omnes tenentur restituere damnum illatum, & secutum ex occisione, seu furto, quia fuerunt caussa efficax illius: Nec excusantur per hoc, quod non laudaverint aut vituperaverint ea intentione, ut vindictam sumeret, si prævidit illum tali laude, aut vituperio movendum ad vindictam sumendam, aut damnum illud inferendum; quamvis aliquando possint excusari ex inadvertentia, & bona fide. Bonacina *punct.9. nu.1.* Trullench *lib.7. cap.13. dub.1. §.3. nu 1.* Rosignol. *de Restit. 2. prænot. 12. sect. 4.* Andreas a Matre Dei *cap.1. punct.5. nu 124.* Lessius, Rebellus, Dicastillus, & alii apud ipsum.

34. *Recursus*, seu receptio significat receptatorem, cujus nomine intelligitur quisquis, vel furem recipiendo, vel prædam salvando, vel occultando, vel furi securitatem præbendo, aliquo modo in caussa est, ut damnum injuste inferat, aut ut injuste illatum non resarciat; unde excusatur qui fures recipit quasi materialiter, caussa communis hospitalitatis, caussa consanguinitatis, amicitiæ, vel alio titulo, vel ratione Officii, quo alios hospites recipere solet; ex hoc enim præcise fur non redditur animosior, nec adjuvatur formaliter ad furtum, & inde non tenetur ad restitutionem, cum non sit caussa damni; bene tamen tenetur, qui furem recipit, ut formaliter talem, ei præbendo refugium, & securitatem, servando instrumenta, custodiendo prædam, vel alio modo adjuvando, ex quo animosior fiat ad furandum, occidendum, vel aliud malum patrandum; nam tunc vere influit, estque caussa mali patrati: ex quo infert Andreas a Matre Dei *cap.1. n.125.* Magnates, & alios viros potentes, qui cum videant suos famulos fidentes suæ protectioni, & potentiæ, plures injurias facere, non impediunt, teneri ad illorum restitutionem, & pro se citatum Pradum, Trullench, Rebellum, Bonacinam, & Dicastillum. Ita etiam Tambur *lib.8. tr.4. cap.2. §.4.* & cum aliis Rosignol. *prænot. 12. sect.5. n.2.*

35. Excusatur a restitutione facienda, qui post patratum furtum, seu homicidium commissum furem abscondit, ipsumque adjuvat ad fugiendum, nisi ex hoc fuerit factus animosior ad malum illud patrandum. Ratio est, quia sic furem occultando, ipsumque juvando ad fugam, ne capiatur a satellitibus, non influit, nec est caussa præteriti damni, quod supponitur jam factum, nec redditur animosior sub spe tali refugii ad nova scelera successive patranda, ut suppono, sed præcise auxilium præbet, ne capiatur a satellitibus, & pœna afficiatur; sicut enim ipsi licitum est fugere, sic aliis licet illum adjuvare; &, si nova furta ab ipso committantur hoc erit per accidens contra intentionem recipientis, qui solum intendit occultare furem, ne capiatur, non vero, ut nova furta committat, & sic non tenetur illa restituere. Lessius *lib.2. cap.13. dub.3. num.27.* Bonacina *punct.9. nu.6.* Rosignol. *nu. 5.* Andreas a Matre Dei, & Tambur. *loc. cit.*

36. Eodem modo excusatur a restitutione, qui prædam jam factam præcise recipit, & custodit, dummodo ex hoc non fiat animosior ad nova furta committenda, vel prædam occultando, non sit in caussa, ut vero domino non restituatur; siquidem ipse prædam acceptam a latrone tenetur vero domino restituere; ad quam restitutionem tenetur ex re accepta, quam habet apud se, etiam non expectato consensu latronis, qui in talem rem furto sublatam nullum jus habet, solumque poterit latroni restituere, si ex non facta restitutione sibi grave aliquod malum immineret, vel si certo credat, fore a latrone vero domino restituendam, si, dato pretio, bona fide recipit a latrone, poterit eidem illam restituere ad recuperandum suum pretium, ut diximus supra *cap.2. dub.2.* quod etiam fieri posse ab illo, qui mala fide rem emit a latrone, nonnulli probabiliter asserunt, ut *ibid. diximus*.

37. *Participans* sumi potest dupliciter, vel pro participante in re ipsa injuste accepta, vel pro participante in crimine, & in injusta acceptione rei: participans primo modo si participat bona fide, ea cessante, tenetur ad restitutionem ejusdem rei, si extat, vel ejus, in quo ex tali re factus est locupletior, si amplius res ipsa non extat; quod si nec amplius extat res, nec ullatenus ex tali re factus sit locupletior, ad nullam restitutionem obligatur: si vero participat mala fide, tenetur etiam ratione injustæ acceptionis; & ideo, quamvis res ipsa perierit, obligatur ad restitutionem, ut diximus *cap. præced.* de possessore bonæ, vel malæ fidei: participans secundo modo, vel potest participare tamquam socius, & executor criminis, quatenus simul cum alio crimen furti, vel homicidii committit, & iste sine dubio tenetur restituere, cum sit executor, seu concaussa furti, vel homicidii: vel potest participare in ipso crimine non quidem illud exequendo, vel committendo, sed alia ratione adjuvando, puta scalas applicando; pedem ascendere volentis per fenestram sustentando; fallas claves fabricando; instrumenta præparando; exploratoris munus gerendo, ut eum moneat, vel alia præstando, quæ ad malum caussandum sunt necessaria; iste enim, & similes cooperatores ad restitutionem tenentur, si sua actione, vel cooperatione physice, aut moraliter influant in damnum proximi, & sunt participes furti, seu actionis injustæ, ut cum Lugo *disp.19. num.70.* & Tambur. *supra §.4.* tenet Ant. a Spiritu S. *disp.29. n.1414.*

38. Hic nota, cooperationes alias consistere in rebus intrinsece malis, quæ numquam possunt excusari a peccato, alias in rebus de se indifferentibus, quæ solum extrinsece fiunt malæ ex pravo fine agentis, seu illas ordinantis ad malum finem, & istæ cohonestari possunt ex gravi aliqua caussa, quæ eo debet esse gravior, & major, quo talis cooperatio proximius deservit malo fini; & inde, si ex metu gravis damni per actionem indifferentem concurrit ad malum, excusatur a culpa, & ab onere restitutionis; hac ratione excusatur, qui metu mortis, aut alterius gravissimi damni, instrumenta latronis custodiunt, prædam asportant, ut quandoque faciunt agricolæ minis compulsi, vel scalam tenent dum fur maturum, vel fenestram ascendit; de quibus plura diximus agentes de Scandalo, circa primum præceptum Decalogi *tr. 4. c.7. dub.7.*

39. Eadem ratione excusantur a peccato, ab obligatione restitutionis, & ab excommunicatione Christiani capti a Turcis, & remigantes in triremibus eorum contra Christianos, si id faciant ex metu compulsi, quia tale opus est de se indifferens, secus si id voluntarie faciant:

ciant: si autem ex mandato Turcarum ignem bombardis applicent, sagittas mittant, pilas explodant, non possunt excusari, sed peccant, & tenentur ad restitutionem, quia ad rem injustam, & per actionem injustam concurrunt. Lugus *disp.* 19. *nu.* 74. Bonacina *punct.* 10. *a nu.* 4. Lessius *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 18. & cum Villalob. Rebello, Sanchez, & Dicastillo, Andreas a Matre Dei *c.* 1. *nu.* 128. Rosignol. *praenot.* 12. *sect.* 6. *nu.* 9. *&* 10.

D U B I U M V.

De Muto, non Obstante, & non Manifestante.

40. MUtus, non Obstans, non Manifestans sunt tres modi concurrendi negative ad inferendum damnum, ad differentiam sex modorum praecedentium, qui sunt modi concurrendi positive, seu per actionem aliquam positivam, non sic tres ultimi, qui non concurrunt per actionem positivam, sed potius per actionis omissionem; ne vero hujusmodi tres modi concurrendi negative pro eodem sumantur: *Mutus* intelligi potest ille, qui praecepto, consilio, clamore, voce, vel scripto non conatur impedire paratum damnificare antequam damnificet, si potest impedire, ne malum sequatur, & non impedit: *non obstans* dicitur ille qui opem, & auxilium non affert ad malum impediendum: *non manifestans*, qui post damnum illatum non revelat, seu non denuntiat eum, qui damnificavit. Quicumque aliquo ex his tribus modis negative se habendo, non conatur impedire damnum, ad quod impediendum tenetur ex officio, vel contractu, eo secuto, tenetur ad restitutionem; dum enim non impedit id, ad quod ex officio, vel contractu tenetur, violat debitum justitiae, & facit sibi imputari actionem illam damnificativam, quam non impedivit, cum posset, & deberet ex justitia, ratione officii, vel contractus impedire. Ita Doctores communiter.

41. Si autem ex officio, vel contractu non tenetur impedire damnum, sed solum ex caritate, quamvis aliquando peccet contra caritatem, non tamen tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia qui solum ex caritate tenetur damnum impedire, non impediendo facit contra debitum caritatis, non justitiae; violat caritatem, non justitiam, ideo non tenetur ad restitutionem, cujus obligatio non oritur, nisi ex violata justitia. Quod verum est, etiamsi negative se habeat, nec damnum impediat ex odio, ut damnum alteri inferatur, nam tunc licet peccet ex malo affectu, ex nulla tamen parte est caussa externa damni. Lugus *disp.* 19. *nu.* 99. Tambur. *lib.* 8. *tr.* 4. *cap.* 2. §. 6. *nu.* 2. Trullench *lib.* 7. *cap.* 13. *dub.* 3. Bonacina *quaest.* 2. *punct.* 11. *nu.* 2. Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *nu.* 132. & alios referens Rosignol. *praenot.* 12. *sect.* 7. *nu.* 4. *&* 6.

42. Quinam in particulari teneantur ex justitia ad impedienda aliorum damna, non potest ita facile assignari: in universum dici potest, teneri Gubernatores, Principes, Ministros publicos, Tutores, Curatores, Procuratores, Advocatos, & similes respectu illarum personarum, & rerum, respectu quarum talia munera exercent, & omnes illi, qui per modum contractus se se ad alicujus rei custodiam obligarunt. De Famulis ad specialem custodiam non deputatis, & praecise ratione famulatus, dubium est: *an teneantur ad restitutionem, si obmutescant, vel non obstent, vel non manifestent, quando domino damnum infertur*, Negant Molina *disp.* 735. *n.* 5. Trullench *lib.* 7. *c.* 13. *dub.* 3. *n.* 5. Bonacina *punct.* 11. *nu.* 7. Diana *part.* 2. *tr.* 6. *miscell. resol.* 58.

43. Sed melius dicendum est, illos praecise ratione famulatus teneri ad restitutionem, si videant res domini ab extraneis auferri, & non impediant, cum possint. Ratio est, quia famuli ratione famulatus, non solum ex caritate, sed ex justitia tenentur ab injuriis extraneorum res domini custodire; sunt enim quasi domestici, & familiares domini certa mercede conducti ad commodum & utile dominorum, &, si ab illo munere impediendi deficiunt, cum possint impedire, peccant non solum contra caritatem, sed etiam contra justitiam, cum obligatione restituendi: secus dicendum, si non impediant furta aliorum domesticorum, quando illis specialis custodia commissa non est, quia famulus mercede conductus non censetur se obligare ad custodiendas res domini contra alios famulos, & domesticos, quia hoc esset valde durum, & arduum, nisi forte videat alium famulum res domini surripere, & congregare animo asportandi, & fugiendi, nam tunc tenetur clamare, & impedire, si potest. Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 20. *n.* 75. Lugus *disp.* 19. *nu.* 105. Rosignol. *praenot.* 12. *sect.* 7. *n.* 17. Reginaldus *l.* 10. *c.* 9 *nu.* 95. Hurtado *disp.* 5. *diff.* 10. Tambur. *lib.* 8. *tr.* 4. *c.* 2. §6. *n.* 8. Andreas a Matre Dei *c.* 1. *n.* 134. Ant. a Spiritu S. *disp.* 29. *n.* 1423.

44. Qui suasione, & consilio removet clamare volentem, eique suadet, ne furtum Petro inferendum impediat, peccat mortaliter contra justitiam cum obligatione restituendi, si ille alius, qui clamare, & impedire volebat, tenebatur ex justitia furtum, seu homicidium impedire. Ratio est, quia ille alius non impediendo furtum peccat contra justitiam cum obligatione restituendi, ut suppono; ergo etiam peccat, & restituere tenetur, qui illi suadet, ut non impediat: nam suasio, & consilium desumunt suam specificationem ab objecto, circa quod versantur; suasio autem in praesenti versatur circa omissionem non impedientis furtum; sed talis omissio, cum sit contra justitiam, obligat ad restitutionem; ergo etiam tenetur, qui talem omissionem suadet. Lugus *disp.* 19. *nu.* 101. Trullench *lib.* 7. *cap.* 13. *dub.* 3. Tambur. §. 6. *nu.* 4. Bonacina *p.* 11. *nu.* 3.

45. Secus dicendum, si ille, qui suasione impeditur a clamore, non tenebatur ex justitia, sed solum ex caritate furtum Petro inferendum impedire, quia sicut ille non peccat contra justitiam, sed solum contra caritatem, non clamando, non obstando, non impediendo, ita etiam peccat solum contra caritatem, qui suadet cessationem a clamore, etiamsi hoc faciat ex odio, quia non proinde peccat contra justitiam; nam suasio, & consilium non aliam participat malitiam, quam illam, quam habet res consultata, & persuasa; haec autem non habet malitiam, nisi contra caritatem, & sic solum contra caritatem peccat, qui talem omissionem suadet; dummodo tamen absit vis, & fraus, qua intercedente committeret injustitiam contra occisum, & spoliatum, qui licet jus non habeat, ut alter impediat furtum sibi faciendum, jus tamen habet, ne alius vi, aut fraude impediatur a bono, etiam sibi gratis conferendo, ut diximus *cap. praeced. dub.* 9. & ita tenent Bonacina, Lugus, Trullench, Tambur. *supra* Ant. a Spiritu S. *disp.* 29. *n.* 1412. Rosignol. *praenot.* 12. *sect.* 7. *n.* 7. *&* 8.

46. Qui accipit pecuniam a fure, ut eum non impediat, nec manifestet, tenetur ad restitutionem, si illa pecunia sit furtiva, seu pars furti; nam res clamat ad dominum, cui proinde erit restituenda, non latroni, a quo fuit accepta; si vero pecunia illa sit propria latronis, & non furto sublata, tunc non erit necessario restituenda, quia sicut iste poterat non impedire ob preces furis, ita etiam ob pecuniam acceptam. Ita magis communiter Doctores, qui tamen discrepant: *an ille, qui pecuniam accipit a latrone, ne furtum impediat, teneatur restituere damnum a latrone illatum*. Affirmant plures, quia tacendo, & non impediendo ob pecuniam acceptam, non solum negative, sed etiam positive concurrit ad furtum, reddendo furem animosiorem, & securiorem, & consentit, ut furtum fiat, quod alitcr non fieret ex timore latronis, & consequenter sit vera caussa cooperans ad furtum; & sic tenetur ad restitutionem. Ita Molina *disp.* 735. *nu.* 3. Bonacina *quaest.* 2. *p.* 11. *nu.* 14. Trullench *lib.* 7. *c.* 13. *dub.* 3. *nu.* 13. Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 68. Rosignol. *praenot.* 12. *sect.* 7. *nu.* 9. Ant. a Spiritu S. *disp.* 29. *nu.* 1422.

47. Alii probabilius negant, accipientem pecuniam, ne furem manifestet, aut impediat, teneri restituere furtum, seu damnum a fure illatum, quando illud non ex justitia, sed ex sola caritate tenebatur impedire. Ratio est, quia iste non peccat contra justitiam, nec furtum, seu damnum tenetur restituere, si, nulla accepta pecunia, non clamet, non obstet, nec furtum impediat; ergo nec tenetur restituere damnum, si non clamet, nec illud impediat ex accepta pecunia, quia talis acceptio non reddit omissionem injustam, nec accipiens contrahit obligationem aliquam justitiae furtum impediendi. Nec obstat, quod pecunia data reddat furem animosiorem, & securiorem, nam etiam preces, & promissiones possunt furem securum reddere, & tamen promittens non contrahit obligationem restituendi; ergo nec illam contrahit, qui pecuniam accipit, ut taceat, non manifestet, nec impediat, quando ex justitia non tenebatur impedire; in utroque enim casu semper militat eadem ratio. Ita Andreas a Matre Dei *c.* 1. *punct.* 5. *n.* 133. ubi pro se citat Sotum *lib.* 4. *qu.* 7. *art.* 3. Navarrum *in man. cap.* 17. *n.* 21. Dianam *part.* 4. *tr.* 4. *resol.* 64. ita etiam Rosignol. *lib.* 10. *cap.* 9. *n.* 94. Tambur. §. 6. *nu.* 6.

48. Custodes agrorum, montium, fluminum, portarum, seu gabellarum non clamantes, non impedientes, seu permittentes fieri damna, & gabellas fraudari, tenentur restituere damnum, quod dominis, & gabellariis, stante tali dissimulatione, & taciturnitate infertur, quia hi omnes sunt mercede conducti, & ex officio tenentur hujusmodi damnum impedire, ac proinde peccant contra justitiam, si illud non impediant, quando possunt. Bene advertit Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *nu.* 135. hoc damnum debere esse magni momenti, & dominum debere esse rationabiliter invitum; & inde Custodes excusantur, si pauperi aliquod permittant asportare, aut si ingredientes vineam, piscantes, seu venantes, talis

sint

sint conditionis, ut dominus non censeatur rationabiliter invitus, vel si ea consuetudine, & dissimulatione Principis scientis, & dissimulantis, receptum sit, ut non severe ac cum tanto onere munus suum obeant, & citat Rebellum, & Dicastillum. Ita etiam tenent Rosignol. *n.*13. Bonacina *punct.*11. a 4. Tambur. §.6. *n.* 10. *&* 11. Ant. a Spiritu S. *disp.* 29. *nu.* 1424. Lessius *lib.*2. *c.*13. *dub.*10. *n.*71. Reginaldus *lib.*10. *c.*9. *nu.* 96.

49. *An vero Custodes non solum teneantur ad restitutionem damni, quod ex sua dissimulatione patitur dominus, sed etiam ad restitutionem pœnæ, quam solvere debuissent delinquentes, si ab ipsis fuissent denuntiati*: Communis Sententia negat, quia custodes non tenentur ex justitia accusare transgressores legis, ut dominus, vel respublica ditetur pœnis aut mulctis, sed solum curare, ut vectigalia solvantur, & res sibi in custodiam traditæ illæsæ & sine damno serrentur, ac proinde tenentur ad damna, quæ ex sua omissione, vel negligentia sequuntur, non autem ad mulctas & pœnas persolvendas, quas delinquentes debuissent persolvere, si fuissent ab iisdem custodibus accusati, maxime quia pœnæ non debentur, nisi post Sententiam Judicis, qua impedita, ex quacumque deinde causa impediatur, nec Judex, nec dominus jus habent ad pœnam, quam proinde custodes solvere non tenentur. Andreas a Matre Dei *nu.* 136. Rosignol. *n.*14. Ant. a Spiritu S. *loco cit.* Bonacina *punct.*11. *n.*10. Tambur. §.6. *n.*12. Lessius *dub.*10. *n.*73. Trullench *lib.*7. *c.*13. *dub.*3. *n.*8. Diana *par.*3. *tr.*5. *resol.*54. *&* *tr.*6. *resol.*35.

50. Si vero Custodes pretium acceperunt a delinquentibus, ne ipsos denuntiarent, non tenentur illud restituere, quia licet peccaverint contra justitiam non clamantes, nec impedientes damnum, non tamen contrahunt aliam obligationem, quam restituendi damnum, quod impedire tenebantur, ut supra dictum est de accipiente pecuniam a latrone, ne ipsum impediat.

51. *An vero Custodes gabellarum possint se abscondere, ut merces asportantes, seu vineam ingredientes cogantur ad pœnæ solutionem*: diximus sufficienter suo loco circa primum præceptum Decalogi *cap.* 7. *de scandalo dub.* 4. ubi diximus, peccare mortaliter custodes gabellæ, seu vinearum, si se abscondant eo solum fine, ut merces asportantes, seu vineam ingredientes cogantur ad pœnæ solutionem, quia hoc est contra caritatem; posse tamen excusari a peccato, si id faciant ex alio fine, puta propter indemnitatem vinearum, ut melius custodiant res suæ curæ creditas, ut rarius delinquentes peccent, dum timent, ne forte a latitantibus deprehendantur; hoc enim modo excusantur a peccato, quia eo fine se abscondere pertinet ad meliorem sui officii executionem, ut cum Bonacina, Tamburino, & G. Hurtado *ibid.* diximus, & in præsenti tenet Rosignol. *prænot.* 12. *sect.* 7. *num.* 16.

52. *De Confessario, qui erravit obligando pœnitentem ad restitutionem, ad quam non tenebatur, vel non obligando ad illam, ad quam tenebatur, an ipse teneatur restituere, & reparare damnum illatum, sive pœnitenti, quem obligavit ad id, ad quod non tenebatur, sive alteri, illum non obligando ad restitutionem*: diximus *in tr. de Pœn. c.*17. *dub.*7. *n.*44 *&* 45. ex quibus constat, Confessarium tunc solum teneri ad restitutionem, quando culpabiliter positive dixit pœnitenti, quod ad restitutionem non teneatur, quia tunc peccat contra justitiam, positive concurrendo ad damnum creditoris, non vero si culpabiliter non obligavit pœnitentem ad restitutionem, quia ex officio solum tenetur curare bonum spirituale pœnitentis, non vero bonum temporale creditorum ipsius pœnitentis; unde, si negligenter munus suum exerceat, peccat solum contra religionem, non contra justitiam, & inde non habet obligationem restituendi, ut fusius *ibid.* diximus.

DUBIUM VI.

Quonam Ordine Cooperantes ad damnum teneantur ad restitutionem.

53. OMnes Cooperantes ad damnum tertii, modo supra explicato, teneri ad restitutionem non potest esse dubium, quia sua actione, vel omissione injusta concurrunt ad damnificationem, & censentur caussa injusta damni, non secus ac ipsa caussa principalis; & oppositum videtur damnatum ab Innocentio XI. prohibente illam propositionem, quæ est in ordine 39. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum Tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati*: & licet propositio damnata solum loquatur de movente, & inducente, valet tamen proportionaliter de aliis modis supra allatis, quia omnes, sive positive, sive omissive inducunt, & movent suo modo ad inferendum damnum, & sic omnes tenentur ad restitutionem, quando sunt causæ efficaces damni, prout supra explicatum est.

54. Dubitatur: *an omnes teneantur in solidum, & æque principaliter; vel detur inter illos aliquis ordo, & qualis, in ordine ad restitutionis obligationem.* Et quidem caussæ solum negative, & omissive concurrentes, ut sunt *mutus, non obstans, & non manifestans*, nullum servant ordinem inter se, quia, cum omnes negative concurrant, non videtur differentia notabilis inter eas; conveniunt enim omnes in hoc, quod non impediant damnum, cum possint, & teneantur, ut cum aliis notat Trullench *lib.*7. *c.*13. *dub.*5. *nu.*7. licet aliquando aliqua præ ceteris possit magis teneri, quando præ ceteris habet majorem & principaliorem obligationem, ut est Superior, qui non impediendo censetur primaria caussa damni, tum propter majorem obligationem, quam habet, tum quia ex negligentia Superioris sæpe contingit, custodes, & alios officiales reddi negligentes, & fures magis animari ad damnum inferendum. Lugus *disp.* 19. *nu.*135. Si vero caussæ negativæ comparentur simul cum positivis, illæ, regulariter loquendo, præcedunt in obligatione restituendi, & illæ tenentur solum in defectum alterum, quia caussa positiva magis influit in effectum. Lugus *n.*132. Trullench *dub.*5. *n.*2. Lessius *lib.*2. *cap.*13. *dub.*11. *nu.*81. G. Hurtado *disp.*5. *diff.*11.

55. Comparando deinde caussas positivas inter se, ille primo loco restituere tenetur, apud quem reperitur res furto sublata, quicumque ille sit, sive Mandans, sive Consulens, quia tenetur ex re accepta, si illa adhuc existit, & ex injusta acceptione, cum alii teneantur solum ex injusta acceptione: quod si illa non amplius existat, sed sit mala fide consumpta, tenetur restituere pretium, quod loco rei consumptæ succedit. Ipso autem restituente, ceteri manent liberi ab obligatione & onere restitutionis; cum teneantur solum in defectum illius, aut nolentis, aut non potentis restituere. Quod si res furto sublata reperiatur apud possessorem bonæ fidei, iste tenetur primo loco restituere, quia res illa, cum sit aliena clamat pro domino suo, & ipse possessor bonæ fidei cum primo cognoscit, rem esse alienam, illam domino suo reddere debet: si, durante bona fide, eam vendidit, aut consumpsit, id solum tenetur restituere, in quo factus est ditior. Si autem illam, soluto pretio, accepit, adhuc tenetur restituere, quia adhuc domini est, & actionem habet contra latronem, qui eam sibi vendidit, a quo potest repetere & recuperare pretium datum, ut diximus *cap. præced. dub.*1. *de possessore bonæ fidei*, & tenent Andreas a Matre Dei *cap.*1. *n.*140. Lessius *lib.*2. *dub.*5. *nu.*39. Reginaldus *lib.*10. *cap.*10. *nu.* 128. Lugus *disp.*19. *nu.*120.

56. Quod si res aliena non extet, aut nihil ablatum sit, sed solummodo damnum irrogatum absque commodo, puta comburendo domum, segetes conculcando, aut destruendo, vulnerando, mutilando, vel occidendo; tunc primo loco restituere tenetur, qui jussit, seu damnum fieri mandavit: exequutor vero tenetur in defectum mandantis, quia ille censetur caussa principalior, & magis influens, quam exequutor, qui non concurrit sponte sua & omnino libere, sed jussus & quasi coactus a mandante, & non nomine proprio, & in sui gratiam, sed in gratiam mandantis, & illius nomine damnum intulit, ac proinde liberatur ab obligatione restituendi, si mandans ipse restituit; eo autem non restituente, in ejus defectum restituere tenetur exequutor, qui damnum intulit, prout docent communiter Doctores.

57. Hoc præcipue intelligitur de mandante proprie tali, qui vim & potestatem habet imperandi respectu exequentis, ut est Superior respectu Subditi; Dominus respectu Famuli; Pater respectu Filiorum; Maritus respectu Uxoris, quia isti, sic imperando, totum onus restitutionis in se suscipiunt. Valet tamen etiam de mandante improprie tali, qui, licet non sit Superior, nec vim habeat coactivam, mandat tamen, ut nomine suo, & in sui gratiam alius damnum inferat; nam etiam iste tenetur primo loco restituere ante exequutorem, nam eo ipso, quod mandavit damnum fieri proprio nomine & in gratiam sui, suscipit ac in se transfert obligationem restituendi, eoque restituente, liberatur exequutor, qui solum tenetur in defectum mandantis; &, si exequutor primo restituat, tenetur mandans eidem tantumdem refundere. Hoc idem dicendum de illo, qui alium minis, vi, fraudibus, aut conviciis ad malum faciendum coegit, qui primo loco tenetur restituere. Lugus *disp.* 19. *nu.*126. Lessius *lib.*2. *cap.*13. *dub.*5. *n.* 41. Bonacina *qu.* 8. *punct.* 1. *nu.*4. Andreas a Matre Dei *cap.*1. *num.*141. Ant. a Spiritu S. *disp.*29. *num.* 1427. Reginaldus *lib.* 10. *cap.*10. *nu.*123. Gaspar Hurtado *disp.*5. *diff.*11. Tambur. *lib.*8. *tr.*4. *cap.*2. §.7. *nu.*4. & aliis apud ipsos.

58. Post Mandantem tenetur Exequutor ante alios cooperatores, qui solum accessorie concurrunt; Exequutor autem post Mandantem censetur caussa principalis, & sic principaliter obligata præ ceteris aliis concurrentibus consilio, consensu, palpante seu recursum præbente,

te, qui, ut dixi, solum accessorie concurrunt, & tenentur in defectum exequutoris, & mandantis. Inter caussas secundarias positivas, quæ tenentur ad restitutionem post mandantem, & exequentem, non datur ordo prioris, & posterioris, sed omnes æque principaliter tenentur in defectum exequutoris, & mandantis, quia unaquæque operatur independenter ab alia, & per se in suo ordine; Idem dicendum de caussis negativis in defectu caussarum positivarum, inter quas non datur ordo prioris, & posterioris, sed omnes tenentur æque primo in defectum positivarum. Lessius *nu.* 49. Lugus *num.*130. G. Hurtad. *diff.*11. Ant. a Spiritu S. *nu.*1428. Tambur. *nu.*6.

59. Restituente caussa principali, ceteri remanent liberi ab obligatione restitutionis, quia ille primo loco tenebatur ad integram & totalem satisfactionem & restitutionem domino faciendam. Item si exequutor restituat, non restituente principali, inferiores etiam manent liberi, non sic principalis, qui debebit exequutori damnum refundere, quia succedit in jura, quod dominus habebat in mandantem. Bonacina *qu.*8. *p.*1. *nu.*11. Lugus *disp.*19. *num.*115. *&* 125. Andreas a Matre Dei *n.*142. Si autem restituat unus ex illis, qui secundo loco & minus principaliter tenentur, ceteri debent pro sua parte restituere, & indemnem reddere, si principalis ipse non restituat, nam alii tenentur æqualiter & æque principaliter ad restitutionem in defectum principalis, & inde si ex quatuor obligatis unus totam quantitatem restituat, debent alii tres suas partes ei restituere, id est quartam partem. Bonacina *nu.* 14. *&* 15. Lugus *nu.*118. Andreas a Matre Dei *n.*143. Quod si ex his tribus unus non vult, aut non potest restituere, alii duo non quartam, sed tertiam partem debebunt restituere, ut sic restitutio æqualiter dividatur inter illos, qui sunt obligati. Bonacina, Lugus, Lessius, Reginaldus, Andreas a Matre Dei.

C A P U T IV.

De eo quod est Restituendum.

D U B I U M I.

An, & qualiter Res aliena sit restituenda.

1. PLura diximus supra de obligatione restituendi, quam habet possessor bonæ vel malæ fidei, ex quibus constat habentem rem alienam, sive bona sive mala fide illam habuerit, debere eamdem numero restituere, quia numquam illius dominium acquisivit, quod adhuc perseverat apud dominum, cui proinde res sua restitui debet, & quidem eadem numero, si extet, cum illa eadem numero clamet ad dominum, & in illam jus habeat ac dominium. Quod maxime verum est, quando dominus notabilem haberet affectionem ad rem illam numero, qua nonnisi ægre & cum maxima displicentia privaretur, & inde peccaret mortaliter, qui rem illam, ad quam dominus magnam habet affectionem, non restitueret; nam illi gravem faceret injuriam. Si vero ad illam non sit notabiliter affectus, non erit peccatum mortale, sed veniale aut nullum, non restituere rem eamdem numero, dummodo restituatur similis, æqualis bonitatis, & valoris; nam tunc non fit domino gravis injuria, cum non censeatur rationabiliter invitus, prout docent Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 1. *num.*3. Navarrus *cap.*17. *num.*25. Diana *part.* 2. *tr.*16. *resol.*41.

2. Excusari quis potest a reddenda eadem numero re, quando illam restituere non potest sine gravi incommodo, sine infamia, & sine magnis expensis; & tunc sufficit, quod restituat similem, aut ejus valorem; nam licet regulariter eadem res restituenda sit, quando extat, potest tamen debitor excusari ex justa caussa, qualis esse videtur, quando res eadem reddi non potest sine gravissimo incommodo, sine infamia, & sine magnis expensis; nam tunc dominus non est rationabiliter invitus. Bonacina *supra num.* 1. Trullench *lib.* 7. *cap.* 14. *dub.* 1. *num.* 3. Tambur. *lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 2. Molina *disp.* 751. *num.* 1.

3. Si res aliena sit consumpta, nec amplius existat, tunc qui illam destruxit, si erat possessor bonæ fidei, &, durante bona fide, destruxit aut consumpsit, tenetur solum restituere id, in quo factus est locupletior: si vero ille erat possessor malæ fidei, tenetur illam restituere juxta pretium summum, si pretio summo dominus rem illam erat venditurus, secus juxta pretium medium, prout dictum est *cap.* 2. *dub.* 4. Qualiter bona inventa, bona vacantia, & quæ habentur pro derelictis sint restituenda diximus *tract.* 1. *cap.* 4. *dub.* 4. ubi etiam plura diximus de thesauris inventis, & de feris, quæ venatione, & piscatione capiuntur, quæ non sunt hic repetenda.

4. Dubitari solet: *an restituenda sit pecunia a dæmone accepta?* Dico, non esse restituendam, nisi constet esse alienam, quia cum dæmon illam accipere potuerit ex profundo maris, aut ex occulto thesauro, sub nullius existente potestate, non est fundamentum dicendi, eam fuisse furto sublatam. Cavendum tamen est ac bene probandum, an sit vera pecunia vel potius elusoria, nam sæpe solet esse elusoria, quæ postea vertitur in carbones aut omnino evanescit, ut cum Suarez, notat Thomas Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 41. *numer.* 2. ita etiam Diana *part.* 10. *tract.* 13. *resol.* 48.

5. Quæres: *An accepta ob fictam & simulatam paupertatem sint restituenda.* Resp. graviter peccare qui ficta paupertate petit ac recipit eleemosynas, ac teneri ad restitutionem, si illæ sint in magna quantitate. Ratio est, quia illas petit & recipit fraudulenter & sine titulo; siquidem finis, quo movetur dives ad dandam eleemosynam, est paupertas & miseria, quam sublevare intendit; illa autem deficiente, deficit finis primarius dantis eleemosynam, & sic donatio remanet irrita, & nulla, ut cum Navarro, Medina, Scoto, Diana, Palao, & aliis diximus *tract.* 4. *in primum præceptum Decalogi capit.* 5. *dub.* 6. *numer.* 49.

6. Nec dicas: *finis primarius dantis eleemosynam est amor Dei: seu honestas virtutis misericordiæ, quæ permanent, quamvis deficiat paupertas in petente:* contra enim est, quia finis dantis eleemosynam in magna quantitate non est paupertas ficta & existimata, sed vera paupertas, quam sublevare intendit ex motivo misericordiæ seu caritatis; deficiente autem vera paupertate, quamvis remaneat meritum in donante sic decepto, non tamen remanet vera donatio, cum deficiat finis primarius & principalis.

7. Dixi: si materia sit gravis, nam ille qui, simulata paupertate, ostiatim parvas colligit eleemosynas, excusatur a restitutione facienda, quia præsumendum est, dominum absolute donasse parvam illam eleemosynam, sive existat sive non existat vera paupertas, quod præsumi non debet in magnis & extraordinariis eleemosynis, quæ non dantur absolute, sed sub conditione saltem tacita, quod vera existat paupertas, ut diximus *loco supra cit.* Cui autem facienda sit restitutio, variant Doctores, aliis volentibus faciendam esse donanti, tamquam vero domino; alii vero dicunt, dandam esse veris pauperibus, quia sic executioni mandatur voluntas donantis, utrumque est probabile, & utroque modo fieri potest, ut docet Palaus *tom.* 1. *tract.*6. *disp.* 2. *punct.* 14. *numer.* 7.

D U B I U M II.

An accepta ob turpem caussam sint restituenda.

8. CErtum est, pro re turpi seu illicita actione facienda nihil dari, aut recipi posse, antequam fiat, quia tenetur quilibet abstinere ab opere malo patrando, & a medio inducente ad malum; sed pretium, quod datur pro actione mala facienda, est medium ad opus illicitum patrandum, tamquam ad finem, ad quem inducit; ergo quilibet tenetur abstinere a pretio solvendo vel acceptando pro malo opere patrando, &, si datum & acceptatum sit, debet restitui, & contractus rescindi, quamvis contractus & promissio fuisset juramento firmata; nam juramentum de re illicita non obligat, cum non sit vinculum iniquitatis, ut diximus suo loco, & tenent in præsenti Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 8. Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *numer.* 153. Bonacina *disp.*1. *quæst.*3. *punct.*3. *nu.*1. *&* 2.

9. Opere autem completo, an dari atque recipi possit pretium conventum, negant apud Lessium *num.* 51. nonnulli, universaliter dicentes, pretium illud esse restituendum, quia peccatum est nullius pretii, utpote nihil, teste Augustino, ac proinde prorsus invendibile. Sic Navarr. *cap.*17. *n.*40. *fin.* Palaus, Comitolus *in resp. moral. lib.*3. *q.*5. & Joannes Valerus *in differentiis utriusque fori verb. Promissio diff.*8. relati a Diana *part.*2. *tr.* 16. *resol.* 40. quibus & ipse consentire videtur, dum eam sententiam probabilem dicit, & juxta illam concludit, *Unde non erit neganda absolutio, si aliquis rem habuit cum Meretrice, si postea nollet solvere mercedem consuetam, etiamsi eam dare promiserit.*

10. Alii dicunt, pretium acceptum pro opere turpi, quod est contra justitiam, esse restituendum, secus vero de pretio accepto pro opere turpi non opposito justitiæ, nec legibus punibili; hac ratione possunt Meretrices, post datum usum corporis, licite retinere pretium turpitudinis; non sic Mandatarius, & alii, qui pretium

acci-

accipiunt pro homicidio, vel alio opere contra justitiam patrando. Sic Jurisconsulti *ff. de conduct. ob turpem caussam*, & C. *eod. tit.* & Canonistæ in cap. *Quia plerique*.

11. Resp. attento solo Jure naturali, & nisi leges reddant inhabiles ad dandum vel accipiendum, non debere restitui opere criminoso completo, quod pro eo patrando acceptum est. Ratio est, quia licet opus malum & peccaminosum non sit pretio æstimabile, qua malum est, tamen qua delectabile vel utile uni, & alteri periculosum & laboriosum, inter homines pretio æstimatur; ergo ab illo, in cujus gratiam fit, potest recipi pretium & receptum retineri. Nec valet, non posse accipi pretium pro malitia & peccato, quod est nihil & invendibile; contra enim, pretium non accipitur pro malitia, sed pro aliis circumstantiis, puta homicida pretium non accipit pro peccato, sed pro labore & periculo, cui se exponit in patrando homicidio, ut scilicet ab aggresso interficiatur aut a Judice capite plectatur: & Meretrix pretium non accipit pro malitia, sed quia locat corpus suum in obsequium & voluptatem alterius, & sic pro bono delectabili, quod inde accepit fornicatius, potest illa promissum pretium exigere & retinere; hinc Judex, qui pretium accipit pro ferenda Sententia injusta, non tenetur post factum ad restitutionem pecuniæ acceptæ, quamvis teneatur damna reficere parti læsæ, contra quam tulit Sententiam injustam: Idem dicendum de Teste, qui pecuniam accipit pro falso testimonio ferendo, quamvis teneatur reparare damna illata parti, contra quam falsum tulit testimonium. Lessius *supra dub* 8. *n.* 52. Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *n.* 154. Lugus *disp.* 18. *num.* 45. Homobon. *de Exam. part.* 2. *tr.* 9. *cap.* 9. *qu.* 24. Trullench *lib.* 7. *c.* 14. *dub.* 6. *n.* 2. Bonacina *disp.* 1. *qu.* 3. *punct.* 3. *nu.* 2. & alii satis communiter.

12. Peccat igitur Meretrix pretium recipiendo pro actu turpi, vel de pretio paciscendo ante actum, quia in tali acceptione & pacto includitur consensus in actum turpem, non est tamen peccatum distinctum ab ipsa fornicatione, quæ postea sequitur, nec in Confessione debet explicari, tamquam peccatum distinctum: post fornicationem accipiendo pretium non peccat, nec illud tenetur restituere, nisi mendaciis, fallaciis, ac dolosis verbis pretium excedens extorqueat; nam tunc excessum indebite extortum teneretur restituere, ut si illa, quæ usum sui corporis concedere solet uno aureo, vel argenteo, ab aliquo juvene quinquaginta extorserit tamquam pretium, prout D. Thomas 2. 2. *qu.* 62. *art.* 5. *ad* 7. dicens, *Quod si superflue aliquid per dolum aut fraudem extorsisset, teneretur eidem restituere*, ut tenet Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *n.* 159.

13. Tenetur etiam restituere pretium, quod accepit a pupillis & minoribus absque licentia tutoris vel curatoris, & ab aliis non potentibus dare & alienare, nec non ea, quæ accepit a Religiosis, qui nihil proprium habent nec habere possunt, & quamvis eis aliqua concedantur a Superioribus, non tamen conceduntur nec concedi possunt ad dictum finem. Scio, aliquos excusare meretricem ab obligatione restituendi pretium acceptum a Religiosis, quia licentiam, ut plurimum, habent a suo Superiore expendendi livellum domus paternæ vel assignatum pro vestiario ad beneplacitum, ex quo inferunt, valide solvere posse mercedem meretrici; nam licet expendendo illam pecuniam in turpes usus agant contra voluntatem Superioris in modo alienandi, non tamen alienatio redditur irrita; siquidem Prælatus Regularis dans subdito plenam & liberam facultatem expendendi aliquid, non intelligit limitare suam intentionem ad usus licitos & pios, sed potius auferre quantum est ex se totum impedimentum, ut usus ille non sit contra votum paupertatis ob defectum licentiæ, atque adeo recipientem ab ipso non teneri aliquid restituere. Ita in puncto tenet Diana *part.* 10. *tract.* 14. *resol.* 2. *& part.* 11. *tr.* 2. *resol.* 65. sequitur Lugus *tom.* 1. *de just. disp* 3. *n.* 141. Rebell. Pellizar. & alii.

14. Verum probabilius est, nullam esse talem donationem factam a Religiosis pro actu turpi, & mulierem teneri restituere Monasterio pretium receptum, quia Religiosus absque licentia tacita vel expressa Superioris aut Monasterii nihil alienare potest, sed nec Superior nec Monasterium concedere illi potest licentiam ad expendendam pecuniam & alia bona in turpes usus, sed solum in licitos & honestos, unde non potest illam dare Meretrici, nec illa recipere, nisi cum obligatione restituendi: Nec verum est, Superiorem concedentem licentiam expendendi pecuniam tollere dumtaxat impedimentum paupertatis; nam dat illam licentiam, quam dare potest expendendi solum in usus pios, non autem in usus turpes, quam nec explicite nec implicite dare potest. Palaus *tom.* 7. *disp.* 2. *punct.* 21. §. 3. *numer.* 2. Trullench *cap.* 14. *dub.* 8. *num.* 3. Villalob. Tapia, Di-castill. & alii, quos sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *n.* 161.

15. Dixi in responsione; attento solo Jure naturali, quia acquisita ob turpem caussam sunt restituenda, non solum ante, sed etiam post factum, quando lex prohibet donationem & reddit accipientem inhabilem ad dominium acquirendum rei acceptæ; sic per Simoniam acquisita retineri non possunt, etiamsi sponte tradita fuerint, quia simoniacus est incapax acquirendi illarum rerum dominium, ut diximus agentes de Simonia circa primum Decalogi præceptum *c.* 5. *dub.* 4. Jure civili licet universaliter prohibeantur acceptiones pro re turpi, ut in *l. generaliter ff. de verb. obligat.* ubi dicitur: *Generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti, veluti si quis homicidium vel sacrilegium se facturum promittat, sed & officio quoque Prætoris continetur ex hujusmodi obligationibus actionem denegari*, & in l. *pacta C. de pactis*, ibi *pacta, quæ contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris est*; tamen acceptiones non irritantur, nec inhabilem faciunt recipientem ad comparandum dominium & retinendum acceptum post opus patratum, sed tantum prohibent, ne fiant hujusmodi pacta & stipulationes, easque haberi volunt pro invalidis, ut cum aliis tenet Rosignol. *de restit.* 2. *disquisit.* 1. §. 6. *n.* 9.

DUBIUM III.

An accepta ob caussam honestam sint restituenda.

16. Caussa honesta, ob quam pretium datur aut accipitur potest esse debita titulo Justitiæ, ut si pretium accipias, ut facias vel omittas id, quod ex justitia tenebaris facere vel omittere; vel potest esse debita ex caritate, seu alio titulo vel præcepto distincto a justitia: & quæritur, an accepta in utroque isto casu sint restituenda.

17. Resp. 1. Accepta pro faciendo opere licito debito ex alio titulo & præcepto, quam justitiæ, non esse obnoxia restitutioni. Ratio est, quia ex violatione solius justitiæ oritur obligatio restituendi; sed quando accipitur aliquid pro faciendo opere licito debito ex alio præcepto, quam justitiæ, non violatur justitia; ergo nulla insurgit obligatio restituendi. Inde si quis nolenti communicare in Paschate, aut Missam audire, vel jejunare, quando tenetur, dat pecuniam, ut communicet, Missam audiat, vel jejunet, nulla est obligatio restitutionis; similiter restituere non tenetur, qui pecuniam accipit, ut fiat Christianus, ut non juret, non blasphemet, non occidat, non adulteret, quia scilicet non peccat contra justitiam. Bonacina *disp.* 1. *qu.* 3. *punct.* 2. Lugus *disp.* 18. *n.* 67. Ant. a Spiritu S. *disp.* 8. *n.* 336. Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *punct.* 8. *n.* 185.

18. *An vero idem dicendum sit quando opus est debitum proximo ex caritate, ut si detur pecunia medico, ut curet pauperem infirmum, quando ipsum curare tenetur ex caritate, vel ut deponat odium fratris*; negant Salon. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 5. *contr.* 3. Villalob. *tr.* 11. *diff.* 17. *concl.* 2. Trullench *lib.* 7. *c.* 14. *dub.* 6. Sed melius alii affirmant, quia tunc dans censetur voluntarie dare & quia ex sola violatione justitiæ oritur obligatio restitutionis; sed quando aliquid accipitur propter opus ex caritate debitum, non violatur justitia, & sic non datur obligatio restitutionis, quamvis sic accipiens peccet & agat contra caritatem. Bonacina, Lugus & alii supra citati; sequitur Diana *part.* 3. *tr.* 5. *Miscel. resol.* 55.

19. Resp. 2. Accepta pro faciendo, seu omittendo opere debito ex justitia, esse restituenda. Ratio est, quia manifeste violatur æqualitas, si pro eo, quod jam ex justitia absolute debitum est, aliquid amplius exigatur vel accipiatur. Deinde quia id quod datur pro justitia obtinenda vel injuria vitanda, non censetur dari sponte, sed coacte & ex metu injuriæ proveniente ab illo, cui pretium datur; ergo necessario est restituendum, quia censetur per tacitam quamdam injuriam extortum. Bonacina, Lugus, Ant. a Spiritu S. & Andreas a Matre Dei supra relati, sic etiam Rosignol. *de restit.* 2. *disquisit.* 1. §. 3. *num.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 63. Villalob. *tract.* 11. *diff.* 16. *n.* 6. *& diff.* 17. Trullench *lib.* 7. *cap.* 14. *dub.* 7. *n.* 1.

20. Inde Judex tenetur restituere id, quod accipit, ut justam Sententiam ferat, quando habet justum stipendium sibi constitutum, nisi forte gratis & omnino liberaliter detur post prolatam Sententiam: tenetur etiam Testis restituere, quod accepit, ut verum testimonium diceret; licet enim non semper teneatur ex justitia testificari, tamen si testificari velit, tenetur ex justitia dicere veritatem; si tamen testimonium illud esset sibi damnosum, posset aliquid exigere pro damno vel periculo, quod metuitur; vel si labor aut sumptus sit illi subministrandus: similiter qui debet ex justitia centum,

si ac-

si accipit decem, ut ea solvat, tenetur hæc decem restituere, quia nullo titulo sibi debentur, & solveret solum nonaginta; at qui rem alienam invenit, non potest pro ea reddenda, pretium accipere, cum domino debita sit ex justitia, nisi forte sumptus aliquos fecerit in ea invenienda, & conservanda; nam hujusmodi sumptuum compensationem potest prætendere, & etiam accipere, si quæ sibi gratis, & liberaliter donentur.

21. *An vero pro opere debito ex justitia possit aliquid accipi absque onere restitutionis; non quidem ab illo, cui est debitum ex justitia, sed ab alio tertio, cui non est debitum?* Multi affirmant, nam accipiens pretium nihil ex justitia debet illi extraneo; ergo ut opus faciat in gratiam ipsius extranei, aliquod pretium reportare poterit. Sic cum Lugo, Soto, Vasquio, & Tambur. tenet Ant. a Spiritu S. *tr.10. disp.8. n.335.* Prado, Mendus, Villalob. Dicastillo, & alii apud Andream a Matre Dei *n.183.* Sed oppositum longe probabilius est, quia eo ipso, quod opus sit debitum ex justitia, non est alio pretio dignum, non solum respectu illius, cui debetur, sed nec respectu alterius, cui faceret injuriam, & violaret justitiam, si ab eo pretium sumeret pro opere, quod est jam adæquate compensatum, alias mutuator posset pretium accipere supra sortem, non quidem a mutuatario, sed ab alio tertio, in cujus gratiam mutuum daret, & collator Beneficii posset pretium sumere a tertio pro Beneficio conferendo Petro, quod est ostium magnum usuris, & simoniis aperire, Sic Lessius *cap.14. dub.9. n.67.* Rodriquez *verb.* Restitutio *cap.42.* Tapia, Rebellus, Lugus, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *supra.*

22. Quæres: *An qui tenetur singulis annis dare centum ducata pro maritandis pusillis, possit illa centum applicare propria famulæ, hoc pacto, ut sibi remittat quinquaginta ei debita ex salariis decursis, & non solutis?* Casum proponit Diana *part.10. tr.13. resol.45.* & cum Carolo de Baucio concludit affirmative, quia in tali contractu nulla intervenit injustitia, cum famula vere sit egena, & habeat qualitates requisitas pro consequenda tali dote, & ipse non teneatur uni potius dare, quam alteri; ergo poterit applicare famulæ, & ab eadem reportare remissionem salarii debiti pro servitute præstita.

23. Resp. hoc fieri non posse sine peccato, & obligatione restituendi, quia in tali casu non daret centum debita ex legato, sed quinquaginta, retentis aliis sine titulo, & contra voluntatem, & dispositionem testatoris volentis, centum esse danda pro dote, & contra obligationem, quam habet exequendi voluntatem testatoris statuentis, illa centum gratis esse danda puellæ. Nec dici potest, ea retinere titulo donationis, & remissionis sibi factæ a famula; quia talis donatio, & remissio non est liberalis, & voluntaria, sed onerosa facta ex pacto præcedente, & ex metu, ne sibi dotem negaret, & alteri tribueret; tum quia posset eadem ratione pacisci cum alia puella, ut sibi donet quinquaginta, ut ipsi applicet dotem centum Ducatorum; ac proinde dicendum est, distributorem, qui ex officio tenetur gratis applicare famulæ, seu alteri puellæ dotem relictam a testatore, cum eadem pacisci non posse, ut sibi retribuat quinquaginta, & ea recipiendo tenetur restituere, ut cum aliis tenet Facundez *in præcepta Decal. tom.2. lib.8. cap.26. num.41.*

DUBIUM IV.

De Obligatione restituendi ob Damna Spiritualia.

24. UT magis in particulari videamus quid sit restituendum; nota, quatuor esse genera rerum, de quibus dubitari potest, an debeant restitui, sicut quatuor sunt genera rerum, quæ possunt auferri. Primo sunt bona animæ, sive naturalia, ut prudentia, & scientia, quæ per dementationem, aut deceptionem auferuntur; sive supernaturalia, ut gratia, & virtutes, quæ auferuntur per prava consilia, & fomenta ad peccatum. Secundo bona corporis, ut vita, & integritas, & incolumitas membrorum. Tertio bona famæ, & honoris. Quarto bona fortunæ, ut divitiæ, pecuniæ, aliæque res externæ, de quibus successive dicendum est; incipientes a spiritualibus, & supernaturalibus, utpote dignioribus, & pertinentibus ad vitam æternam consequendam.

25. Resp. 1. Qui alium læsit in bonis spiritualibus supernaturalibus, ipsum inducendo ad peccatum, si hoc fecit per vim, & fraudem, tenetur ad restitutionem, removendo vim, & fraudem, & exhortando ad pœnitentiam; si autem hoc fecit absque vi, & fraude, sola suasione, & exemplo suo, ad nihil tenetur ex justitia; bene tamen ex caritate, Ratio est, quia ubi adest vis, vel fraus, adest injuria; læditur enim jus, quod quilibet habet ad non patiendam fraudem, aut vim; e contra ubi non est vis, vel fraus, non adest injuria; sed ubi adest, vel non adest obligatio restitutionis; ergo pro bonis spiritualibus supernaturalibus facienda est restitutio, quando quis alium privavit per vim, aut fraudem ipsum inducendo ad peccatum, secus si absque vi, aut fraude inducatur suasione, & exemplo malo. Bonacina *disp.2. punct.ult. com.2* Lugus *disp.9. nu.9.* Trullench *lib.7. cap.7. dub.2.* Ant. a Spiritu S. *disp.8. n.258.* Reginal. *lib.10. nu.308.* Lessius *lib.2. c.8. dub.2.* G. Hurtad. *disp.30. de restit. diff.2.* Sanchez *lib.1. consil. cap.3. dub.1.*

26. Quod autem ad hujusmodi restitutionem non sufficiat vim, & fraudem revocare, sed insuper requiratur exhortatio ad pœnitentiam, inde patet, quia removere solum fraudem & vim, non est, quantum est ex se, restituere in statum virtutis, & gratiæ, cum inductus ad peccatum nullatenus per talem remotionem inclinetur ad resipiscendum; ergo, ut quis dicatur alterum restituere in gratiam, debet ultra remotionem fraudis & vis, adhibere hortationem, aliudve medium, quo, quantum est ex se, conetur ipsum revocare ad statum gratiæ; tum quia caussa injusta damni tenetur ad restitutionem damni illati: qui autem per vim, & fraudem alterum pertraxit ad peccatum, censetur caussa injusta damni, quod non reparatur sufficienter per solam remotionem fraudis, nisi aliquo medio utili retrahatur a peccato, ut cum aliis docet Bonacina *nu. 2.* Layman *lib.3. tract.2. cap.8.* Valentia *disp.5. quæst.6. punct.5.*

27. Addit Lugus *disp.9. n.13.* quod si ratione peccati, ad quod proximum induxisti, patiatur ille aliqua damna, debes illa restituere, ut si a Collegio, aut Religione expellatur, & ideo aliqua damna in temporalibus, aut spiritualibus patiatur, debes illa temporalia damna compensare, & spiritualia, si possis, ut redditum ad Collegium, seu Religionem procurando, quod maxime verum est, si peccatum, ad quod proximum induxisti, sit ex illis, propter quæ regulariter quis ejiciatur a Collegio, seu Religione, secus si per accidens, & ex aliorum solum malitia damnum sequatur.

28. Resp. 2. Pro bonis spiritualibus naturalibus facienda est restitutio, qua eadem bona reparentur, si reparabilia sunt: quod, si nequeant reparari, non est obligatio compensandi in alio bonorum genere, puta honoris, famæ, vel fortunæ, sed sufficit reparare damna temporalia secuta ex spirituali læsione. Inde qui alterum potione venefica, aut maleficio dementavit, tenetur ex justitia contra datam potionem adhibere remedia, & auferre maleficium, si adhuc durat, aut præbere medicinam, qua usus rationis, vel memoria reparetur, ut cum aliis tenet Lugus *disp.9. n.1.* Quod si usus rationis reparari non possit, non est pro illo præcise facienda restitutio in alio bonorum genere, quia bona superioris ordinis compensari non possunt per bona ordinis inferioris, ut infra dicemus de bonis corporalibus, puta de abscissione membri, quod compensari non potest per alia bona fortunæ, quæ sunt inferioris ordinis, est tamen facienda restitutio pro damno temporali, seu lucro cessante, quod inde sequitur, quia sic lædens fuit caussa efficax illius damni; unde si ratione, aut sensu privatus, erat Medicus, Lector, Artifex, qui per artem victum quærebat, est ei restituendum secundum æstimationem lucri cessantis, ea ratione, qua similia damna reparare tenetur, qui alterum mutilavit, læsit, aut occidit, prout infra dicemus, & tenent Lessius, Lugus, Sanchez, Trullench, & alii communiter.

29. Resp. 3. Qui alterum in errorem induxit, falsumque docuit, tenetur ex justitia ab errore, & falsitate revocare, si sit error pertinens ad fidem, vel si sit error practicus, ex quo ingens detrimentum morale sequi possit. Sic, qui in rebus ad fidem pertinentibus docet falsam doctrinam, peccat contra fidem, & contra justitiam, unde tenetur errorem illum revocare, & veritatem ostendere: peccat contra fidem, quia ista obligat directe ad non assentiendum erroribus fidei oppositis, & indirecte ad non inducendum alios in similes errores; peccat etiam contra justitiam, quia facit contra jus, quod alter habet, ne per vim, & fraudem inducatur in errorem, & peccatum. Idem dicendum, si falsum doceat in materia pertinente ad mores, ex quo ingens detrimentum morale, aut etiam temporale sequi possit; nam tenetur ad restitutionem damni secuti, tum ipsi decepto, non solum veritatem docendo, & ipsum retrahendo ab errore, sed etiam compensando damnum temporale inde secutum; tum alteri, cui damnum etiam temporale forte irrogatur ex illa falsa doctrina, & inductione mala, cum sit illorum omnium caussa, prout docent Lugus *disp. 9. num. 2.* Trullench *cap. 7. dub.2,* Ant. a Spiritu S. *num.* 257.

30. Qui alterum in errorem induxit, falsumque docuit in materia mere speculativa, & indifferenti, seu non pertinente ad fidem, nec ad bonos mores, nec necessaria, aut utili ad aliqua lucra comparanda, regulariter non peccat contra justitiam cum obligatione resti-

tuen-

tuendi; nam licet quilibet error positivus sit aliquod malum privans intellectum cognitione, quæ ipsum ornat, & perficit, est tamen parvi momenti, ut si quis Rustico persuadeat sidera esse parva, ut cum Navarro, Sanchez, & aliis docet Lugus *disp.* 9. *n.* 4. nisi forte sit Magister, qui ex officio teneatur veritatem docere, nam tunc si voluntarie plures errores docet, graviter peccaret, quia faceret gravem injuriam discipulis, secus si doctrinam probabilem docuit, quamvis minus probabilem, quam oppositam; nam eo ipso, quod est probabilis, potest esse vera, quamvis a docente talis non censeatur. Ita Lugus cum aliis *n.* 6.

D U B I U M V.

Ad quid teneatur, qui alium retraxit a Religione.

31. Circa restitutionem faciendam pro bonis spiritualibus specialiter dubitari solet; ad quid teneatur, qui alterum a Religionis ingressu retraxit, vel jam ingressum ab eadem extraxit, ad quid, inquam, teneatur, tum respectu ipsius retracti, seu extracti, tum respectu Religionis, a cujus ingressu, seu proposito ingrediendi fuit retractus, vel extractus, si jam erat Religionem ingressus, Novitius, & habitu Religionis jam indutus.

32. Resp. 1. Qui absque vi, & fraude, precibus, suasionibus, blanditiis, & consilio alium retraxit ab ingressu Religionis, vel jam ingressum extraxit, licet mortaliter peccet, si id facit absque justa, & rationabili caussa, tamen non tenetur sic retracto, seu extracto aliquid restituere, quia nullam ipsi irrogat injuriam; nam libere, & absque vi, & fraude propositum ingrediendi, aut habitum jam susceptum dimittit, ac proinde consulens, aut inducens ad nullam restitutionem tenetur. Probabiliter etiam ad nullam restitutionem tenetur respectu Religionis; quia non est contra justitiam adhibere consilium noxium Religioni, nisi illud, quod consulitur, sit contra justitiam; quod non contingit in casu præsenti, cum non sit quis ex justitia obligatus ingredi, aut non egredi ex Religione; nec Religio jus aliquod habeat in illum, qui ingredi cupit, aut in Novitium jam ingressum, nisi dependenter ab ejus voluntate, adeoque si libere, & voluntarie recedat, nulla injuria fit Religioni; qui autem ductus consilio, & suasionibus alterius recedit, libere, & voluntarie recedit, & sic nec extracto, nec Religioni aliqua fit injuria, quæ importet obligationem restitutionis. Ita Bonac. *disp.* 2. *qu.* 1. *punct. unico*, Lugus *disp.* 9. *n.* 27. Sanchez *in consil. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 2. *a n.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 3. *n.* 12. G. Hurtado *disp.* 10. *diff.* 3. Trullench *lib.* 7. *cap.* 7. *dub.* 3. Andreas a Matre Dei *cap.* 3. *n.* 38. Ant. a Spiritu S. *disp.* 8. *n.* 261.

33. Resp. 2. Qui per vim, & fraudem aliquem avertit ab ingressu in Religionem, aut jam ingressum, & Novitium ab illa extraxit, tenetur ad removendum fraudem, & vim; ad procurandum denuo ingressum retracti, vel extracti; ad resarcienda damna ex tali retractione, vel extractione secuta, non solum respectu retracti, vel extracti, sed etiam respectu Religionis, cui facit injuriam, qui fraudem, & vim adhibet, ut aliquis ex ipsa egrediatur, aut ipsam non ingrediatur. Ratio est, quia licet Religio non habeat jus supra personam nondum professam, aut supra emolumenta ad talem personam consequentia, habet tamen jus, ne alius per vim, & fraudem talis personæ ingressum, talium que emolumentorum consecutionem impediat; quare ita impediens injuriam irrogat Religioni, & tenetur ad damna resarcienda, id est tenetur Monasterio compensare quanti valebat spes illa temporalis commodi, quod ex ipsius hereditate, donatione, vel industria sperabatur.

34. Conf. qui vi, & fraude impedit aliquem a consecutione alicujus boni, puta ne alicui fiat legatum, vel ne conferatur Beneficium, vel quid simile, tenetur sine dubio ad restitutionem, non quidem in integrum, sed quantum valebat, arbitrio boni viri, spes bonum illud consequendi; nam bonum in spe minus valet, quam bonum in re, ut diximus supra *cap.* 2. *dub.* 9. ergo etiam, qui vi, & fraude aliquem retrahit ab ingressu Religionis, vel Novitium jam ingressum extrahit, tenetur ad restitutionem damni consequentis, magis, vel minus, prout major, vel minor erat spes bonum illud consequendi, considerata incertitudine, & mutabilitate Novitii; cum autem minus æstimetur illa spes, quo major est incertitudo, & contingentia; incertitudo, & contingentia sit major in bono, quod speratur a nondum Religionem ingresso, quam a Novitio jam ingresso, sequitur minus restituendum esse, ceteris paribus, pro damno, quod sequitur ex eo quod aliquis avertatur ab habitu recipiendo, quam pro illo, quod sequitur ab extractione Novitii, ut cum Lessio, Sanchez, & Trullench, docet Ant. a Spiritu S. *disp.* 2. *n.* 262. ubi bene advertit, quod si fuerit femina, quam quis vi, & fraude retraxit a Monasterio, ultra prædicta erit excommunicatus ex dispositione Concilii Trident. *sess.* 25. *cap.* 18. *de reform.*

35. Addunt nonnulli, ultra prædicta, faciendam esse restitutionem aliquam pro persona ipsa retracta, seu extracta ipsi suadendo, ut denuo intret, si res est integra, si vero res non sit integra, quia forte Matrimonium contraxit, vel si redire nolit, dicunt, retrahentem vi, & fraude, debere ipsum Religionem ingredi loco retracti, seu extracti, quod probant exemplo Sancti Raymundi, qui ob hanc caussam intravit ordinem Sancti Dominici. Sic Molina *de restit. tr.* 4. *disp.* 51. *num.* 8. Verum existimo, sic avertentem alium a Religione debere tollere vim, & fraudem, & suadere ingressum; non tamen teneri ipsum Religionem ingredi loco illius, quem retraxit, vel extraxit. Ratio est, quia bona inferioris ordinis, non sunt compensanda cum jactura bonorum superioris ordinis; libertas autem, quam amitteret Religionem ingrediens, est superioris ordinis ad bona temporalia, quibus privatur Monasterium per retractionem, seu extractionem Novitii, quæ proinde non debent compensari cum jactura libertatis. Deinde, qui alienum servum occidit, licet teneatur resarcire damna temporalia, non tamen tenetur se ipsum in servum reddere; & qui maritum occidit, non tenetur se matrimonio conjungere uxori occisi; ergo nec qui Novitium retraxit tenetur ipse Religionem ingredi. Lugus *disp.* 9. *n.* 30. Bonacina *disp.* 2. *qu.* 1. *pun. unico n.* 7. G. Hurtado *disput.* 10. *diff.* 3. Trullench *lib.* 7. *cap.* 7. *dub.* 3. Villalob. *tom.* 2. *tr.* 11. *diff.* 26. *n.* 3.

36. Quod dictum est de extrahente Novitium a Religione proportionaliter intelligi debet de extrahente Professum, adeo ut teneatur ad omnia damna, quæ utique sequuntur, si vi, & fraude illum extraxit, quia illorum omnium fuit caussa injusta, & inde tenetur tollere vim & fraudem, & extracto suadere regressum, in quo consistit principalis restitutio, ad quam tenetur: deinde tenetur Monasterio restituere damna temporalia, si quæ inde sequuntur, ut si ille docebat Theologiam, seu aliam scientiam, ex quo Religio annuos reditus capiebat, aut si arte, & labore lucrabatur, tenetur compensare damnum, si lucrum erat in communem usum vertendum, & hoc, durante vi, & fraude; nam, illa sublata, cessat obligatio, ut docet Trullench *lib.* 7. *cap.* 7. *dub.* 3. *n.* 1., ita etiam docent Lugus *disp.* 9. *n.* 40. Bonacina *disp.* 2. *qu.* 1. *pun. unico n.* 5. Sanchez *lib.* 1. *consil. c.* 3. *dub.* 2. *n.* 14. Lessius *lib.* 2. *c.* 8. *dub.* 3. *n.* 16.

37. Qui sine vi, & fraude professum extraxit non tenetur restituere Monasterio bona, quæ ille erat lucraturus, quia non agit contra justitiam; siquidem professus non tenetur ex justitia, sed ex religione, & obedientia procurare bona utilia Monasterio, nec peccat contra justitiam, si illa non procurat; ergo nec tenetur restituere, qui sine vi, & fraude professum extraxit, cum non privaverit Monasterium bono aliquo sibi debito ex justitia, ut docent Lugus, Trullench, Lessius, Bonacina, & alii communiter.

38. Dices: *Religiosus in ordine ad emolumenta temporalia ab ipso proventura æquiparatur servo.* Authent. *Ingressi* Cod. *de sacro Sanct. Eccles.*, juncta l. *Homo liber* 59. §. *fin. ff. de acquirendo rerum dominio*, & l. *Qui in servitute ff. de regul. juris; Sed qui servo suadet fugam, etiam sine vi, & fraude tenetur ad restitutionem domino faciendam; ut omnes facile admittunt; ergo etiam tenetur, qui religioso fugam suadet absque vi, & fraude.* Sed contra dico; Religiosum æquiparari servo in hoc, quod sit incapax dominii, & Monasterio acquirat quæcumque acquirit, sicut servus domino, non vero quoad alia; nam servus principaliter est in bonum, & utilitatem domini, sub cujus dominio reperitur, non sic Religiosus, qui directe, & principaliter non se tradit Monasterio in bonum, & utilitatem illius, sed in suum bonum spirituale, ut a Religione in illud dirigatur; unde non se habet, ut servus, sed ut Filius, ut habetur ex D. Basilio in regula dicente *Patres se agnoscant, non dominos*, & ex D. August. *Superiori tamquam Patri obediat*; Unde, licet, qui absque vi, & fraude servo fugam suadet, teneatur ad restitutionem damni ex tali fuga domino accidentis, non sic qui fugam suadet Religioso, sicut non tenetur Patri restituere, qui Filio suadet, ut a paterna domo recedat.

D U B I U M VI.

De Restitutione facienda propter Homicidium, & Mutilationem.

39. De homicidio, prout est peccatum, egimus in quinto Decalogi præcepto, nunc autem de illo loquimur, secundum quod importat obligationem restituendi

tuendis damna temporalia, quæ ex tali homicidio consequuntur, & licet plures in quinto præcepto loquantur etiam de homicidio, secundum quod importat obligationem restitutionis, satius tamen fuit hoc differre ad præsentem locum, ut integram de restitutione materiam simul tradamus, simulque collectam habeamus.

§. I.

Ex quonam Homicidio nascatur obligatio restituendi.

40. RESp. 1. ex solo homicidio voluntario, & mortaliter culpabili oriri obligationem restitutionis. Ratio est, quia ex supradictis *cap. 1. dub. 3. numer.* 20. nemo tenetur ad restitutionem, ob damnum absque ulla prorsus ejus culpa juridica, & theologica alteri subsecutum, quia tunc non potest teneri ex re accepta, quam non habet, nec ex injusta actione, quæ nulla datur, ubi nulla culpa committitur; sed quando homicidium non est voluntarium, & mortaliter peccaminosum, nulla culpa datur; ergo non potest ex tali homicidio nasci obligatio restitutionis, in quo omnes conveniunt.

41. Inde Judex, qui, servato juris ordine, aliquem condemnat ad mortem, non tenetur ad restitutionem damnorum, quæ inde sequuntur, quia in tali condemnatione non peccat; quod verum est, etiamsi reum condemnavit ex odio, vindicta, & mala voluntate, quia solum peccavit contra Caritatem, non contra Justitiam, & ubi non datur violatio justitiæ, non datur obligatio restitutionis. Secus si condemnet sibi subditum alias supplicio dignum, non servato juris ordine, nempe procedendo ex privata scientia, aut cognitionem criminis extorquendo per injuriam, &c. Sic enim peccat contra justitiam, & est injuste caussa damni, adeoque tenetur restituere, nisi forte superesset alia via, qua posset Judex reum legitime, & juridice damnare, quia sic injustitia non esset commissa in re ipsa, sed in modo dumtaxat, ut fusius explicabitur suo loco.

42. Ex homicidio mere casuali non oritur obligatio restitutionis, quia est involuntarium, & absque peccato; quod verum est, etiamsi daret operam rei illicitæ, & periculosæ, si adhibuit sufficientem diligentiam, ne malum aliquod inde sequeretur, ut late diximus agentes de quinto præcepto *cap.1. dub.13. n.164.* ubi etiam constat, se inebriantem, & in ebrietate committentem homicidium, non peccare, nec esse reum homicidii, & per consequens non teneri ad restitutionem, si illud non prævidit, vel, si prævidit, sufficiens remedium adhibuit, ne illud sequeretur. Idem dicendum de illo, qui veneno pomum infecit ad occidendum inimicum, quod ab alio fuit acceptum, & manducatum, vidente ipso, & non revelante, pomum esse venenatum, quia talis mors fuit omnino casualis, & præter intentionem pomum inficientis veneno, qui cum tanto onere non tenebatur alium monere de veneno, ut cum Card. de Lugo notavimus supra *cap.1. dub.5.*

43. Provocatus ad pugnam non tenetur ad restitutionem, si provocantem occidit, quia provocans ad pugnam voluntarie ad illam accedit, nullamque patitur injuriam a provocato, & provocando eo ipso intelligitur condonare provocato omne damnum, quod ab ipso pati potest, & sic cedere juri restitutionis. Similiter provocantes se invicem ad duellum non tenentur restituere, si alter alterum occidat, quia saltem tacite cedunt juri suo. Secus dicendum, si alter provocaret, alius vero acceptaret, non sponte, sed ne jacturam honoris, aut ignaviæ, & timoris incurreret notam; nam tunc si provocatus occidat provocantem ad restitutionem non tenetur, bene tamen tenetur provocans, si occidat provocatum, ut cum Sanchez, Bannez, & Villalobos tenet Andreas a Matre Dei *cap.2. punct.7. nu.96.* Ant. a Spiritu S. *disp.8. n.265.* Lessius *lib.2. cap.2. nu.133.* G. Hurtad. *disp.11. diff.17.* Trullench *lib.7. cap.8. dub.* 1. Tambur. *lib.6. c.4. §.2. nu.2.* Diana *part.5. tr.4. resol.50.*

44. Idem dicendum de eo, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit invasorem, quia non est injusta caussa damni; quod verum est, etiamsi invasus contumeliis, aliisque modis caussam dederit invasori, quia nihilominus ex jure ipso naturæ propriam vitam defendere potest: unde non tenetur ad restitutionem adulter, qui cum debito moderamine maritum adulteræ, a quo invaditur, occidit, ut constat ex dictis in quinto præcepto Decalog. *c.1. dub.6. n.50.* si autem invasus possit fugere absque dedecore, & non fugiat, sed se defendat, cum moderamine inculpatæ tutelæ, & sic invasorem occidat, communis Sententia tenet, ipsum non liberari ab onere restitutionis, quia tunc non est licita defensio cum occisione invasoris, quando invasus absque dedecore, & periculo fugere potest, prout docet Lugus *disp.* 11. *n.55.* Alii tamen satis probabiliter illum liberant ab onere restitutionis, quia nullus tenetur fugere, sed potest quilibet resistere, & occidere invasorem, si opus est, quamvis fuga non sit ignominiosa, ut notavimus *cit. cap.1. dub.6. n.52.* non negaverim, absque ullo incommodo, & periculo potentem fugere ex caritate ad id obligari, non ex justitia, ac proinde non teneri ad restitutionem. Molina *tr.3. disp.81. nu.8.* Lessius *lib. 2. cap.9. n.136.* Reginaldus *lib.10. cap.22. nu.324.* Diana *part.5. tr.4. resol.48.* Trullench *lib.7. cap.8. dub.1. nu.6.* Andreas a Matre Dei *nu.97.*

45. Si invasus graviter excedat moderamen inculpatæ tutelæ non videtur liberari ab onere restitutionis, si occidat invadentem, quia tunc mortaliter peccat, &, cum sit peccatum contra justitiam, obligationem restitutionis inducit. Ita Lugus *disp.* 11. *a nu.50. ad* 55. Trullench *nu.7.* Navar. *in man.c.15. n.27.* Sanchez *l.1. consil. c.15. n.27.* Sanchez *l.1. consil. c.4. dub.9. nu.3.* Lessius *lib.2. cap.9. dub.21.* sed alii probabiliter liberant invasum ab onere restitutionis, quamvis se defendendo excedat moderamen inculpatæ tutelæ, quia provocans eo ipso intelligitur condonare provocato omne damnum, quod ab ipso pati potest. Unde si occidatur non erit injusta occisio respectu illius, sed respectu Reipublicæ, & Dei, qui est specialis dominus vitæ. Sic Andreas a Matre Dei *cap.2. n.96.* Villalob. *tr.11. diff.29.* casu quo invasus non dederit caussam invadenti, Tambur. *lib. 6. cap. 4. §. 3. nu.15.* Diana *part.5. tr.4. resol.44.* Ant. a Spiritu S. *disp.8. nu.265.* & alii recentiores, teste Lessio.

46. Qui occidit alium, qui paullo post morte naturali erat moriturus, non tenetur ad aliquam restitutionem, quia licet occidendo peccaverit mortaliter, nullum tamen intulit damnum temporale, cum tam brevi tempore nihil fuisset lucraturus; secus dicendum de illo, qui occidit alium, qui paullo post injuste erat occidendus a latronibus, nam peccavit mortaliter contra justitiam, & præveniendo transtulit in se obligationem restituendi, quam habuissent latrones, si ipsi non præventi occidissent, ut in simili diximus supra *c.2.dub.3.n.29.*

47. Quæres: *An teneatur ad restitutionem, qui volens occidere Petrum per errorem invincibilem occidit Paulum.* Affirmat Bonacina *disp.2. de restit. quæst. ult. sect.2. punct. 2. n.8.* quia talis occisio est injusta contra Paulum, seu contra hominem, licet falso putetur esse Petrus: tum quia qui comburit domum Pauli, quam putat esse Petri, tenetur ad restitutionem: ergo etiam tenetur ad restitutionem, qui occidit Paulum, putans esse Petrum.

48. Resp. negative, quia, licet volens occidere Petrum, si occidat Paulum, quem putat esse Petrum, mortaliter peccet ex prava voluntate occidendi, non tamen occisio Pauli est illi voluntaria, nec injusta contra Paulum, seu contra hunc hominem, si omnem adhibuit diligentiam, ne occideret nisi Petrum: & sic ex tali occisione non peccat in effectu, nec contrahit obligationem restituendi, sicut non peccat, nec contrahit obligationem restituendi, si occidat Petrum, quem invincibiliter putat esse feram. Eadem ratione non peccat, nec contrahit obligationem restituendi, si comburat domum Pauli, quam invincibiliter putat esse Petri, ut diximus *in quinto præcepto c. 1. dub. 13. nu. 166. & 167.* ubi etiam diximus, non incurrere excommunicationem, si occidat Paulum Clericum, quem invincibiliter putat esse Petrum Clericum, quia talis actio exterior non solum est involuntaria, & mere casualis, prout terminatur ad Paulum, quem non intendebat occidere, sed etiam prout terminatur ad Clericum, cum non intenderet occidere quemcumque Clericum, sed talem Clericum in particulari, id est Petrum, quem non occidit, ut latius diximus *loc. cit.*

49. Quæres 2. *An tenearis restituere damnum innocenti, cui per errorem fuit imputatum homicidium a te commissum.* Resp. negative, quamvis prævideris, fore innocenti imputandum, nisi aliqua actione externa, utendo ense innocentis, vel simili, caussam dederis falsæ imputationi. Ratio est, quia per tale homicidium non fecisti actionem externam innocenti injuriosam, nec damnum ipsi sequitur ex natura talis actionis, sed solum ex malitia, aut ignorantia aliorum, qui se immiscent. Nec sufficit prævisio, aut prava intentio, quæ facit quidem, actionem esse contra caritatem, non contra justitiam, si non ponat indicia sufficientia, ut homicidium alteri imputetur, ut cum Tambur. Trullench, & aliis diximus supra *cap.1. dub.5. n.42.* ubi etiam *nu.* 48. vidimus quando restituendum sit a domino damnum illatum per servos, vel animalia.

§. II.

Quid sit Restituendum.

50. RESp. 1. Pro vita hominis occisi, aut mutilati, vel cicatrice relicta præcise, nihil omnino

nino restituendum est ab homicida, seu mutilante; bene tamen restituenda sunt damna temporalia inde consequentia. Prima pars colligitur ex illo Exod. 21. *Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo, si surrexerit, & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit, ita tamen, ut opera ejus, & impensas in Medicos restituat*, ubi cum nulla fiat mentio restitutionis faciendæ pro vita, aut vulnere ipso, seu damno naturali, signum est, pro tali damno naturali nullam esse obligationem restitutionis faciendæ. Nec obstat, quod ibidem dicitur, *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno, quantum maritus expetierit, & arbitri judicaverint*; nam ly *subjacebit damno*, non debet intelligi de compensatione damni naturalis præcise ratione injuriæ, sed de damno temporali ratione emolumenti a Patre sperati ex opere, & obsequio Filii, si natus fuisset; quod si ly *subjacebit damno* intelligendum sit de injuria, & damno naturali, dicito talem obligationem, seu subjectionem ad compensandum damnum naturale, non esse ex justitia commutativa, sed ex justitia vindicativa, & lege pœnali ibi sancita.

51. Ratio a priori est, quia justitia commutativa respicit æqualitatem rei ad rem, sed pro læsione facta in bonis corporis non potest satisfieri secundum æqualitatem rei ad rem; nam bona corporis nullo bono temporali possunt adæquari, quia ut habetur *l. liber homo, ff. ad legem Aquiliam* corpus liberum nullam recipit æstimationem; ergo non potest satisfieri ea justitia commutativa. Nota obiter, tres ordines communiter assignari bonorum temporalium. In primo, sive supremo, computantur bona corporis, ut vita, & membra: in secundo, seu medio, honor, & fama: in tertio, & infimo, divitiæ: bona autem superioris ordinis numquam compensari possunt per bona ordinis inferioris; sed vita est in ordine superiori; ergo non potest compensari per bona ordinis inferioris.

52. Dices: *Justitiam commutativam respicere æqualitatem rei ad rem, quando illa est possibilis; si autem non sit possibilis, respicere æqualitatem imperfectam: sic qui non potest solvere totam pecuniam debitam, tenetur solvere partem, si potest; ergo qui non potest restituere, seu reparare membrum abscissum, debebit, prout poterit, illud in pecunia compensare*. Sed contra; justitia semper respicit æqualitatem perfectam, saltem partialiter, & qui partem pecuniæ restituit, ponit æqualitatem non cum toto, sed cum parte debiti, & Creditor non amplius caret tota pecunia, sicut carebat antea; at qui restituit pecuniam pro membro abscisso, nec etiam partialiter reparat membrum, & mutilatus, post quamcumque compensationem bonorum fortunæ, non habet aliquid de membro suo, quo fuit privatus; ergo non potest fieri compensatio.

53. Dices 2. *Res ordinis inferioris non physice, sed moraliter possunt adæquare, & excedere res ordinis superioris, sic multum argenti superat in existimatione morali parum auri; ergo etiam bona corporis possunt moraliter adæquari per bona temporalia; & de facto egenus mallet carere digito, quam divitiis, & libenter sineret sibi digitum abscindi pro acquisitione divitiarum*. Sed contra; bona corporis dicuntur incompensabilia per bona fortunæ, quia, iis acceptis, numquam habet quis bona corporis sibi debita, puta manum, vel pedem, quem antea habebat, & habere debet, ut servetur æqualitas justitiæ commutativæ rei ad rem.

54. Nec statim inferas: *nec etiam pro equo occiso posse fieri æqualem compensationem; nam dominus equi, quidquid ab equi occisore accipiat, adhuc non habet equum, quem debebat habere*. Contra enim est, quia dominus equi, accipiendo pecuniam, si non habet equum formaliter, habet ipsum æquivalenter, quatenus per pecuniam potest alium equum similem occiso sibi emere, at mutilatus accipiens pecuniam, nec etiam æquivalenter habet suum membrum, cum nequeat tali pecunia sibi comparare membrum simile abscisso, & in hoc sensu bona corporis non possunt compensari per bona inferioris ordinis. Hanc sententiam tenent Lugus *disp. 11. num. 5.* Tambur. *lib. 6. cap. 4. §. 3. n. 5.* Trullench *lib. 7. cap. 8. dub. 2. cap. 9. dub. 23.* Bonac. *disp. 2. q. ult. sect. 2. pun. 1. nu. 10.* & alii communiter.

55. Quamvis nihil restituendum sit pro vita defuncti, secundum se præcise, nec pro cicatrice, aut deformitate ex vulnere resultante, tamen si damnum aliquod temporale sequatur, ut si femina ex cicatrice facta sit deformis, ratione cujus indigeat majori dote ad nubendum, tunc hoc augmentum debet compensari, ut docent Lugus *disp. 11. sect. 1. n. 1.* Ant. a Spiritu S. *disp. 8. n. 274.* Andreas a Matre Dei *n. 83.* Trullench *n. 5.* Si occisus non sit homo liber, sed servus, aut animal, pro vitæ, aut membri privatione, vel cicatrice tantum restituendum est, quanti æstimatur damnum, quod domino resultat ob talem occisionem, seu mutilationem. Ant. a Spiritu S. *ibid.* Trullench *n. 3.* Villalob. *diff. 27. num. 2.*

56. Universaliter compensari debent ab occisore, seu mutilante damna temporalia, quæ inde per se sequuntur, etiam in foro conscientiæ, & ante Judicis sententiam, & in primis restituendæ sunt expensæ factæ in curatione vulneris, & occisi, si statim mortuus non fuit, quia illarum est causa injusta homicida, vel mutilator, detractis tamen expensis, quas ipse sanus pro sui sustentatione fecisset: si vero mortuus est, quamvis Navarrus in *sum. cap. 15. n. 22.* dicat, restituendas esse expensas factas in funere occisi, hoc tamen ab aliis communiter negatur, quia in his non est occisus damnificatus, nec ejus heredes, cum tempore mortis naturalis illæ essent faciendæ, cum sit necessarium, & statutum omnibus semel mori: si in ea acceleratione mortis, aut quia mortuus fuit extra patriam, majores essent expensæ faciendæ, tunc restituendus esset ille excessus. Lugus *sect. 2. n. 40.* Andreas a Matre Dei *n. 94.* Bonac. *qu. ult. p. 1. n. 11.* Tamb. *lib. 6. cap. 4. §. 3. n. 4.* & aliis citatis Bossius *var. moral. par. 3. tit. 25. n. 1.*

57. Deinde debet compensari lucrum cessans, & damnum emergens, quantum scilicet occisus ex suo labore, negotiatione, officio, artificio, & industria erat consecuturus, si non fuisset occisus, aut mutilatus, attenta majori, aut minori spe lucrum illud consequendi, quia bonum in spe minus valet, quam bonum in re, detractis tamen iis, quæ ipsemet vivens consumpsisset; & si occisus habebat officium aliquod cum facultate filiis, & heredibus transmittendi, & quod transmisisset, si non fuisset tali morte præventus, debet damnum heredibus restitui, cum homicida illius fuerit vera causa, prout docent Lugus *disp. 8. n. 63.* Andreas a Matre Dei *cap. 2. pun. 7. n. 88.* Sanchez *lib. 2. consil. cap. 4. dub. 2.*

58. *An vero teneatur homicida satisfacere Deo pro anima occisi, quem non constat esse mortuum in peccato mortali, orationibus, eleemosynis, aliisque piis operibus Sacrificiis, & suffragiis*: communis Sententia negat, homicidam ad id teneri ex justitia, quia suffragia sunt bona spiritualia, quæ non sunt pretium vitæ, & cum sint bona diversi ordinis, non satisfaciunt damnis temporalibus illatis. Concedit Tamb. *lib. 6. cap. 4. §. 3. num. 29* solum quando, in aliquibus suffragiis occisus fuit defraudatus; & ponit casum, in quo Petrus jam condiderat testamentum, & in eo disponebat, ut ex reditu, quem exacturus erat ex sua pensione vitalitia, centum Missæ pro se celebrarentur, interim occisus est a Paulo; unde ex defectu census, qui ipsius morte cessavit, Missæ non sunt celebratæ, & dicit, ad eas Missas resarciendas obligari Paulum.

59 Sed quidquid sit de obligatione justitiæ, de qua non satis constat, ex consilio, & naturali æquitate tenetur occisor satisfacere Sacrificiis, suffragiis, & orationibus pro anima occisi, idque Confessarius in pœnitentiam debet imponere occisori, ut cum aliis docet Andreas a Matre Dei *pun. 6. n. 85.* dicens; *Hinc infertur quam pœnitentiam possit, & debeat Confessor homicidæ imponere; debet enim præcipere, ut Propinquis defuncti supplicem se subjiciat, veniamque ab eis deprecetur, si injuriosus fuit occisus illis: debet monere de obligatione restituendi omne damnum emergens, & lucrum cessans, juxta dicenda punctis sequenti. Insuper poterit jubere, ut pro vita ablata aliquid amplius heredibus largiatur, quia licet ad hoc non teneatur interfector ex justitia, potest in pœnitentiam delicti imponi, & quod singulis hebdomadibus per annum, si facultates suppetunt, Sacrificium pro interfecto offerat, & aliquam eleemosynam, & jejunia pro anima illius; quod per unum Litaniæ, vel coronam Virginis recitetque Altaria ad lucrandas indulgentias, quas per modum suffragii pro occiso offerat, & quod singulis diebus per totam vitam preculas aliquas offerat*. Hucusque Andreas a Matre Dei, qui citat Bannez, Sotum, Dianam, & Comitolum, monentes, ne Confessarius nimis sit mitis in pœnitentiis assignandis, ne ita faciliter putet homicida se satisfecisse, ac si esset Canis ab ipso occisus.

§. III.

Quibus, & Quantum sit restituendum.

60. RESp. homicidam teneri restituere, seu compensare lucrum cessans, & damnum emergens solum heredibus necessariis, scilicet Patri, Uxori, & Filiis, si illis damnum aliquod est causatum; & inde si occisus alimenta præbebat parentibus, Filiis, & Uxori, ea tenetur occisor restituere, cum fuerit causa injusta, ut illis ea alimenta deficerent. Ratio non est, quia heres succedat in jure defuncti, sed quia Parentes, Filii, & Uxor occisi sunt personæ adeo illi conjunctæ, ut una, & eadem persona cum illo reputentur, ut proinde Oc-

cisor

cisor Uxori, Liberis, & Parentibus damnum inferat, eosque lædat in re ipsorum propria; ex qua intima conjunctione nascitur, ut Pater teneatur Filium alere, nec possit illum a testamento, & hereditate in totum excludere: Filius similiter tenetur alere Patrem, & Maritus Uxorem, ut proinde teneatur occisor damna illis restituere, quæ ex tali occisione sequuntur. Ita tenent Sotus *lib. 4. de just. qu. 6. art. 3. ad tertium argum.* vers. *Restat autem*. Molina *de just. tr. 3. disp. 86. n. 6.* Lessius *lib. 2. c. 9. n. 155.* G. Hurtado *disp. 11. diff. 16.* Ant. a Spiritu S. *disp. 8. n. 278.* Andreas a Matre Dei *cap. 2. pun. 8. n. 103.* & cum aliis Bossius *var. moral. par. 3. tit. 25. n. 3.*

61. Homicida excusatur a restitutione, si illis non fuit notabile aliquod damnum illatum, ut si Uxor æque commode possit nubere, & occisus nullum alimentum præbebat parentibus, sed omne lucrum, quod faciebat insumebat in sui sustentationem, ita ut nihil illis proveniret, ut cum citatis Auctoribus notat Bossius, vel quia occisus non habebat filios, aut patrem, vel matrem, vel uxorem, seu non habebat heredes necessarios, quibus ex justitia teneretur alimenta præbere.

62. Heredibus extraneis, & non necessariis, etiam fratribus, & consanguineis remotioribus non tenetur occisor damna & lucra cessantia restituere, quamvis illis occisus soleret alimenta præbere. Ratio est, quia heredes extranei & non necessarii, immo etiam fratres, & alii propinqui non censentur una persona cum occiso ut proinde injustitia facta occiso censeatur facta prædictis extraneis, aut propinquis, & ideo non consurgit obligatio aliquid eis restituendi, cum non censeantur læsi in propriis bonis; nam defunctus seu occisus, si adhuc in vivis esset, non teneretur eis alimenta præstare, nec quid eis ratione sanguinis dare, vel heredes instituere, ut ponderat Bossius *n. 5.*

63. Dices: *fratres, & propinquos occisi non habere quidem jus justitiæ ad alimenta, & alia bona consequenda; habere tamen jus, ut per vim & fraudem impediantur a consecutione alimentorum & bonorum, quod quidem jus violatur per occisionem benefactoris, ac proinde debere ab occisore alimenta; & alia bona compensari, tamquam injuste & per vim impedita, ea ratione*, qua diximus supra cap. 2. dub. 9. *obligari ad restitutionem, qui per vim & fraudem alium impedit a consecutione alicujus boni seu beneficii*. Sed contra dico, per talem occisionem nullam fieri violentiam fratribus, & propinquis occisi, quia nec sunt una persona cum occiso, nec directe per se & immediate illos impediri a consecutione alimentorum, quæ liberaliter sibi tribuebantur, sed tantum per accidens & remote, unde non oritur obligatio restituendi. Nec valet eadem ratio de impediente alium per vim, & fraudem a consecutione beneficii; nam iste censetur caussa per se & immediata damnificans proximum, & impediens a consecutione boni sperati, cum assumat medium directe & per se inductivum mali, quod non sequitur per occisionem benefactoris; nam occisor solum indirecte, remote & per accidens censetur caussa damni consequentis: quando autem damnum per accidens solum & remote sequitur ex aliqua actione, hæc non censetur caussa nec physica nec moralis talis damni, quod proinde non est ex obligatione restituendum.

64. Quod quidem verum est, etiamsi damnum propinquis consequendum fuerit aut non fuerit ab occisore prævisum, quia quando actio de se & ex natura sua non est injuriosa, nec contra justitiam, nec inductiva obligationis restituendi, talis non evadit ex sola pravisione operantis, qui peccabit contra Caritatem, non contra Justitiam, ut diximus supra *cap. 1. dub. 5.* At qui occidit aliquem prævidens damnum propinquis consequendum non facit actionem externam propinquis injuriosam, ex qua immediate & per se sequatur damnum, sed remote tantum & per accidens; sed quando damnum per accidens & remote sequitur ex aliqua actione, illa non censetur caussa physica nec moralis talis damni, nec per consequens inducit obligationem restituendi, ut diximus supra *cap. 1. dub. 5.*

65. Inde fratres, propinqui, & heredes extranei seu non necessarii succedunt tantum in juribus, quæ defunctus occisus ante mortem acquisivit & habebat, ut sunt expensæ in eo curando, si statim mortuus non est, & alia similia damna, ante ejus mortem forte ipsi secuta, & ad quæ jus habebat defunctus ante mortem; nam ista quibuscumque heredibus, sive necessariis sive extraneis ab homicida sunt restituenda; siquidem heres succedit in omnia jura defuncti, non vero alia damna, quæ sequuntur post mortem occisi, ad quæ numquam ille jus habuit, ut bene ponderat Bossius *n. 6.*

66. Quod si ante mortem occisus injuriam remittit & condonat, non proinde liberatur occidens ab obligatione restituendi, quia censetur remittere injuriam solum pro foro animæ, quam remissionem communiter Confessarii petere solent a vulnerato, intra terminos Caritatis, & quoad non habendum odium, prout requiritur ad hoc, ut sacramentaliter absolvatur; vel etiam intelligitur remittere injuriam, quoad forum externum, quoad actionem criminalem tantum, non vero censetur remittere remissionem damni & expensarum, nisi id clare exprimat & expresse, ac in specie condonet, prout docent Bonac. *disp. 2. qu. ult. sect. 2. pun. 1. in fine*, Lugus *disp. 11. n. 60.* Sanchez, Dicastill. Covar. quos sequitur Andreas a Matre Dei *cap. 2. n. 112.*

67. Obligatio, quam habet homicida seu mutilator restituendi damna temporalia, transit ad heredes, qui tenentur dicta damna restituere, illo ante mortem non restituente; nam heres tenetur ad omnia debita, ad quæ ex justitia testator tenebatur, dummodo bona libera reliquerit, quæ non sint confiscata, alias non tenetur. Nec obstat, quod in *l. ex judiciorum 20. ff. de accus.* dicatur, pœnam pecuniariam, quæ descendit a delicto, non transire ad heredes, *lite non contestata*, quia intelligitur de pœna, qua reus puniendus erat per sententiam, vel saltem loquitur de foro externo, ut communiter loqui solet, ut tenet Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 19. n. 127.* Ad petitionem veniæ, & ad restitutionem famæ heredes non tenentur, quia hoc est debitum personale, quod non transit ad heredes, ut cum Salon. & Trullench, tenet Ant. a Spiritu S. n. 283.

68. Quæres 1. *An teneatur homicida restituere aliquid creditoribus occisi, qui per talem occisionem perdunt suum creditum*. Resp. negative, etiamsi homicida praeviderit tale damnum creditoribus sequendum. Ratio est, quia malum, quod per accidens & remote sequitur ex aliqua actione, non inducit obligationem restitutionis, etiamsi fuerit prævisum, quia actio externa nec physice, nec moraliter est caussa illius damni; sed damnum creditorum per accidens & remote sequitur ex tali occisione; ergo non est ab homicida necessario restituendum; secus non solum creditoribus, & propinquis, sed etiam pauperibus, quibus occisus eleemosynam facere solebat, teneretur restituere, cum & illis per occisionem benefactoris malum obveniat. Nec obstat, damnum fuisse prævisum, aut etiam positive intentum, quia depravata intentio facit, actionem esse contra Caritatem, non contra Justitiam, ut diximus supra *n. 64.* Idem dicendum de eo, qui voverat dare aliquid Loco Pio, etiamsi ea intentione occideret, ne voto satisfaceret, ut cum Trullench *lib. 7. cap. 8. dub. 4. n. 6.* docet Ant. a Spiritu S. *disp. 8.* n. 280. Tamb. *lib. 6 cap. 4. §. 3. n. 12.* Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 2. n. 151.* Diana *par. 3. tr. 4. resol. 57.*

69. Quæres 2. *An, si homicida morte plectatur, adhuc teneantur ejus heredes illata damna restituere*. Resp. affirmative. Ratio est, quia homicida patitur mortem ob damnum illatum Reipublicæ, quam etiam per homicidium offendit, non vero sua morte satisfacit damnis illatis occiso; satisfacit justitiæ punitivæ, non commutativæ; patitur pœnam Legis, sed damnum alteri factum non compensat. Ita P. Navar. *de restit. lib. 4. cap. 1. n. 97.* Molina *disp. 84. n. 9.* G. Hurtado *disp. 11. diff. 17.* Bonacina *pun. 1. n. 14.* Lugus *disp. 21. n. 48.* Tambur. *nu. 13.* Sanchez *in consil. lib. 1. cap. 4. dub. 6. nu. 2.* Alii distinguentes asserunt, non teneri restituere, si heredes occisi id non petant, sed sola morte occisoris contenti sint, ut videtur usu receptum, maxime quando homicida morte plectitur ad instantiam partis; nam sic videtur injuria illata sufficienter compensata, secus si ultra mortem postulent prædicta damna. Sic Lessius *c. 9. dub. 22. n. 139.* Trullench *lib. 7. cap. 8. dub. 3. n. 8.* Ant. a Spiritu S. *n. 281.* & alios referens Andreas a Matre Dei *cap. 2. pun. 7. nu. 95.* Diana *part. 5. tr. 4. resol. 60.*

70. Pro æstimanda quantitate restitutionis, seu compensationis faciendæ ab homicida, seu illius heredibus pro damnis illatis, interesse & lucro cessante, cum computandum sit tempus, quo occisus esset victurus, aliqui recurrunt ad dispositionem Juris civilis, quæ habetur in *l. hereditatum ff. ad leg. Falcidiam*, secundum quam homo censetur vivere usque ad annum sexagesimum, adeo ut quantum occisus in tota vita usque ad 60. ætatis annum potuisset lucrari sit heredibus restituendum, ita ut si occisus sit 30. annorum, computetur adhuc victurus 30. si fuerit 40. annorum computetur victurus 20. semper diminuendo usque ad 60. Verum Lex illa loquitur tantum de alimentis alicui ad vitam legatis, ut inde deducatur Falcidia, & non est extendenda ad alios casus. Melius ergo computum faciendum est arbitrio boni & prudentis viri, attenta qualitate, ætate, complexione, valetudine, & aliis circumstantiis, ob quas magis vel minus victurus judicaretur; alias qui occideret hominem annorum 59. non teneretur nisi uno anno ad interesse, & lucrum cessans pro illo anno, & si quis interficeret hominem annorum 60. ad nihil teneretur, cum tamen possit esse validus & robustus ad laborandum. Lugus *disp. 12. num. 45.* Lessius *dub. 24. numer. 129.* Bossius *tit. 25. numer. 14.*

& alios referens Andreas a Matre Dei *cap. 2. punct. 7. num. 91.*

71. Advertunt tamen Doctores, in computatione lucri probabilis futuri detrahenda esse illa, quæ occisus, si viveret, consumpsisset pro suo victu & vestitu & in aliis expensis pro lucro ipso faciendo; ita ut illud solum restituendum sit ab homicida, quod superest, deductis expensis: attento etiam quod lucrum in spe minoris æstimatur, quam lucrum in re, quia operis, lucra, & commoda defuncti consideranda sunt cum suis periculis, impedimentis, occupationibus, & aliis infortuniis, ut diximus, ad arbitrium prudentis viri, ut cum Lessio, Vasquez, Filliucio, & aliis notat Bossius *n. 14.*

72. Addunt alii, detrahendam esse existimationem laboris & molestiæ, quam erat vulneratus subiturus, & sic minus debere solvere percussorem, dum percussus quiescit, ac dum laborat, ut cum aliis tenet Diana *par. 3. tr. 6. resol. 53. & par. 5. tr. 4. resol. 53.* quam opinionem temperat Lessius *lib. 2. cap. 9. n. 126.* dicens, esse verum, si tantum detrahatur ex lucro, quantum ille artifex libenter pro laboris redemptione fuisset daturus. Verum hæc sententia non est admittenda, quia si æstimatio laboris esset detrahenda, nihil vel fere nihil restituendum foret, cum sæpe lucrum sit juxta laborem; maxime in artificibus parum industriæ habentibus, ubi si extrahas, quod consumpturi erant, & pretium laboris, nihil aut fere nihil esset restituendum, tum quia quantum commoditatis ex otio consequitur vulneratus, tantumdem, & plus incommoditatis illi accrescit ex ægritudine & imbecillitate virium. Ita Sotus *lib. 4. de Just. qu. 6. art. 3. vers. Hoc autem,* Sanchez *lib. 1. consil. cap. 4. dub. 2.* G. Hurtadus *disp. 11. diff. 15.* Trullench *lib. 7. cap. 8. dub. 3.* Lugus *disp. 11. n. 33.* & cum aliis Andreas a Matre Dei *n. 90.*

73. Hinc patet, ceteris paribus, majorem esse faciendam restitutionem pro vita ignobilis artificis, quam pro vita nobilis Equitis; ignobilis enim artifex plus arte sua lucratur, quam nobilis Eques nullam artem, nullam mercaturam exercens, & ut plurimum commodo potius incumbens, quam lucro: *ceteris,* inquam, *paribus*; sæpe enim contingit nobilem etiam personam, prudentia, scientia, & benevolentia Principum v. g. maxime fuisse lucraturam, & ex ipsius vita longe majorem lucri spem rationabiliter haberi posse, quam ex vita celebris artificis.

DUBIUM VII.

De Restitutione facienda propter Stuprum.

74. DE Stupro, prout est species luxuriæ, plura diximus in sexto præcepto Decalogi *dub. 5.* ubi etiam nonnulla notavimus de obligatione, quam affert restituendi damnum illatum: in præsenti illud solum consideramus, prout opponitur justitiæ, & secundum obligationem restituendi; & quia Stuprum contingere potest cum promissione Matrimonii, & sine tali promissione, videndum est in utroque casu ad quid teneatur deflorator; ideo sit

§. I.

Ad quid teneatur Deflorator Virginis sine promissione Matrimonii.

75. RESP. Qui defloravit Virginem consentientem absque vi & dolo, & absque promissione Matrimonii, non teneri in foro conscientiæ aliquid restituere; non quidem ipsi Virgini, quia volenti & consentienti nulla fit injuria, non Parentibus aut Tutoribus, sub quorum custodia reperitur, quia puella habet liberum usum sui corporis, eaque consentiente, nulli fit injuria. Vide ibidem dicta. Nisi puella occulte consenserit, & deflorator crimen propalaverit, nam tunc tenetur ad restitutionem damni, si quod inde sequatur, cum sit illius causa injusta, ut tenet Lugus *disp. 12. num. 6.* Tamb. *lib. 7. cap. 5. §. 3. n. 6.* Andreas a Matre Dei *cap. 3. pun. 1. §. 1. nu. 7.* Congruum tamen est, si deflorator sit valde dives, & puella pauper, ut illi partem dotis conferat, quamvis non promiserit, quia videtur consentire sub spe partem dotis consequendi, & Confessarius poterit in pœnam hoc illi imponere, ut habet Andreas a Matre Dei, dicens; *In quocumque tamen eventu debet Confessarius aliquam pœnam pecuniariam violatoribus divitibus imponere, Virgini defloratæ solvendam.*

76. Dixi; in foro conscientiæ, nam in foro externo cogitur eam dotare, juxta Caput I. *de Adulteriis & Stupro,* quod est desumptum ex cap. 10. Exod. *Si seduxerit quis Virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam in Uxorem; si vero Pater Virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam Virgines accipere consueverunt*; hanc tamen pœnam ante Sententiam Judicis subire non tenetur, qui absque vi & fraude Virginem sponte consentientem defloravit.

77. Si autem vi, metu, aut fraude Virginem defloravit, tenetur sine dubio damnum reparare, etiam ante Judicis sententiam, vel eam ducendo, vel dando pecuniam & dotem, qua possit æque bene nubere ac si non esset deflorata; quia cum injuste eam violaverit, tenetur damna omnia ex ea injustitia secuta reparare, vel matrimonio, vel damni æstimatione, ad quam tenetur, etiamsi Virgo deflorantis nuptias respuat, cum non debeat cogi Matrimonium contrahere contra propriam voluntatem. Lessius *lib. 2. cap. 10. dub. 2. nu. 12.* G. Hurtadus *disp. 11. diff. 19.* Lugus *disp. 12. n. 12.* Andreas a Matre Dei *cap. 3. n. 10.*

78. Si femina violenter cognita affirmet, se esse Virginem, & id deflorator neget, adhuc tenetur damnum restituere, quia possessio stat pro Virginitate, quæ est prior ejus amissione, & delictum non præsumitur, nisi probetur, ut tenet Andreas a Matre Dei *num. 11.* & Sylvester *Verb. Luxuria num. 5.* Qui cognoscit feminam, quæ reputatur Virgo, cum talis non sit, ad nihil tenetur, si crimen remanet occultum, quia propter copulam tunc nullum damnum passa est, secus si per culpam vim inferentis sit manifestata violatio, ut proinde non possit ita commode nubere, tunc debet restituere quantum damnum illud æstimatur. Lugus *n. 15.* Tamb. *lib. 7. cap. 5. §. 3. numer. 32.* Andreas a Matre Dei *num. 7. & 11.* qui idem dicendum putat de Viduæ honestæ famæ, qui enim vi aut fraude eam cognoscit, tenetur injuriam reparare, eamque ducere vel dotare si inde remaneret infamata, ita quod non posset æque bene nubere.

79. Quod si virgo, aut alia femina violata, nullum inde detrimentum sit passa, eo quod copula, & defloratio cum esset occulta, æquales nuptias est consecuta, ac si non esset deflorata; aut si voluntarie & libere habitum Religionis assumat, in eaque profiteatur, vel si mortua est, deflorator tunc nihil restituere tenetur, cum damnum nullum sit secutum. Lessius *n. 15.* Tambur. *n. 2.* Lugus *n. 16. & 17.* Andreas a Matre Dei *n. 12.* qui advertunt, quod si postea, cognito vitio a marito, male tractetur vel dimittatur, tenetur deflorator ad talia damna compensanda arbitrio prudentum; hoc tamen raro aut fere numquam contingit, nam rixæ & damna male tractationis, juxta communem sententiam, non sunt pecunia compensabilia, sicut nec reparabile est damnum ipsum corporale deflorationis seu amissionis virginitatis, sicut de vita, membro, vel cicatrice diximus supra *n. 44.* & tenent G. Hurtado *disp. 11. diff. 19.* Trullench *lib. 7. cap. 9. dub. 1.* Villalob. *tr. 11. diff. 20. n. 14.*

80. Si deflorator osculis, amplexibus, & tactibus impudicis per vim adeptis, Virginem trahat ad consensum, tenetur reparare damnum, quamvis ipsa postea libere consentiat, quia per illam violentiam antecedentem injuste consensum extorsit, illique violentiam intulit, & sic tenetur reparare damnum, quod sequitur. Trullench *dub. 2.* Villalob. *diff. 30. num. 12.* Andreas a Matre Dei *cap. 3. nu. 16.* Idem valet, quando Virgo consensit rogatui & nolenti ab ea alter recedere, ut vitet suspicionem stupri & notam infamiæ, quam incurreret, si reperiatur solus in loco suspecto, a quo alter non vult recedere, quia vere injuste consensum extorsit, quem illa præstitit ex metu incurrendi notam infamiæ & stupri suspicionem, Rebell. Dicastill. quos sequitur Andreas a Matre Dei *n. 16.* secus si solum blanditiis, muneribus, & precibus importunis consensum extorqueat, quia illa non tollunt voluntarium nec libertatem requisitam ad resistendum, si velit. Lessius *cap. 10. dub. 2. num. 14.* Gasp. Hurtado *supra,* Trullench *supra dub. 2.* Lugus *disp. 12. n. 4.* Diana *par. 3. tr. 16. resol. 50.* Andreas a Matre Dei *n. 14.*

§. II.

Ad quid teneatur, qui Virginem defloravit cum promissione Matrimonii.

81. RESP. Qui sub promissione Matrimonii Virginem defloravit tenetur illam ducere, etiamsi ficte promiserit, nisi legitima accedat excusatio. Ratio est, quia, si vere & sincere promisit, tenetur eam ducere vi promissionis; nam promissio acceptata obligat in conscientia, & ex justitia; si autem promissio sit ficta, adhuc tenetur illam ducere vi contractus, nec satisfacit eam dotando aut damnum resarciendo, quia talis promissio facta fuit per modum contractus onerosi *do, ut des, facio, ut facias, promitto tibi Matrimonium, ut facias copiam tui corporis*; cum autem mulier ex parte sua contractum impleverit, tenetur etiam deflorator illum im-

implere, & eam ducere, ut diximus *in sexto præcepto dub. 5. n. 36.* & late *tr. 10. de Matrim. cap. 1. de Sponsalibus a n. 12.* & tenent Lessius *l. 2. cap. 10. dub. 3. a. 20.* Lugus *disp. 12. sect. 2. n. 19.* Tamb. *l. 7. cap. 5. §. 3. num. 34.* Andreas a Matre Dei *cap. 3. §. 2. n. 17.* Trullench *lib. 7. cap. 9. dub. 3.* Diana *par. 5. tr. 14. resol. 32.*

82. Nec obstat, defloratorem vere matrimonium non promisisse, sed ficte; nam, cum ex justitia teneretur vere & sincere promittere, eodem modo tenetur & obligatur, ac si vere promisisset; siquidem ea fictione violavit justitiam commutativam, unde non potest liberari, nisi, ut dixi, legitima accedat excusatio, ut si mulier postea fuerit cum alio fornicata, vel aliud quid committat dignum separatione, & divortio, nam tunc liberatur a promissione deflorator, nec tenetur eam ducere; quæ enim ad divortium, & separationem sufficiunt post contractum matrimonium, sufficiunt ad excusandum sponsum ne matrimonium contrahat, quo casu nec etiam tenetur aliquid restituere. Lugus *supra n. 19.* Tambur. *num. 38. & 39.* Trullench *dub. 3. nu. 7.* Lessius *cap. 10. dub. 3. num. 28.*

83. Qui sub ficta promissione matrimonii Virginem defloravit, seu Viduam, & feminam honestam carnaliter cognovit, tenetur eam ducere, quando femina est æqualis, vel non valde inferioris conditionis; si enim femina sit notabiliter dispar nobilitate, & divitiis, & potentia, eamque inæqualitatem cognovit, non tenetur illam ducere, quia femina cognoscendo illam inæqualitatem non fuit decepta, sed potius decipi voluit, quia ea illa inæqualitate poterat cognoscere, promissionem sibi factam non esse veram, sed fictam, ut late diximus *tr. 10. de matr. cap. 1. de sponsalibus a. 14.* & ita tenent Lugus *disp. 12. n. 30.* Reginal. *lib. 10. cap. 22. num. 332.* Villalob. *tom. 1. tr. 12. diff. 3.* Trullench *lib. 7. cap. 9. dub. 3.* Tambur. *lib. 7. cap. 5. §. 3. a. 45.* & late Bossius *de contract. matr. cap. 2. n. 63.*

84. Si autem femina ignorabat inæqualem conditionem viri, vel ex signis, & efficacia verborum prudenter existimavit, illum non ficte, sed vere, & absque dolo promittere, maxime quia plures homines feminas infimæ notæ inæqualisque conditionis nonnumquam in matrimonium ducunt; tunc plures asserunt, violatorem teneri eam ducere, quia ignorando conditionem & disparitatem non potest cognoscere fictionem promissionis, sicut illam cognoscere potest, qui talem inæqualitatem cognoscit. Ita Vasquez *de restit. cap. 3. §. 1. n. 21.* & alii a nobis relati *cit. tract. 10. de matrim. cap. 1. n. 15.* ubi tamen diximus, probabilius esse non teneri; non enim tenetur ratione promissionis, quæ fuit ficta, nec ratione damni illati feminæ, quia potest aliunde compensari dotando, seu augendo dotem, ut possit æque bene nubere; ut cum Sanchez, Bonacina, & aliis *ibid. diximus.*

85. Si autem promissio fuit vera, sincera, & ex animo facta, tunc promittens tenetur feminam etiam inferioris conditionis ducere propter rationem *ibid.* allatam, nisi ex tali matrimonio sic contracto timeantur scandala, & gravia damna, ut rixæ inter parentes, & consanguineos contrahentium, quia hæc sunt sufficiens caussa dissolvendi sponsalia, ut docet Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 10.* & tradunt communiter Doctores, agentes de caussis sufficientibus ad dissolvenda sponsalia, & sic non tenetur eam ducere, sed dotare, aut providere de nuptiis competentibus, tum quia non potest obligari ad id, quod non potest exequi sine peccato; matrimonium autem in tali casu non potest fieri sine peccato, ut cum Sanchez tenet Dicastil. *disp. 1. dub. 10. num. 161.*

86. Excusatur etiam ficte promittens a matrimonio, si mulier finxit se Virginem, aut divitem, cum talis non esset, quia illa fictio esset caussa sufficiens dissolvendi sponsalia, si essent valida; nec tenetur aliquid solvere, aut compensare, si femina virum decepit, fingendo se Virginem, quia in injuriis datur compensatio, & deceptio deceptione eliditur, ut cum Ledesma, Henriquez, Gutterez, Sanchez, & aliis tenet Bossius *loc. cit. n. 62.* Si vero femina non decepit, sed vir putabat, esse Virginem, quæ revera non erat Virgo, censeo aliquid dandum, non quantum si fuisset virgo, sed arbitrio boni viri, attenta qualitate personæ, & circumstantiarum, ut cum Lugo diximus *de matrim. cit. cap. 1. n. 29.* Addit Bossius ficte promittentem non liberari ab obligatione contrahendi matrimonium, si femina, a qua sub promissione matrimonii copulam extorsit, virgo communiter putabatur, nec virum decepit, sed ipse se decepit; nam mulier communiter virgo reputabatur, nec tenebatur turpitudinem suam detegere, seque infamare; unde etiam nullum notabile damnum patitur vir, si res recte consideretur; etenim peccatum illud præcedens occultissimum fuit, ex eo quod communiter virgo reputaretur.

87. Si post feminam violatam sub promissione matrimonii superveniat affinitas, aut aliud impedimentum dirimens, non tenetur violator eam ducere, & quidem si hoc impedimentum sit indispensabile, aut difficilis dispensationis, adeo ut non nisi cum magnis sumptibus obtineri possit, attenta qualitate personarum; vel si hoc impedimentum superveniat ex parte feminæ, omnes facile admittunt, violatorem non teneri violatam feminam ducere, quia eo ipso, quod illa apposuit impedimentum, sibi imputare debet, si violator matrimonium non contrahat, cum amplius non teneatur, sicut nec tenetur, quamvis ipsa velit dispensationem obtinere, quia apponendo impedimentum dirimens cessit juri suo, unde violator liberatur ab obligatione eam ducendi. Si autem impedimentum se teneat ex parte viri, & sit facilis dispensationis, tunc probabilius est, ipsum teneri ad impetrandam dispensationem, & feminam ducere, quia tenetur ponere media, saltem ordinaria, ut possit promissionem adimplere, ut tenet Tambur. *l. 7. cap. 5. §. 3. n. 39.* solumque liberatur, si tale impedimentum sit indispensabile, aut difficilis dispensationis, nam ad impossibile nemo tenetur, ut diximus *tr. 10. de matr. cap. 2. de sponsal. dub. 9. a. 71.*

88. Qui post Virginem violatam, idem valet de femina honesta, sub promissione matrimonii, votum castitatis, aut Religionis emisit, adhuc tenetur illam ducere, quia votum illud non est validum, cum non sit de meliori bono, sed de re illicita, quæ & similia explicavimus *cit. cap. 2.* de sponsalib. dub. 3. ubi etiam vidimus, *an teneatur violatam feminam ducere, si votum castitatis, aut Religionis præcessit violationem, & promissionem.*

89. Quod si fictus promissor voluit violatam ducere, sed ipsa, aut ejus parentes noluerunt consentire, tunc liber manet ab obligatione, nec damnum aliquod tenetur resarcire, quia vir matrimonium promisit, non aliud: Idem valet etiamsi promissio fuerit vera, & sincere facta propter eamdem rationem Lugus *disp. 12. n. 29.* Lessius *l. 2. cap. 10. dub. 3. a. 27.* Trullench *l. 7. cap. 6. n. 6.* Andreas a Matre Dei *cap. 3. n. 17.* Tamb. *l. 7. cap. 5. §. 3. n. 48.* bene advertens, teneri quidem aliter damnum reparare, quando ipse se finxit notabiliter melioris conditionis, quam fuerit mulier, nam tunc fraude illam violavit, ac proinde tenetur restituere alio modo, etiamsi ipsa conjugium non acceptet, prout etiam tenent alii Doctores.

DUBIUM VIII.

De Obligatione restituendi ratione Adulterii.

90. ADulterium, cum sit alieni tori violatio, ultra malitiam contra castitatem, includit etiam malitiam contra justitiam necessario in Confessione explicandam, etiamsi Maritus adulterio consentiat, vel ad illud uxorem inducat, & hoc propter injuriam, quæ irrogatur Sacramento Matrimonii, & fidei conjugali, cui maritus cedere non potest, & oppositum damnatur ab Innocentio XI. proscribente illam propositionem, quæ est in ordine 50. *copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.* Et tripliciter contingere potest; primo quando conjugatus peccat cum soluta; secundo quando solutus peccat carnaliter cum conjugata; tertio quando conjugatus peccat cum conjugata, ut diximus *in sexto præcepto Decalogi dub. 3.*

91. Ex adulterio primo modo sumpto nulla oritur obligatio restitutionis cum nullum ex illa sequatur damnum, nisi adsit defloratio Virginis, de qua diximus *dub. 4. præc.* ea adulterio secundo, & tertio modo sumpto nasci potest obligatio restituendi, si damnum aliquod sequatur; & quidem titulo solius adulterii, si nulla proles nascatur, nec sequatur aliquod damnum, restitutio nulla facienda est; siquidem injuria facta marito non compensatur restitutione, sed satisfactione exhibenda per signa doloris, & veniæ petitionem, si adulterium sit notum marito; si enim sit ignotum, nec satisfactio illi exhibenda est ab adultero, aut adultera, nec videtur exhibenda satisfactio, quamvis adulterium sit notum marito, nisi illam expresse postulet, quia non putatur, Virum talem cupere satisfactionem, quin potius pudore & verecundia afficeretur, ut tradunt Lugus *disp. 13. n. 6. sect. 1.* Lessius *l. 2. cap. 10. dub. 5.* Trullench *l. 7. cap. 9. dub. 7.* G. Hurtado *disp. 11. diff. 20.* Tamb. *l. 7. cap. 3. §. 4. n. 1.* Dicast. Villalob. & alii, quos sequitur Andreas a Matre Dei *cap. 3. n. 27.*

92. Quod si maritus satisfactionem exigat pecuniariam, non tenetur adulter eam solvere & dare, quia damnum non intulit in pecunia, aut alia re pretio æstimabili, maxime quia talia conventio in Jure reprobatur, ne maritus videatur suæ uxori lenocinium facere, *l. Transigere 18. C. de transactionibus,* & *l. Miles 11. ff. ad*

legem Juliam de adulter. Si tamen occulte marito pecunia daretur, potest illam recipere & retinere, secluso scandalo, quia leges illæ solam respiciunt forum externum, ut tradunt Lessius, Trullench, Tamb. & alii, ex citatis.

§. I.

Ad quid teneatur Adulter ratione Adulterii.

93. RESP. 1. si ex adulterio partus sequatur, non tenetur adulter ad ullam restitutionem, nisi sibi moraliter certum sit esse suam prolem; si enim dubium sit, an sit sua vel mariti, præsumendum est Filium esse mariti, quia præsumptio stat pro matrimonio in favorem prolis, & sic non tenetur aliquid restituere juxta regulam Juris in 6. *in dubio melior est conditio possidentis*, nec quis cogitur solvere, nisi constet se debere, nec filius jure legitimitatis privari debet, nisi constet esse spurium. Lugus *disp. 13. n. 17.* G. Hurtado *disp. 11. diff. 20.* Trulleoch *lib. 7. cap. 9. dub. 7. n. 5.* Villalob. Sayrus, Lessius, Palaus, & alii, quos affert & sequitur Andreas a Matre Dei *cap. 3. pun. 2. n. 30.* ita concludens: *Unde si eo tempore, quo adultera concepit, Maritus cum ea habitabat, non tenetur adulter credere esse suam prolem, etiamsi in vultu imaginem referre videatur, quia hæc sunt signa fallacia, vel etiamsi mulier juret esse adulteri, vel aliæ tantum probabiles de hoc conjecturæ dentur. Semper enim a legibus & Doctoribus præsumitur esse mariti, & possessio stat pro matrimonio, cujus favor prævalet, nisi certo constet de opposito, quia nimirum tunc temporis vir non habitavit cum uxore, quando concepta est proles, aut ita ægrotus erat, ut ineptus esset ad usum matrimonii l. Filium ff. de his qui sunt sui &c. si vicinis Cod. de nuptiis, l. Miles §. defuncta ff. de adulteriis*; Idemque late probat Bossius *var. moral. part. 1. tit. 1. n. 1396.*

94. Quod si dubium sit inter duos adulteros, quia maritus tempore conceptionis longe aberat, & mulier eodem tempore cum duobus conversabatur: Idem quæri potest de duobus eodem tempore congressum habentibus cum muliere soluta, & dubitatur cujus illorum sit nata proles, & per consequens quinam illorum teneatur alimenta præstare & damna restituere. Prima Sententia satis communis & pia tenet, utrumque teneri pro rata & qualitate dubii ad præstanda alimenta proli, & si proles marito supponatur, ad restituenda damna marito, & filiis legitimis. Ratio est, quia iniquum videtur in isto casu, puerum privari alimentis, & subsidio Patris, cum jure naturæ debeat a patre sustentari; & quamvis ignoretur quinam illorum determinate sit pater, certum tamen est, esse illorum filium, ac proinde debet ab utroque pro qualitate dubii partialiter sustentari, quin etiam ab uno totaliter sustentari debet, altero non potente seu nolente concurrere. Conf. quia quando dubium est, cujus ex duobus res aliqua sit, si nemo sit in possessione, debet inter utrumque dividi, nec possunt tali re privari; sic etiam debitum alendi prolem dividendum est inter duos, quando neuter illorum noscitur esse pater. Sic tenent Molina *tom. 4. disp. 103. num. 3.* Bonac. *de matrim. pun. 15. num. 10.* Rebell. *lib. 3. qu. 10. nu. 11.* Palaus *tom. 1. tr. 1. disp. 3. pun. 5. nu. 15.* Dicastill. *lib. 2. tr. 2. disp. 7. dub. 11. num. 161.* Diana *part. 4. tract. 3. resol. 31.* Azor. *tom. 1. lib. 2. cap. 19. qu. 8. & tom. 3. lib. 5. cap. 6. qu. 8.* Villalob. *tom. 1. tr. 1. diff. 20. nu. 12.* Anton. a Spiritu S. *disp. 8. n. 305.*

95. Secunda Sententia, quæ non est minus probabilis, & forte probabilior, asserit, neutrum teneri ad alimenta proli præstanda, neque ad damna restituenda, sed utrumque manere liberum ab obligatione. Ratio est, quia nullus privandus est rebus suis juste possessis, nec cogendus solvere, quando certo non constat ipsum debere, nam in dubio melior est conditio possidentis; sed in casu posito uterque possidet bona sua, & dubium est, an teneatur solvere, & alere prolem, quoniam dubium est, an proles sit sua; ergo cogi non debet, sub tali dubio, ad solvendum, & alendam prolem: certe in foro externo nemo condemnatur, nisi probetur esse reus; ergo neque pro foro conscientiæ cogi debet ad alimenta præstanda proli, nisi probetur esse pater. Si aliquis occisus reperiatur in platea, & ignoretur, an sit occisus a Petro, vel a Paulo, quamvis constet ab altero illorum esse occisum, non puniuntur ambo, ne alter illorum innocens puniatur; ita similiter in casu nostro nemo debet condemnari ad alimenta præstanda, aut damna restituenda, si non constet, cujus illorum sit proles, quamvis certum sit esse alterutrius, ne alter cogatur alere prolem non suam. Ita tenent Lugus *disp. 13. a num. 20.* Villalob. *tr. 11. diff. 34. n. 3.* Trullench *lib. 7. cap. 9. dub. 7. n. 5.* Andreas a Matre Dei *cap. 3. n. 32.* Sanchez *in consil. lib. 4. cap. 3. dub. 1.* Ludovicus Lopez *1. par. Instruct. cap. 90.* Lessius *lib. 2. cap. 10. dub. 6. n. 39.* Sotus *lib. 4. de just. qu. 7. art. 2. ad 2.*

96. Nec obstant rationes pro prima Sententia adductæ non enim iniquum est, prolem incerti patris carere alimentis, & subsidio paterno, sicut iniquum esset aliquem cogere ad alendam etiam partialiter prolem, quam nescit esse suam, unde suo infortunio imputare debet proles, quod careat certo patre, a quo recipiat alimenta, & subsidia; hoc titulo probamus, fornicationem esse intrinsece malam, quia proles ex fornicatione concepta exponitur periculo non habendi certum patrem, a quo ali, & educari debeat, quod est contra finem generationis humanæ, ut diximus in sexto præcepto Decalogi *dub. 2. n. 8.* ob idque etiam nunquam permissum fuit, nec apud nationes barbaras unam mulierem simul habere duos viros, licet aliquando permissum sit unum virum habere duas uxores. Ad probationem neganda est consequentia, quia in primo casu cum neuter possideat, neuter privatur re sua, sed potius utrique consulitur, & lucrum uterque reportat ex actione incerta, quam habet; in secundo casu, cum uterque parens incertus possideat sua bona, illis privari non debet propter incertitudinem prolis, nec cogi ad certam solutionem pro debito incerto non probato.

97. Resp. 2. si adulter moraliter est certus, prolem esse suam, si procuravit, & suasit adulteræ illam supponere marito, tenetur non solum ad alimenta ministranda Filio, saltem a tertio anno, quo tempore tenetur alere filium, sed etiam tenetur restituere hereditatem, & omnia damna secuta marito, & filiis legitimis, quia sic suadendo fuit caussa totius damni, quod marito, & filiis legitimis ex illa suppositione provenit, & quidem ad id tenentur in solidum adulter suadens, & adultera supponens filium marito, ita ut quilibet dimidium damni restituat, & altero deficiente, alter tenetur ad totum, quia licet consulens per se primo teneatur restituere, & in illius defectum executor, quando consilium est in commodum & utilitatem consulentis, & e contra teneatur secundo loco, & in defectum executoris, si consilium fuit in commodum & utilitatem executoris; si tamen consilium fuit in utilitatem utriusque, uterque tenetur æqualiter primo loco ad dimidium; & si alter deficiat, tenetur ad totum: cum autem in casu posito consilium sit in utilitatem utriusque, uterque tenetur ad medietatem, & altero deficiente ad totum. Lessius *lib. 2. c. 10. dub. 6. n. 41.* Lugus *disp. 13. n. 9.* Tambur. *lib. 7. cap. 3. §. 4. nu. 4.* Ludovicus Lopez *1. p. c. 90.* Tapia, Villalobos, & Dicastillo, quos sequitur Andreas a Matre Dei *cap. 3. n. 34.*

98. Si autem non suasit adulteræ supponere filium marito, tunc per se tenetur alimenta præstare Filio, quia, cum sit verus illius pater, ipsi incumbit alere filium. An vero teneatur saltem partialiter restituere damna, quæ in hereditate sequuntur marito, & filiis legitimis, plures negant, quia licet adulter sit caussa per se adulterii, non est tamen caussa per se illius damni, cum non sit caussa per se, sed solum per accidens, quod filius supponatur marito, sicut non esset caussa per se, sed per accidens abortus, si illum procuraret adultera; Nec item dici potest caussa suppositionis per hoc, quod matrem conjecerit in eam necessitatem, ut vel se infamaret, vel prolem supponeret marito, quia non nisi volens patitur illam necessitatem, cum sciens, & volens consenserit adulterio, & hoc sibi imputare debet. Ita Sotus *lib. 4. de just. quæst. 7. art. 2. ad 2. §. sed molestior*, Henriquez *l. 11. de matr. cap. 21.* ut probabilem tenent Tambur. *supra n. 6.* Ludovicus Lopez *cap. 90. §. igitur resolutorie*, Trullench *lib. 7. cap. 9. dub. 7. n. 4.* & Diana *par. 2. tr. 3. miscel. resol.*

99. Probabilius est, adulterum teneri restituere damna marito, & filiis legitimis, quamvis suppositionem expresse non suaserit. Ratio est, quia per adulterium generando filium fuit caussa totius illius damni, nec solum per accidens, sed per se est caussa simul cum adultera, quod proles supponatur marito; nam per se loquendo ex illa generatione sequitur suppositio, quæ regulariter vitari non potest, nec femina aliter supponit prolem marito, quam illam in domo pariendo; cum ergo regulariter & ordinarie loquendo proles in domo pariatur, sequitur, quod tam adulter, quam adultera prolem generando, sint per se caussa generationis, & suppositionis, nec valet eadem ratio de abortu, qui non per se, sed raro, & per accidens sequitur ad generationem, ex sola malitia feminæ. Sic tenent Lessius *l. 2. cap. 10. dub. 6. n. 45.* Molina *disp. 103. nu. 2.* Lugus *disp. 13. n. 10.* Bonac. *de matr. qu. 4. p. 15. nu. 7.* Villal. Dicast. Bannez, Cajet. Angelus, Tapia, Navar. & alii, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *n. 36.*

§. II.

§. I I.

Ad quid teneatur Adultera.

100. RESp. si partus sequetur, & non certo constet, esse adulteri, nihil restituere tenetur, quia in dubio non debet illum judicare spurium, sed legitimum, siquidem in dubio præsumendum est, esse filium mariti, ut supra diximus de adultero, si autem certo constet, non esse mariti, sed adulteri, tunc tenetur quantum potest sine periculo vitæ, & detrimento famæ procurare, ne marito, & filiis legitimis damnum sequatur; ac proinde tenetur, si potest, filium adulterinum marito non supponere, sed occulte parere, & alendum tradere, aut in hospitali eleadum exponere, sparso rumore, quod sit mortuus; si vero non potuit illum occultare, sed marito supposuit, tenetur, si potest, & in quantum potest restituere damna secuta marito, & filiis legitimis, quie illorum omnium est vera caussa, ut docent Lessius *l. 2. cap.* 10. *dub. 6. n.* 47. Molina *tom. 3. disp.* 102. G. Hurtado *disp.* 11. *diff.* 20 Trullench *l. 7. cap. 9. dub.* 5. Lugo *disp.* 13. *n.* a. 36. Andreas e Matre Dei *c. 3. n.* 37.

101. Inde si habet bona paraphernalia, vel alia, de quibus libere & licite disponere possit, tenetur ea filiis legitimis relinquere in compensationem damni; similiter si potest solitos sumptus imminuere, & laborare quantum suo statui decet, & si quid lucri inde habuerit, legitimis dare; si hæc non sufficiunt, debet spurium inducere ad ingrediendam Religionem, si sit idoneus, hereditariæ successionis incapacem, & si aliam ingrediatur, curabit, ut hereditatem renunciet in favorem fratrum legitimorum, quia, ut dixi, curare debet, quantum potest, ne damnum sequatur heredibus, & illa quantum potest compensare; & si hæc non prosunt, ad nihil aliud tenetur, sed permittere potest, quod spurius succedat in hereditate paterna, ut cum Lessio, Lugo, & aliis docet Andreas a Matre Dei *loc. cit.* non tenetur restituere, quæ spurio ab aliquo liberaliter donata sunt, quamvis non fuissent donata, sed legitimis donarentur, si scirent, ipsum esse spurium, quia nihil per hoc ex justitia debitum illis aufertur, ut etiam notat Lugo n. 39. & 49. & cum illo Ant. a Spiritu S. *n.* 309.

102. Ad effectum vitandi damna filiorum legitimorum, quæ alia via reparari non possunt, non tenetur adultera spurio crimen suum manifestare, quando non habet spem moraliter certam, quod manifestatio sit profuture; Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis; si ergo prudenter dubitat, an manifestatio sit profutura, non tenetur famam suam apud filium amittere, & occultum crimen revelare, maxime quia fama est superioris ordinis ad pecuniam: adde, quod raro contingit, quod habeat spem certam, quod manifestatio sit profutura, cum filius non teneatur credere matri, se esse spurium. Sic Sotus *lib. 4. qu. 7 art. 2. ad 2. §. dubium autem*, Molina *disp.* 102. *n.* 1. 10. & 11. Lessius *l. 2. cap.* 10. *dub. 7. n.* 30. G. Hurtado *disp.* 11. *diff.* 20. Trullench *l. 7. c. 9. dub. 5. n.* 6. Lugo *disp. 13. sect. 3. n. n.* 37. Prado, Villalobos, Dicastill. Tapia, quos affert & sequitur Andreas a Matre Dei *c. 3. n.* 38.

103. Quæres: *An filius teneatur credere matri affirmanti, etiam cum juramento, ipsum non esse legitimum, sed ex adulterio conceptum.* Communis Sententia negat, teneri credere id affirmanti, etiam cum juramento, & in periculo mortis constitutæ, quamvis aliàs constet, matrem fuisse adulteram. Ratio est, quia quando agitur de præjudicio tertii, ut in præsenti casu, non creditur dicto unius testis, quantacumque fulgeat dignitate, cap. *Per tuas, de probationibus*, tum quia alleganti suam turpitudinem non debetur fides, cum præjudicio tertii, ut dicitur in *regul. Juris*, tum quia filius cum communi opinione habeatur ut legitimus non debet cum tanto suo detrimento credere matri dicenti, non esse legitimum, cum mulierum ingenium sit alios præter modum amare, alios odio prosequi, ut notat Andreas a Matre Dei *n.* 39. dicens, id esse commune apud Canonistas in cap. *Per tuas* 10. *de probation.* & Legistas *l. si posthumus* 14. *ff. de liber. & posthum.* ita etiam Lessius *dub. 7. num.* 51. Trullench *dub. 6. n.* 2. Medina *in sum. lib.* 1. *cap.* 14. *fol.* 120. §. 18. apud Andream a Matre Dei, dicens, filium valde stultum esse, si crederet Matri testificanti, postquam natus & educatus & nominatus est, ut hæres legitimus. Ita etiam Diana *part. 3. tr. 5. resol.* 30. *in fine* Lugo *n.* 62.

104. Nisi signis manifestissimis convincatur, filium esse illegitimum, ut si mater ostenderet, quod maritus abfuit toto tempore, quod ejus conceptioni correspondet, aut alia signa & motiva proponeret, ut propter illa in foro externo judicaretur spurius, tunc ut talis se deberet habere, non propter solum matris testimonium, sed propter alia etiam motiva, propter quæ, absque ratione prudenti dubitandi, id ita esse, debeat judicari, ut cum aliis notat Andreas a Matre Dei.

105. Hæc sententia quamvis sit communis, tamen valde probabile est, filium in foro conscientiæ debere credere matri serio affirmanti cum juramento, sive in periculo mortis, sive extra, ipsum esse spurium, quia non est credibile, matrem, si est timoratæ conscientiæ, velle mentiri in negotio tam gravi, & velle mori in peccato mortali, & perpetuo damnari; nam tunc pro foro conscientiæ moraliter sibi constat, se esse spurium, cum nullam habeat rationem dubitandi de opposito, & sic tenetur credere, se esse spurium, & restitutionem facere, favet Tambur. *lib. 7. in Decalog. c. 3. §. 4. nu.* 10. dicens; filium teneri credere matri, non solum quando probat maritum tempore conceptionis abfuisse, sed etiam quando mater est multa fide digna. Ita tenent Molina *tom. 4. disp.* 101. *num.* 3. & apud ipsum Hostiensis, Panormitanus, & Joan. de Medina, ita etiam Vasquez *de restit. cap. 5. §. 1. num.* 15. & 21. & Pontius *cursus Theolog. disp.* 52. *quæst.* 7. *concl.* 6. favent etiam Lugo *disp. 13. sect. 3. num.* 62. & Reginal. *lib. 10. quæst. 3. num.* 275.

106. Quæres 2. *an teneatur adultera crimen suum propalare cum periculo vitæ, aut dispendio famæ, si firmam spem habeat, tali modo damnum heredibus esse reparandum.* Resp. negative, quamvis amplissima hereditas, primogenitura, aut etiam regnum devolvi deberet ad spurium; Ratio est, quia bona inferioris ordinis non debent compensari cum dispendio bonorum superioris ordinis; at vita, & fama sunt bona superioris ordinis ad divitias & facultates; ergo non debent hæ compensari cum periculo vitæ, aut præjudicio famæ, quando femina est honestæ conditionis & bonæ famæ. Lessius *supra dub. 7. n.* 53. Villalobos *tr. 21. diff. 34. n.* 9. G. Hurtado *disp. 11. diff.* 20. Trullench *cap. 9. dub.* 5. Diana *par. 3. tr. 5. resol.* 30. *fine* Lugo *disp.* 13. *n.* 43. bene advertens id intelligendum esse sive sit periculum vitæ ipsius matris, sive filii, sive cujuscumque alterius.

107. Quæres 3. *an adulter, vel adultera teneantur restituere alimenta & expensas hospitali, si illi filium alendum exponant*, negat Henriquez *lib. 11. de matr. cap.* 19. *n.* 3. quia hujusmodi hospitalia ad hunc effectum sunt instituta ad recipiendos hujusmodi infantes expositos, ne a parentibus abjecti pereant, vel etiam ab iisdem parentibus enecentur, & talis præsumitur intentio fundatorum hospitalis succurrere, his parvulis, & eorum periculo sine obligatione parentum, sequitur Ant. a Spiritu S. *disp. 8. n.* 3. 11. Idem asserit Layman, si hospitale sit dives, secus si pauper: Alii magis communiter obligant parentes, si sint divites ad restituendas hospitali expensas factas in educatione filii, quia hospitalia sunt instituta pro pauperibus, & ita tenent Cajet. Navar. Azor. Villalob. Trullench, Bonac. Facundez, & alii, quos affert, & sequitur Bossius *de effectu Matrimonii part. 2. cap. 9. n.* 607. & nos etiam diximus in quarto præcepto Decalogi *cap. 1. n.* 47. ubi etiam diximus, Bononiæ, administratores Hospitalis expositorum cogere exponentes ad solvendas impensas, si illorum notitiam habere possunt.

DUBIUM IX.

De Restitutione Famæ & Honoris.

108. IN octavo præcepto Decalogi diximus, quæ erant necessaria ad cognoscendum peccatum, quod committitur per ablationem famæ & honoris, per detractionem & contumeliam; nunc autem videndum est, quam obligationem habeat, qui alterum læsit in bonis famæ & honoris: est autem fama bona, opinio & existimatio multorum de virtute & bonitate alterius, & læditur quando quis in aliorum animos pravam de alio ingerit opinionem; quod dupliciter contingere potest, vel imponendo alteri crimen falsum, & dicitur infamatio; vel crimen verum, sed occultum propalando, & dicitur detractio, quamvis utraque læsio communi nomine detractionis appellari soleat.

§. I.

Ad quid teneatur qui alterius Famam injuste læsit.

109. RESp. Qui alterum infamavit, tenetur restituere famam injuste ablatam, sive deinde ablata sit falsum crimen imponendo, sive crimen verum, sed occultum manifestando, quia utroque modo agit contra justitiam commutativam; nam quousque crimen est occultum, ille jus habet ad suam famam, & sic infamator tenetur ablatam famam restituere, in quo omnes conveniunt. An vero sufficiat detractori statuere læsum in priori statu suæ famæ, vel tenetur etiam aliquid resti-

restituere pro infamia, quam passus est infamatus a tempore ablationis usque ad recuperationem, affirmant Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 17. n. 99.* Navar. *cap. 18. nu. 47.* Petrus Navarra *lib. 2. cap. 4. num 47.* si talem satisfactionem infamatus postulet; si autem non postulet, censetur condonare. Ita etiam Bonac. *disp. 2. qu. 4. pun. 12. n. 8.* & Trullench *lib. 7. cap. 10. dub. 19. n. 3.* Ratio esse potest, quia fama coalescit ex bona existimatione aliorum, tum præsenti, tum præterita; ergo qui solum reparat famam præsentem, & nihil reddit pro carentia existimationis præteritæ, non videtur sufficienter & integre famam restituere, ea ratione, qua qui alterum privat domo sua non satisfacit restituendo de præsenti domum, nisi etiam aliquid tribuat pro incommodo, quod sensit in præterita carentia domus.

110. Sed contra dicendum est pro infamia præterita nihil restituendum esse, & hoc est juxta communem, & Confessariorum praxim, qui dum præcipiunt restitutionem famæ, nihil dicunt, nec præcipiunt quod simul aliquid restituatur pro carentia illius pro tempore intermedio, sed solum pro damnis, si quæ, ratione talis omissionis, & carentiæ, est passus infamatus, & ratio est, quia, restituta de præsenti fama, censetur etiam ablata infamia præterita, quia per restitutionem famæ de præsenti, infamiam passus apud eos, apud quos infamiam passus est, eodem modo se habet, ac si infamiam passus non fuisset, isti quippe dum judicant, se pro præterito tempore falso opinatos, retrotrahunt quodammodo bonam opinionem & existimationem præsentem ad totum tempus præteritum, quo malam opinionem falso habuerunt; & inde, qui de præsenti famam restituit, compensat, si non formaliter, saltem æquivalenter etiam infamiam præteritam, adeoque sufficienter satisfacit: nec valet paritas de carentia domus, nam per restitutionem domus præcise passus carentiam, non eodem modo se habet, ac si talem carentiam passus non fuisset, sicut se habet infamatus post restitutionem famæ. Sic Molina *tr. 4. disp. 42.* Reginald. *lib. 10. cap. 13. n. 340.* Lugus *disp. 15. sect. 2. num. 20.* Andreas a Matre Dei *cap. 4. pun. 9. nu. 137.* dum oppositam sententiam solum dicit salubriorem.

111. Resp. 2. infamantem proximum teneri etiam restituere damna temporalia, si quæ ex ablatione famæ sequantur, ut si infamatus propter infamiam non obtinuit beneficium, officium, legatum, vel eleemosynam; nam infamator per injustam ablationem famæ censetur horum omnium caussa moralis, ac proinde tenetur ad illa, vel illorum æstimationem restituenda; & quidem si infamator fuit caussa, ut alter privaretur officio, beneficio, seu alio bono jam obtento, ut puella privaretur dote jam sibi data seu assignata, tenetur ad integram restitutionem totius damni, quanti scilicet valet bonum, quo privatur, quia restitutio facienda est secundum æqualitatem pro damno illato: si vero caussa fuit, ne alter consequeretur officium, beneficium, dotem, seu aliud bonum speratum, non tenetur restituere quanti valebat officium, seu bonum illud speratum, sed quanti valebat spes illud consequendi, quia bonum in spe minus valet, quam bonum in re, ut supra diximus *cap. 2. dub. 9.* de illo, qui alterum injuste impedit a consecutione alicujus boni. Sic tenent Lugus *disp. 15. sect. 2. nu. 21.* Trullench *lib. 7. cap. 10. dub. 20.* Molina *tr. 4. disp. 45. n. 3.* Gaspar Hurtado *disp. 12. diff. 14. & 17.* Petrus Ledesma, Layman, Petrus Navar. Bonac. Sayrus, & alii, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *cap. 4. n. 124.*

112. Ut autem oriatur obligatio restituendi damna temporalia, necesse est, quod illa per se & non tantum per accidens, sequantur ex infamia; & inde, si infamatus, præ tristitia se occidat, aut fugiat, vel aliud malum sibi, aut suis inferat, non tenetur infamator talia damna restituere, quia non per se, sed per accidens sequuntur ex infamia: requiritur, etiam quod talia damna fuerint aliquo modo prævisa, saltem in communi, quatenus infamator cognoverit, seu timuerit, quod proximum infamando, hoc, vel illud damnum in particulari, vel saltem aliquod damnum in communi esset eventurum; si enim damnum nullo modo, nec in particulari, nec in communi prævidisset, non teneretur ad aliquam restitutionem, quia tale damnum non fuit illi voluntarium, & quamvis peccaverit alterum infamando, non tamen peccavit damna illa caussando, quia eo ipso quod nullo modo, nec in particulari, nec in communi fuerunt prævisa, non sunt volita, nec moraliter caussata, ut bene notat Andreas a Matre Dei *n. 124.*

113. Si autem infamator non formaliter, sed materialiter tantum, & absque peccato famam alterius denigravit, revelando peccatum, quod bona fide verum, & publicum putabat, & tamen non erat verum, aut non erat publicum, sed occultum: aut narravit delictum Petri, quod verum, & publicum erat, sed audientes intellexerunt de Joanne, qui tale delictum non commisit; tunc enim infamator non peccavit hujusmodi delicta narrando, & quæritur, an teneatur restituere famam tali modo ablatam. Communis sententia tenet, sic lædentem bona fide famam alterius absque peccato, teneri ex justitia ad illam restituendam. Ratio est, quia qui retinet rem alienam, invito domino, tenetur eam restituere statim ac cognoscit, esse alienam; sed qui læsit famam alterius, quamdiu dictum suum non retractat, retinet illius famam, pravam opinionem ex suo dicto caussatam in mente audientium relinquendo, quod est, mala fide tale damnum continuare, ac proinde tenetur ex justitia dictum illud retractare. Deinde, quia quisque tenetur curare, ne ex sua actione damnum caussetur aut conservetur: qui enim sine culpa domum alterius incendit, tenetur, si potest, ignem extinguere; ergo etiam tenetur retractare dictum, quod falsam opinionem, quamvis sine culpa, in mente audientium caussavit. Ita Layman, Trullench, Lugus, Bonac. Lessius, Dicastill. quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *cap. 4. n. 180.*

114 Dices: *infamator in dato casu non tenetur ex justitia restituere famam ratione injustæ acceptionis, quia bona fide, & sine culpa damnum intulit; nec ratione rei acceptæ, cum ipse non habeat famam damnificati.* Sed contra dico, teneri ratione rei acceptæ, quia licet non peccaverit, bona fide & sine peccato alterum infamando, tamen dum cognoscit, suum dictum caussasse infamiam, & damnum intulisse, si illud non retractat, censetur indebite retinere famam alterius, & moraliter illam conservare in mente illorum, coram quibus detraxit, qui perseverant in illa mala opinione caussata ex dicto infamantis; ita Auctores supra citati qui bene advertunt, sic infamantem non teneri ad restitutionem damni, si quod infamato sequatur, durante bona fide, secus si, cognito errore, fuit in mora culpabili illum retractandi, quia ex eo tempore, quo fuit in mora, censetur caussa injusta illius damni, prout late probat Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 22.* sequitur Anton. a Spiritu S. *disp. 3. num. 91.* Tambur. *lib. 9. cap. 3. §. 3. num. 8.*

115. Quæres: *apud quos teneatur infamator restituere famam: an sufficiat illam restituere apud immediatos auditores, vel etiam apud alios, quibus ipsi narrarunt.* Communis responsio tenet, sufficere illam restituere apud immediatos auditores, quando detractor putabat, illos non esse aliis propalaturos, quia tunc infamia apud alios sequitur per accidens respectu primi narrantis: Si vero sciebat, vel dubitabat, quod etiam aliis essent propalaturi, tenetur restituere etiam apud alios, quibus ipsi narrarunt, quia est caussa per se, saltem mediata illius infamiæ, quam proinde tenetur retractare apud omnes, quando immediati auditores famam apud illos non restituant. Bonacina *disp. 2. quæst. 4. punct. 1.* Rebellus *lib. 4. quæst. 12. num. 4.* Villalobos *tract. 11. diff. 37. numer. 41.* Trullench *lib. 7. cap. 10. dub. 2.*

116. Resp. sufficere, si infamator famam restituat apud suos auditores, quia sic habet praxis omnium Confessariorum, qui pœnitentes suos non obligant, nisi ut se retractent apud immediatos auditores, quia sicut per se ipsos mala, sic per eosdem bona divulgabatur fama, tum quia est moraliter impossibile apud omnes retractare, cum verba in infinitum promulgentur aliis, aliis narrantibus; unde sufficit, si infamator apud immediatos auditores se retractet. Ita Lugus *disp. 15. n. 16.* Azor. *tom. 3. lib. 5. cap. 9. qu. 6.* & probabile putat Andreas a Matre Dei *num. 183.*

117. Hæc obligatio restituendi famam ita est personalis, ut non transeat ad heredes infamantis, qui non tenentur famam restituere, si ab infamante non fuit ante mortem restituta, quia non est obligatio realis, sed personalis inhærens personæ, qua extincta, extinguitur obligatio, remanente dumtaxat reparandi damna temporalia, si quæ ex infamatione sunt subsecuta, quia talis obligatio non solum est personalis, sed etiam realis, quæ cum bonis transit ad heredes infamantis, qui proinde tenentur talia damna reparare, tenetur tamen infamator restituere famam defuncto, si infamatus præmoriatur, quia retinet jus ad suam famam, Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 21.* Layman *lib. 3. tr. 3. punct. 2. cap. 7. nu. 4.* Lugus *disp. 15. n. 8.* Bonac. *disp. 2. qu. 4. punct. ult. n. 15.* Trullench *lib. 7. cap. 10. dub. 24.* Andreas a Matre Dei *num. 187.*

§. II.

Quomodo Fama sit restituenda.

118. MOdum restituendi famam indicat D. Thomas 2. 2. *qu. 62. art. 2. ad 2.* ubi habet, *Dicendum, quod aliquis potest alicui famam tripliciter auferre;*

quo

uno modo verum dicendo, & juste, puta cum aliquis crimina alicujus prodit, ordine debito servato, & tunc non tenetur ad restitutionem famæ; alio modo falsum dicendo, & injuste, & tunc tenetur restituere famam confitendo, se falsum dixisse: tertio modo verum dicendo, sed injuste, puta cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum, & tunc tenetur ad restitutionem famæ, quantum potest, sine mendacio tamen, utpote quod dicat, se male dixisse, vel quod injuste eum diffamavit. Itaque fama restituenda est omni modo possibili, ut infamatus restituatur in pristinum statum suæ bonæ famæ, quia ita postulat justitia commutativa, quæ ad æqualitatem reddit unicuique jus suum.

119. Inde qui alterum infamavit, ei falsum crimen imponendo, debet, quantum potest retractare, dicendo se falsum dixisse, & si id necessarium sit ad famæ recuperationem, tenetur dicere, se fuisse mentitum, idque etiam juramento affirmare, nam tunc juramentum est licitum, nec est medium difficile, quod proinde apponi debet, si sit necessarium ad famam ablatam restituendam: notat Bonac. *disp. 2. qu. 4. p. 15. n. 4.* regulariter loquendo, apud viros prudentes non esse necessarium dicere; *Mentitus sum*, nam hujusmodi verba potius valent ad infamandum detractorem, quam ad famam restituendam, ad quam sufficit dicere, se falsum dixisse; tamen, si & illud esset necessarium, deberet addi, nam infamator tenetur etiam cum detrimento propriæ famæ alterius famam restituere. Quod si dicta non sufficiant, addunt Bonac. *supra n. 4.* Sotus *lib. 4. qu. 6. art. 3.* G. Hurtado *disp. 12. diff. 18.* Diana *par. 3. tract. 3. resol. 29.* adhibendos esse Testes illam confirmantes; sed hoc non est necessarium, nec infamator ad id obligatur ex justitia, nam eo ipso quod asserit, se falsum dixisse, addito juramento, si auditores non credunt, ipsorum malitiæ imputari debet, non infamatori, qui fecit, quod in se erat, & caussam posuit efficacem ad infamiam delendam. Ita Navarrus *cap. 18. n. 45.* Trullench *lib. 7. cap. 10. dub. 21.* Azor. *part. 3. lib. 5. cap. 9. qu. 6.* Ant. a Spiritu S. *tr. 11. disp. 3. num. 84.* Philippus Faber, Dicastillus, & alii, quos sequitur Andreas a Matre Dei *cap. 4. pun. 9. n. 129.*

120. Major difficultas est circa modum restituendi famam ab eo, qui alterum infamavit, verum crimen, sed occultum injuste propalando. Tres modi communiter assignantur a Doctoribus: Primus est, quem affert D. Thomas *loc. cit.* ut nimirum dicat, se male dixisse, vel quod injuste eum diffamavit; sed iste modus licet fuerit sufficiens tempore D. Thomæ, quando malitia non adeo creverat in Mundo, modo tamen, crescente malitia, poterit esse sufficiens apud rudes, & simplices, ut ait Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 20.* non apud alios, qui potius inde colligent, detractorem verum dixisse, sed propter conscientiæ stimulum, aut præceptum Confessarii hoc modo velle famam restituere.

121. Secundus modus, quem affert Cajet. *qu. 62. art. 2.* est infamatum laudare apud illos, apud quos diffamavit, honorifice de illo loqui, & data opportunitate, virtutes ejus commemorare, nulla facta mentione criminis detecti, quia hoc modo tantumdem illius famam illustrare poterit, quantum detractione fuit denigrata; quod facere potest non solum in diverso genere, sed etiam in eodem genere, in quo famam denigravit, laudando scilicet, ac honorifice loquendo de illo secundum notitiam publicam, quæ de illo habetur: hunc modum tamquam aptissimum satis communiter Doctores amplectuntur. Ita Molina *disp. 41.* Reginald. *lib. 10. n. 341.* Navarrus *cap. 18. nu. 45.* Diana *part. 3. tr. 5. resol. 30.* & alios referens Anton. a Spiritu S. *disp. 3. num. 86.*

122. Quod si uterque modus assignatus judicetur insufficiens ad intentum, tunc Barth. Medina *in sua instr. Confess. cap. 13. §. 31.* assignat alium modum, dum ait, detractorem posse simpliciter dicere, se falsum dixisse, vel non dixisse verum, intelligendo de falso practico, vel de non vero practico: Idem habet Petrus Navarra *lib. 2. de restit. cap. 4. nu. 380.* dicens, salvo meliori judicio, posse talem detractorem simpliciter dicere, se falsum dixisse, & se mendacio infamasse alium. Hunc modum impugnant quamplures, quia numquam, nec etiam pro restituenda fama licitum est mentiri; siquidem mendacium est intrinsece malum: at qui verum crimen, sed occultum detegendo alium infamavit, mentiretur, si diceret, se falsum dixisse, se fuisse mentitum, aut deceptum, quia supponitur, verum crimen revelasse. Sic Sotus *lib. 4. qu. 6. art. 3. ad 4. §. Verumtamen* Cajet. *qu. 62. art. 2 ad 2.* Azor. *3. p. lib. 5. cap. 9. qu. 7.* Toletus *lib. 5. c. 70.* Bonac. *disp. 2. qu. 4. p. 15. num. 2.* Ant. a Spiritu S. *disp. 3. num. 86.* & alios referens Diana *par. 3. tr. 5. miscell. resol. 30.*

123. Verum cum restitutio famæ sit res magni momenti, quæ Jure naturali, & Divino præcipitur, satis probabile est, posse detractorem simpliciter dicere, se fuisse mentitum revelando peccatum proximi, se errasse, se fuisse deceptum; nam potest uti æquivocatione ipsum a peccato excusante, cum in aliquo sensu verba illa possint verificari, siquidem crimen occultum injuste, & cum peccato revelando mentitus fuit, ac falsum dixit, nam peccatum in Scriptura mendacium dicitur, nam de peccatoribus *Isaiæ 8.* habetur *Apprehenderunt mendacium*, & infra *A Propheta usque ad Sacerdotes omnes faciunt mendacium*; est etiam verum, quod erravit, quia peccatum etiam dicitur error Isaiæ 14. 22. *errant qui operantur iniquitatem*; fuit etiam deceptus, quia omnis, qui peccat decipitur a dæmone, vel a sua passione: vel etiam nescivit, quod dixit, quia non sciebat illud ad revelandum, juxta illud, quod dixit Christus Matth. 14. *de die autem illo nemo scit, neque Filius hominis*, hoc est ad revelandum, ut omnes Interpretes asserunt; ex quo patet responsio ad fundamentum Sententiæ oppositæ.

124. Nec obstant propositiones 26. 27. & 28. ex damnatis ab Innocent. XI. in quibus prohibetur usus æquivocationis & amphibologiæ; nam ibi non damnatur usus æquivocationis externæ, sed tantum usus æquivocationis mere internæ, quæ mentalis restrictio dici solet, prout diximus in secundo præcepto Decalogi *cap. 3. dub. 2. & 3.* Hanc Sententiam tenent Villalobos, Sayrus, Prado, Petrus Navarra, Sanchez, Henriquez, Tapia, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *tr. 13. cap. 4. pun. 9. n. 132.* ita etiam Lugus *disp. 15. n. 30.* Trullench *lib. 7. cap. 10. dub. 21.* Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 20. n. 110.* G. Hurtado *disp. 12. diff. 18.* Tambur. *lib. 9. cap. 3. §. 4. num. 2.*

125. Qui alterum publice infamavit per libellos famosos, debet etiam famam publice restituere, quia restitutio facienda est ad æqualitatem; non fieret autem ad æqualitatem nisi publice fieret; adeoque restitutio famæ publice facienda est judicio prudentis & docti Confessarii, vel per aliam publicam scripturam contrariam, vel per vocem præconis, aut Concionatoris, ut diximus in octavo præcepto *cap. 2. dub. 2. n. 10.* & tenent Bonac. *disp. 1. qu. 4. p. 9. n. 8.* P. Navarra *lib. 2. cap. 4. n. 442.* Sayrus *lib. 12. cap. 4. n. 9.* Medina *lib. 1. cap. 14.* & alii cum illis.

§. III.

An quis teneatur Famam restituere cum periculo vitæ, aut alio gravi detrimento.

126. Resp. 1. Nemo tenetur famam restituere cum periculo vitæ. Ratio est, quia bona inferioris ordinis non sunt necessario restituenda cum jactura, & damno bonorum superioris ordinis; sed vita est superioris ordinis ad famam; ergo ista non est necessario restituenda cum vitæ periculo. Unde si infamator, restituendo famam, seu detegendo falsitatem, injustitiam, & infamiam alteri illatam sibi rationabiliter timeret periculum vitæ, deberet alia via famam restituere, si posset, & si non potest, excusatur a restitutione. Navar. *cap. 18. n. 48.* Reginal. *lib. 10. cap. 23. nu. 340.* G. Hurtado *disp. 12. diff. 20.* Trullench *lib. 7. cap. 10. dub. 17.* Lessius *l. 2. cap. 11. dub. 15. n. 86.* Lugus *disp. 15. n. 40.* Bonac. *qu. 4. p. ult. n. 11.* Diana *par. 3. tr. 5. miscell. resol. 30.*

127. Si tamen infamatus propter infamiam illatam, seu propter delictum, de quo fuit infamatus, constitutus esset in vitæ periculo, teneretur infamator se retractare, ac famam restituere cum periculo suæ vitæ, quia in isto casu cum sit in æquali periculo vita injuste infamantis, & vita infamati; ista prævalere, & potius salvari debet; nam in caussa æquali præponderat, seu melior est conditio innocentis, & quilibet cum æquali suo detrimento tenetur alterius damnum resarcire. Lessius, Gasp. Hurtado, Trullench, Lugus, sequitur Ant. a Spiritu S. *disp. 3. n. 77.* ubi dicit; hoc non esse ratione infamiæ, sed ratione damni dati in vita.

128. Resp. 2. Nemo tenetur ex justitia famam restituere cum detrimento propriæ famæ notabiliter majori, bene tamen cum æquali, vel paullo majori detrimento. Ratio est, quia licet infamator teneatur restituere famam proximo ablatam cum æquali, vel etiam paullo majori detrimento suæ famæ, quia in pari caussa potior est conditio innocentis; & sic quando agitur de æquali, vel paullo majori damno justitia exigit, ut potius illud patiatur, qui damnum intulit, quam innocens, & suæ culpæ imputare debet infamator, quod cogatur retractare suum dictum cum propriæ famæ detrimento, non tamen cum multo majori, quia cogeretur dare ultra æqualitatem, quam petit justitia commutativa, ad quam nemo rationabiliter obligari potest, ea ratione, qua nemo potest obligari ad compensandum damnum temporale in bonis fortunæ cum notabiliter majori damno proprio, licet teneatur cum æquali; & inde si

infamator non potest ulter restituere famam, nisi cum multo majori detrimento famæ propriæ, satis erit laudare infamatum in eo genere virtutis, in quo fuit infamatus; idque multo magis verum est quando infamator est Episcopus, Prælatus, aut alia persona illustris, & infamatus vir ignobilis, & subditus; nam ille non tenetur dicere, se esse mentitum, sed sufficit infamatum laudare. Ita tenent Tapia, Bannez, Soto, Lessius, Reginal. Dicastill. & alii, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 4. *nu.* 29. Lugus *disp.* 15. *num.* 29. G. Hurtado *disp.* 12. *diff.* 20. Diana *part.* 3. *tr.* 5. *miscell. resol.* 29.

129. Multo magis tenetur infamator restituere famam cum detrimento bonorum fortunæ, quæ sunt inferioris ordinis; nam licet verum sit, quod bona superioris ordinis non possint compensari boni inferioris ordinis, ista tamen possunt illis famulari, ut si ad restituendam famam esset iter faciendum cum expensis, aut cum sumptibus aliam diligentiam facere, teneretur infamator hoc pati detrimentum, cum non sit proprie famam pecunia compensare, sed hanc famulari restitutioni famæ, ut notat Andreas a Matre Dei *n.* 135. dicens, hoc esse certum apud Auctores.

130. Quod si restitutio famæ reddatur impossibilis, aut quia restitui non possit sine vitæ periculo, aut magno propriæ famæ detrimento, vel quia non credetur, quantumcumque infamator se retractet, tunc nonnulli probabiliter asserunt, esse pecunia compensandam, quod colligitur ex D. Thoma 2. 2. *qu.* 62. *art.* 2. *ad* 2. ubi postquam dixit, famam esse restituendam, subdit, *vel si non potest famam restituere, debet ei aliter compensare, sicut in aliis dictum est*, nimirum *in solut. ad* 1. ubi dixerat, quod quando aliquid non est compensabile in suo genere, debet in alio genere, scilicet pecuniæ compensari. Ratio esse potest, quia fama est pretio æstimabilis, & sic potest compensari pecunia, quæ est pretium omnium rerum. Ita Sylvius, Ledesma, Aragon. Tapia, Sayrus, Sotus, Valentia, Villalobos, & alii relati ab Andrea a Matre Dei *cap.* 4. *n.* 141.

131. Verum probabilius est, infamantem non teneri famam pecunia compensare. Ratio est, quia fama, sicut etiam vita, cum sit superioris ordinis ad pecuniam, non est per illam compensabilis, nec cum illa commensurabilis, ut de vita diximus supra *n.* 44. & licet pecunia sit pretium rerum, quæ possunt pretio æstimari, non tamen est pretium famæ, quæ non est pretio æstimabilis: ex quo sequitur infamatorem non teneri famam pecunia compensare, quamvis infamatus id petat, ut pecunia sibi satisfiat, quia nemo tenetur restituere nisi id, quod ablatum est, vel æquivalens in eodem genere; sed id, quod est ablatum, non est pecunia, nec ista æquivalet famæ ablatæ, cum non sit in eodem genere; ergo justitia non obligat ad compensandum pecunia famam injuste ablatam. Ita Lugus *disp.* 15. *n.* 13. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 16. *n.* 97. Bonac. *disp.* 2. *qu.* 4. *p. ult. nu.* 14. G. Hurtado *disp.* 12. *diff.* 18. Trullench *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 18. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *punct.* 2. *cap.* 7. *conclus.* 4. Diana *p.* 3. *t.* 5. *res.* 40. Andreas a Matre Dei *cap.* 4. *n.* 142.

132. Potest infamator per Sententiam Judicis obligari ad solvendum infamato aliquam quantitatem pecuniæ, quo casu tenetur illam solvere, cum in foro conscientiæ sit obtemperandum justæ Sententiæ Judicis, quæ in alterius commodum cedit, vel si de illa solvenda cum infamato conveniret, ut justam querelam deponat; Addunt etiam plures, ex quadam æquitate, & caritate debere infamatorem, si sit dives, & infamatus pauper, & credat illi gratum futurum, aliquam quantitatem pecuniæ reddere, si restitutio famæ sit impossibilis. Poterit etiam Confessarius infamatori pro pœnitentia imponere, ut aliquam pecuniæ quantitatem solvat infamato, attenta conditione utriusque personæ, ut notat Andreas a Matre Dei *n.* 140.

133. Supposita probabilitate Sententiæ docentis; famam posse pecunia compensari, poterit infamatus, si aliquam pecuniæ summam debeat infamatori, partem sibi retinere pro rata infamiæ, vel etiam auferre in illius compensationem, si infamator nolit, aut non possit famam restituere in propria specie; nam, supposita probabilitate illius Sententiæ, jus habet infamatus, ut fama sibi restituatur, aut in propria specie, aut in æquivalenti, ac proinde potest tantumdem pecuniæ retinere, vel auferre quanti æstimatur fama ablata, in illius compensationem, in quo casu nullam committit injuriam, aut injustitiam, cum accipiat, quod sibi debetur. Lessius *dub.* 25. *n.* 136. Bonac. Trullench, Diana *loc. cit.* eamque probabilem, & tutam in conscientia vocat G. Hurtado *disp.* 12. *diff.* 23.

134. Nec dicas: *compensationem fieri non posse quando solum adest opinio probabilis; ergo, nec supposita probabilitate illius sententiæ, licita erit compensatio.* Sed contra dico, non esse licitum uti compensatione, quando debitum est solum probabile, secus si debitum sit certum, & probabilitas non versatur circa debitum, sed circa modum, quo fieri debet compensatio: in præsenti casu debitum est ipsa fama, quæ certo supponitur ablata, & probabile solum est, an illa debeat pecunia compensari; Verum cum opposita sententia sit probabilior, ita probabilius est, pecuniam debitam non posse retineri, & multo minus auferri.

135. Quæres: *an in restitutione famæ fieri possit compensatio, adeo ut qui se mutuo infamarunt non teneantur sibi invicem famam restituere.* Resp. affirmative, si se æqualiter infamarunt, quia in bonis temporalibus, cujusmodi est fama, quando jura sunt æqualia, licita est compensatio, & uno non restituente, nec alter restituere tenetur: Si autem unus velit famam restituere, si alter recusat jam peccat, nec excusari potest titulo compensationis, quæ non habet locum, si alter restituere velit. Lessius, Bonacina, Layman, Hurtadus, Diana, & alii, quos sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 4. *num.* 146.

136. Dices: *nec etiam titulo compensationis licitum est infamare illum, qui te prius infamavit, quia hoc potius habet rationem ultionis, & vindictæ, quæ auctoritate privata non est licita, quam compensationis, nam alterum infamando non recuperas tuam famam; sed nec etiam recuperas tuam famam alienam retinendo, seu non restituendo; ergo non potes titulo compensationis illam retinere, seu non restituere; sed sicut ab initio alterum infamando peccas, ita peccas famam retinendo, seu non restituendo, talisque non restitutio potius vindicta, quam compensatio dicenda est:* Sed contra; licet verum sit, te non posse compensare famam infamando illum, qui te prius infamavit, nec recuperare famam alienam retinendo; datur tamen æqualitas, & compensatio in non restitutione, consistens in hoc, quod, posita obligatione restituendi ex parte utriusque, altero non restituente, quod tibi debet, nec tu teneris restituere, quod ipsi debes, sed potes illud retinere titulo compensationis, ea ratione, qua non est tibi licitum incendere domum illius, qui tuam prius incendit, nam talis incensio esset potius vindicta, quam compensatio; si tamen & tu alterius domum incendisti, non teneris damnum ipsi illatum restituere, sed potes retinere titulo compensationis, si alter tibi non restituit damnum, quod tibi intulit incendendo tuam domum, & in hoc consistit æqualitas, & compensatio.

137. Si infamia sit major ex parte unius, quam ex parte alterius, quia in valde graviori crimine fuit infamatus, tunc restituere tenetur, eo meliori modo, quo potest, excessum, ut servetur æqualitas, & altero non restituente, potest qui plus infamavit detinere famam alterius, non quidem per modum compensationis, sed titulo pignoris, donec alter restituat; sicut qui habet apud se torquem auream valentem mille, potest retinere, donec dominus sibi restituat centum, quæ debet, & si non potest restituere, debet torquem vendere, & retentis sibi centum, reliqua restituere.

§. IV.

De Caussis excusantibus a restitutione Famæ.

138. PLures dantur caussæ excusantes a restitutione famæ, quarum aliquæ sunt supra explicatæ, & aliæ relatæ in octavo præcepto, & aliæ nunc sunt explicandæ, & quidem Primo excusat infamati condonatio, qui cum sit dominus suæ famæ, potest illius restitutionem condonare, non minus quam possit condonare restitutionem pecuniæ ablatæ, dummodo infamia non redundet in alios, puta in Familiam, & Filios, qui de Jure manebunt infames, ut si infamatus sit de hæresi, proditione, sacrilegio, & hujusmodi: idem valet de Religioso, cujus infamia redundat in Monasterium, nam tunc non potest restitutionem famæ condonare cum præjudicio aliorum, & inde peccant parentes condonantes, quando infamia redundat in Filios; & Filii, quando redundat in parentes: peccat etiam condonans si inde sequatur scandalum; si Vir sit valde utilis Reipublicæ, & ex infamia fructus impediatur; si fama sit necessaria ad muneris gubernationem, in his casibus condonatio quamvis sit illicita est tamen valida, si excipias casum, quo infamia redundet in alium, quia tunc est etiam invalida. Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *pun.* 4. *c.* 7. *n.* 5. Bonac. *part. ult. n.* 5. Lugus *disp.* 15. *nu.* 37. Reginal. *lib.* 20. *cap.* 23. *nu.* 337. Ant. a Spiritu S. *disp.* 3. *n.* 99.

139. Secundo excusat, si fama sit alia via reparata, & recuperata: Nam obligatio restituendi famam est ad effectum reparandi damnum alteri illatum; si autem damnum illud ex detractione non sit subsecutum, vel sit alia via sufficienter reparatum, cessat obligatio restituendi, cum non amplius detur damnum reparandum,

& con-

& contingit quando propter infamari probitatem, vel propter aliorum virorum testimonium, aut contrarium experientiam constat de falsitate criminis impositi, quis si cessat infamia, & detractor, quamvis peccaverit infamando, non tenetur amplius restituere famam. Navarrus *cap.* 18. *n.* 47. Bonacina *punct.* 12. *n.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 17. Reginaldus *num.* 337. Gaspar Hurtado *disp.* 12. *diff.* 16. Laymano *cap.* 7. *num.* 5. Trullench *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 19.

140. Tertio excusat, si infamia jam sit oblivioni tradita, quia per hoc, quod sit oblivioni tradita fama, jam est recuperata; unde si post plures annos facias confessionem generalem, & recorderis, alium infamasse, sive crimen falsum imponendo, non teneris ad restitutionem famæ, si criminis impositi, seu revelati, non amplius extet memoria. Lessius, Reginaldus, Hurtado, Bonacina, Lugus, & alii, quos sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 4. *n.* 138.

141. Quarto excusat, si crimen occultum, quod tu detexisti, alia via jam sit factum publicum, quia eo ipso, quod aliunde crimen est factum publicum, non amplius ille jus habet ad famam, & sic cessat ratio, ob quam teneris restituere. Nec obstat, quod peccaveris injuste detegendo, nam peccatum te obligat ad pœnitentiam coram Deo, & ad compensanda damna, si quæ secuta sunt, antequam peccatum fieret publicum, non autem te obligat ad restitutionem famæ delicti publici; siquidem si de tali delicto publico loquereris, & alicui etiam nescienti detegeres, non obligaris ad restitutionem; ita nec obligaris continuando in prima detectione, postquam delictum est factum publicum. Toletus *lib.* 5. *cap.* 69. *n.* 3. Reginaldus *lib.* 10. *cap.* 23. *n.* 340. Bonacina *punct. ult. n.* 8. Lugus *disp.* 15. *num.* 37. Villalob. Trullench, Tapia, Lessius, & alii, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 4. *n.* 139.

142. Quinto excusat, si ex sua detractione non sequatur infamia; vel quia Auditores non credunt, vel quia delictum jam est publicum, vel quia ille, de quo detraxisti, parum, aut nihil curat, quod de illo talia peccata narrentur; ut si de Milite dicas, quod sit rixosus, provocasse ad duellum, aut oblatum duellum acceptasse, vel quod hominem interfecerit; aut de juvene amoribus dedito dicas, puellam sollicitasse, aut etiam cognovisse, quia quod hæc, & similia de illis narrentur parum curant, & sic non adest obligatio restituendi famam, quamvis falso hæc de illis narrentur, si de facto infamia non sequatur, ut ulibi a nobis dictum est, & tenet Bonacina *punct. ult. n.* 10.

143. Sexto excusat, si detractio non fuit contra justitiam, quamvis fuerit graviter peccaminosa contra caritatem, ut si referas peccatum publicum, propter quod Paulus fuit alias infamatus, etsi postea resipuerit, & bonis actibus famam acquisierit; licet enim hujusmodi narratio repugnet caritati, non tamen Justitiæ, modo referens non indicet Paulum etiam nunc esse infamem. Non tamen est licitum narrare peccatum occultum alicujus, licet simul referatur cum pœnitentia, nam semper illius fama remanet denigrata: &, si quandoque Sanctorum peccata narrentur simul cum pœnitentia, id evenit ex tacito ipsorum consensu, cum id conducat ad gloriam Dei, & populi ædificationem. Hac ratione narratur persecutio D. Pauli in Ecclesiam, D. Thomæ incredulitas, & D. Petri negatio, vel forte hæc erant peccata publica.

144. In octavo præcepto plura diximus, quandonam detractio sit dicenda gravis, aut levis, contra caritatem, aut contra Justitiam; quæ ibidem videnda sunt. Alias caussas excusantes explicavimus supra, puta quando restitutio est impossibilis; quando non potest fieri sine periculo vitæ, aut non nisi cum majori detrimento propriæ, quæ caussæ sufficienter excusant a restitutione famæ, ut diximus.

§. V.

De Restitutione Honoris.

145. HOnor distinguitur a fama per hoc, quod fama sit bona opinio & existimatio multorum de bonitate, virtute, ac excellentia alterius; Honor vero est testificatio talis excellentiæ verbis, aut aliis signis facta. Læditur honor, aut omissive, omittendo signa necessaria ad talem excellentiam testificandam, quando quis illa præstare tenetur, ut si Prælato, aut alii viro nobili transeunti ceteri assurgant, aut caput aperiant, ipse non assurgat, aut caput non discooperiat; sive positive per contumeliam, derisionem, aut alio modo contemnendo, & vilitatem ejus testando, aut signo aliquo denotando. In utroque casu tenetur dehonorator honorem restituere, exhibendo scilicet honorem negatum, si privative, seu omissive dehonoravit, vel positive satisfaciendo pro injuria, si positive honor fuit ablatus; difficultas solum est circa modum restituendi.

146. Tres solent assignari modi honorem restituendi cum Cajet. *qu.* 72. *art.* 3. & primo restitui potest amica, & honorifica salutatione, aut compellatione, & aliquando laudatione apud eos, coram quibus læsus fuit honor; & hic modus sufficit Prælatis, & Superioribus erga inferiores, & nobilibus erga plebejos, nam illi non tenentur veniam petere, *ne dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas*, ut ait D. August. in regula de Superioribus, prout refert Andreas a Matre Dei *cap.* 4. *n.* 114.

147. Secundo restitui potest, invitando contumelia affectum ad mensam, & dando locum honorificum, qui modus videtur sufficiens inter æquales. Tertio petenda veniam publice, aut privatim juxta conditionem privatæ, aut publicæ culpæ, talique modo uti debent inferiores erga superiores, & æquales etiam inter se, si contumelia fuit gravissima, talisque satisfactio petatur a parte læsa; si autem credatur, eam non desiderare, sufficiet specialia honoris signa exhibere. Ita cum Lessio, Cajet. Villalob. & aliis tenet Andreas a Matre Dei, sequitur Ant. a Spiritu S. *tr.* 10. *disp.* 4. *n.* 126.

148. Quando dehonoratio fuit publica, licet publice sit pro illa satisfaciendum, non est tamen necesse, ut notat Trullench *lib.* 5. *cap.* 10. *dub.* 31. *n.* 11. ut infamator publice per se ipsum veniam petat, sed satis esse videtur, si per amicum, vel Confessarium, vel aliam personam publice honorem reddat, & *num.* 8. notat, illum non teneri ante Judicis Sententiam, nisi ad veniæ petitionem, quod etiam affirmant Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 141. Gaspar Hurtado *disp.* 12. *diff.* 24. Bonacina *disp.* 2. *qu.* 5. *punct.* 2. *n.* 5. Sed hoc durum videtur, nam talis satisfactio exhibenda est, ut in prudentum existimatione sufficiat ad reparandum honorem læsum, & ad manifestandam existimationem internam de dignitate personæ offensæ, unde major satisfactio requiritur pro majori contumelia, & injuria, quam pro minori, prout docet Lugus *disp.* 15. *n.* 57. Reginaldus *lib.* 10. *c.* 23. *num.* 356. Andreas a Matre Dei *n.* 115.

149. Si autem infamatio, & dehonoratio non fuit publica, sed occulta, quando scilicet quis occulte, nullo vidente, nec audiente, alium contumeliis affecit, ebrium, & furem vocando, seu alapam impingendo, negat Molina *tom.* 5. *disp.* 46. *n.* 5. 6. 7. adesse obligationem satisfaciendi, & restituendi, si nullum aliud damnum in fama, aut aliis bonis post se reliquit. Sed contrarium absolute tenendum est; quamvis contumelia fuerit occulta. Ratio est, quia omnis gravis dehonoratio ex debito justitiæ parit obligationem restituendi; unde contumeliosus tenetur pro illata injuria satisfacere, demonstrando signis sufficientibus bonam existimationem, quam de alio habet. Lugus *disp.* 15. *n.* 54. Lessius *dub.* 27 *num.* 140. G. Hurtadus *disp.* 12. *diff.* 14. & alii communiter.

150. Cessat obligatio restituendi, & satisfaciendi, quando offensus vindictam sumpsit ab offensore, quia sumendo vindictam videtur omnem aliam obligationem remittere, & acceptare vindictam illam pro satisfactione sibi debita, ut notat Lugus *n.* 59. peccat tamen graviter auctoritate privata, injuriam sic vindicando; &, si notabiliter excedat injuriam sibi factam ipse tenetur offensori primo satisfacere pro majori illo excessu, pro quo videri potest Lugus *n.* 60.

151. Hic dicendum esset de obligatione restituendi bona fortunæ, cujusmodi sunt divitiæ, pecuniæ, & aliæ res temporales, & externæ; sed de tali obligatione sufficienter dictum est supra *cap.* 2. agentes de possessore bonæ, & malæ fidei, ac de illorum obligatione, quæ non sunt hic repetenda.

C A P U T V.

De aliis circumstantiis Restitutionis.

D U B I U M I.

Cui sit Restituendum.

1. RESp. cum D. Thoma 2. 2. *qu.* 62. *art.* 5. regulariter illi esse restituendum, a quo aliquid acceptum est, vel cui aliquod damnum est illatum, & ita cum D. Thoma tenent Doctores communiter. Ratio est, quia restitutio est actus justitiæ commutativæ tribuens unicuique, quod suum est, & constituens æqualitatem inter illos, quorum unus habet minus, quam habere debet; sed hæc æqualitas constitui non potest, nisi ei qui minus habet, seu a quo aliquid acceptum est, quod suum est reddatur; & sic regulariter restitui debet ei, a quo aliquid acceptum est, seu est damnum illatum:

quis

quis enim non videt, si Petro restituatur, quod a Paulo acceptum est, adhuc Paulo deesse, quod suum est, adeoque non esse positam æqualitatem intentam a justitia commutativa in actu restitutionis? Quis item non videt quam facile quisque posset aliena dominia invertere, si posset quilibet quod ab uno accipit, alteri reddere?

2. Dixi, *regulariter loquendo*, quia hæc generalis doctrina nonnullas patitur limitationes: in primis enim requiritur, ut ille, a quo res aliqua est ablata, sit ipsius dominus, aut justo titulo possideat, etiamsi non sit ejus dominus, quia nimirum est legitimus dispensator, vel custos. Hinc fit, ut depositario, conductori, administratori &c. restituenda sint, quæ ab iis accipiuntur, quia ad ea retinenda jus habent, quo privari non possunt sine injustitia; e contra vero, qui rem accipit a Filio-familias, Religioso, servo, fure, debet domino restituere, non furi, quia dominus, non latro, est passus damnum; poterit tamen illam reddere latroni, si alias timeat damnum grave vitæ, honoris, aut divitiarum.

3. Hic dubitari solet: *an qui rem emit a latrone, teneatur eam vero domino restituere cum dispendio pretii, quo illam emit; & utrum licitum sit illi, ad recuperandum pretium datum, illam restituere latroni?* Cui difficultati jam satisfactum est supra *cap. 2. dub. 2. a n. 15. & seqq.* ubi diximus, te debere rem domino restituere, non furi, si rem gratis accepisti, aut pretium pro ipsa solutum facile te recuperaturum existimes a fure; sicut e contra, si fur existimetur talem rem propria sponte suo domino restituturus, aut saltem facile dominus illam a fure recuperaturus, potest emptor licite reddere rem furi, ut pretium recuperet; de tali enim redditione dominus nequit esse rationabiliter invitus, cum nullum ex ipsa detrimentum patiatur. Si vero periclitetur pretium solutum, si emptor rem domino restituat; &, si restituat furi, periclitetur res domino suo, tunc Sententia communis docet, illum, qui bona fide rem hujusmodi emit a latrone, posse illi restituere, ut pretium suum recuperet; secus qui mala fide emit, quia primus nullam injuriam intulit domino, rem illam emendo, qui proinde non potest esse rationabiliter invitus, si ad recuperandum pretium res furi restituatur, secundus vero debet sibi imputare, si emendo rem, quam sciebat restitutioni obnoxiam, pretium pro illa datum amittat, ut fusius diximus supra *loc. cit.*

4. Secundo requiritur, ut qui rem sibi restituendam petit, non sit ea usurus in proprium, vel alienum detrimentum contra justitiam: hac de caussa habens depositum gladium non tenetur ipsum restituere domino, volenti eo uti ad interficiendum se, vel proximum, sed differenda erit restitutio, donec cesset periculum, quo non cessante, nec restitutio erit facienda. Ratio est, quia restitutio debet cedere in utilitatem, non in detrimentum & perniciem illius, cui fit; si autem gladius restitueretur occidere volenti, non in commodum, sed in detrimentum ipsius cederet, ac proinde non erit gladius restituendus cum tali periculo, nisi sibi ex detentione illius æquale, vel majus damnum immineat; quo periculo durante, non solum teneris ex caritate negare arma petenti, quibus scis abusurum ad suam, vel aliorum perniciem, quia, saltem ex caritate, tenemur omnes vitare malum proximi, si commode possumus, sed & ex justitia; unde peccas contra justitiam gladium reddendo, & teneris ad restitutionem damnorum inde obvenientium, si commode illum negare poteras, quia gladium reddendo occidere volenti positive cooperaris ad occisionem, præbendo instrumentum, quo occidat, & damnum inferat, & sic eris caussa damni cum obligatione restituendi, & ita tenent Sotus *lib. 4. qu. 7. art. 1. ad* 1. Reginaldus *lib. 10. cap. 13. n. 172.* Bonacina *disp. 1. qu. ult. punct. 1. n. 8.* Lugus *disp. 21. n. 29.* Trullench *lib. 7. c. 14. dub. 3.* Tambur. *lib. 3. tr. 4. cap. 1. §. 3. n. 6.* & alios referens Andreas a Matre Dei *cap. 1. punct. 11. n. 204.*

5. Si vero dominus rem, quam petit sibi restituendam, nolit insumere contra justitiam, sed ad usus aliunde illicitos, puta petit sibi restituendam pecuniam, quam vult insumere cum meretricibus, ludis, & ebrietatibus; tunc solum ex caritate teneris denegare pecuniam, si absque ullo incommodo id facere possis, quia ex caritate tenemur, quando commode possumus, impedire peccatum, & spirituale proximi damnum, cum unicuique mandatum sit de proximo suo; sed negando restitutionem, seu pecuniam debitam in casu posito impeditur proximi peccatum contra castitatem, ut suppono; ergo negari, seu differri debet pecuniæ restitutio. Nec obstat, quod creditor jus habeat petendi rem suam, quod jus violatur negando pecuniam debitam, quia tale jus non est formale, & expeditum, sed dici potest impeditum ex caritate, quæ obligat, ut ipsi non reddatur quando est ipsi, vel alteri nocitura: Si autem ex denegatione pecuniæ patiaris incommodum, immineant rixæ, inimicitiæ, lites, vel alia mala, non teneris denegare, sed potes restituere. Ita Sotus *lib. 4. qu. 7. art. 1. ad* 5. Navarrus *cap. 17. n. 63.* Bonacina *disp. 1. qu. ult. punct. 1. n. 4.* Lugus *disp. 21. n. 27.* Trullench *cap. 14. dub. 3. n. 5.* Andreas a Matre Dei *punct. 11. nu. 207.* Lessius *lib. 2. cap. 16. n. 53.* dicens, raro esse peccatum mortale debitum petenti solvere, qui abusurus est eo in suum damnum spirituale, tum quia potest debitor illum corrigere, & sic aptiori medio a malis avertere, tum quia hoc remedium parum est in usu, & parum efficax ad intentum.

6. Tertio requiritur, ut is, a quo res fuit accepta, neque mortuus, neque multum distans, neque sit ignotus: si enim mortuus sit, facienda est restitutio heredibus, sive necessarii sint, & succedentes ab intestato, sive quodammodo alieni, & succedentes ex testamento, quia cum heres succedat in bonis, & juribus defuncti, & ille jus haberet, ut sibi redderetur res ablata, in hoc utique jure succedit heres, cui proinde facienda est restitutio. Quod si defunctus nullum habeat heredem, restituendum est pauperibus, vel in pios usus insumendum ad salutem animæ defuncti: si sit multum distans adeo ut res ad ipsum transmitti non possit, nisi cum sumptibus excedentibus, vel adæquantibus valorem rei transmittendæ, aut sit moraliter certum periculum, quod res, si transmittatur, ad ipsum perventura non sit, expectanda est commodior occasio restitutionis: quod si spes non sit commodioris occasionis, judicandum est de ipsa re, ac si mortuus esset ipsius dominus.

7. Aliqua tamen hic est difficultas: *utrum quando res transmitti commode potest, & debet, transmittenda sit expensis domini, an expensis transmittentis, seu restituentis.* Respondendum est cum distinctione; nam qui debet restituere, vel fuit possessor bonæ fidei, & sic non tenetur propriis expensis rem transmittere, sed satis est, quod eam domino notificet, & tuto loco reservet, aut deponat; vel fuit possessor malæ fidei, & sic tenetur expensis propriis rem transmittere ad locum, in quo eam accepit. Ratio est, quia possessor bonæ fidei tenetur solum ratione rei acceptæ, sicque satis est, quod rem alienam restituat eo tempore, & loco, quo alienam esse scíverit: possessor vero malæ fidei tenetur etiam ratione injustæ acceptionis; ideo tenetur rem remittere, ubi injuste accepit, ut domino resarciatur damnum non solum rei acceptæ, verum etiam injustæ acceptionis: Bonacina *disp. 1. qu. 5. punct. ult. num. 4.* Trullench *lib. 7. cap. 14. dub. 9.* Lugus *disp. 10. sect. 8. §. 3.* Tambur. *lib. 8. tr. 4. cap. 1. §. 8.*

8. Quod si dominus ignotus sit, vel ignoretur secundum quid, & in particulari, adeo ut quis sciat, rem esse unius ex duobus, vel tribus indeterminate, vel ignoretur simpliciter: primo modo res est dividenda inter illos, de quibus dubitatur, reddendo singulis plus, vel minus pro ratione dubii, prout docent Lugus *disp. 20. n. 1.* Trullench *lib. 7. cap. 14. dub. 4. n. 12.* Layman *lib. 3. tr. 2. cap. 9. n. 2.* G. Hurtado *disp. 1. diff. 37.* Andreas a Matre Dei *cap. 1. punct. 11. n. 208.* Si autem toti Communitati, aut majori ejus parti damnum illatum est, ut contingit quando exercitus injuste expoliat oppidum, si dignosci non possint quinam damnum passi sunt, restituendum toti communitati opera Episcopi, vel Magistratus, dando illis, qui majus damnum habuisse judicantur. Trullench *dub. 4. nu. 11.* Secundo modo res est distribuenda pauperibus, vel in pios usus insumenda, juxta ea, quæ diximus supra *tr. 1. cap. 4. dub. 4. a n. 27. & seqq.*

DUBIUM II.

Quantum sit restituendum; quando plures grave damnum intulerunt.

9. Circa quantitatem restituendam dicendum est, tantum esse restituendum, quantum ablatum est, quia ad satisfaciendum justitiæ commutativæ, ex cujus violatione nascitur obligatio restituendi rem acceptam, seu damnum illatum, ponenda est æqualitas rei ad rem, quæ tunc ponitur, quando tantum restituitur quantum ablatum est, nec censetur sufficienter posita, nisi cum substantia rei ablatæ compensetur lucrum cessans, & damnum emergens: sic qui Scribæ calamum, & Sutori acum furatur, non satisfacit calamum, & acum præcise restituendo, sed debet insuper reparare cessationem lucri, & emersionem damni, si quod, non laborando, passi sunt. Qui conculcat semina, arboresve præscindit non satisfacit nisi ultra rerum substantiam fructus spectatos restituat, juxta æstimationem prudentis Viri, qui debebit deducere expensas, & quantitatem illam proportionaliter, secundum quam communiter minoris valoris æstimatur res in spe, quam res in actu propter impedimen-

menta, quæ possunt spem minuere, vel etiam eludere: in particulari quantum sit restituendum a possessore bonæ vel malæ fidei constat ex dictis supra *cap. 2. per totum*: hic solum remanet videndum, quantum singuli restituere teneantur, quando plures concurrunt ad furtum seu damnum inferendum; an singuli teneantur in solidum, an solum pro sua portione, & in hoc sensu.

10. Resp. ex pluribus concurrentibus ad furtum & damnum inferendum, illi tenentur in solidum, seu ad integram restitutionem, qui physice, vel moraliter sunt caussa totius damni; qui vero non est caussa totius damni; sed partis tantum, non tenetur in solidum, sed pro sua parte: Ratio facilis est, quia cum restitutio debeat correspondere damno illato, quilibet ad restitutionem tenetur ea ratione, qua fuit efficax caussa damni; si ergo fuit caussa efficax totius damni, tenetur ad restitutionem totius, si vero fuit causa efficax partis, ad solius partis restitutionem obligatur: sic qui particeps fuit prædæ jam factæ tenetur ad restitutionem, pro ea tantum parte, quam habuit, secus si particeps fuit totius injustæ actionis, cooperando ad injustam actionem. Ita communiter Doctores apud Bonacinam *disp. 1. qu. 2. punct.* 10. n. 10.

11. Hinc Dux Generalis exercitus tenetur in solidum ad restitutionem damnorum in bello injusto illatorum; censetur enim causa efficax totius damni, ad quod inferendum direxit Exercitum: Similiter Duces minus principales & subordinati tenentur in solidum de præda injuste facta, & de damno injuste illato a suis militibus: gregarius vero miles, qui alios non induxit, non tenetur ad restitutionem totius damni a toto exercitu illati, sed tantum pro sua parte; non enim censetur causa injusta totius damni, sed suæ tantum partis, quia bellum iniquum gestum adhuc fuisset absque illius ope, nec ipse in totum damnum influxit; tenetur tamen in solidum, si est causa damni illati ab uno, vel pluribus militibus, illos invitando, & provocando, ut cum Navarro, Azorio, Molina, & aliis docet Bonacina *loc. cit.*

12. Quando plures eidem grave damnum intulerunt absque mutua conspiratione, & absque eo quod unus alium induxerit, non tenetur quivis ad totum damnum: secus si mutua conspiratione damnum intulerunt, nam tunc singuli tenentur ad totum damnum restituendum: hac ratione si plures eamdem vineam ingrediantur, eamque devastentur, omnes peccant mortaliter cum obligatione restituendi totum damnum, si ex communi consensu & mutua conspiratione vineam ingrediantur, & grave damnum inferant, quia tunc omnes cooperantur, & sunt vera causa totius damni; si tamen non conspirarunt omnes ad illud inferendum, nec unus alium induxit aut incitavit, quilibet tenetur restituere solum partem damni, quam ipse intulit, non autem quod alii intulerunt, etiamsi cognoverit damnum ab aliis illatum, ut cum Lessio, Maldero, Sanchez, Tamburino, Villalob. Lugo, & aliis diximus in *septimo præcepto Decalogi cap. de Furto dub. 4. n. 30.*

13. Ubi etiam diximus, quod si fuerit lata excommunicatio contra non restituentes vineæ damnum, illam solum incurrerent, qui communi consilio, & mutua conspiratione damnum causarunt, non vero qui damnum causarunt, absque ulla conspiratione & incitatione aliorum in alios, quamvia unusquisque sciret furtum alterius, quia, non obstante tali cognitione, est solum causa partialis damni a se illati, quod cum sit leve, ut suppono, non obligat ad restitutionem sub culpa gravi & mortali, sed sub culpa tantum veniali; cum autem pro culpa veniali non imponatur excommunicatio major, sequitur, quod nullus talem excommunicationem incurrat, licet Bonacina, Villalob. & alii oppositum sentiant, volentes omnes excommunicationem incurrere, si non restituant, & etiam peccare mortaliter, quamvis singuli seorsim non nisi leve damnum intulerint, quia singuli concurrunt ad damnum notabile; &, cum non sit major ratio cur uni potius, quam alteri damnum notabile imputetur, singulis imputandum est, adeo ut singuli teneantur ad restitutionem.

D U B I U M III.

Quomodo facienda sit Restitutio.

14. Circa modum restitutionis faciendæ, regula generalis est, ut tali modo restitutio fiat, quo convenienter damnum illatum reparetur, aut res ablata in domini potestatem redeat; quia restitutio est actus justitiæ commutativæ intendentis æqualitatem, sed eo ipso quod damnum reparatur, & res ablata in domini potestatem redit, ponitur æqualitas, & sic amplius non requiritur. Hinc fit, nihil interesse, utrum per se, vel per alium quis restituat; publice, an privatim; item in iis, quæ, ob incertitudinem, & ignorantiam dominorum, sunt restituenda pauperibus; nihil interesse hisce, an illis pauperibus distribuantur; nihil pariter interesse, quod talis distributio fiat (nisi alicubi adsit specialis lex in oppositum) requisito, vel non requisito Episcopi, aut Confessarii consilio; hæc enim omnia indifferenter se habent ad convenientem modum restitutionis, saltem ordinarie loquendo; nam si restitutio facienda sit ex occulto crimine, ut convenienter fiat, debet fieri occulte, & per alium, ne manifestetur occultum crimen cum infamia auctoris criminis. Si autem fiat ex crimine publico & manifesto, deberet fieri publice ad tollendum scandalum: qua ratione publicus usurarius tenetur ratione scandali publice restitutionem facere; si tamen illam faciat occulte, non tenetur ad novam restitutionem, quantum pertinet ad obligationem justitiæ, quia sublata est inequalitas, quæ auferenda erat ex obligatione justitiæ; quamvis teneatur ex caritate alia media adhibere, quibus occurrat scandalo, & ostendat, restitutionem esse factam, ut cum aliis docet Bonacina *disp. 1. qu. 7. punct. unico nu. 2.* His generaliter statutis, nonnullæ remanent difficultates solvendæ.

15. Prima difficultas. *An qui centum debet ob furtum restituere satisfaciat suæ obligationi, dando centum titulo donationis.* Resp. non satisfacere suæ obligationi qui liberaliter donat centum immemor, se debere illa centum debito justitiæ ratione furti a se facti. Ratio est, quia solutio debiti cum sit actus justitiæ commutativæ, non potest esse opus liberale, & merum beneficium; & sic non potest esse donatio, quæ puram gratiam & liberalitatem continet. Nec obstat voluntas generalis & virtualis cujuslibet fidelis satisfaciendi suis debitis, quia talis voluntas intelligi debet, quando apponuntur media apta ad satisfaciendum; donatio autem non est medium aptum ad satisfaciendum debito justitiæ, cum sit longe diversum; nam titulus donationis, & titulus justitiæ sunt diversi, cum ille sit titulus liberalis & gratia, iste vero titulus onerosus, & ideo tradens centum titulo donationis non remanet liber ab obligatione restituendi centum, quæ debet, ex titulo justitiæ.

16. Dices: *ad satisfaciendum præcepto non est necessarium operari ex voluntate illud exequendi & satisfaciendi, sed satis est ponere rem præceptam, ut diximus* tr. 3. de Legibus cap. 2. dub. 9. n. 99. *Sed qui liberaliter donat ponit rem præceptam, seu quam restituere tenetur; ergo liberatur ab obligatione restituendi.* Sed contra dico, quod ille, qui liberaliter donat non operari, nec ponere rem præceptam, cum non operetur, nec ponat opus justitiæ, sed gratiæ. Nec dicas; sic donans non donaret, sed solveret, si memor esset debiti, nam per talem voluntatem conditionatam non mutat voluntatem, quam habet de præsenti, nec proinde mutat contractum; sed illum mutaret, si memor esset debiti contracti, ac proinde tunc esset solutio & restitutio, modo tamen non est restitutio, sed gratuita donatio. Ita Sanchez *lib. 1. Sum. cap. 53.* Layman *lib. 3. tr. 2. cap. 22. num. 9.* Gaspar Hurtado *disp. 9. diff. 8.* Trullench *lib. 7. cap. 5. dub. 5. nu.* 10. Diana *p. 3. tr. 6. resol. 57.*

17. Si vero sciens & cognoscens se debitorem, ad occultandum furtum, fingat se liberaliter donare, cum vere intendat restituere, solvere debitum, suæque satisfacere conscientiæ in eo, quod debet ob furtum restituere, tunc dico satisfacere, & liberari ab ulteriori restitutione facienda: quia illa non est vera, & gratiosa donatio, cum non procedat ex animo liberali, sed est vera solutio procedens ex animo satisfaciendi debito justitiæ, licet sit occultata sub extrinseca & apparenti specie donationis, ad quam quidem occultationem datur causa sufficiens, ne debitor exponatur periculo perdendi famam, si cognosceretur esse fur.

18. Nec dicas: *quod recipiens illa centum sub titulo donationis, forsitan erit gratus, & tantumdem alia occasione redonabit, & sic non remanebit illæsus.* Contra enim est, quia ad talem redonationem ipse non inducit nec cogit, estque per accidens respectu debitoris sic restituentis, qui potest eam permittere, ne famam amittat: in praxi talis fictio non est laudanda, nisi ob urgentem caussam, cessante scilicet alio securo modo restituendi absque læsione propriæ famæ, ne donatarius credat se obligatum redonare ficto donatori, & sic patiatur aliquod damnum ex obligatione antidorali.

19. Secunda difficultas: *an qui rem domino restituendam tradit Confessario, seu alii Viro fideli, teneatur ad novam restitutionem faciendam, si Confessarius eum retinuerit, aut alii ab eo surripuerint?* Certum est non teneri, si rem tradat personæ ab ipso creditore designatæ, vel ex ejus consensu electo, quia tunc gerit personam illius, ac perinde est ac si illi tradita fuisset; unde si perit, creditori, non debitori perit; si autem debitor ipse eligat personam fidelem, dubium est, an tunc teneatur ad novam restitutionem, si res pereat, & non

per-

perveniat ad creditorem, & quidem res illa potest esse debita ex actione injusta, propter rapinam aut furtum, vel ratione rei acceptæ, seu ratione contractus.

20. Plures affirmant, debitorem tradentem rem furatam Confessario, seu Viro fideli, ut domino restituat, non teneri iterum restituere, si forte casu pereat apud portatorem, vel ab ipso detineatur, ita quod non perveniat ad dominum. Ratio est, quia sic restituens facit quantum facere debet, remittendo rem per hominem fidelem, cum non teneatur se ipsum infamare; cum quia dominus rationabiliter præsumitur, immo debet consentire, ut per hominem fidelem res sibi mittatur: tum quia hic modus restituendi per Confessarium, seu hominem fidelem, est frequentissimus & usitatissimus, scientibus & consentientibus cunctis creditoribus: & ita tenent Sotus *in 4. disp. 15. qu. 2. art. 4.* Gabriel *ibid. qu. 2. art. 4.* Ledesma *tom. 2. tr. 8. cap. 13. concl. 8.* Diana *part. 2. tr. 17. resol. 2.* dicens, hanc Sententiam esse tutam in praxi, & eamdem tenet *part. 10. tr. 16. resol. 97.*

21. Resp. teneri ad novam restitutionem, si res debita ex delicto & injusta acceptione, non perveniat ad dominum. Ratio est, quia usque dum res non perveniat ad manum creditoris, non est ablata inæqualitas posita per furtum seu injustam acceptionem, nam dominus minus habet in rebus suis, quam habere debeat; sed restitutio obligat ad ponendam æqualitatem, & efficere, ut res cum effectu perveniat ad dominum suum; ergo etiam obligat ad novam restitutionem, quando res per Confessarium, aut alium Virum fidelem transmissa non pervenit ad creditorem, quia sine nova restitutione non est ablata inæqualitas caussata per illam injustam actionem, sibique imputare debet delinquens, quod res perierit, quæ non periisset, si apud dominum perseverasset. Ita Lugua *disp. 21. sect. 5. n. 59.* Trullench *lib. 7. c. 14. dub. 11. n. 11.* G. Hurtado *disp. 8. diff. 17.* Bonacina *disp. 1. qu. 3. punct. 9. n. 3. & 8.* Reginaldus *lib. 10. cap. 15. n. 214. & 216.* Rosignol. *de restit. 2. prænot. 5. n. 11.* & alios referens Andreas a Matre Dei *cap. 1. punct. 9. numer. 188.*

22. Non obstant fundamenta opposita; ad primum enim dico, mittentem rem furto sublatam per Confessarium, seu alium Virum fidelem, facere quantum debet, si res vere perveniat ad dominum, non tamen liberari ab obligatione iterum restituendi, si non perveniat, quia ratione culpæ & injustæ ablationis contraxit obligationem ponendi æqualitatem, quæ numquam censetur posita quoadusque res non perveniat ad dominum; & inde si res pereat, vel Confessarius infideliter se habeat, tenetur iterum restituere ad ponendam æqualitatem, ad quam tenetur ratione injustæ acceptionis. Ad secundum dico; dominum consentire debere, ut sic ad eum res mittatur, non tamen ut liberetur ab onere restituendi, si sic missa ad eum non perveniat; unde consensus ille tacitus intelligi debet, ut procedat sub virtuali conditione, ut si res pereat, debitori pereat. Modus restituendi per Confessarium est communis & usitatus, quia est moraliter certus & securus, cum regulariter Confessarius sit vir prudens & fidelis, estque ille modus valde conveniens & utilis, ne peccatum furti detegatur, non vero sufficit ad liberandum debitorem ab onere restituendi, si res ablata cum effectu non perveniat ad dominum.

23. Si autem res non sit debita ex delicto, sed solum ex re accepta, illamque in specie, seu in individuo mittas per virum fidelem, non teneris iterum restituere si pereat; non enim teneris restituere ex re accepta, quæ amplius non extat, nec ex injusta acceptione, quia nullam culpam commisisti taliter mittendo, nam moralem & prudentem diligentiam adhibuisti, ut tute perveniret ad dominum, cui proinde perit, non mittenti, qui nullam culpam commisit. Idem dicendum, si res erat ex contractu & in individuo restituenda, ut vestis, seu equus, qui erat commodatus, seu locatus, cum militet eadem ratio. Si autem debitum, sive ex re accepta sive ex contractu erat pecunia, aut alia res usu consumptibilis, si in itinere perit, mittenti periit, quia usque dum non pervenit ad manus creditoris, est sub dominio debitoris. Ita Lugus *n. 57.* Trullench *n. n. 3. ad 7.* G. Hurtado, & Andreas a Matre Dei *loco cit.* sequitur Tambur. *lib. 8. tr. 4. cap. 1. §. 5. n. 4.* Ant. a Spiritu S. *disp. 30. n. 1448.*

24. Tertia difficultas est: *an qui vovit dare Calicem Ecclesiæ, si illum mittat per virum sibi visum fidelem, teneatur alium mittere, si ille cum Calice aufugiat, aut alii ab eo surripiant.* Resp. negative, quia jam censetur votum impletum per illam mediatam traditionem bona fide factam, nec ad amplius censendus est voluisse se obligare dum vovit, ut cum Tancred. tenet Diana *part. 10. tr. 16. resol. 97.* sequitur Tambur. *supra n. 19.* Ant. a Spiritu S. *n. 1449.* addens, non teneri Calicem, aut aliam pecuniam dare, si inculpabiliter illam amisit, quia non tenetur ex voto, nec ex re accepta, quæ amplius non extat, & illam amiserit, nec ex injusta acceptione, cum amiserit sine culpa, & sic ex nullo capite.

DUBIUM IV.

Quando sit facienda Restitutio.

25. RESP. restitutionem, sive ex re accepta, sive ex injusta acceptione faciendam esse statim ac quis cognoscit, se rem alienam habere, seu damnum intulisse; statim, inquam, non mathematice, adeo ut omnem temporis moram excludat, sed moraliter & civiliter, adeo ut non admittat moram talem, de qua dominus possit esse rationabiliter invitus. Ratio est, quia præceptum restitutionis, ut alibi dictum est, quamvis secundum formam verborum sit affirmativum, cum per ipsum videatur præcipi actio facienda, in se tamen formaliter est negativum, & originem trahit, immo unum est cum præcepto negativo non furandi; sed præceptum negativum adimplendum est statim, nec ullam temporis moram admittit, cum obliget semper & pro semper; ergo etiam præceptum restitutionis adimplendum est statim ac quis rem alienam injuste, & domino rationabiliter invito, detinet, cum præcipue detinere alienum æquivaleat furto continuato; furtum autem semper & pro semper est prohibitum. Ita cum communi sententia Bonacina *disp. 1. qu. 6. punct. unico* Trullench *lib. 7. cap. 14. dub. 10.* Anton. a Spiritu Sanct. *disp. 30. num. 1450.*

26. Hinc qui scienter retinet alienum, invito domino, & potest, data opportunitate, restitutionem facere, manet in statu peccati mortalis, quamdiu non restituit, ex Textu in cap. *sæpe de restit. spoliat.* ibi: *eo quod non multum intersit quoad periculum animæ injuste detinere, ac invadere alienum.* Quin etiam tenetur ad restitutionem damni secuti ex dilatione solutionis; nam differendo solutionem, peccat contra justitiam cum damno creditoris, ut suppono, & sic tenetur ad restitutionem damni secuti, quia ex peccato contra justitiam cum damno alterius oritur obligatio restituendi, ut cum Bonacina *num. 5.* tenet Andreas a Matre Dei *cap. 1. punct. 13. n. 252.*

27. Dubitatur; *an qui injuste restitutionem differt nova successive peccata committat, an vero solum prius peccatum augeat, & aggravet.* Dico, in dilatione restitutionis novum peccatum committi quoties, vel directe & expresse per novum, specialemque actum renovatur propositum non restituendi, vel, habito proposito restituendi, data opportunitate, non restituitur, si credat dominum esse rationabiliter invitum. Ratio est, quia quilibet novus actus contra præceptum habet novam malitiam & est novum peccatum, ut suppono ex dictis de actibus humanis; sed quoties quis habet novum propositum non restituendi, habet novum actum contra præceptum restitutionis, quod obligat semper & pro semper; ergo habet novum actum malum & novum peccatum. Item, qui, habito proposito restitutionis, data opportunitate, non restituit, habet saltem indirecte & implicite novum actum & novam voluntatem non restituendi, ideo etiam novum peccatum; neque enim, perseverante proposito efficaci restituendi, data opportunitate, potest, data opportunitate, non restitui.

28. Extra hos duos casus per solam dilationem restitutionis aggravatur peccatum, non multiplicatur, quia non committitur novum peccatum, nisi vel eliciatur novus actus, vel accedat novum præceptum, præsertim spectans ad diversam virtutem; sed qui extra duos prædictos casus restitutionem differt, neque habet novum actum, neque urgetur novo præcepto; & sic novum peccatum non committit, licet aggravet primum, quia circumstantia longioris temporis peccatum aggravat. Nec dicas; *præceptum restitutionis obligat pro singulis momentis; ergo tot peccata committuntur contra præceptum restitutionis, quot momenta pertranseunt, re non restituta;* contra enim, sola plurificatio & multiplicatio actuum, non vero continuatio actus per plura momenta multiplicat peccata ex alibi dictis.

29. Quod si restitutio non sit debita ex furto aut injusta læsione, sed ex contractu licito, puta ex mutuo aut commodato, licet regulariter facienda sit tempore in contractu definito, etiamsi non petatur, quia pro domino interpellat dies definita, cap. *finali de locato & conducto*, non tamen graviter peccat qui restitutionem differt, donec exigatur a creditore, nisi forte ex timore, erubescentia, aut oblivione non petat, quia creditor solens & potens petere solutionem, si eam non petit, videtur licentiam eam differendi concedere, prout docent Sanchez, Palaus, Petrus Navar. Salon. & Dicastillus, quos affert & sequitur Andreas a Matre Dei *c. 1. n. 254.* Trullench *l. 7. c. 14.* G. Hurtado *disp. 8. diff. 4.*

Lugus

Lugus *disp.* 20. *n.* 211. qui advertunt, hunc debitorem ex contractu licito non esse facile condemnandum de culpa mortali, nec ei denegandam absolutionem, quamvia differat solutionem sæpius, etiam illam creditore petente, quando iste nullum inde patitur damnum, aut periculum, & debitor verum habet animum solvendi, quia ea dilatio non videtur graviter injuriosa, maxime si debitor non possit commode restituere.

30. Neganda est absolutio pœnitenti, si non habet firmum propositum restituendi, quia esset indispositus; vel cum facile possit totum debitum in magna quantitate restituere sine gravi incommodo, id facere non vult nisi successive per partes cum incommodo, vel repugnantia creditoris; nam debitum totum est restituendum, nec differri potest sine tacita, vel expressa licentia creditoris; quare si totum non restituat cum facile, & commode potest, respectu illius partis residuæ est injustus detentor, & remanet in peccato actuali, ut cum Bonacina, Sayro, Dicastillo, & Soto, tenet Andreas a Matre Dei *n.* 256. Hurtado *disp.* 8. *diff.* 7. Ant. a Spiritu S. *n.* 1452. & sequi videtur Diana *part.* 3. *tr.* 6. *resol.* 5. Si autem non possit totum debitum simul restituere, tunc satisfacit restituendo per partes, nam talis censetur consensus creditoris. Addunt nonnulli absolvi posse debitorem, si dilatio non sit valde nociva creditori, & Confessor probabiliter credat, quod, negata dilatione, & absolutione, numquam, vel non ita utiliter restituet, maxime si pœnitens sit in bona fide, putans id sibi licere, & proponat ita restituere. Petrus Navarra *lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 15. dicens, hanc ignorantiam communiter excusare debitores, quia alias major pars Reipublicæ in statu damnationis existeret, & tunc melius erit debitorem non monere, sed in sua bona fide relinquere, nisi ipse petat edoceri.

31. Neganda pariter est absolutio debitori, qui ter, quater, & sæpius admonitus a se, vel ab alio Confessario, ut restituat, nihilominus restitutionem differt sine caussa, cum possit commode restituere, donec re ipsa restituat vel in totum, vel in partem, prout potest, quamvis dicat, se habere firmum propositum restituendi: sicut neganda est absolutio concubinario, qui sæpius admonitus promisit concubinam ejicere, donec cum effectu ejiciat, quia iste est in occasione proxima peccandi, & ille in actuali peccato, & merito dubitari potest, quod non habeat firmum propositum, & quod, obtenta absolutione, non sit servaturus promissum, sicut alias fecit. Lugus *disp.* 20. *n.* 213. Bonacina *quæst.* 6. *punct. unico num.* 18. Bannez, Cajet. Prado, Dicastillus, quos sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *n.* 257.

32. Neganda similiter est absolutio, donec re ipsa restituat debitori moribundo, qui commode, & absque infamia & scandalo restituere potest ante mortem, nihilominus restituere non vult nisi per heredem in testamento relictum, quia sic videtur non habere firmum & absolutum propositum restituendi, si supervivat, sed conditionatum, si moriatur: tum quia sine caussa rationabili creditores exponit periculo suum creditum non recuperandi, vel non nisi cum magnis expensis, nam heredes sæpe nimis differunt solutionem, & mille lites excitare solent, quibus creditores misere premuntur, & dato quod lites vincant, expensas factas, saltem integre, recuperare non solent. Ex justa caussa poterit Confessarius moribundum absolvere, si ex circumstantiis, & rerum perturbatione cognoscat, restitutionem tunc fieri non posse, & non nisi per heredes: tunc enim sufficit, quod infirmus restitutionem heredibus in testamento committat. Sotus *lib.* 4. *qu.* 7. *art.* 4. *an responsionem ad argumenta* Molina *disp.* 756. *n.* 2. Lugus *disp.* 20. *n.* 212. Tambur. *lib.* 8. *tr.* 4. *c.* 1. §. 6. *n.* 3. Bonacina *punct. unico n.* 15. Diana *part.* 5. *tr.* 3. *resol.* 104. Trullench *lib.* 7. *c.* 14. *dub.* 10. *n.* 12. Andreas a Matre Dei *c.* 1. *n.* 259.

D U B I U M V.

Quonam ordine facienda sit Restitutio.

33. ORdo in restitutione servandus attendi potest penes debitores, & personas ipsas, quæ damnum intulerunt; & quæri potest: *Quinam ex illis primo, & per se obligentur ad restitutionem faciendam, & quinam obligentur secundario, & in defectum aliorum*. Sed de hoc satis dictum est supra *cap.* 3. *dub.* 6. Deinde potest attendi penes debita ipsa, & personas, quibus facienda est restitutio; & quæri potest: *quænam debita prius sint solvenda, & quibus personis prius satisfaciendum, quando bona debitoris non sufficiunt pro omnibus creditoribus*; si enim sint sufficientia pro omnibus creditoribus, omnibus restituendum est, nec ullus ordo necessario servandus est; quando vero bona non sufficiunt pro omnibus creditoribus:

34. Resp. 1. debita certa, quorum scilicet dominus est certus, prius solvenda sunt, quam debita incerta, quorum scilicet dominus ignoratur, si debita incerta non maneant in eadem specie. Ratio est, quia debita certa jure naturali restituenda sunt suis dominis, debita vero incerta, quando dominus ignoratur, restituenda sunt pauperibus, & locis piis, non quidem Jure naturali, sed Ecclesiastico, ut constat ex dictis supra *tr.* 1. *c.* 4. *dub.* 4. *n.* 34. prius autem satisfaciendum est juri naturali, quam positivo, cum utrique satisfieri non potest, & sic prius solvenda sunt debita certa, quam incerta. Conf. Creditor incertus non præsumitur invitus, ex eo, quod ipsius debito incerto debitum certum præferatur, sicut præsumitur invitus creditor certus, si ipsius debito certo præferatur incertum; nam creditor incertus non præsumitur invitus, quod ipsius debitum in pios usus insumatur; sed est aliqualis pius usus debiti incerti illud insumere ad solvendum debitum certum, ut debitor impotens omnia sua debita solvere a creditoribus certis non vexetur, ac proinde debitum certum est prius solvendum. Sic, pluribus citatis, Rosignol. *de restit.* 2. *prænot.* 8. *n.* 2. Lugus *disp.* 20. *n.* 5. Trullench *lib.* 7. *cap.* 14. *dub.* 12. G. Hurtado *disp.* 7. *diff.* 1. Bonacina *disp.* 1. *q.* 8. *punct.* 2. *n.* 9. Navarrus *cap.* 17. *num.* 48. Ant. a Spiritu S. *disp.* 30. *n.* 1456. aliique communiter,

35. Dixi: *si debitum incertum non maneat in eadem specie, nam si extet in propria specie, illud est prius restituendum pauperibus, aut locis piis, & præferendum debitis certis, quia debitor tenetur creditoribus certis satisfacere ex bonis propriis, non ex alienis; at quamdiu res extat in propria specie, non est propria, nec sub dominio debitoris, sed in pauperes, vel caussas pias eroganda; & sic est restituenda primo loco, non creditoribus ex alio titulo, sed pauperibus, vel caussis piis, juxta præsumptam voluntatem creditoris ignoti*. Sic Auctores *supra cit.*

36. Resp. 2. inter Creditores certos ille præferendus est, qui credito vendidit rem, quæ adhuc extat apud emptorem, quia ab æquitate alienum videtur, ut hujusmodi res, nondum soluto pretio, extans potius tribuatur alteri, quam venditori, maxime quia venditor, qui ab emptore fidejussorem, vel pignus non accepit, censetur tacitam quamdam hypothecam habere in rem illam, donec ipsi satisfiat. Nec dicas; *per venditionem absolutam dominium rei venditæ transit in emptorem, cui etiam perit, si forte pereat, nec venditori remanet specialiter hypothecata pro pretio jure aliquo positivo, nec jure naturali, cum absolute & absque ulla conditione sit tradita*: ergo venditor non habet amplius jus prælationis in ipsam, nec in pretium ejusdem, quamvis habeat actionem civilem in ipsum pretium; unde non est potius ipsi, quam aliis creditoribus tradenda. Contra enim dico, venditorem, qui rem vendidit, expectata pecunia, quamvis habuerit pretium pro soluto, adhuc tamen esse præferendum ceteris creditoribus; nam licet transferat dominium rei venditæ in emptorem, non tamen intendit se privare omni jure, & præcipue jure prælationis inter creditores.

37. Confirmari potest, nam adducta in domum, quam quis alteri locavit, manent obligata pro locatione, & pro damnis domui illatis, *l.* 2. *ff. ex quibus caussis pignus, vel hypotheca contrahatur*; ergo multo magis res vendita debet remanere obligata pro pretio non soluto, prout docent Lessius *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 2. *n.* 10. & 11. Cajet. *Verbo Restitutio cap.* 8. Navar. *cap.* 17. *n.* 49. Bonacina *qu.* 8. *p.* 2. *n.* 8. Trullench *l.* 7. *cap.* 14. *dub.* 12. Ant. a Spiritu S. *n.* 1455. & alios referens Andreas a Matre Dei *c.* 1. *num.* 232.

38. Resp. 3. Debita orta ex contractu oneroso, ut sunt emptio & venditio, prius solvi debent, quam orta ex contractu gratioso, nempe donatione, legato, seu gratuita promissione, quia major fieret injuria, si priora debita negarentur, quam si posteriora; unde si bona testatoris non sufficiunt ad solvenda debita contracta per emptionem & per legatum, solvenda sunt, quæ titulo emptionis debentur, quia hæc debentur ex justitia, non illa, quæ proveniunt ex liberalitate. Adde, quod legata intelliguntur solum debita, deducto ære alieno: quod verum est, etiamsi legatum sit factum in caussam piam, quia æque ob caussam piam licitum est de alieno facere donationem, quia hoc esset offerre Sacrificium de rapina, ut cum Petro a Navarra notat Rosignol. *prænot.* 8. *n.* 5. Ita etiam tenent Molina *disp.* 760. *n.* 4. Lessius *l.* 2. *cap.* 15. *dub.* 4. Lugus *disp.* 20. *n.* 141. Trullench *supra dub.* 12. *n.* 20. Bonacina *qu.* 8. *punct.* 2. *n.* 12.

39. Præferenda tamen sunt, & prius solvenda debita contracta pro expensis funeris modestissime factis, attenta qualitate personæ, & quæ fuerunt contracta ratione defuncti, ad conficiendum testamentum, & inventarium, ad custodiam suppellectilis, & similia; nam expensæ funeris præcedunt omne debitum, *l. penult. ff. de religiosis, & sumptib. funerum*, & creditores censentur hoc rationabiliter permittere prore tam necessaria, ma-

xime

xime quia talia bona adhuc censentur esse debitoris; si enim omnia essent creditorum, tunc sumi non posset pro expensis funeris, nisi id, quod simpliciter necessarium est ad sepeliendum moderate cadaver defuncti, nam censetur tunc extrema necessitas, ut docet Bonacina *n*. 25. sequitur Lugus *disp*. 20. *n*. 81. Ant. a Spiritu S. *disp*. 30. *n*. 1457.

40. Resp. 4. habens creditores hypothecarios, seu quibus bona ipsius sunt obstricta, seu hypothecata, & chirographarios, seu qui solam personam obligatam habent, prius solvere debent illis, quam istis; ideo enim bona alicui obligantur, ut ex his fiat solutio, si aliter debitum solvi non potest. Quod si res hypothecata pluribus non sufficiat ad solvendum omnibus, tunc ille regulariter præferendus est, cui prius tempore fuit hypothecata, juxta vulgatam illam regulam Juris 54. *Qui prior est tempore, potior est jure*. Interdum tamen posterior tempore præfertur, ut si res hypothecata, pecunia ab illo mutuo accepta, fuit empta, aut constructa, vel conservata, aut reparata, aliisque de caussis, de quibus agunt Juristæ, & videri possunt apud Rosignol. *prænot*. 8. *n*. 14. Lessium *lib*. 2. *cap*. 15. *dub*. 4. *a num*. 26. Gaspar Hurtadum *disp*. 7. *diff*. 7. Bonacinam *num*. 16. Trullench *lib*. 7. *cap*. 14. *dub*. 12. *a num*. 6. Andream a Matre Dei *a num*. 139.

41. Resp. 5. post solutionem creditoribus hypothecariis factam, si quid ex bonis debitoris superest, solvenda sunt debita mere personalia, scilicet quæ hypothecam non habent, sive ex contractu oneroso, sive ex delicto sint orta, neque necesse est, ut in solvendis hujusmodi debitis aliquis ordo servetur. Procedit responsio, quando res debita, sive ex delicto, sive ex contractu, non extat in propria specie; nam si extat, ipsa prius restituenda est, quam ex ea solvantur alia debita; nam cum in isto casu res non sit debitoris, sed creditoris, pro suo domino clamat, ac proinde debitor non debet ex re aliena solvere, ut in simili dixi *supra n*. 30. Quando autem res aliena est consumpta, tunc procedit responsio; & ratio est, quia bona debitoris non magis sunt obligata creditori ex contractu, quam ex delicto, aut vice versa, & aliunde nullo jure statuitur, aliquem ordinem in solutione hujusmodi debitorum esse servandum; ac proinde si quis debeat aliquam quantitatem ex furto, & aliam ex emptione alicujus rei, non prius debet necessario solvere istam, quam illam. Ita Sylvester, Petrus a Navarra, Lessius, quos sequitur Rosignol. *cit. prænot*. 8. *n*. 6. Lugus *disp*. 21. *n*. 36. Reginaldus *lib*. 10. *cap* 17. *n*. 243. Bonacina *qu*. 8. *par*. 2. *num*. 11. Trullench *lib*. 7. *cap*. 14. *dub*. 12. *n*. 16. Gaspar Hurtado *disp*. 7. *diff*. 3. Layman *lib*. 3. *tr*. 2. *cap*. 11. *n*. 6.

42. Dices: *prius quisque debet recedere a peccato, quam implere obligationes contractus sine peccato; ut proinde solvere prius debet debita ex delicto, ut sic recedat a peccato, quam debita ex contractu*. Sed contra dico; non minus peccare, & committere injustitiam non solvendo debitum ex contractu, quam ex delicto, cum utrumque sit ex justitia solvendum; quare non magis recedit a peccato solvendo unum, quam alterum, & inde liberum est alterutrum prius solvere, quando utrumque solvi non potest. Instantia solum probat, prius solvenda esse debita ex delicto, quam ex liberali donatione, non vero debita ex contractu justo, & oneroso.

43. Nec dicas: *detentio rei ex delicto debitæ magis injuriosa est creditori, qui magis conqueri potest*; hoc enim falsum est, nam debiti detentio est æqualiter injuriosa utrique creditori, solumque differunt in eo, quod alterum est cum injuria contractum, & alterum sine illa; sed in ordine ad restitutionem non attenditur ad injuriam, ex qua debitum ortum habet, sed ad illam, quæ irrogatur creditori non solvendo: hæc autem est æqualis in utroque creditore, tam ex delicto, quam ex contractu, ac proinde non magis illud, quam istud est necessario restituendum.

44. Excipiendi tamen sunt creditores privilegiati, qui licet non habeant hypothecam, tamen ex privilegio Juris habent jus prælationis inter creditores chirographarios non privilegiatos, ita scilicet, ut totum debitum exigere possint, antequam quidquam aliis solvatur; tales sunt Respublica, quæ pecuniam alicui credidit; Sponsa de futuro ratione dotis traditæ, matrimonio non secuto; Creditor caussa funeris; & qui deposuit pecuniam apud nummularium non recipiens inde usuras, idque etiam extenditur ad omnia deposita, & ad commodatum, vel pignus, si culpa debitoris perierit, ut videre est apud Andream a Matre Dei *cap*. 1. *n*. 244.

45. Resp. 6. Inter creditores personales non habentes hypothecam, seu privilegium, non est habenda ratio temporis, nec illi prius integre solvendum est, qui prior tempore est creditor, sed facienda est restitutio pro rata juxta proportionem debitorum, nulla habita ratione temporis prioris, aut posterioris. Ratio est, quia, nulla existente hypotheca, aut privilegio, bona debitoris, nulli sunt obligata, sed dumtaxat persona, quæ est æqualiter omnibus obligata, ac proinde omnes jus habent æquale, & titulum sufficientem, ut sibi satisfiat ex bonis debitoris. Nec obstat regula illa 54. Juris in 6. *Qui prior est tempore, potior est jure*, quia valet solum in creditoribus realibus habentibus hypothecam in eamdem rem, aut habentibus aliquod jus prælationis, non vero in creditoribus personalibus, quia, ut habet Sylvester *verbo Restitutio* 6., de illis loquitur jus Civile *Cod. qui potiores in pignore*. Ita Rosignol. *prænot*. 8. *num*. 7. Bonacina *punct*. 2. *num*. 19. Rodriquez *verb. restitutio cap*. 48. *num*. 6. Navarrus *cap*. 27. *n*. 51. Palaus *disp*. 1. *punct*. 18. §. 18. *num*. 5. Ant. a Spiritu Sanct. *disp*. 30. *num*. 1465. Trullench *lib*. 7. *cap*. 14. *dub*. 12. *num*. 17. Reginaldus *lib*. 10. *cap*. 47. *num*. 248. G. Hurtado *disp*. 7. *diff*. 7.

46. Dices: *regulam illam Qui prior est tempore, potior est jure, esse universalem, nec restringi ad solos creditores hypothecarios, cum valeat etiam in aliis materiis; nam priora Sponsalia præferuntur secundis, & qui duobus eamdem operam personalem locavit, tenetur illam exhibere primo. Ratio est, quia secunda obligatio, etiam personalis, est quasi conditionata, & valet sine præjudicio obligationis prioris, & salvo jure prioris creditoris*. Sed contra dico; regulam illam debere intelligi dumtaxat de creditoribus hypothecariis, non de aliis personalibus. Ad exempla adducta facile respondetur, quod res in illis promissa, cum sit indivisibilis, nec possit singulis ad ratam tradi, nil mirum, si tota sit tradenda priori, qui talem personam habet sibi devinctam in particulari, quod non accidit in solvendis debitis personalibus, quibus pro rata potest, & debet satisfieri. In aliis casibus si regula illa admittatur, erit ex speciali Juris dispositione, quæ non militat in nostro casu. Ad id, quod additur facile negatur, secundam obligationem etiam personalem esse quasi conditionatam, & intelligendam salvo jure prioris creditoris, cum vere sit absoluta, & absolute debitor intendat se obligare; secus, contracto uno debito, non posset aliud contrahere ad sibi subveniendum, ut argumentatur Pater Rosignol. *num*. 7. §. *dices* 3.

47. Nonnulli asserunt, in persolvendis debitis personalibus, & non privilegiatis, præferendos esse pauperes ditioribus, quia obligatio restitutionis datur ad evitandum damnum proximi; plus autem damni patitur pauper & egens, nisi prius solvantur, quam dives. Ita Rodriquez, Petrus Navar. Rebellus, & alii relati ab Andrea a Matre Dei *n*. 247. sed probabilius alii negant, quia nullo jure positivo id est dispositum, jure autem naturali unicuique, sive diviti, sive pauperi reddendum est, quod suum est, unde non debet præferri pauper, nisi paupertas sit extrema, aut saltem gravis, &, cum omnes creditores habeant æquale jus in debitorem, non potest unus aliis præferri sine aliorum injuria. Sic Bonacina *disp*. 1. *qu*. 8. *p*. 2. *n*. 24. G. Hurtado *disp*. 7. *diff*. 5. Rosignol. *n*. 10. Trullench *n*. 19. Lugus *disp*. 20. *nu*. 161. Ant. a Spiritu S. *num*. 1465. Lessius *l*. 2. *cap*. 5. *dub*. 7. *num*. 46.

48. *An vero sit prius integre solvendum creditori prius solutionem petenti?* Certum est, debitorem, postquam cessit bonis, vel ea bona sunt auctoritate Judicis sequestrata, ut ex illis creditoribus satisfiat, non posse uni præ aliis satisfacere, ut notat Palaus *disp*. 1. *punct*. 18. §. 21. *n*. 4. nec item posse alicui non petenti, sed propria sponte integre satisfacere, unde peccaret mortaliter sic solvendo, quia in eo faceret injuriam ceteris creditoribus habentibus æquale jus cum illo, cui solvit, ut notat Palaus *n*. 6. & G. Hurtado *disp*. 7. *diff*. 6. Poterit autem id facere auctoritate Judicis, si creditor prius in judicio debitum petat, & Sententiam obtineat, quia in præmium ejus diligentiæ a Jure illi prælatio conceditur, *l. si hominem §. quoties, ff. depositi, vel contra l. qui autem §. sciendum, ff. quæ in fraudem creditorum*.

49. Si vero privatim, & extra judicium petat, tunc plures volunt, debitorem posse licite & tuta conscientia integre satisfacere prius petenti sine obligatione satisfaciendi aliis creditoribus, quia sicut hypotheca, & privilegium, ita & diligentia in petendo creditorem facit potiorem, quamvis tempore posteriorem, ut cum aliis tenet Bonacina *punct*. 2. *n*. 20. & inde creditor, qui petit, & curat sibi solutionem fieri ante alios, non peccat, nec tenetur ad restitutionem, quia utitur jure suo, recipiendo, quod sibi debetur, & cujus dominium est apud dantem. Ita tenent Rodriquez *tom*. 2. *cap*. 48. *n*. 13. Trullench *dub*. 12. *n*. 18. Diana *part*. 3. *tract*. 5. *Miscell. resol*. 10. & cum Villalob. & aliis Ant. a Spiritu Sanct. *disp*. 30. *n*. 1465. ex quo infert Lugus *disp*. 20. *nu*. 174. juxta hanc Sententiam asserentem, posse debitorem solvere prius petenti; posse etiam, si velit amico gratificare, non quidem solvendo illi non petenti, sed monendo,

& con-

& consulendo, ut prius petat, & ei petenti solvendo, quia non peccat consulendo & monendo; nam consulit rem licitam, quam alter sine peccato facere potest, nec peccat petenti solvendo, cùm id secundum hanc opinionem sit licitum.

50. Verum probabilius est pro foro conscientiæ non esse licitum, nec reddi posse debitum creditori prius privata, & extra judicium petenti, neque creditorem posse integram solutionem accipere, sed teneri in conscientia restituere, quia, attento jure naturali, cum bona debitoris non sufficiant pro satisfactione omnium creditorum, sunt pro rata secundum proportionem dividenda; cum omnes æquale jus habeant, ut sibi secundum proportionem bona debitoris applicentur; & inde creditor illicite petit, & accipit totum debitum, quod in his circumstantiis non debetur. Nec privilegium aliquod, sive naturale sive positivum afferri potest, quod jus prælationis conferat primo petenti. Nec obstant Leges non invalidantes factum, nec revocantes solutionem, & non concedentes actionem contra illum creditorem, cui prius solutum est, quia per hoc non conceduntur, ut tuta conscientia possit petere vel recipere debitum, cum id ex negata præcise actione non inferatur, sed tantum in foro externo denegatur actionem ad vitandas lites, ut contingit in deceptione infra dimidium justi pretii, cujus revocatio negatur in foro externo, cum tamen in conscientia nequeat retineri, ut omnes asserunt; & ita tenent Palaus *punct.* 18. §. 22. n. 6. G. Hurtado *disp.* 7. *diff.* 6. Bonacina *supra p.* 2. *n.* 23. & 27. Azor. Bannes, Tapia, & Turrianus, quos affert & sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *n.* 251.

51. Quæres: *An prædictus ordo restituendi servari debeat in foro conscientiæ, adeo ut peccet contra justitiam debitor, qui talem ordinem non observat.*

Resp. affirmative, nisi parvitas materiæ, aut ignorantia juris vel facti excuset. Ratio est, quia Leges disponentes prædictum ordinem nituntur æquitate naturali, & possunt ordinem solvendi præscribere in bonum commune, tum quia talem ordinem prætermittens infert injuriam & damnum aliis creditoribus; quod intellige, per se loquendo, nisi alicubi extent particularia statuta circa ordinem restituendi, nam illa essent servanda, ut tenet Bonacina *q.* 8. *p.* 2. *n.* 26. Lugus *disp.* 20. *n.* 87. Palaus *punct.* 18. *n.* 15. Reginaldus *lib.* 10. *cap.* 17. *num.* 249. Trullench *dub.* 12. *n.* 22. Lessius *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 36. Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *punct.* 12. *n.* 226. licet oppositam judicet non improbabilem.

D U B I U M VI.

Quo loco, & cujus expensis facienda sit restitutio.

52. RESp. 1. Restitutio, quæ oritur ex delicto seu injusta acceptione, fieri debet in loco, in quo dominus rem illam haberet, si ablata non fuisset a fure. Ratio est, quia fur, qui restituere tenetur ex delicto, tenetur servare creditorem omnino indemnem, & reparare omnia damna, quæ domino ex illius furto proveniunt; sed nisi faceret restitutionem in loco, in quo dominus rem ablatam haberet, si non fuisset furto sublata, non servaret dominum seu creditorem indemnem; ergo in tali loco facienda est restitutio; & inde fit, ut si creditor post rem ablatam alio abierit, & fuisset rem illuc translaturus, debet talis res ei restitui in loco, in quem abiit expensis debitoris, cui tamen licebit deducere expensas, quas fecisset creditor in talis rei translatione; tenetur enim debitor ex delicto servare creditorem indemnem, at non tenetur ipsum facere locupletiorem. Bonacina *disp.* 1. *qu.* 5. *p. antea num.* 4. Rosignol. *prænot.* 9. *num.* 1. G. Hurtado *disp.* 8. *diff.* 1. Trullench *dub.* 9. *num.* 2. Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *num.* 194.

53. Quod si res ablata transmitti non possit, nisi cum gravissimis sumptibus & magnis expensis, tunc asserunt Doctores, posse ex quadam naturali æquitate differri restitutionem, si speretur melior opportunitas rei restituendæ. Quod si talis opportunitas non speretur, & ex privatione talis rei grave damnum dominus patiatur, etiam cum gravi damno debitoris transmittenda est: si tamen damnum debitoris in transmissione longe superet damnum creditoris in privatione, ex præsumpta domini voluntate & quadam naturali æquitate poterit talis res restitui eo modo, quo restituuntur debita incerta, ut cum aliis tenet Lugos *disp.* 20. *n.* 191. Ant. a Spiritu Sanct. *disp.* 30. *num.* 1496. & nos etiam notavimus supra *dub.* 1. *n.* 6.

54. Resp. 2. Restitutio, quæ oritur ex re accepta, facienda est in loco, ubi res ipsa reperitur, quando cognoscitur aliena. Ratio est, quia ille, qui tenetur restituere solum ex re accepta, nullam injuriam intulit domino, & sic nullum damnum tenetur pati in restitutione, nam sine culpa non debet onus subire: unde si ad locum, ubi est dominus, sit transmittenda, id fieri debet expensis domini, ut diximus supra *dub.* 1. & tenent Doctores communiter: quod quidem procedit, nisi debitor ex re accepta fiat propter moram culpabilem debitor ex delicto; tunc enim a tempore moræ culpabilis eodem modo tenetur, quo debitor ex delicto.

55. Resp. 3. Restitutio, quæ oritur ex contractu, quando nullus specialis locus in contractu fuit designatus, facienda est in loco, in quo contractus ipse celebratur & res traditur, nam talis locus, cum sit utrique communis, censetur ab utroque designatus, estque conformis æquitati contractus, & indemnitati contrahentium; cum enim valor & æstimabilitas rerum, ut plurimum, varietur in varietate locorum, nisi sit idem locus acceptionis & restitutionis, sæpe continget, rem in loco majoris valoris acceptam, in loco minoris valoris restitui, vel e contra; & inde regulariter restitutio facienda est in loco, ubi contractus celebratur & res accipitur, quando alius locus in contractu non fuerit designatus: quæ regula valet non solum in contractibus, in quibus eadem numero res debet restitui, ut in commodato & deposito, sed etiam in iis, in quibus non redditur id, quod accipitur, sed pretium, ut in emptione & venditione: Bonacina *disp.* 1. *qu.* 5. *n.* 9. G. Hurtado *disp.* 8. *diff.* 3. & cum aliis Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *p.* 10. *n.* 196.

56. Quod si in tali restitutione facienda, expensæ aliquæ sint faciendæ; dico, restitutionem faciendam esse expensis debitoris, si contractus cedat in utilitatem illius; expensis vero creditoris si in istius cedat utilitatem. Si vero cedat in utilitatem utriusque, fieri debet expensis utriusque, si nihil de hujusmodi expensis conventum sit: nam qui ex contractu sentit commodum, debet sentire & incommodum. Bonacina *num.* 10. inde inferens, depositum gratis acceptum sub custodia, restituendum esse in loco, ubi acceptum fuit expensis deponentis, cum in illius utilitatem custodiatur; mutuum vero, & commodatum restituendum esse expensis commodatarii & mutuarii, cum in ipsorum commodum accipiatur.

C A P U T VI.

De caussis excusantibus a Restitutione.

D U B I U M I.

Qualiter Impotentia debitoris excuset a Restitutione.

1. PLures sunt caussæ a restitutione excusantes, quarum aliquæ se tenent ex parte debitoris; aliquæ ex parte creditoris; aliquæ ex parte rei acceptæ; aliquæ excusant simpliciter & pro semper, aliquæ secundum quid & ad tempus, de quibus ordine dicturi, incipimus ab inopia & impotentia debitoris; quæ si est extrema, per omnia excusat ab obligatione restituendi, quia ad impossibile nemo tenetur, quod adeo verum est, ut debitor existens in extrema necessitate, non teneatur rem acceptam restituere, seu debitum solvere creditori simili necessitate laboranti. Ratio est, quia in tali extrema necessitate res fit communis, & cessat ratio dominii de Jure gentium introducta, & perinde se habet ac si bona numquam fuissent divisa; cum autem debitor rem illam habeat, non tenetur illam restituere, quia de re communi nemo tenetur alteri potius, quam sibi consulere, ut, pluribus adductis, diximus *tract.* 4. *in primum præceptum Decalogi cap.* 5. *dub.* 3. *n.* 30. ubi etiam cum Diana *part.* 5. *tract.* 8. *resol.* 12. notavimus in tali casu extremæ necessitatis, Uxorem, Avum, Parentes, Filios, & secundum aliquos etiam Fratres posse creditori præferri, illisque subvenire, creditore neglecto; nam strictius esse debitum pietatis, & naturale debitum parentibus, quam debitum morale, quo tenemur erga creditores; & alia plura explicata sunt de re accepta ante necessitatem extremam, & consumpta in tali necessitate, in ordine ad obligationem illam restituendi, quæ *ibidem* videri possunt.

2. Nec dicas: *non licet in extrema necessitate rem alienam usurpare, quando dominus est in eadem extrema necessitate; ergo nec etiam licet rem alienam in extrema necessitate retinere, quando dominus est in eadem necessitate.* Contra enim, concesso antec. neganda est consequentia: disparitas est, quia in pari caussa melior est conditio possidentis; ideo quando dominus est in possessione, non licet in pari necessitate privari re, quam possidet, quia melior conditio stat pro domino; at quando debitor est in possessione, melior conditio stat pro

ipso,

ipso, qui proinde potest in pari caussa rem, quam possidet, retinere.

3. Neque item dicas: *in pari extrema necessitate non licet famam proximi retinere; qui enim alium injuste infamavit, adeo ut ex tali infamia certa mors immineat infamato, tenetur etiam cum æquali & certo periculo vitæ propriæ talem infamiam revocare, ut diximus supra c. 4. n. 119. ergo nec licet in pari necessitate temporalia bona proximi retinere*. Contra enim neganda est consequentia; disparitas est, quia bona famæ in nullo umquam casu sunt aut fuerunt communia, sicut communia fuerunt, & adhuc in extrema necessitate, communia sunt bona fortunæ, quæ ab Auctore Naturæ sunt ordinata ad conservationem vitæ; & inde potest unusquisque conservare propriam vitam, cum jactura bonorum temporalium alterius, & non cum jactura bonorum famæ aut corporis alterius, & unusquisque tenetur cum jactura bonorum temporalium defendere vitam proximi, at non cum jactura bonorum famæ aut corporis.

4. *An vero excuset etiam a restitutione necessitas gravis, ad quam quis redigeretur restituendo*. Gravis necessitas dicitur, quando deficiunt necessaria ad conservandam decentiam proprii status; ad vitandum morbum gravem, diuturnum, & incurabilem; captivitatem injustam, infamiam notabilem, aut magnam miseriam. Extrema necessitas dicitur, quando deficiunt necessaria ad conservandam vitam, vel ad vitandum periculum imminens morbi irreparabilis, mutilationis, vel alterius extremæ miseriæ.

5. Resp. Aliqua gravis necessitas sufficienter excusat ab obligatione restituendi, sed non omnis. Ratio est, quia gravis necessitas aliquando est ad salvanda bona, quæ natura voluit omnibus esse communia, puta ad servandam libertatem, ad servandam bonam existimationem, quam unusquisque naturaliter habere solet: aliquando est ad servanda bona, quæ natura per se non omnibus hominibus fecit communia, puta ad servandum statum nobilitatis, dignitatem aliquam, bonam existimationem doctrinæ &c. Necessitas gravis hujus secundi generis non excusat a restitutione, bene tamen necessitas gravis primi generis. Ratio est, quia bona fortunæ, & temporalia concessa sunt hominibus ad conservanda bona naturæ, quæ scilicet ex ipsa natura oriuntur, omnibusque hominibus communia sunt, ac proinde ubi adest necessitas conservandi talia bona, remanent communia bona temporalia; neque enim divisio dominiorum Jure gentium inducta derogare potuit juri naturæ, quod quisque habet ad utendum bonis fortunæ pro conservatione bonorum naturæ, & sic necessitas gravis respiciens bona naturæ sufficienter excusat a restitutione, non sic excusat necessitas gravis respiciens bona, quæ natura omnibus communia esse non intendit, quia natura non ordinavit bona temporalia ad conservanda bona illa particularia a se per se non intenta, & diversimode convenientia diversis hominibus in diversis statibus.

6. Nec obstat proposito 36. ex damnatis ab Innocent. XI. *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*; nam illa procedit de necessitate gravi primi generis supra explicata, quæ respicit bona temporalia, quæ natura non omnibus hominibus communia fecit, non de necessitate gravi secundi generis, quæ respicit bona naturæ omnibus communia, ut tenet Rosignol. *de restit. 3. prænot.* 1. *nu.* 4. ubi affert & explicat doctrinam a nobis datam.

7. Differri potest restitutio, quando quis restituere non potest, nisi cadat a statu suo juste acquisito; cum sit magnum & gravissimum incommodum a sui status splendore deturbari, & sic, ad illud incommodum vitandum, differre potest restitutionem, donec perveniat ad pinguiorem fortunam, nec creditor censeri debet rationabiliter invitus ob talem dilationem, sic exigente caritate, nisi creditori ex tali dilatione immineat æquale damnum, incommodum, seu periculum decadendi a suo statu; nam tunc debitor restituere tenetur, quamvis sit illa gravi necessitate pressus, siquidem in pari necessitate & caussa, potior est conditio creditoris, quam debitoris, qui sibi debet imputare tale incommodum, quod pati debet, cum sua culpa, si debitum sit ex delicto, vel sua voluntate, si ex contractu contraxerit obligationem restituendi. Sic Layman *lib.* 3. *tr.* 2. *cap.* 12. Bonacina *disp.* 2. *qu. ult. punct.* 1. *nu.* 32. Lugus *disp.* 21. *n.* 6. Gaspar Hurtado *disp.* 9. *diff.* 2. Trullench *lib.* 7. *c.* 15. *dub.* 2.

8. Debitor tamen debet interim facere quantum commode potest, ut pro viribus satisfaciat; unde tenetur diminuere victum, vestitum, familiam, numerum famulorum, & equorum, dotemque filiarum, & se ad honestam mediocritatem reducere, ut eo, quod inde detrahit, creditoribus satisfaciat: quæ doctrina, ut cum Caspensi ait Mastrius *disp.* 7. *de restit. qu.* 3. *art.* 2. *n.* 77. notanda est pro multis nobilibus, qui in vanos & superfluos sumptus sua bona consumunt, & a debitorum solutione prætendunt excusari, dicentes, id sibi esse necessarium ad sui status conservationem, suæque dignitatis splendorem; qui non debent absolvi, nisi ab hujusmodi vanitatibus abstineant, suumque victum, vestitum, & familiam diminuant, ut paullatim restituere possint, sic exigente recta ratione, ne creditores tantum patiantur detrimentum. Bonacina, Lessius, Villalobos, Sayrus, Ant. a Spiritu S. *disp.* 31. *n.* 1480.

9. Quod si status ille melior sit injuste acquisitus per furta, rapinas, usuras, & alia media illicita, tenetur statim restituere, quamvis debeat ab illo decadere, quia hoc non est decadere nec mutare statum, sed alienum dimittere & redire ad proprium: si tamen hoc facere non posset sine infamia, quia crimina sunt occulta, & communiter iste existimatur vir probus & honestus, tunc poterit differre & sensim restituere, quia infamia est caussa sufficiens ad differendam vel etiam omittendam restitutionem, ut mox dicam.

10. Differri etiam potest, si debitor longe majus damnum in propriis bonis patiatur ex præsenti restitutione, quam creditor ex dilatione illius, ut si non possit restituere, nisi rem suam vendat multo vilius, quam valeat, quia tunc creditor censetur irrationabiliter invitus, si dilationi nolit consentire; nam ex caritate debet magis velle, quod vitetur magnum incommodum proximi restituentis, quam modicum incommodum suum, vel nullum in illa modica dilatione restitutionis; unde non tenetur Artifex ad vendendam suppellectilem, vel artis instrumenta, vel ad mendicandum, sed solum ex sumptibus resecare, & ex illis quantum potest restituere. Non sufficit tamen incommodum, quod patitur ex carentia præsentis pecuniæ, quam restituit, nec lucrum, quod sperat tali pecunia negotiando, quia hoc non est incommodum in bonis propriis, nec tale quod pati non debeat, nisi tale lucrum sit necessarium, ut omnibus valeat creditoribus satisfacere, quibus aliter non posset satisfacere, ut cum Bonacina, Lessio, Palao, Villalob. & Dicastillo tenet Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *punct.* 15. *n.* 271.

11. Differri potest & omitti restitutio, si immineat periculum infamiæ, vitæ, vel membrorum; differri, inquam, potest, donec cesset periculum, quia bona inferioris ordinis non sunt necessario restituenda cum jactura, & damno bonorum superioris ordinis: bene tamen notat D. Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *ad* 2. quod tale periculum cessare potest, si restitutio fiat per aliam personam secretam & fidelem, puta per Confessarium, quo casu teneretur hoc modo restituere. Idem valet, si immineat periculum animæ, id est periculum, ne Uxor, aut Filia se prostituant, aut Filii latrocinia committant, vel etiam ne ipse propter impatientiam incidat in desperationem. Bonac. *n.* 12. 13. & 15. Lugus *disp.* 21. *n.* 13. & 19. Trullench *lib.* 7. *cap.* 15. *dub.* 2. Ant. a Spiritu Sanct. *num.* 1483. Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *num.* 269. & 282.

12. Quæres: *an in casibus, in quibus debitor differre potest restitutionem, teneatur postea domino restituere damnum emergens & lucrum cessans*.

Resp. affirmative, si debitum sit ex delicto, secus in aliis. Ratio est, quia per suam injustam actionem fuit caussa illius damni emergentis & lucri cessantis; nec æquum est, creditorem damnum pati ob debitoris delictum, quæ ratio cessat, si debitum non sit ex delicto, sed ex contractu; non enim tenetur ad ea damna & lucra cessantia ex re accepta, cum nihil eorum habuerit, nec ex injusta acceptione, cum talis dilatio non sit injusta, utpote facta ex rationabili caussa, & sic non tenetur illa restituere, si numquam fuit in mora culpabili, ut habet Bonacina *n.* 40. Lugus *disp.* 21. *n.* 17. & 18. Andreas a Matre Dei *n.* 274. Ant. a Spiritu Sanct. *num.* 1485.

DUBIUM II.

An Cessio bonorum excuset a Restitutione.

13. CEssio bonorum est privilegium jure civili introductum, quo qui solvendo non sunt, cedendo juridice bona sua creditoribus distribuenda, non possunt amplius propter debita in carcerem conjici, neque a creditoribus molestari, nec potest lis contra illos intentari; unde etiam dicitur *flebile & miserandum remedium*, quo debitor, qui non est solvendo cedit bonis; unde excusat a restitutione, saltem in foro externo, ut constat ex *l. 1. C. qui bonis cedere possunt*, ex *l. Qui bonis ff. de cessione bonorum*, & *Instit. de actionibus §. ult.* De hoc privilegio cedentis bona dubitatur: *An liberet ab obligatione restituendi in foro maxime interno, quamvis postea ille pervenerit ad pinguiorem fortunam*. Affirmant plures, si cessio fiat quibusdam cæremoniis & actibus ignominiosis

miniosis

miniosis secundum consuetudinem loci, eo quod talis ignominia substitui videtur loco integræ solutionis. Ita Lessius cum aliis *lib. 2. cap. 16. dub. 3. num.* 46. Thomas Hurtado *tom. 2. resol. moral. tract. 8. resol.* 35.

14. Resp. hoc privilegium cessionis bonorum in foro interno non magis excusare, quam excuset sola necessitas sine cessione, quia leges fori externi non intendunt creditores fraudare, sed miserum juvare, supponendo quod non sit solvendo, ut clare constat ex *l. 1. C. qui bonis cedere possunt*, ubi habetur; *In ea enim tantummodo hoc beneficium eis prodest, ne judicati detrudantur in carcerem*; unde, si taliter cedens pervenerit ad meliorem fortunam, tenebitur solvere, quia per cessionem bonorum non extinguitur debitum, sed solum consopitur, ut etiam habetur ex *cit.* ● *Qui bonis ff. de cessione bonorum*, ubi habetur: *Is, qui bonis cessit, si quid postea acquisierit, in quantum facere potest convenitur.* Unde cum nec jure positivo, nec naturali debita extinguantur ob cessionem bonorum, sed tantum consopiantur, debebit perveniens ad meliorem fortunam debitum solvere.

15. Quod verum est, etiamsi cessio fiat actibus ignominiosis, quia tales actus ignominiosi nullo jure sunt, nec censentur solutio debiti, cum per illos nullum creditoris damnum resarciatur: estque talis ignominia, non quidem æquivalens solutio, sed pœna propter culpam præsumptam, contrahenti debita supra suas vires, & propter terrorem aliis incutiendum, ne prodigalitate, & negligentia ad similem statum deveniant. Dubia, quæ circa cessionem bonorum occurrere possunt civilia magis, quam theologica sunt, cum in foro conscientiæ, & theologico cessio bonorum ex mox dictis, non excuset præcise, ut cessio est, sed ut includit necessitatem, & moralem impotentiam restituendi. Bonacina *qu. ult. punct. 1. num.* 36. Sotus *lib. 4. qu. 7. art. 4. fine*. Reginaldus *lib. 10. cap. 18. num.* 253. Lugus *disp. 21. num.* 40. G. Hurtado *disp. 9. diff.* 4. Trullench *lib. 7. cap. 15. dub.* 5. Tambur. *lib. 8. tract. 4. c. 1. §. 9. n num.* 8 Antonius a Spiritu Sancto *disp. 31. num.* 1489. Diana *p. 4. tract. 4. resol.* 78.

16. Inde qui cessit bonis, si sit artifex, ex justitia tenetur ad laborandum in suo officio, ut ex parte aliqua satisfaciat creditoribus, si aliquid præter victum lucrari potest, quia debitum per cessionem non est extinctum, & justitia obligans ad satisfaciendum, obligat etiam ad ponenda media necessaria secundum proprium statum, ut restituere possit, cujusmodi est laborare in suo officio, ut tradunt Tambur. *numer.* 10. Antonius a Spiritu Sancto *num.* 1491., & Palaus *p. 17. §. 11. num.* 6., & si cedenti bona, aut alias ad paupertatem redacto hereditas, vel legatum relinquatur, tenetur illud acceptare, ut debita solvat, & repudiando peccaret contra justitiam. Palaus *supra num.* 4. Lugus *disp. 20. num.* 127. Bonacina *quæst. 8. punct. 2. num.* 36. Trullench *lib. 7. cap. 14. dub.* 12.

17. Post cessionem sunt cedenti suæ artis instrumenta, & aliqua ad victum judicio boni viri necessaria relinquenda, *l. Qui bonis ff. de cessione bonorum*, ibi: *Nec enim fraudandus est alimentis quotidianis. Idem, & si ususfructus ei sit concessus, vel legatus, ex quo tantum percipitur, quantum ei alimentorum nomine satis est.* Quæ tamen pro alimentis necessaria sine cessione possunt etiam retineri, cum, ut supra diximus, nemo teneatur restituere cum gravissimo incommodo, & jactura sui status, ita ut cogatur mendicare. Hoc etiam conceditur a legibus tam pro se, quam pro sua familia, ut probat Lessius *c. 16. dub. 3. nu.* 43., & 44., & inde Uxor, & Filii, si cognoscant post mortem patris, vel mariti omnia pro debitis a creditoribus auferenda, poterunt aliqua occultare necessaria ad parcam, & honestam sui sustentationem, & in judicio requisiti jurare poterunt, se nihil occultasse, hoc est non sibi debitum, nec incurrerent excommunicationem forte latam contra occultantes ea bona, ut cum Azor., Soto, Tambur., & aliis relatis a Diana *part. 5. tract. 14. resol.* 57. tenet Antonius a Spiritu Sancto *disp. 31. num.* 1490.

18. Clericus, qui debitis solvere non potest, non tenetur, nec potest cedere bonis, nec ob debita in carcerem mitti, quia Clericus non potest conveniri, nisi quatenus facere potest, deductis necessariis alimentis, ut cum Abbate, Imola, Ancharano, & aliis tenent Doctores communiter in cap. *Odoardus 3. de solutionibus*, ne Clericus in opprobrium status Ecclesiastici cogatur mendicare. Lessius *cap. 16. dub. 3. num.* 50. Reliqua de cessione tradunt Juristæ, & aliqua videri possunt apud Palaum *cit. punct. 17. §. 7.*, plura etiam habet Rosignol. *de Restit. III. prænot.* 2.

DUBIUM III.

An excuset Solutio facta Creditori sui Creditoris.

19. SI nimirum tibi debeo centum, & tu totidem debes Petro, & utrumque debitum est liquidum, si reddam Petro illa centum, an remaneam liber ab obligatione tibi restituendi. Et quidem si utrumque debitum oriatur ab eadem caussa, omnes facile admittunt, solventem creditori sui creditoris liberum manere ab ulteriori obligatione restituendi, ut si mihi locasti domum centum aureis, quam tu totidem locatam habuisti a Petro, solvendo centum Petro, in utroque foro satisfacio meæ obligationi: idem valet, si a te mutuo accepi centum, & totidem meo nomine mutuo accepisti a Petro, solvendo Petro, non teneor amplius aliquid restituere, quia nullam tibi injuriam irrogavi, quin potius utiliter tuum negotium egi. Si vero debitum contractum sit ob diversam caussam, tunc plures negant, excusari a restitutione facienda per restitutionem factam creditori sui creditoris, ut habet Villob. *tract. 11. diff. 13. num.* 19., & apud ipsum Bartolus in *l. solum ff. de pignorat. act.* Sylvester *verbo Solutio qu.* 4.

20. Resp. Solutionem factam creditori sui creditoris regulariter liberare ab obligatione restitutionis in foro externo, & interno, sive ex eadem, sive ex diversa caussa proveniat debitum. Ratio est, quia quando solvo Petro tuo creditori, quod tu ei debes, virtualiter emo, & transfero in me jus Petri adversus te ipsum, sicque liberor ab onere restituendi tum in foro interno, quia vere pono æqualitatem, te liberando ab onere, quo tenebaris centum restituere Petro, tum in foro externo, in quo si me convenias petendo, quod tibi debeo, ego tuam petitionem repellam, petendo a te, quod tu debebas Petro, cujus jus ego acquisivi, & in me transtuli.

21. Dixi; *regulariter, & per se loquendo* æque liberare in utroque foro, nam per accidens evenire potest, quod solutio liberet in foro interno tantum, non in externo, ut contingeret in eo, qui habens debitum manifestum, & quod juridice probari potest, solveret creditori sui creditoris debitum occultum, & pro quo in foro externo actio non detur; per accidens etiam contingere potest, ut talis solutio, nec in externo, nec in interno foro tollat onus restituendi, ut contingit quando debita non sunt ejusdem qualitatis, & ordinis, & creditor non est potens omnia solvere; sic v. g. si Petrus impotens solvere omnia sua debita sit meus creditor, & ego solvam Joanni, qui licet sit creditor Petri, est tamen creditor inferior; cum dentur respectu Petri alii creditores anteriores, & privilegiati, non liberor ab onere restitutionis, quia Joannes non habebat jus exigendi solutionem a Petro cum præjudicio creditorum anteriorum, & privilegiatorum, sicque per accidens, ratione damni redundantis in creditores anteriores, & privilegiatos, irritatur solutio facta creditori creditoris, & in universum hujusmodi solutio per accidens irritatur, quando creditor, cui tu solvis, non habet respectu tui creditoris debitum cum omnibus conditionibus requisitis, ad hoc ut licite facere possit occultam compensationem. Adverto tamen, raro expedire, quod præfato modo fiat restitutio, quia plerumque ex ea sic facta solent oriri rixæ, discordiæ, contentiones, aut lites. Hanc Sententiam tenent cum Medina, Valentina, Lessio, P. Navarro, Aragon. Rebelln, & aliis Bonacina *disp. 1. qu. 4. punct. 3.* Reginaldus *lib. 10. cap. 13. n.* 169. Lugus *disp. 21. nu.* 146. G. Hurtado *disp. 9. diff.* 5. Palaus *disp. 1. punct.* 18. §. 10. Trullench *lib. 7. cap. 15. dub.* 6. Andreas a Matre Dei *cap. 1. n.* 221.

DUBIUM IV.

Qualiter Compensatio debiti excuset a Restitutione.

22. CErtum est, Compensationem aliquando esse licitam, & liberare debitorem ab onere restitutionis; si enim Petrus debeat Paulo centum, qui & ipse debeat Petro alia centum, si debitum utrumque sit certum, & liquidum; uterque liberatur ab onere restitutionis, quia debitum unius compensatur cum debito alterius: si autem debeas Petro centum, & ipse nihil tibi debeat, tunc dubium est: *an licite possit ipse Petrus occulte a te accipere alia centum, ut ea, quæ tu illi debes, compenset.* Prima dicitur compensatio propria, & rigorosa, quia debita, & credita utriusque partis invicem coæquantur, & compensantur; secunda dicitur compensatio impropria, & magis rigorose dicitur recuperatio: communiter tamen de illa etiam loquuntur Doctores sub nomine compensationis; & de illa

23. Resp. talem compensationem factam a creditore debitorem excusare ab onere restitutionis, quia

per illam ponitur æqualitas inter debitorem, & creditorem, & in praxi esse licitam, si serventur debitæ conditiones, quarum prima est, quod debitum sit liquidum, & certum, id est, ut certo moraliter constet, rem esse tuam; nam pro debito incerto non potest exigi certa solutio; & cum in dubio melior sit conditio possidentis, creditor licite non potest compensare debitum dubium, spoliando debitorem re, quam certo possidet. Quod maxime verum est, quando dubium est negativum, aut versatur circa factum, quando scilicet ego dubito, utrum res, quam possides, mea sit, an non, ex quibusdam tantum conjecturis absque ullo sufficienti fundamento, & ratione, in quo conveniunt Doctores communiter.

24. Nam si dubium sit positivum, & versetur circa jus, quando scilicet propter probabiles hinc inde rationes, & graves hinc inde Doctorum auctoritates, dubitatur: *an in tali casu particulari liceat secundum Leges, & jura facere occultam compensationem*; tunc plures sentiunt, licere adhærere, cui libuerit opinioni, & sic, practice judicando, licere sequi opinionem affirmantem, posse licite fieri occultam compensationem, idque multo magis affirmant, quando major probabilitas est ex parte creditoris; nam major illa probabilitas reddit debitum moraliter humano modo certum, ut cum aliis tenet Andreas a Matre Dei *cap. 1. n. 324.* Verum dicendum est, non esse licitum in tali casu facere occultam compensationem, sive probabilitas sit æqualis ex parte utriusque creditoris, & debitoris, sive etiam major sit ex parte creditoris, quia nemo spoliandus est rebus suis juste possessis, nisi certo constet de opposito; sola autem probabilitas, sive major, sive minor non potest vincere certum possessionem, quod tribuit jus certum possessori, quod vinci non potest, nisi a jure certo, non autem a jure solum probabili, aut etiam probabiliori, ut cum Sanchez, Palao, & Tamburino tenet Antonius a Spiritu Sancto *disp. 9. n. 403.*, & fuse Bossius *var. moral. part. 1. tit. n. 1026., & 1027.*, & nos diximus supra *cap. 2. dub. 7. n. 62.*, & consonant ea, quæ diximus *in tract. de actib. humanis c. 3. n. 124.*

25. Secunda conditio est, ut compensatio fiat in re sibi debita ex justitia; si enim sit debita solum ex caritate, seu gratitudine, non potest de illa fieri compensatio, quæ ordinatur ad recuperandum id, quod alter restituere tenetur; sed restituere non tenetur, nisi ob debitum ex justitia, quia caritas, & gratitudo non inducunt debitum strictum, rigorosum, & proprie dictum; & sic solum ob debitum ex justitia erit licita compensatio, ut cum Navarro, Soto, & aliis tenet Bonacina *qu. ult. p. 2. num. 13.*, sequitur Andreas a Matre Dei *cap. 1. numer. 311.* Diana *part. 7. tract. 10. resol. 19.*, licet oppositum sentiat Petrus Navar. apud Bonacinam.

26. Tertia est, ut debitum sit actuale, nam pro debito futuro sicut non potest exigi de præsenti solutio, sic fieri non potest pro eodem de præsenti anticipata compensatio, nisi vere adsit morale periculum, quod debitor suo tempore non sit soluturus; nam sicut licitum est ipso jure naturæ prævenire eum, qui licet actu non offendat, vere omnino paratus ad offendendum dignoscitur, nec aliter vitari potest offensa, nisi præveniendo: ita similiter, ut quis defendat quod suum est, potest anticipata operatione reparare damnum, quod, quamvis illatum non sit, est tamen inferendum, nec aliter impediri potest, nisi præveniendo. Debet tamen anticipate compensans resarcire damnum, si quod debitor patiatur ex illa anticipatione, diminuendo æquivalens ex debito principali, vel restituendo pariter æquivalens, quia sicut nemo potest puniri pro delicto futuro, ita non potest quis lædi in rebus suis pro delicto futuro in mora solvendi. Diana *part. 2. tract. 16. resol. 46.* Lugus *disp. 16. n. 93.* Tambur. *lib. 8. tract. 1. c. 5. §. 1. n. 2.* Antonius a Spiritu Sancto *disp. 9. n. 407.*

27. Quarta, ut non plus accipiatur, quam sit debitum; nam excessus ille foret contra justitiam, sicque in conscientia restituendus. Quinta, ut fiat compensatio in re ipsius debitoris; nam compensatio non aliunde, sed ex bonis debitoris fieri debet, secus tertius injuste gravaretur, si in re alterius fieret compensatio, & inde accipi non potest in compensationem res furtiva, vel data in depositum, pignus, vel commodatum; nam tunc creditor non acciperet rem debitoris, sed rem alterius. Lugus supra *num. 90.* Potest tamen creditor facere compensationem in re debitoris data sibi in depositum, ut cum aliis tenet Lugus *num. 89.* quamvis res deposita sit diversæ speciei a debito, ut si debitum sit pecuniarium, & depositum sit vas argenteum, quod saltem retinere potest in pignus, donec sibi debitum restituatur.

28. Sexta, ut absit periculum scandali, ne scilicet compensatio alicui imputetur tamquam furtum, & per hoc obligetur ad restitutionem, aut puniatur. Item, ut absit periculum infamiæ, ne taliter compensans deprehensus tamquam fur habeatur, & puniatur; nam Judices solent tales compensationes punire, ut furta, maxime si debitum non possit liquide probari. Bonacina *punct. 2. num. 21.*, & etiam vitetur damnum debitoris, ne iterato restituat, aut in mala conscientia sit, putando se debere, quod non debet; unde etiam deberet, saltem ex caritate, admoneri, si commode fieri potest, de compensatione facta, ne semper maneat in mala fide, aut cogatur iterato solvere, ut notat Andreas a Matre Dei *c. 1. num. 310.*

29. Septima, ut res sibi debita non possit alia ratione recuperari, sive illam petendo a debitore, sive auctoritate Judicis, vel saltem non sine gravi molestia, expensis, litibus, inimicitiis, vel amissione favoris, aut benevolentiæ, ut si debitum quidem sit certum, sed tibi desint probationes, tunc enim locus est occultæ compensationi, quæ fieri non debet, quando facile, & sine molestiis fieri potest recursus ad Judicem, cujus auctoritatem sibi usurparet per illam occultam compensationem privata auctoritate factam, quod sine peccato gravi fieri non posse quidam putant: sed certe non erit peccatum grave, si occulte fiat absque scandalo, & damno alterius, quia in hoc parum Judici, aut publicæ auctoritati nocumentum infertur. Ita Lugus supra *n. 91.* Antonius a Spiritu Sancto *num. 406.* Andreas a Matre Dei *num. 313.* Bonacina *num. 18.*, &, aliis relatis, Diana *part. 2. tract. 16. resol. 46.*

30. Octava, ut compensatio non fiat in bonis famæ, non solum quia pro debito pecuniario non licet debitoris famam lacerare, sed etiam, quia non licet titulo compensationis lædere famam illius, a quo quis infamiam passus est; nam in tantum licita est compensatio, in quantum per ipsam tollitur inæqualitas contra justitiam inducta, & creditor recuperat, saltem æquivalenter, id, quod ei tenebatur debitor solvere, sed per infamiam alienam, nec formaliter, nec æquivalenter quis recuperat famam propriam, & multo minus propria bona fortunæ, & sic nullatenus licet titulo compensationis lædere famam alienam, sicut non licet mutilare eum, qui te mutilavit, quia auferendo membrum alienum nullatenus recuperas proprium: *an vero uti possint compensatione, qui se invicem infamarunt*, diximus supra *c. 4. n. 135.*

31. Prædictis conditionibus existentibus, licita est occulta compensatio pro foro conscientiæ, adeo ut qui fuit usus compensatione non ligetur excommunicatione lata contra furantes, usurpantes, seu retinentes res aliquas illius debitoris, etiamsi dicatur, *non obstante, quod in compensationem acceperint*; nam sic compensans cum non peccaverit per illam compensationem, cum non acceperit alienum, sed rem propriam recuperaverit, non potest excommunicatione ligari, quæ semper supponit peccatum mortale, & illa clausula; *etiam si per compensationem acceperint*, continet errorem intolerabilem, vel intelligenda est de illo, qui injusto prætextu compensationis talia bona clam accipere tentaverit, aut retinet, ut notat Andreas a Matre Dei *cap. 1. num. 314.*, & cum Sayro, Trullench, & Lugo tenet Antonius a Spiritu Sancto *disp. 9. num. 408.*, ubi etiam cum Tambur. docet, quod sic se compensans vocatus a Judice potest jurare, se nihil accepisse, quia vere nihil accepit, quod sibi non deberetur, nec retinet aliquid injuste, Lugus *num. 109.*

32. *An vero in promissionibus juratis licita sit compensatio, adeo ut possit uti compensatione, qui sub juramento promisit solvere debitum, vel alteri dare decem aureos*, diximus *in tract. de juramento c. 2. dub. 7.*, ubi nonnulla huc spectantia sunt soluta.

DUBIUM V.

Qualiter Condonatio Creditoris excuset a Restitutione.

33. RESP. Remissionem, seu condonationem Creditoris excusare ab obligatione restituendi, in quo conveniunt Doctores communiter. Ratio facilis est, quia Creditor sicut donare potest jus suum alteri, ita etiam potest donare, seu condonare ipsi debitori, & hac ratione ipsum liberare ab onere restituendi; ad hoc tamen, ut valida sit condonatio, tres requiruntur conditiones. Prima est, ut sit omnino libera, id est nec metu, nec vi, nec fraude extorta. Secunda, ut condonatio fiat ab eo, qui donare potest; cum enim sit species donationis, non debet posse fieri nisi ab eo, a quo fieri potest donatio. Tertia, ut talis condonatio non sit a Jure prohibita, sive quod Jus non resistat condonationi. Non est tamen necesse, quod debitor offerat creditori rem debitam eo tempore, quo remissio fit, & in potestatem creditoris tradat, ut sentiunt nonnulli, quos refert, & reprobat Molina *tract. 2. disp. 157. numer. 2.*, quia

sufficit

sufficit liberæ remissio, & condonatio, præterquam quod si pecunia sit restituenda, raro accidit, ut debitor eam habeat, & cum Cajet. notavit Sotus *lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 4. *ad* 2. præsens aurum & oculos fascinare solet, & animos subinde mutare.

34. Inde censetur invalida; & coacta remissio, quando creditor partem condonat, ne cogatur totum amittere, quod aliter habere non potest, nisi partem condonando: censetur extorta per fraudem, quando debitor se fingit inopem, & non habere unde solvat; & si hoc titulo fictæ paupertatis, & inopiæ compositionem obtinuit a Creditoribus contentis minori summa, non remanet liber in conscientia, si vere habeat unde solvat; nam tunc condonatio non est libera, & voluntaria, sed coacta, & per fraudem extorta. Similiter si debitor se recipiat in Ecclesiam, vel aufugiat, ut a creditoribus recipiat remissionem partis debiti, vel cum eis componatur in minori summa, cum vere totum solvere possit, non remanet liber ab onere restituendi; si autem vere pauper, & impotens ad solvendum se componat cum creditoribus contentis minori summa, tunc liberatur ab onere solvendi reliquum, etsi ad meliorem fortunam perveniat, ut cum aliis tenet Bonacina *disp.* 1. *qu. ult. pun.* 2. Gasp. Hurt. *disp.* 9. *diff.* 4. Sotus *lib.* 4. *qu.* 7. *art.* 4. *ad* 2. Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *n.* 277. & cum Navar. Sylvestro, & Trull. Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 31. *n.* 1487.

35. Quæres. *An non solum remissio formalis, & expressa, sed etiam remissio tacita, & præsumpta tollat obligationem restituendi?*

Resp. affirmative, dummodo talis remissio non temere, & pure arbitrarie, sed prudenter, & sufficienti probabilitate præsumatur. Ratio est, quia hujusmodi remissio, & voluntas præsumpta sufficit, ut dominus non sit invitus, & excusat a furto in acceptione, adeoque etiam ab onere restituendi in detentione, ut cum aliis tenet Lugus *disput.* 21. *num.* 52. Hac ratione Doctores magis communiter excusant a gravi culpa furti, & obligatione restituendi filios, & domesticos accipientes aliquid inscio patre, seu domino, quod ab ipso facile statim obtinuissent, si rogassent; quod conjici potest ex amore patris in filios, & domesticos, ex ipsius liberalitate, ex rei ablatæ quantitate, & qualitate, & ex aliis circumstantiis, & signis. Bonacina *pun.* 2. *nu.* 9. Lugus *loc. cit.* Palaus *disp.* 1. *pun.* 6. §. 5. *num.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 48. & *cap.* 16. *num.* 57. Andreas a Matre Dei *num.* 278.

36. Hoc idem extendunt, ut valeat etiam, quando pater, seu dominus est invitus tantummodo de modo surripiendi rem occulte, & sine licentia, aut ad aliquem finem pravum; dummodo non sit invitus de ipsa substantia rei, & hoc maxime valet quando famuli, amici, filii, inscio patre, & domino esculenta, & poculenta surripiunt, quæ præ verecundia petere non audent, probabiliter arbitrantes, ea si peterent sibi fore concedenda, tunc enim non committitur furtum, cum acceptio non displiceat domino quoad substantiam, sed quoad modum, ea scilicet accipiendi sine licentia, & inscio domino.

37. Quæres 2. *An quando plures sunt debitores, quia plures concurrerunt ad furandum, seu damnum eidem inferendum, si dominus condonat, seu remittit alicui debitum, omnes remaneant liberi ab obligatione restituendi?*

Resp. Reliquos liberos esse a tali obligatione, si remissio, & condonatio fiat caussæ principali, quia nimirum fuit mandans, vel exequens, juxta ea, quæ diximus supra *cap.* 3. *dub.* 6. *n.* 59. tunc enim aliæ caussæ minus principales, ut sunt consulentes, consentientes, laudantes, &c. non amplius tenentur restituere. Ratio est, quia remissio debiti æquivalet solutioni, & si caussa principalis solvat, aliæ minus principales remanent liberæ, cum solum teneantur restituere in defectum caussæ principalis, ut diximus *loc. cit.*; ergo etiam remanent liberæ si remissio fiat caussæ principali. Lugus *disp.* 19. *sect.* 4. *num.* 140. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 8. *punct.* 1. *num.* 17. Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 8. *num.* 57. G. Hurtado *disp.* 5. *diff.* 11. Tambur. *lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 2. §. 7. *num.* 6.

38. Si vero remissio fiat caussæ secundariæ, & minus principali, tunc debitor, & caussa principalis non liberatur ab obligatione; sicut non liberatur, si caussa minus principalis cogatur solvere; & ratio est, quia remissio facta caussæ minus principali solum intelligitur pro casu, quo ipsa restituere teneatur, deficiente caussa principali, quæ proinde non liberatur ab obligatione restituendi: Si autem sint plures debitores æque primarii, seu æque secundarii, per remissionem uni factam alii non liberantur ab onere restituendi, sed adhuc tenentur pro sua parte; sicut non liberantur, sed adhuc tenentur, quando unus ex illis solvit pro sua parte; nam remissio solum æquivalet solutioni partis, ad quam ipse tenebatur. Lugus *num.* 141. Bonacina *qu.* 8. *punct.* 1. *num.* 17. Lessius *dub.* 8. *num.* 47. G. Hurtado *diff.* 11. Tambur. *num.* 6. Villalobos, Palaus, & alii, quos sequitur Andreas a Matre Dei *num.* 280.

DUBIUM VI.

De aliis Caussis excusantibus a Restitutione.

39. EX parte debitoris assignari solet pro caussa excusante ipsius ingressus in Religionem; verum talis ingressus non excusat, nisi ratione impotentiæ; si enim ingressurus facultates habeat sufficientes pro debitis solvendis, tenetur solvere, & creditoribus satisfacere; si vero non habeat de præsenti, sed sperat, quod manens in sæculo brevi tempore, puta per biennium, aut ad summum per triennium poterit omnibus satisfacere creditoribus, ex fructibus alicujus officii, aut beneficii, vel arte aliqua, seu industria acquisitis, tenetur ingressum differre, & pro illo brevi tempore in sæculo permanere. Ratio est, quia tunc non censetur simpliciter impotens, nec æquitas justitiæ patitur, ut, ob sequenda consilia, grave creditoribus præjudicium inferatur, & obligatio præcepti naturalis omittatur, maxime quia tam brevis dilatio non videtur esse detrimentum adeo grave respectu debitoris, ut præponderet detrimento creditorum. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1. *punct.* 7. §. 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 3. *num.* 32. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 2. Trullench *lib.* 2. *Decal. cap.* 2. *dub.* 22. *n.* 2. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 19. *num.* 8. Andreas a Matre Dei *num.* 287.

30. Si vero non sperat, brevi temporis spatio se habiturum unde possit creditoribus satisfacere, non tenetur talem ingressum differre, sed potest statim Religionem ingredi. Ratio est, quia persona hominis libera non est creditoribus obligata, sed tantum ipsius bona; unde bona sua cedendo ad favorem creditorum, illis satisfacit quantum potest, nec ad aliud tenetur: tum quia nemo tenetur restituere cum suo detrimento gravissimo, quod longe excedat detrimentum creditorum in privatione restitutionis, sed privari propria libertate, & fructu spirituali, qui ex Religionis ingressu speratur, est damnum incomparabiliter majus eo, quod patiuntur creditores ex restitutione non facta; ergo non tenetur se privare libertate, & fructu spirituali, sed potest Religionem ingredi, relinquendo, ut dixi, bona sua creditoribus distribuenda. Lugus *disp.* 21. *n.* 67. Antonius a Spiritu Sancto *disput.* 31. *num.* 1493. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 41., & *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 82. Lessius, Sanchez, Trullench, & alii supra.

41. Ex parte creditoris solet afferri pro caussa excusante ipsius excommunicatio. Verum gratis dicitur, excommunicationem creditoris excusare ab onere restituendi, cum nec Jure divino, nec humano debitor liberetur a tali obligatione restituendi creditori excommunicato: non Jure divino, quia nullibi tale jus reperitur, quin potius indicatur oppositum, cum *Rom.* 13. dicatur; etiam ethnicis, & publicanis solvenda esse debita: non Jure humano, quia si qui Canones prohibent reddere debitum excommunicato, loquuntur de debito fidelitatis, & obsequii, non de debito pecuniario, & quamvis cap. *Quia de exceptionibus in* 6. prohibeatur excommunicatus petere debitum in judicio, non tamen prohibetur, quin possit petere extrajudicialiter, & quin debitor teneatur extrajudicialiter solvere; quamvis autem pluribus in locis prohibeatur communicatio cum excommunicatio, non tamen quæcumque brevis, & parva communicatio, quæ præcipue sit ordinata ad utilitatem spiritualem, aut temporalem excommunicati, qualis utique est solutio debiti ipsi facienda; secus nec etiam liceret, urgente præcepto eleemosynæ, facere eleemosynam excommunicato, neque item liceret creditori petere a debitore excommunicato solutionem debiti. Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 9. *num.* 79. Bonacina *de censuris disp.* 2. *qu.* 2. *p.* 6. §. 2. *num.* 15. G. Hurtado *disp.* 9. *de excom. diff.* 4. Diana *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 130., & alii plures, quos affert, & sequitur Leander *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 15. *qu.* 14.

42. Plures aliæ solent assignari caussæ excusantes ab obligatione restituendi, sed superius allatæ sunt principaliores; ceteræ vero, vel minus ad praxim conducunt, vel rarius occurrunt, vel alibi sparsim, aut superius sunt explicatæ; hujusmodi est legitima præscriptio, quæ post tempus a legibus definitum, aliisque servatis conditionibus, non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ vim habet excusandi debitorem a restitutione, adeo ut, si postea certo constet, rem fuisse alterius, eam amplius restituere non teneatur, ut diximus *tract.* 1. *cap.* 4. *dub.* 7. Item quando res restituenda est creditori nociva, tunc enim lege caritatis differenda est restitutio, donec periculum talis nocumenti cessaverit;

hac ratione non sunt arma restituenda furioso illa petenti, ad se, vel ad alium interficiendum, ut diximus supra *cap. 5. dub. 1.*

43. Excusat etiam compositio facta cum Summo Pontifice, quando dominus ignoratur, ut contingit in usuris, furtis minutis, & similibus, tunc enim compositio cum Pontifice excusat ab illorum restitutione, ut tenet communis Sententia, & docent Doctores explicantes Bullam compositionis, quia quando dominus ignoratur, illa bona essent distribuenda pauperibus, aut applicanda piis usibus, ut diximus *tract.* 1. *cap.* 4. *dub.* 4. *a n.* 27. & hoc ex Jure positivo, in quo Pontifex posset dispensare, aut quia dum talia bona sunt applicata secundum voluntatem Pontificis, jam censentur applicata piis usibus. Si autem creditores sint certi non potest Pontifex dispensare, ut illis non fiat restitutio; nisi ex aliqua urgentissima caussa, quia non est illorum bonorum dominus, nec sine caussa potest legitimum dominum spoliare: Qui habet debita certa, & incerta, & impotens est omnia solvere, si compositionem obtineat super incertis, potest, ac tenetur ex illis solvere debita certa, quia, obtenta compositione, illa bona facta sunt propria, & sic potest ex illis solvere debita certa. Alii casus enumerantur in dicta Bulla, in quibus licita est compositio cum Pontifice, maxime de fructibus Ecclesiasticis male perceptis pro Officio non recitato; pro fructibus perceptis ex Beneficio possesso absque legitimo titulo, vel pro fructibus perceptis ab excommunicato, quæ, & alia plura videri possunt apud Doctores explicantes Bullam compositionis.

TRACTATUS TERTIUS
DE CONTRACTIBUS.

JUstitia commutativa, quæ inter reliquas species nobilior est, habet pro objecto jus quoddam particulare, quod dici solet *Jus reale*, seu Objectivum: hujusmodi est illud, quod in mutuis commutationibus transfertur, quodque justitia servat illæsum: hujus præcipua species est Dominium, de quo diximus supra *tract.* 1., sicut de prima rerum divisione, & modis acquirendi rerum dominia, tum jure naturali, & gentium, tum jure civili absque voluntate Domini, per dispositionem legis præscriptionis, ob justissimas caussas rei alicujus dominium ab uno in alterum transferentis; sequitur, ut in præsenti agamus de modo transferendi dominium per liberam voluntatem Domini rei propriæ dominium in alterum transferentis, quod fit per varios contractus, quos examinabimus in præsenti, premissa illorum notitia in genere, & iis, quæ omnibus contractibus communia esse possunt.

CAPUT I.

De Contractibus in genere.

DUBIUM I.

Quid, & Quotuplex sit Contractus.

1. COntractus sumitur aliquando late, prout coincidit cum pacto, & definitur, *est duorum, vel plurium in idem placitum, & consensus*, ut habetur ex *l. 1. ff. de pactis*. Dicitur duorum, vel plurium placitum, & consensus, quia nullus dari potest contractus, nullaque obligatio, quæ non habeat duorum, vel plurium consensum, seu conventionem in idem, in ordine ad dandum, faciendum, vel non faciendum; quod adeo verum est, ut si unus solus donavit, aut promisit, non fit contractus, nec obligationem inducat in donante, seu promittente, antequam ab altero acceptetur.

2. Magis proprie, & rigorose sumitur contractus pro pacto reciproco, & oneroso, quod ex utraque parte paciscentium, seu contrahentium obligationem parit, & hoc modo definitur ex *l. Labeo ff. de verb. signif.* contractus est ultro, citroque obligatio, quæ quidem definitio non est formalis, sed caussalis; nam contractus non est ipsa formalis obligatio, sed est conventio inter duos, aut plures, ex qua utrinque nascitur obligatio: ab aliis dicitur conventio mutua, seu pactum, ex quo, vel ex utraque, vel saltem ex altera parte nascitur obligatio, & hæc definitio complectitur omnes contractus, etiam minus rigorose sumptos, cujusmodi est promissio acceptata, quæ solum ex parte promittentis parit obligationem.

3. Contractus multipliciter dividitur, & quidem primo dividitur in *nominatum, & innominatum*: contractus nominatus est ille, qui habet proprium, & speciale nomen, qualis est emptio, venditio, locatio, pignus, depositum, commodatum, & societas; innominatus dicitur ille, qui caret proprio, & speciali nomine, sed retinet solum commune nomen conventionis, & hujus quatuor sunt species, do, ut des; do, ut facias; facio, ut facias; facio, ut des: ad hos reducuntur alii, de quibus dubitatur, an pertineant ad nominatos.

4. Secundo dividitur in *contractum bonæ fidei, & contractum stricti juris*: Contractus bonæ fidei appellantur ii, in quibus Judex sequendo æquitatem judicat ex æquo, & bono, non ex rigore Legis, & Juris scripti, quales sunt emptio, locatio, societas, depositum, permutatio, in quibus Judex multa potest arbitrari, quæ secundum bonam contrahentium fidem censentur inesse, etiamsi verbis non fuerint expressa; stricti juris dicuntur illi, in quibus Judex non potest arbitrari, sed sequi debet rigorem juris, & quod verbis expressis conventum fuit, ut sunt promissio liberalis, donatio, assecuratio, stipulatio.

5. Tertio dividitur in *lucrativum, seu gratuitum, & in onerosum*: gratuitus dicitur, in quo non intervenit pretium, & mera, sed mera gratia, & liberalitas, & una tantum pars gravatur; hujusmodi sunt donatio, mutuum, depositum: onerosus vero, in quo utraque pars gravatur, seu utrique vicissim onus imponitur, & fit quædam rerum permutatio, ut sunt emptio, venditio, conductio, locatio, & hujusmodi.

6. Quarto dividitur in *contractum nudum, & vestitum*: nudus est pura conventio carens omni firmamento, unde accipiat robur in foro externo; hujusmodi sunt donatio, & mutuum, antequam de facto impleantur: contractus vestitus dicitur, qui habet aliquid, unde in foro externo accipiat robur: vestitur autem multis modis. 1. Re ipsa, si altera ex parte sit completus. 2. Verbis, si accedat ei formula stipulationis. 3. Scriptura, ut si fatearis per Epistolam, tibi esse satisfactum. 4. Juramento, si contractus nominatus sit in suo genere perfectus, ut emptio, venditio, locatio, qui sunt ex suo genere contractus vestiti.

7. Dividitur etiam in *explicitum, seu formalem, & implicitum, seu virtualem*: in illo exprese contrahitur obligatio, in isto solum implicite, & virtualiter, ut si officium aliquod acceptasti, eo ipso obligaris ad illud diligenter peragendum; qui Tutelam acceptavit censetur se obligasse ad ejus administrationem juxta Leges, & receptam consuetudinem, etsi id verbis non exprimat. Item contractus potest esse *absolutus, vel conditionatus*, prout celebratur dependenter, vel independenter a conditione, quæ conditio si sit de futuro, suspendit consensum usque ad tempus impletæ conditionis.

8. Quæres; *quibus modis contractus perficiantur.*

Resp. Contractus omnes quatuor modis substantialiter perfici, & in suo esse compleri, nimirum consensu, re, verbo, & scriptura, quia contractus tunc perficitur, & in suo esse completur, quando habet omnia, quæ secundum suam speciem requirit, ut pariat obligationem; ut autem talis sit, aliquando solus sufficit consensus mutuus aliquo modo, & aliquo signo exterius sufficienter manifestatus, ut sunt emptio, venditio, locatio, conductio; hi enim contractus non requirunt certam verborum formam, nec scripturam, aut traditionem. Sed sufficit consensus quovis modo exterius expressus, ut pariant obligationem, etiam civilem, & possunt inter absentes fieri, sive per epistolam, sive per nuntium, prout exprese habetur *l. consensu fiunt ff. de Action., & obligat.*

9. Aliquando non censetur perfectus contractus, nisi per ipsam rei traditionem, hujusmodi sunt depositum, mutuum, commodatum, permutatio, pignus, & hujus-

hujusmodi, de quibus fit mentio *tot. tit. instit. Quibus modis contrahatur obligatio*; non enim depositum, commodatum, aut pignus intelligitur esse perfectum, ac firmum priusquam res actu apud alterum deponatur, et commodetur, seu pignus detur.

10. Alii verbis perficiuntur, quia non censentur legitimi, donec uterque contrahens certis verbis suum expresserit consensum; hujusmodi contractus dicuntur stipulationes, & sunt quædam formulæ constantes interrogatione unius, & responsione alterius, uno dicente; *promittisne hoc?* altero respondente; *Promitto*. Sed licet Jure antiquo talis forma verborum esset requisita, Jure tamen novo sufficiunt quælibet verba utriusque contrahentis voluntatem, & consensum exprimentia, *l. Omnes C. de contrahend. stipulat. & §. in hac re Instit. de verb. signif.* Alii denique contractus sola perficiuntur Scriptura, quia contrahentes non habent animum se obligandi, donec confectum fuerit instrumentum a Notario.

11. Quæres 2. *Quem effectum habeant contractus*: Obligatio duplex est; alia naturalis, quæ nascitur ex ipsa lege naturæ ostendente, nos debere esse fideles in promissis, seu conventionibus; alia est civilis, seu legalis, quæ vim accipit a lege positiva humana.

Resp. Primarium, & principalem effectum consensus esse obligationem naturalem; nam ex contractu quocumque etiam nudo, dummodo deliberate, & serio sit factum, oritur naturalis obligatio per mutuum consensum jure naturali, & in foro conscientiæ obligantem, quod adeo verum est, ut etiam Principes supremi talem contrahant obligationem, si contrahant cum proprio subdito, nec possunt recedere sine peccato, ut etiam notat Fagnanus in cap. *Antigonus, de pactis num. 7.* quia nimirum Principes obligantur ex pacto jure naturali, & Divino, cui omnes subjiciuntur, ut tenent Doctores communiter.

12. Quæres 3. *An ad validitatem contractus semper requiratur consensus internus.*

Resp. Requiri, ita quod nullus sit contractus, nullaque obligatio, si solum ficte, & apparenter, sine animo ullo interno, & sine libera voluntate contrahas, licet aliunde obligeris ad omnia damna, quia proximum per illam fictionem decepisti. Ratio est, quia contractus, ut diximus, est actus, in quo ex plurium consensu nascitur obligatio; ubi autem deest consensus, nec est contractus, nec obligatio; quod enim est meum non potest fieri alterius sine mea voluntate. Ita Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 9. n. 3. & lib. 2. disp. 25. nu. 1.* Lugus *disp. 22. sect. 4. num. 45.* Sylvester, Prado, & alii, quos sequitur Andreas a Matre Dei *tract. 114. de contr. cap. 1. num. 7.*

13. Consensus ad contrahendum necessarius quatuor habere debet conditiones; Prima est, ut sit liber, hoc est sponte fiat, nulla vi, aut metu ad id cogente; Secunda, ut sit promissorius, id est cum animo se obligandi ad leges ejus contractus, qui celebratur; nam sine hujusmodi animo verba externa non sunt apta inducere obligationem; Tertia, ut sit expressus aliquo signo sensibili, & externo; interna enim voluntas, ut sic, non est sensibilis, & homo debet alteri obligari modo humano sibi proportionato, & sensibili; Quarto sufficit, quod consensus sit virtualis in alio inclusus.

DUBIUM II.

An Contractus celebratus per Metum sit validus.

14. De metu quid, & quotuplex sit, sufficienter diximus *tract. 1. de Actibus humanis*, quærentes, qua ratione Metus tollat voluntarium, quando excuset a lege, & qua ratione reddat, vel non reddat contractus invalidos, & *tract. 10. de matrim. cap. 15.* late omnia, quæ pertinent ad metum, & qua ratione reddat matrimonium invalidum, quæ sunt sufficientia ad præsentem difficultatem dirimendam, placet tamen ex *ibid.* dicta hic nonnulla referre, addentes alia, quæ hujus loci necessaria videntur.

15. Metus, qui est perturbatio animi proveniens ex apprehensione mali imminentis, alius dicitur gravis, & cadens in virum constantem, id est potens animum fortem, & constantem movere, ut faciat, quod, cessante metu, non faceret: hujusmodi est metus mortis, aut mutilationis, perpetuæ servitutis, amissionis status, gravis, & longi carceris, &c. ad quem revocari potest metus reverentialis, si sit conjunctus cum minis, aut verberibus, sicut etiam preces importunæ Superiorum, quibus aliquid fit ad repellendam molestiam, & ad vitanda gravia incommoda, quæ juste timeri possunt. Alius dicitur levis, qui non cadit, nec movet virum constantem, & fortem, sed debilem dumtaxat, puerilem, aut femineum, cujusmodi est metus alicujus mali levis.

16. Metus gravis aliquando est ab intrinseco, ut ab infirmitate, naufragio, incendio, aliisve caussis naturalibus incussus, & dicitur esse ab intrinseco, quia patiens illum sibi imponit talem obligationem, seu eligit illam a se, ut a tali periculo liberetur; aliquando ab extrinseco, ut a caussa libera cogente, & hic potest esse, vel juste incussus, vel injuste; & iterum potest esse ad extorquendum consensum, & contractum, vel ad alium finem, & effectum, & eligitur contractus, ut malum illud evitetur, ut late diximus, & explicavimus *loc. cit.*

17. Conveniunt omnes, contractum celebratum ex metu gravi illato a caussa naturali, puta ab infirmitate, naufragio, seu incendio esse validum, & firmum, quia talis metus nec jure naturali, nec jure positivo irritat contractum; idem valet de metu gravi juste incusso a caussa libera, immo etiam si injuste incutiatur, sed non ad extorquendum contractum, sed ad alium finem, & contractus eligitur ad evadendum illud malum, & sic validum est matrimonium contractum cum concubina tempore infirmitatis, sive in naufragio, sive alio periculo, Sperellus *decis. 6. fori Ecclesiast. num. 4.* Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 12. a n. 3.* qui dicunt, esse communem, & certissimam Doctorum Sententiam.

18. Difficultas solum est de metu injurioso incusso a caussa libera ad extorquendum contractum; an, stante tali metu, contractus celebratus sit validus, an irritus? in quo discrepant Doctores. Prima Sententia docet, tales contractus irritos esse, ac nullos jure naturæ, aut positivo, sive onerosi, sive gratuiti sint, quia nihil est tam contrarium consensui requisito ad contractum, quam metus, & quia promittens ex metu gravi non peccat, rem promissam non tradendo; ergo nullam contrahit obligationem, ita Sotus, Molina, Malderus, Villalobos, Rebellus a nobis allati in *tract. de actib. humanis cap. 5. n. 83.*

19. Secunda verior, & probabilior dicit, esse validos omnes contractus tam lucrativos, quam onerosos, paucis exceptis, qui ex speciali Juris dispositione sunt irriti. Ratio est, quia metus etiam gravis non caussat involuntarium simpliciter, sed tantum secundum quid, seu facit involuntarium mixtum, cum quo sicut stat consensus sufficiens ad peccandum, ita etiam stat consensus sufficiens ad contrahendum. Conf. ex *l. fin. C. de his, quæ vi*, ibi *venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari*, ergo non sunt ipso jure irritæ, sed irritandæ; Idem habetur *cap. 2. de his, quæ vi, metusve caussa fiunt*, ubi solum dicitur, *quæ vi, & metu fiunt debent in irritum revocari*, ita Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 8.* ubi innumeros refert pro eadem Auctores Juristas, Canonistas, & Theologos, Trullench *lib. 7. cap. 16. dub. 3. n. 2.* Lugus *disp. 22. sect. 7. n. 115.* Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 6. n. 35.* Dicastillo, Tapia, & alii, quos sequitur Andreas a Matre Dei *c. 1. num. 11.*

20. Excipiuntur tamen nonnulli contractus, qui jure positivo sunt irriti, hoc ipso quod metu gravi sunt initi. Primus est Matrimonium, quod idem valet de consensu Sponsalium, ut diximus *suo loco*, siquidem contracturus matrimonium *plena debet securitate gaudere, ne per timorem dicat, sibi placere quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire*, ut loquitur Pontifex in cap. *Cum locum de sponsalib.* II. Professio religiosa ex *cap. 1. de his, quæ vi*. III. Dotis promissio, vel solutio, *l. si mulier. ff. hoc tit.* ibi: *Si dos metu promissa sit, non puta nasci obligationem*, ubi Summarium ait, *Contractus dotis factus metu est ipso jure nullus*. IV. Electio Prælati cap. *Periculum §. ceterum de electron. in 6.* V. Promissio, vel traditio rerum Ecclesiasticarum, Can. *si quandoque 15. qu. 6.* juncto cap. *Pervenit. 2. de Jurejurando*, & idem dicendum de Juramento desuper facto: tum quia accessorium sequitur naturam principalis ex *Regul. 42. Juris in 6.* tum quia tale juramentum nequit servari absque peccato, alienando scilicet aliquid in præjudicium Ecclesiæ. VI. in absolutione ab excommunicatione, cap. *un. hoc tit. in 6.* VII. in quibusdam Votis, etiam si vovens habeat animum se obligandi, nisi postea, excusso metu, ratificet, ut ex communi Sententia probat Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 3. n. 11.* Lugus *n. 122.*

21. Alii contractus ex metu gravi celebrari possunt in foro conscientiæ irritari ab eo, qui metum injuste passus est, cui etiam datur actio in foro externo, ut agat adversus metum incutientem, & iste tenetur rem tradere ex petitione alterius, vel Judicis sententia, sive contractus sit lucrativus, sive onerosus, quia incutiens injuste metum infert gravem injuriam alteri, quem proinde tenetur in pristinum statum restituere, & alter habet jus petendi hanc restitutionem, ut constat ex l. *Metum autem præsentem 9. §. sed quod Prætor ff. hoc tit.* ubi expressum habetur, quod, metu interveniente, *sive perfecta, sive imperfecta res sit, & actio, & exceptio datur.*

22. Nec obstat ratio in contrarium adducta, quia metus, licet contrarietur consensui omnino libero, non tamen tollit simpliciter consensum, nec facit actum simpliciter involuntarium, sed tantum secundum quid, cum quo stat consensus sufficiens ad contrahendum, ut supra dixi. Promittens ex metu non peccat, rem promissam non tradendo, non quia contractus sit simpliciter involuntarius, & insufficiens ad transferendum dominium, sed quia est rescindendus, & rescindi debet ad nutum metum patientis; & quia domino sunt restituenda omnia damna ab eo, qui metum injuste incussit, & inde quod talis contractus sit validus, non patrocinatur metum incutienti, sed solum deservit, ut subsistat, volente eo, qui metum est passus, ut cum aliis tradit Bossius *n.* 213.

23. Quod si contractus sit celebratus ex metu levi, non cadente in virum constantem, non rescinditur in foro externo, cap. *cum dilectus 6. hoc tit.* & *l. metum autem ff. de eo, quod metus caussa*, &c. & hoc ad evitandas lites, quæ de facili possent oriri; in foro tamen conscientiæ possunt irritari, ad arbitrium ejus, qui passus est metum. Ratio est, quia etiam metus levis infert injuriam, hominem privat sua libertate, eumque cogit ad præstandum consensum medio injusto, ac proinde debet posse rescindi ad nutum illius, qui passus est metum. Excipitur contractus Matrimonii, qui cum sit indissolubilis, hoc ipso quod semel est validum, non potest irritari; esse autem validum, si ex metu levi contrahatur, diximus suo loco *tr. 10. de matrim. cap. 15. n.* 28. ita Sanchez, Pontius, Gutierez, Hurtadus, Bossius, & alii a nobis *ibid.* allati. Idem valet de Professione Religiosa, quæ est ex natura sua irrescindibilis, ut cum Rebello tradit Bonacina *disp. 3. qu. 1. p. 2. §. 3. n. 4.*

24. Hinc adverte, contractum per metum gravem celebratum, rescindi posse, non solum, quando metus fuit incussus ab illo, in cujus favorem, seu utilitatem contractus initus est, sed etiam quando fuit incussus ab alio tertio, ipso ignorante, quia, ut dicitur in *l. si cum exceptione §. in hac actione ff. de eo quod metus caussa. In hac actione non quæritur, utrum is, qui convenitur, an alius metum fecerit, sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum, vel vim*, quod idem specialiter colligitur ex *c.* 2. 3. *&* 4. *de his, quæ vi*. Ratio est, quia res illa vitio metus affecta transit cum suo vitio ad quemcumque possessorem, ut cum aliis tradit Bossius *cap. 12. n.* 231. similiter si facto jam contractu ex metu injusto dante illi caussam, res transeat bona fide ad alium possessorem, poterit qui metum passus est eam exigere ab illo, qui nullo modo fuit caussa metus, & contra illum incipere actionem, qui, si contractu oneroso eam habuit, poterit postea contra venditorem agere, qui tenebitur de evictione, ac si rem alienam vendidisset; & qui passus est injuriam, & metum, si aliter non possit rem suam recuperare, poterit eam occulte surripere; vel, si ea res in se non extat, poterit uti occulta compensatione, ut dici solet de aliis debitis.

25. Quod dictum est de metu gravi cadente in Virum constantem, valet etiam de metu reverentiali, quando illi conjunctæ sunt minæ, aut timor gravis offensionis; talis enim censetur gravis metus, & acta ex eo metu rescindi possunt, secus si nullum aliud malum timeas, quam pudorem, & verecundiam, quæ naturaliter inest filiis coram patre, vel aliis, quibus debetur reverentia, quia tunc non adest gravis læsio libertatis sufficiens ad rescindendum contractum, forte ex tali metu celebratum, ut diximus de matrimonio *cap. 15. num.* 34. Idem valet de blanditiis, & precibus importunis, si adjunctas habeant minas virtuales, aut periculum gravis indignationis, & offensionis, si proveniant a patre indignabundo, a Principe, aut Superiore, qui male tractare solet suis precibus non obtemperantes, secus si nullum, aut levissimum inde malum timeatur, ut *ibid.* diximus a *num.* 37.

26. Inde infert Bonacina *disp. 3. qu. 1. punct. 2. §. 3. n.* 10. extorta per preces importunas, aut metum reverentialem, quo aliquis invitus, & quasi coactus tradidit, esse restituenda, modo extorta fuerint ab eo, qui, voluntate repugnante, tradidit ad repellendam molestiam, & ad vitanda jurgia, importunitatem precum, & alia incommoda. Infert etiam, Filium, qui Patri morienti promisit solvere ejus legata, vel debita, non teneri ad illa solvenda, si promissionem præstitit ob metum reverentialem, timens patris indignationem, quam promissionem alioquin non præstitisset; ita etiam tenent Lopez 1. *part. cap.* 96. & Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 9. n. 16.* quod verum puto, quando Filius solvere promisit ex propriis bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus, secus si hereditatem accepit a patre cum onere hactenus accepto solvendi debita, & legata; nam tunc ex justitia tenetur illa solvere.

DUBIUM III.

Utrum Contractus per Errorem, vel Dolum celebratus sit validus.

27. Dolus, prout sumitur in præsenti, est Machinatio, seu deceptio, qua quis decipit alterum dicto, vel facto, vel omissione ejus, quod dicere, vel facere tenebatur, ut si venditor mendaciis alterum inducat ad contrahendum, vel sciens, rem esse alienam, vel alteri obligatam, vel alio vitio affectam, tacet, nec de hoc certificavit emptorem, ut cum Petro Navar. Rebello, & aliis docet Bonacina *punct. 2. §. 2. n. 1.* ac proinde per dolum in præsenti debet intelligi quæcumque fraus in contractu inventa, sive casu fiat, sive ex industria, & proposito; & quidem si fraus contingat ex parte ementis ob ignorantiam putantis rem perfectam, quæ re ipsa est vitiosa, contractus dicitur factus per errorem, quamvis ex parte vendentis dolus non intercedat, quatenus & ipse rem putabat bonam, & absque vitio: dolus autem proprie dicitur, quando calliditas, & fallacia datur ex parte vendentis, qui sciens vitium rei dissimulat, seu mendaciis tegere conatur: cum autem dolus, & error eodem modo concurrant ad tollendum liberum consensum, quod dictum fuerit de uno, de altero pariter accipiendum erit.

28. Suppono, dolum, seu errorem esse posse circa substantiam rei, ut si vitrum vendas pro auro, seu gemma; vel circa accidentia, & qualitates accidentales, ut si ducas in matrimonium corruptam, seu pauperem, quam putabas esse Virginem, seu divitem. Rursus potest esse dolus, & error antecedens dans caussam contractui, qui si detegeretur non contraheres: aut concomitans, seu incidens in contractum, & non dans caussam contractui, quia æque libere, seu libenter contraheres, etiamsi veritatem agnosceres, licet non tanto pretio, & procedere potest, vel ab altero contrahente, vel ab alio tertio absque culpa, vel participatione contrahentis, vel ab eo, qui deceptus est, qui sua ignorantia absque alterius malitia erravit.

29. Resp. 1. Si dolus, vel error versetur circa substantiam rei, a quocumque fiat reddit ex natura rei contractum nullum, & irritum pro omni foro; eo quod absolute, & simpliciter deest consensus substantialis ad contrahendum requisitus, siquidem *nullus est errantis consensus*, ut dicitur *l. Non idcirco C. de juris, & facti ignorantia*; sine consensu autem contractus est nullus, & irritus Jure naturæ, in quo omnes conveniunt, & inde qui vitrum vendit pro gemma, aurichalcum pro auro, comperto errore, tenetur contractum rescindere, & pretium restituere in conscientia: Quod verum est, etiamsi dolus, aut error non det caussam contractui, sed tantum sit concomitans, quando nimirum contrahens ita erat dispositus, ut si cognovisset errorem adhuc contraxisset, quia de facto consensum positivum, & actualem non habet, & sic contractus non valet, cum sit præstitus sine consensu; nec sufficit, quod si cognovisset consensisset; nam de facto non cognovit, & sic de facto non consensit. Ita cum D. Thoma 2. 2. *qu. 6. art. 8.* tenet Bonacina *qu. 1. p. 2. §. 1. n. 3.* Trullench *lib. 7. cap. 16. dub.* 3. Lessius *lib. 2. cap. 17. n. 27.*

30. Resp. 2. Si dolus, aut error versetur solum circa qualitates accidentales, seu quasdam extrinsecas circumstantias contractus, & non sit antecedens, seu dans caussam contractui, sed solum concomitans, & incidens in contractum, ut fieret quando quis alias esset contracturus, & dolo alterius in pretio, vel alia circumstantia decipitur, contractus Jure naturæ remanet validus, quia talis error, seu dolus non tollit consensum circa substantiam contractus, sed illum relinquit validum jure naturæ; nec infirmari, aut rescindi debet ad instantiam decepti, qui vere consensit in talem contractum, sed solum ipsi datur actio contra deceptorem ad resarciendum sibi damnum, & injuriam illatam, ut clare constat ex *l. Julianus §. si venditor ff. de Actionib. vendit.* ubi dolo rem pluris vendens tenetur actione exempto, non ad rescissionem contractus, sed ad præstandum, seu solvendum decepto, quantum pluris ei vendidit. Ita Hostiensis *in Summa hoc tit. n. 5. vers. Quod si deceptio*, Layman *lib. 3. tract. 4. sect. 5. cap. 5. nu. 2.* dicens, esse communem, Reginald. *lib. 15. numer. 122. & 144.* Molina *disp.* 352.

31. Si dolus circa qualitates det caussam contractui, & sit ab altero contrahentium commissus, tunc plures distinguunt inter contractus bonæ fidei, & stricti juris, & dicunt; contractus bonæ fidei, quibus dolus alterius contrahentis caussam dedit, esse nullos, & irritos; contractus vero stricti juris esse validos jure positivo, licet sint rescindibiles, & ad petitionem decepti sint per Judicem rescindendi; sic habetur ex *l. & eleganter*

ff. de

ff. de dolo, ubi dicitur, emptionem dolo factam esse nullam, *l. si dolo C. de rescindra. vendit. l. de invalid. stipulat.* ubi dicitur *dolo, vel metu adhibita, actio quidem nascitur, si subdita stipulatio sit: per doli mali tamen, vel metus exceptionem submoveri petitio debet*, & *l. ea vero §. fin. ff. pro Socio*; ubi dicitur *Societas*, quæ est contractus bonæ fidei, *si dolo malo, aut fraudandi caussa, inita sit, ipso jure nullius momenti est: quia fides bona contraria est fraudi, & dolo.*

32. Vero probabilius est, omnes contractus, sive bonæ fidei, sive stricti juris, esse validos, quamvis possint, & debeant per Judicem rescindi ad petitionem decepti. Ratio est, quia cum dolus non versetur circa substantiam contractus, sed solum circa caussam contrahendi, quæ est extrinseca & accessoria rei, relinquit actum simpliciter voluntarium & validum & involuntarium solum secundum quid & quoad circumstantiam accidentalem. Quod si in Jure aliquando contractus bonæ fidei dicuntur irriti, invadi, nullius momenti, & roboris, ideo est, quia sunt rescindibiles ad petitionem decepti & deceptor ex illis non acquirit jus firmum, nisi alter ratificet illos. Ita Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 5. num. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 17. num. 29.* Bonacina *§. 1. num. 3.* Lugus *disp. 22. num. 73.* Tiullench *lib. 7. c. 16. dub. 3. num. 5.*

33. Hinc sequitur, contractus hujusmodi, si sint rescindibiles, debere rescindi ad petitionem decepti, non vero ad petitionem decipientis, qui tenetur stare contractui, quando deceptus non vult ab illo recedere, quia nimirum favor rescissionis est in favorem decepti, non decipientis; nam deceptis, non decipientibus Jura subveniunt *C. cum universorum 8. de rerum permutat.* & quia fraus & dolus alicui patrocinari non debet. Dixi; *si contractus sit ex natura sua rescindibilis*, propter Matrimonium & Professionem religiosam, quæ semel valide facta non possunt rescindi, quia sunt contractus ex natura sua indissolubiles & quia contractus Matrimonii est spiritualis, & a Christo Domino elevatus ad rationem Sacramenti, ut proinde Jus Civile nihil de eo disponere potuerit; quod proportionaliter valet de Professione Religiosa, de qua Jus Civile nil disponit.

34. Quod si dolus non sit commissus ab altero contrahentium, sed ab alio tertio, cum ignorantia contrahentium, & contractus ab utraque, vel saltem ab altera parte contrahentium completus est, remanet firmus, & validus, juxta communem Doctorum Sententiam, etiamsi dolus dederit caussam contractui. Ratio est, quia cum neuter contrahentium caussaverit dolum, neutri obesse debet; obesset autem, si, eo invito, contractus ex sua parte completus rescinderetur; colligitur ex *l. & eleganter ff. de dolo*, & tenent Covarruvias, Sanchez, Sylvester, Molina, Rebellus & alii, quos affert & sequitur Bonacina *punct. 2. §. 2. n. 3.* deceptus tamen in isto casu habet actionem contra tertium deceptorem, a quo fuit deceptus, si exinde læsus est, ut habetur ex *l. 2. ff. de proxenetis*, & decipiens tenetur ad omnia damna, cum censeatur illorum caussa injusta; quod si iste tertius solvendo non sit, tenetur principalis, pro quo intercessit, quatenus factus est locupletior, qui tenetur contractum reducere ad æqualitatem.

35. In tali casu si deceptio sit ultra dimidium pretii, datur actio in foro externo repetendi excessum; si autem deceptio sit infra dimidium, non datur actio in foro externo ad evitandas lites *l. 2. C. de rescind. vendit.* in foro tamen conscientiæ debet restitui, quia injuria facta decepto dolose debet compensari, & obligat ad omnem excessum & ad restitutionem omnium damnorum, quæ ob id passus est deceptus, quia omnium illorum fuit caussa injusta. Sic Bonacina *§. 2. num. 3.* Sanchez, Villalobos, Molina, quos sequitur Andreas a Matre Dei *cap. 1. de contractibus punct. 3. a. 20.*

36. Quæres. *An accepta per simulationem, vel hypocrisim, vel per dolum, aut mendacia, sint restituenda, v. g. aliquis se finxit pauperem, Sacerdotem, vel consanguineum, & tali prætextu obtinuit eleemosynam, beneficium, aut pecuniam, an teneatur illa restituere?*

Resp. Accepta per simulationem & dolum versantem circa caussam finalem & motivam esse restituenda, nam promissio, vel donatio facta cum tali dolo non subsistit, quia, cessante fine & motivo, cessat voluntas: secus si solum sit caussa impulsiva; nam tunc adest sufficiens consensus promittentis, vel tradentis, ut fuse tradit Bonacina *§. 2. n. 8.*

DUBIUM IV.

Utrum Contractus sine sollemnitate Juris celebrati sint validi.

37. LEges aliæ sunt pure prohibentes actum seu contractum; aliæ vero & irritantes, & annullantes: illæ reddunt actum illicitum, sed non invalidum, intactam relinquunt obligationem naturalem, quam tales actus habent pro foro conscientiæ; nam plures actus valide efficiuntur, quamvis illicite contra legem prohibentem, quia, aliud est prohibere, ne fiant, aliud irritare, ne valide fiant & unum potest ab alio separari; nam de facto matrimonium contractum, non præmissis publicationibus, aut contra Interdictum Ecclesiæ, aut cum alio impedimento non dirimente, est prohibitum, & tamen non est invalidum: Ordinatio Episcopi ordinantis non subditum & consecratio Sacerdotis degradati valida est, quamvis utraque sit prohibita, quod etiam valet in pluribus similibus exemplis, in quibus valet illa Regula Innocentii III. in cap. *Ad Apostolicam 16. de Regularib.* scilicet, quod multa fieri prohibentur, quæ si fuerint facta, obtinent roboris firmitatem.

38. In dubio, quando ex verbis, aut circumstantiis, aliter de mente Legislatoris non constat, leges prohibentes ita exponi possunt, ut actum solummodo prohibeant, non invalidum reddant, si de cetero Juri naturæ, aut bonis moribus non repugnet, juxta vulgata Juris axiomata, quod abrogatio Juris communis, & præsertim naturalis, sit stricte interpretanda, neque in dubio inducenda; quod infirmatio contractus sit odiosa & præjudicans, ubi jura non sunt clara, quod minimum est, hoc est minoris præjudicii, vel minoris pœnæ, sit tenendum, per regulam 30. & 49. *juris in 6.* ut bene notat Engel *lib. 1. tit. 2. §. de Constitut. n. 50.*

39. Aliæ deinde sunt Leges irritantes & annullantes actum, quia Legislatores ratione boni publici ad impediendas fraudes, dolos & damna, & ne lites multiplicentur, possunt suis legibus aliquos actus, seu contractus de jure naturali validos & obligatorios irritare, & reddere nullos & irritos, aut solum civiliter denegando actionem, vel concedendo rescissionem ejus, implorato Judicis officio, interim remanente obligatione naturali & obligatione conscientiæ, quoadusque talis actus, seu contractus a Judice rescindatur, veluti si minor, auctore Tutore, hereditatem lucrosam repudiaverit, aut adierit, & postea postulet restitutionem in integrum *l. 1. & seq. C. si Tutor, vel Curat. intervenerit*, quo casu qui accepit, licite potest retinere, donec a Judice revocetur: ita se habet contractus venditionis, in quo intervenit deceptio ultra dimidium justi pretii, qui non est irritus, sed irritandus *l. 2. C. de rescind. vendit.*

40. Vel etiam possunt tales actus & contractus de jure naturali validos & obligatorios ita irritare & annullare, ut nulla prorsus inde nascatur obligatio, nec civilis, nec naturalis, sive pro foro interno, sive externo; qua ratione Concil. Trident. annullavit contractum Matrimonii sine Parocho, & testibus celebratum. Hæc autem Irritatio potest esse explicita, quæ fit verbis claris, & explicitis, ut sunt *irrito, invalido, annullo, rescindo, actus sit irritus, sit nullus*, vel implicita, quæ fit per verba æquivalentia, seu per legem præscribentem actui, vel contractui formam, & sollemnitates in eo celebrando servandas, ut fusius diximus in *tract. de legib. cap. 2. dub. 6.* Difficultas igitur est: *an quando lex humana præscribit certam formam actui, puta electioni, alienationi rer Ecclesiæ, testamentis, aut codicillis, seu aliis contractibus, si non salvetur talis forma, aut sollemnitates præscriptæ non adhibeantur, talis actus, seu contractus non solum civiliter, & pro foro externo, sed etiam naturaliter sit nullus, & irritus, adeo ut nullam pariat obligationem, nec etiam naturalem pro foro conscientiæ, vel tantum sit nullus, & irritus civiliter, & pro foro externo, in quo maxime discrepant DD.*

41. Prima Sententia docet, tales actus, & contractus sine sollemnitate Juris celebratos, validos esse pro foro conscientiæ, quando procedunt ex mutuo contrahentium consensu sincero, & libero ab omni fraude, & dolo. Ratio est, quia leges fundatæ in præsumptione doli, & fraudis non obligant in conscientia, deficiente dolo, & fraude; sed hujusmodi sunt leges irritantes contractus absque sollemnitate Juris celebratos; supponunt enim dolum, & fraudem in contractibus; testamentum esse factum cum dolo, & fraude; electionem esse alicujus indigni; alienationem esse in damnum Ecclesiæ; quare si deficiant hujusmodi fraudes, & inconvenientia, pro quibus vitandis conditæ sunt leges, tales actus erunt validi pro foro conscientiæ. Conf. quia ex hujusmodi dispositionibus, & contractibus jure civili nullis, & irritis, nascitur obligatio naturalis descendens ex libero consensu, & voluntate contrahentium, quæ per legem humanam tolli non potest, nec impediri, ac proinde remanet obligatio pro foro conscientiæ servandi promissiones, pacta, & contractus, non obstante lege irritante, dummodo a parte rei nulla intersuerit fraus, aut injustitia. Sic, pluribus allatis, tenet Vasquez, Sylvester, Navarr. Covarr. Sayrus, Homobonus, & alii a nobis allati *de legib. cap. 2. n. 83.*

42. Secunda Sententia e contra docet, invalidos & irritos esse hujusmodi contractus sine sollemnitate Juris celebratos, non solum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ. Ratio est, quia leges tales contractus irritantes non fundantur in præsumptione doli & fraudis in omni casu particulari, sed in morali periculo illarum, quod semper adest. Conf. quia sicut ipsi contrahentes apponere possunt in contractibus aliquas conditiones, quibus prætermissis, nulla insurgat obligatio inter illos, ita potest supremus Princeps pro bono publico & communi conservando, & ut facilius vitentur damna & fraudes in Republica, irritare contractus, non solum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ, inhabilitando personas ad sic contrahendum, vel apponendo sollemnitates, sine quibus contractus non sit validus. Cum autem hujusmodi lex non sit pœnalis, sed respiciat bonum publicum, ut damna & fraudes removeantur a Republica, sortiri debet suum effectum, non solum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ ante quamcumque Sententiam; & inde testamentum factum sine debita sollemnitate remanet irritum & nullum, & hereditas transit ad heredes ab intestato & heres in tali testamento relictus retinere non potest hereditatem. Idem dicendum in alienatione bonorum Ecclesiæ & in electione absque præscripta forma substantiali facta, prout tenent Palaus, Salas, Bonacina, Lessius & alii a nobis allati in *tract. de legib. loc. cit.*

43. Hanc sententiam diximus probabiliorem & in praxi sequendam, quia lex determinans sollemnitates servandas inducit formam essentialem & substantialem, qua deficiente, nulla & irrita manet dispositio, quæ sine forma substantiali & essentiali stare non potest: tum quia lex tales sollemnitates inducens est justa, sancta, & honesta, & ob justam caussam constituta ad præcavendas fraudes in Republica: lex autem justa & honesta obligat etiam in conscientia, illique jure naturali & Divino tenemur parere in foro animæ, ut cum D. Thoma *ibid. diximus.*

44. Nec tamen lex irritans contractus sine sollemnitate celebratos tollit, aut facit aliquid contra jus naturale, sed solum id, quod lex naturalis concedit aut permittit, ordinat, apponendo sollemnitates, ut debito & congruentiori modo in particulari fiat, ut plura evitentur inconvenientia, damna & fraudes in Republica, quod quidem Princeps supremus præstare potest.

45. Nec dicas; *dispositio & obligatio legis cessare debet, quando cessat finis ejusdem legis; At finis legis præscribentis sollemnitates in contractibus est vitare fraudes, quæ possunt committi: si ergo contractus pure & sincere fiat sine fraudibus, validus erit, quamvis non observentur illæ sollemnitates.* Sed contra dico, cessare dispositionem & obligationem legis quando cessat finis adæquatus ejusdem legis respectu totius Communitatis, non vero si solum cesset pro casu aliquo particulari, ut diximus *in tract. de legib. cap. 4. dub. 1.* Deinde lex, quæ præscribit certam sollemnitatem, non respicit fraudem in quocumque casu particulari, sed periculum fraudis, quod in nullo casu particulari cessat.

46. Hinc sequitur, accepta per contractum lucrativum sine debita sollemnitate substantiali factum, esse restituenda, etiam ante Judicis Sententiam, quia nullo justo titulo retineri possunt, cum contractus sit invalidus defectu sollemnitatis substantialis: accepta vero contractu oneroso retineri posse titulo compensationis; non enim facit injuriam illi, a quo recepit, nec ei damnum infert cum tradiderit æquale, & sic poterunt retineri, donec repetantur, ut cum Molina, Lessio, & aliis tradit Bonacina *punct. 3. n. 4.*

47. Quæres: *an contractus jure naturæ aut positivo nullus, firmetur juramento;* de hac difficultate satis diximus circa secundum præceptum Decalogi *tract. 7. de Juramento cap. 2. dub. 4.* quæ non sunt hic repetenda.

48. Quæres 2. *Quomodo fiat absolutus & obliget contractus sub conditione celebratus;* Vide quæ diximus *tr. 10. de Matrimonio cap. 6.* ubi hæc materia late fuit discussa; quæ enim ibi diximus de Matrimonio sub hac vel illa conditione contracto, valent etiam de aliis contractibus, proportione servata, quibusdam exceptis, quæ Jura specialiter disponunt de Matrimonio, quo nonnullæ sunt excludendæ conditiones, quæ, si apponantur, habentur tamquam non adjectæ, ut *ibidem* explicuimus; non sic de aliis contractibus, in quibus apponi non prohibentur, sed sub illis celebrari possunt, illisque consensus alligari.

DUBIUM V.

Quinam licite & valide possit contrahere.

49. NOta, duplicem dari obligationem, unam naturalem & alteram civilem seu legalem: hæc vim accepit a lege positiva humana pro foro externo concedente actionem & exceptionem in altero ex contrahentibus adversus obligatum; naturalis est illa, quæ nascitur ex ipsa lege naturæ dictante, nos debere esse fideles in promissis & conventionibus servandis, & obligat in conscientia sub peccato mortali, juxta rei gravitatem, prout docet D. Thomas 2. 2. *qu.* 106. *art.* 4. 5. & 6. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* 7. *num.* 15. & alii satis communiter; quod verum est, etiamsi jus civile non concedat actionem, ut patet in obligatione naturali proveniente ex pacto nudo & in obligatione ad restituendum, qua tenetur emptor defraudans citra dimidium justi pretii, qui tenetur naturaliter, licet non civiliter restituere. Sanchez *n.* 16. & Covarruv. *de pactis p. 2. §. 4. n. 5.*

50. Datur etiam alia obligatio naturalis, quæ oritur solum ex honestate morali & debito gratitudinis, hujusmodi est obligatio illius, qui recipit beneficium, ratione cujus tenetur ad antidora, & ad gratam remunerationem loco & tempore convenienti, ut tradit D. Thomas *loc. cit.* Hæc tamen non est vera & rigorosa obligatio, nec parit actionem in foro externo, nec obligationem in foro conscientiæ, nec illius transgressio inducit peccatum, nec etiam veniale. Sanchez *dicto n.* 16. Hæ obligationes aliquando simul in eodem reperiuntur, ut in contractibus onerosis a jure positivo & civili approbatis, ut in mutuo, venditione, locatione, societate, & aliis hujusmodi: aliquando tamen separantur. In præsenti non agimus de hac obligatione orta ex honestate, morali & debito gratitudinis, sed de civili & naturali vera & rigorosa, & quærimus;

Qui possint valide & licite contrahere, ita ut obligationem civilem aut naturalem subeant.

51. Resp. omnes habentes usum rationis cum libera & absoluta administratione suorum bonorum valide & licite posse contrahere; non sic qui non habent usum rationis, aut non liberam administrationem suorum bonorum. Ratio est, quia contractus est pactum rationabile & humanum, quod humano modo fieri debet, cum jure disponendi, se obligandi, & in alterum transferendi rerum suarum dominium; at qui caret usu rationis, vel non habet suorum bonorum liberam administrationem, non potest exercere actum humanum, se alteri obligare, nec alterum sibi, nec in alterum transferre rerum suarum dominium; & sic non potest contrahere; quod tamquam regula universalis ab omnibus admittitur: unde sequitur, amentes, ebrios, furiosos & infantes, defectu usus rationis, non posse valide contrahere.

52. Prodigus nec licite nec valide contrahere potest sine curatoris auctoritate, cum illis sit interdicta suorum bonorum administratio; prodigus enim dicitur ille, qui indiscrete, vane, inconsulte suum patrimonium devastat, quapropter, caussa cognita, Judex illi suorum bonorum administrationem interdicit & curatorem designat, *l. 1. & seqq. ff. de curat. furioso, vel aliis &c. §. Item prodigus, Instit. quibus non est permissum facere testamentum;* nam prodigus, juris fictione comparatur furioso, *l. 12, qui §. fin. ff. de tutorib. & curatorib.* unde illorum contractus nullam obligationem inducunt, etiamsi juramento firmentur, quia juramentum non purgat defectum judicii, cujus caussa prodigo interdicitur contractus, ut cum Jasone, Bartol. Bald. Paulo de Castro, Covarruv. & aliis docet Palaus *de Instit. commun. disp. 1. punct. 4. §. 1. nu. 2.* Non est tamen inhabilis ad contrahendum antequam per sententiam Judicis ipsi sit interdicta suorum bonorum administratio, quia jura solum dicunt, privandum administratione & ipsi dandum curatorem, non vero ipso facto privatum esse, ut tenet Palaus *n.* 4. quamvis nonnulli ab eodem citati oppositum probabiliter sentiant.

53. Servi quamdiu sunt in eo statu, quamvis non possint civiliter obligari, possunt tamen naturaliter obligari, ut clare constat ex *l. quod attinet 32. ff. de Regul. Juris*, ibi; *quod attinet ad jus civile servi pro nullis habentur, non tamen & jure naturali, quia quoad jus naturale attinet omnes homines æquales sunt*, & aliis juribus allatis a Bossio *var. moral. part. 3. tit. 3. num.* 244. unde servus etiam post adeptam libertatem civili actione cogi non potest stare promissis factis tempore servitutis: bene tamen jure naturali & in conscientia, si promittat, tenetur adimplere promissionem, si absque domini præjudicio id facere possit & si non potest adimplere tempore servitutis, effectus liber tenebitur implere, ut cum

Navar.

Navar. Molina, Sanchez & Villalob. tenet Bossius *loc. cit.* quos autem contractus licite ac valide celebrare possit servus, sive cum Domino, sive cum aliis, late docet Bossius *n. 246. & seqq.*

54. Religiosi sollemniter professi cum ob votum paupertatis nihil proprium habeant, non possunt legitime contrahere nec disponere de rebus Monasterii sine consensu Prælati; & si absque illo contrahant, Monasterium non tenetur ex tali contractu, nisi quatenus locupletius factum est, ut habetur ex *l. si cum impuberes ff. de peculio*. Prælati vero & ab eo constituti administratores bonorum communium valide contrahere possunt & obligari naturaliter & civiliter, sed in multis casibus non nisi dependenter a consensu Capituli, seu Communitatis & ad usus determinatos dumtaxat; unde si Prælatus mutuo accepit pecuniam in usus proprios vanos, in quibus bona Monasterii expendenda non erant, non tenebitur Monasterium, quia tunc excedit limites suæ administrationis. Contractus a Religioso sine licentia Superioris initi, non sunt omnino irriti, sed irritari vel ratificari possunt a Superiore, prout Monasterio magis utile & commodum est; sive contractus fuerit initus nomine proprio Religiosi, sive Monasterii seu Religionis, quia nullum dominium nec administrationem habent, si sint subditi. Navar. *comment. 2. de Regul. na. 30. & 65.* Molina *disp. 140.* Ant. a Spiritu S. *de contract. in gen. disp. 10. n. 438.*

55. Princeps supremus contrahere potest cum suis subditis, eisque naturaliter obligari, non tamen civiliter, cum non possit cogi aut judicari, sed potest a Judice declarari, Principem obligatum esse ex contractu ad aliquid præstandum, quæ aliquo modo appellari potest obligatio plusquam naturalis, ut docet Lugus *disp. 22. sect. 10. n. 280.* Villalob. *tr. 119. diff. 9. n. 8.*

56. Tutor & Curator nequeunt, durante cura aut tutela, cum minore aut pupillo contrahere, *l. non licet l. si emptione, de contrahenda emptione*. Executores testamentorum non possunt emptione aut alio contractu defuncti res emere aut accipere sine auctoritate Judicis, vel saltem alterius executoris: & generaliter omnes negotiorum gestores nequeunt emere, aut alio contractu accipere res, circa quas negotiantur. Advocatus, durante lite, nequit emere aut alio contractu accipere res sui clientis, *l. quisquis C. de postulando*. Neque Medicus a suo infirmo, durante infirmitate *l. Medicus ff. de variis, & extraordin. Cremmib.* prout notat Andreas a Matre Dei *cap. 1. n. 37.*

DUBIUM VI.

Quomodo Minor, Pupillus, & Filius-familias possint, vel non possint contrahere.

57. DE istis adest specialis difficultas; ideo nota, Tutorem illum dici, qui pupillo ad curam & custodiam ipsius & bonorum administrationem assignatur; Curatorem qui simili modo assignatur minori: qui tamen in hoc differunt, quod Tutor datur usque ad tempus pubertatis præcipue & primario ad tuendam personam pupilli & secundario ad ejus bona administranda, & post adeptam pubertatem tutela finitur: Curator vero pueris & puellis puberibus datur usque ad 25. annum, præcipue ut ipsorum bonorum curator & administrator existat. Minor jure communi dicitur ille, qui 25. annos nondum implevit, & de momento in momentum sunt computandi, & postea vocatur Major: Pupillus dicitur, qui pubertatem nactus non est, quæ in viris 14. anno completur & in feminis 12. Proximus pubertati masculus dicitur, quando jam complevit annum decimum & dimidium; femina vero quando complevit annum nonum & dimidium, quamvis nonnulli id relinquant Judicis arbitrio, ut relatis variis sententiis, notat Bossius *var. moral. tom. 2. tit. 2. n. 814.* Infans dicitur, qui septimum annum nondum complevit: Filius-familias dicitur ille, qui est sub patria potestate.

58. Resp. 1. Pupillus proximus pubertati & minor sine auctoritate Tutoris vel Curatoris contrahere possunt in suum commodum, non tamen in suum incommodum seu præjudicium, ut clare constat *Instit. §. 1. de Auctor. Tutor.* ibi: *si quid dari sibi stipulentur, non est necessaria tutoris auctoritas; quod si aliis promittant pupilli, necessaria est Tutoris auctoritas: namque placuit, meliorem quidem suam conditionem licere eis facere, etiam sine Tutoris auctoritate, deteriorem vero non aliter, quam cum Tutoris auctoritate*; unde Minor aut Pupillus sic contrahens non potest civiliter obligari, bene tamen obligatur major cum minore contrahens, qui proinde non potest, invito minore, contractum rescindere, quia hoc privilegium sancitum est in favorem illius teneræ ætatis & quod in favorem alicujus conceditur, non debet in damnum illius converti vel ei obesse: ut cum Molina, Gomez & Sanchez notat Bonac. *qu. 1. pun. 5. n. 5.* & cum aliis Bossius n. 187.

59. Inde sequitur, quod celebrato contractu emptionis, Pupillus sine consensu Tutoris emens compelli non possit actione civili invitus, ad standum contractui; bene tamen Pupillus, si contractui stare velit, potest actione civili cogere venditorem ad tradendam sibi mercem pro constituto pretio, in quo proinde contractus claudicat in favorem illius ætatis, Jure ita disponente, nisi contrahat cum minore aut pupillo, qui eodem gaudet privilegio. Addit Bossius n. 189. cum Lessio *cap. 16. n. 62.* quod licet is, qui contraxit cum Minore non possit resilire a contractu, potest tamen non implere illum, nisi Minor ante procuret consensum Curatoris, vel decretum Judicis, quando est necessarium, vel nisi juramento confirmet contractum, quia secus exponeret se periculo damni, nec Minor id potest recusare, alioquin non videretur agere bona fide.

60. Addit Lessius *ibid.* quod privilegio Minorum, quo possunt alios sibi obligare absque eo, quod maneant obligati, locum habere in contractu Ecclesiæ, quo rem immobilem vel mobilem pretiosam, quæ servando servari poterat, sine debita sollemnitate alienavit; nam Ecclesia est instar Minoris, & sic talis contractus est irritus ex parte Ecclesiæ, quæ potest resilire, si velit; alter tamen cum quo contraxit, non potest, si Ecclesia nolit & curet debito modo ratificari, supplendo sollemnitatem omissam, & in contractu Religiosi, sine expressa vel tacita licentia Superioris contrahentis; nam potest Superior talem contractum ratificare, vel irritum reddere, prout ei libuerit, & diximus *dub. præc. n. 54.*

61. Resp. 2. Minor & Pupillus alienare nequeunt bona immobilia, vel mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt absque auctoritate Tutoris vel Curatoris, & etsi etiam interveniat decretum Judicis, sine quo nec civiliter nec naturaliter remanent obligati, etiamsi interveniat auctoritas Tutoris vel Curatoris, quæ non sufficit sine decreto Judicis. Ratio est, quia tali alienationi sine decreto Judicis factæ jus resistit, illamque vult esse ipso jure nullam & irritam, *l. 1. & plurib. seqq. ff. de rebus eorum, qui sub tutela vel cura sunt l. Lex quæ Tutores Cod. de administratione Tutorum l. non solum 4. Cod. de prædiis Minorum*. Item *l. 7. l. 11. & 15. Cod. de prædiis Minorum*; ubi autem lex resistit, & actum annullat, non consurgit aliqua obligatio, nec civilis nec naturalis, ut notavimus *supra dub. 4.* Unde Minor nullam obligationem civilem vel naturalem habet implendi, quæ de his bonis promisit: & si adimpleat, potest rem suam repetere absque beneficio restitutionis in integrum, quod tunc solum est necessarium, quando contractus fuit validus, saltem quoad obligationem naturalem inducendam; Major autem, & is, qui cum Minore contraxit, tenetur etiam ante Judicis sententiam rem acceptam restituere, volente Minore, aut ejus Tutore vel Curatore, cum per contractum nullum jus acquisierit, ut cum communi Jurisperitorum, Vasquez, Suarez, & aliis tenet Bossius *tit. 3. n. 169.* Bonac. *p. 5. num. 6.*

62. Circa alia bona mobilia Minor, si curatore careat, obligari potest naturaliter & civiliter, tametsi beneficio restitutionis in integrum uti possit, si lædatur, ut habetur, ex *l. si Curatorem Cod. de in integrum restit.* At Pupillus, etsi pubertati proximus sit, nequit civiliter obligari, eo quod ei interdicta sit administratio bonorum: poterit tamen in suum commodum alium sibi obligare, ut supra dictum est. Quod si Tutorem & Curatorem habeant, tunc civiliter & naturaliter remanent obligati, si cum illorum auctoritate contrahant, sed absque illa nequeunt contrahere, & si contrahant, saltem civiliter non obligantur, unde aliis obligari nequeunt, licet alios sibi obligare possint, quia liberam non habent bonorum administrationem, ut supra dictum est.

63. Difficultas est; *an Minor & Pupillus contrahentes sine auctoritate Tutoris aut Curatoris, quando illa est necessaria, si non civiliter, saltem naturaliter & in conscientia maneant obligati*; in quo valde discrepant Doctores. Prima sententia excludit ab illis omnem & quamcumque obligationem; adeo ut per contractum sine Tutoris seu Curatoris auctoritate celebratum, nec civiliter nec naturaliter maneant obligati, & ideo ante omnem sententiam, posse rem traditam repetere; & ille, qui aliquid retinet ex donatione Pupilli vel Minoris, aut alio contractu vel ludo acquisitum, teneatur illud restituere, etiamsi non petant a Judice rescissionem contractus & restitutionem in integrum. Ratio est, quia plures leges tali contractui resistunt & dicunt esse nullum, & Pupillum non posse obligari, *l. obligari 9. ff. de auctorit. Tutorum l. 2. Cod. de inutilib. stipulat. l. si Curatorem C. de in integrum restit.* Instit. *de auctoritate Tutorum in principio l. Pupillus 58. ff. de act. & oblig.*

ubi

ubi esprefse dicitur, pupillus mutuam pecuniam accipiendo, nec quidem jure naturali obligatur. Item, quia pupillus, seu minor sine tutoris, aut curatoris auctoritate mutuum dans, aut solvens, non transfert dominium in accipientem, sed simplicem possessionem, retento sibi dominio, ut habetur *Inst. 1. quibus alienare licet §. admonendi*, ibi: *si pupillus mutuam pecuniam sine tutoris auctoritate alicui dederit, non contrahit obligationem, quia pecuniam non facit accipientis; & §. fin.* ibi: *pupilli vel pupilla solvere sine tutoris auctoritate non possunt, quia id, quod solvunt, non fit accipientis, cum nullius rei alienatio sine tutoris auctoritate concessa sit*; ergo ex tali contractu non oritur obligatio naturalis illos ligans in conscientia, secus tenerentur dare promissum & accipiens non teneretur reddere, ut per se patet.

64. Conf. quia minor habens curatorem æquiparatur prodigo, cui interdicta est bonorum administratio *l. si curatorem Cod. de in integrum restit.* & *l. certi conditio 9. §. quoniam ff. si certum petatur*; & pupillus contrahens sine auctoritate tutoris comparatur furioso, *l. interdum 29. ff. de condit. indebiti*; sed contractus prodigi & furiosi nullam inducunt obligationem, nec naturalem; ergo nec illam inducunt contractus minoris & pupilli sine auctoritate tutoris, vel curatoris. Ita Innocentius Covarruv. Menochius, Gomez, Sarmiento, quos affert Bossius *tom. 3. tit. 3. n. 166.* Bannez, Rodriquez, Dicastil. & alii, quos refert Sanchez *lib. 6. de matr. disp. 38. n. 20. in fine*, sequitur Diana *part. 8. tract. 7. resol. 20.* & probabilem dicit Lessius *lib. 2. c. 17. dub. 8. n. 61.*

65. Secunda & verior sententia affirmat, dari talem obligationem naturalem in pupillo & minore contrahentibus sine auctoritate tutoris, vel curatoris, ac proinde accipientem ab ipsis non teneri, ante sententiam Judicis, rem ab eis acceptam restituere. Probatur ex *l. si pupillus ff. ad falc.* in qua esprefse dicitur, pupillum sine tutoris auctoritate mutuo accipientem naturaliter obligari, *l. 1. ff. de novat. in fine l. cum illud §. heres ff. quando dies legatorum l. si ejus 64. ff. ad Trebell. in principio l. Marcellus 16. ff. de fidejussor.* ex quibus clare constat, pupillum & minorem obligari naturaliter sine consensu tutoris, aut curatoris, ut ponderat Sanchez *supra n. 21.* tum quia ex communi sententia fidejussor non obligatur, principali nullo modo obligato; nam, deficiente principali obligatione, non valet accessoria: inde ut fidejussor teneatur, & obligetur, requiritur, ut principalis saltem naturaliter obligetur; sed fidejussor minoris obligatur civiliter & naturaliter, ut tenet communis sententia, & adductis juribus probat Bossius *supra n. 270.* ergo minor, saltem naturaliter obligatur. Adde, quod obligatio naturalis oritur ex libero consensu, sed minor & pupillus proximus pubertati habet liberam voluntatem, qua sicut potest obligari Diabolo per peccatum & Deo per votum, ita etiam obligari potest homini per contractum & de facto valide contrahit sponsalia, ut diximus suo loco de sponsalibus *cap. 1. dub. 6. n. 46.* & ita tenent Navar. *cons. 39. nu. 11.* Sanchez *lib. 6. de Matrim. disp. 38. nu. 21.* Lessius *cap. 17. dub. 7. num. 56.* Palaus *disp. 1. pun. 4. §. 3. nu. 9.* Lugus *disp. 22. sect. 10. num. 287.* Villalobos, Layman, Trullench, & alii, quos affert Bossius *n. 170.*

66. Ad fundamenta primæ sententiæ dicendum est, leges negantes, pupillum posse obligari, seu nec etiam naturaliter obligari, sine auctoritate tutoris, aut curatoris, intelligendas esse de obligatione efficaci & irrevocabili; cum enim facile possint talem obligationem elidere beneficio restitutionis in integrum, sequitur, quod talis obligatio non sit efficax & irrevocabilis, sicut est obligatio majoris: & quia tutor & curator possunt pro libito contractum rescindere, cum ipsis commissa sit administratio bonorum pupilli & minoris, ideo in juribus allatis dicuntur, nec naturaliter obligari, ita quod efficaciter teneantur, seu compelli possint implere, vel stare contractui. Similiter dicendum est, pupillum & minorem comparari prodigo & furioso, non quoad omnia, sed quoad obligationem civilem & beneficium restitutionis in integrum, quæ etiam furioso competit, si quid ab eo solutum sit; prodigo item comparatur quoad inefficaciam obligationis, cum in utroque possit elidi beneficio legis, non vero quoad obligationem naturalem, cum Jura dicant, fidejussorem prodigi non obligari, bene tamen fidejussorem pupilli, ut cum Sanchez & Lugo notat Bossius.

67. Hinc sequitur, accipientem aliquid a pupillo, vel minore sine dolo, metu, aut fraude per contractum, vel donationem, aut ludum, non teneri ad restitutionem ante sententiam Judicis & restitutionem in integrum, non obstantibus juribus asserentibus, pupillum & minorem per talem actum, secuta traditione, non transferre dominium; nam debent intelligi, quod non transferant dominium civile, licet transferant dominium naturale, quod tamen non est firmum & irrevocabile, cum possit vindicari & repeti a quocumque possessore per beneficium restitutionis in integrum, tum a pupillo & minore, tum ab ejus tutore & curatore.

68. Quoad Filios-familias, dicendum est, illos posse contrahere de bonis castrensibus & quasi castrensibus, si sint puberes, aut pubertati proximi, nam illorum liberam habent administrationem; secus vero de adventitiis & profectitiis, quia istorum non habent liberam administrationem: ex consensu patris valide possunt alienare bona adventitia, vel profectitia, nisi sint immobilia, vel mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, quia tunc præter consensum patris, requiritur sententia Judicis, ut diximus de minoribus: sufficit autem licentia tacita patris, ut possit ex his bonis contrahere, quando nimirum habent ab eo tacite liberam administrationem, vel quia a patre accipit bona aliqua expendenda pro suo libito, vel quia pater longe abest, vel quia ab illo est espositus negotiationi. Obligari potest filius sine consensu patris contractu innominato *facio, ut facias*, vel *facio, ut des*, & tunc obligatur saltem naturaliter, dummodo non sit in præjudicium patris, vel alterius; unde potest suas operas artificiales alteri locare, seque obligare ad serviendum, quia filius non debet patri operas artificiales, sed obsequiales honoris & reverentiæ, nisi cum eo vivat & ab eo accipiat alimenta: ex contractu mutui non obligatur civiliter, neque adversus eum datur actio beneficio Senatus consulti Macedoniani, ex *l. 1. & seqq. & Cod. ad Senatus consul. Macedon.* quæ omnia fuse & distincte explicat Bossius *var. moral. part. 3. titul. 3. a numer. 227. & seqq.* An obligetur naturaliter, dicetur infra cum de Mutuo.

DUBIUM VII.

Quibus competat Restitutio in integrum.

69. Restitutio in integrum, prout sumitur in præsenti, est extraordinarium Juris remedium, quo graviter læsus ex naturali æquitate per officium Judicis reducitur in eum statum, sive jus, in quo fuerat ante læsionem; nam ob naturalem æquitatem, ac Jure communi sic disponente, Judex certis hominibus in contractu, vel alia actione graviter læsis, aut deceptis, cognita caussa, subvenit restituendo eos in integrum: tunc solum hoc beneficium conceditur, quando læsio est notabilis juxta arbitrium boni viri, seu discreti Judicis, nam si læsio sit dumtaxat modica, tunc extraordinarium hoc remedium non solet concedi, juxta illud vulgatum *de minimis non curat Prætor*, unde Glossa in *l. Scio illud ff. de restit. in integr. de minimis non curandum*. Deinde hoc remedium, utpote extraordinarium, non conceditur, si aliud remedium suppetat contractum revocandi, *l. in caussa 16. ff. de minoribus*.

70. Hoc beneficium restitutionis in integrum de Jure communi conceditur omnibus ætate minoribus, qui scilicet vigesimum quintum annum nondum compleverunt, si ex actu, sive contractu notabiliter læsi, vel decepti sunt, ut habetur *l. 1. & seqq. ff. de minoribus vigintiquinque annis*, & hoc, quia fragile & infirmum est hujus ætatis consilium & multis captionibus suppositum, multorumque insidiis expositum; unde hoc extraordinarium auxilium eisdem Prætor pollicetur, ut loquitur Textus. Conceditur autem hoc beneficium minoribus utriusque sexus, quamvis contractus factus sit cum consensu Patris, Tutoris, vel Curatoris, *l. 2. C. si Tutor, vel Curator intervenerit*. Datur hoc remedium minoribus 25. annis, non tantum dum in minori ætate sunt constituti, sed etiam per quadriennium postquam majores esse cœperunt, ut possint tali tempore reclamare contra actus, quos cum suo damno & detrimento in minori ætate fecerunt, dummodo majores facti illos non confirmaverint, *l. 1. & 2. Cod. si major factus ratum habuerit*.

71. Hoc privilegio restitutionis in integrum gaudent Ecclesiæ, Hospitalia, Monasteria & alia loca pia, quæ sunt instar minoris & pupilli, ut tradunt communiter Doctores in *cap. 1. & 2. de in integrum restit.* non vero competit personis Ecclesiasticis, si in propriis juribus, aut in bonis suis patrimonialibus, aliisque privatis lædantur, quia tunc cessat communis favor Ecclesiæ. Quadriennium, quod competit Ecclesiis, aliisque locis piis, ut restituantur in integrum, incipit a tempore factæ læsionis, ut constat ex cap. *Ecclesia hoc tit. in 6.* nisi tanto tempore vixerit Prælatus male alienans; nam hoc quadriennium non currit quamdiu vivit Prælatus, qui male alienavit, ut notat Fagnanus *cap. Requisivit n. 14. de restit. in integrum*; nam Ecclesia toto illo tempore censetur carere legitimo defensore.

72. Alia nonnulla de Restitut. in integrum diximus

supra

supra tr. 1. cap. 4. dub. 7. §. 5. aliis consulto omissis, quæ magis ad Juristas, quam ad Theologos pertinent. Videri potest Castro Palaus, *de Just. commut. disp. 1. pun. 19.* ubi hanc materiam fuse, & distincte tractat, & explicat.

C A P U T II.

De Contractu emptionis, & venditionis.

D U B I U M I.

Quid sit Emptio, & Venditio.

1. RESp. secundum Juristas, Emptionem esse rei pro pretio contractationem. Venditionem vero esse distractionem rei pro pretio; sed justa Theologos, emptionem esse contractum bonæ fidei, quo datur pretium pro merce; venditionem vero esse contractum, quo datur merx pro pretio, ubi nomine mercis, seu rei, veniunt omnes res mobiles, & immobiles, actiones, & jura, & ea omnia, quæ pecunia æstimari, & computari solent. Nomine pretii venit pecunia secundum suum valorem spectata, quamvis hæc secundum suam materiam, variosque usus, quos habere potest, etiam sub merce comprehendi possit; at ratione pretii sumitur secundum suum valorem, *arg. l. 1. ff. de contrah. Empt.* ubi emptionis, & venditionis nec non ipsius pecuniæ origo narratur, & dicitur originem habuisse a permutatione rerum primitus usitata; primitus enim quando nondum erat pecunia, homines unam rem pro alia permutabant, & qui triticum habebat permutabat cum alio, qui habebat lanam, aut vinum, ut sic utriusque occurreretur necessitati: sed quia non semper unus rem habebat, qua indigebat alter, & si habebat, non erat facile pretium utriusque, & æstimationem demetiri, inventa fuit pecunia, seu numisma, quo commodius homines possent convivere, & quærere necessaria pro pecunia, quæ æquivalet omnibus rebus, & datur in pretium pro eis.

2. Iste contractus emptionis, & venditionis est contractus bonæ fidei, in quo Judex multa potest arbitrari, quæ secundum bonam fidem contrahentium illi censentur inesse, licet verbis non fuerint espressa, prout diximus *cap. præc. dub. 1. n. 4.* & perficitur quoad substantiam per solum mutuum consensum verbis, vel nutibus expressum, aut etiam per litteras, & per procuratorem, seu nuntium, & inde firma consurgit obligatio ex parte utriusque, ita ut nullus amplius valeat pœnitere, cum nihil magis bonæ fidei congruat, quam id præstari, quod inter contrahentes actum est: perficitur, inquam, quoad substantiam, nam quoad integritatem completam, seu quoad complementum requiritur solutio pretii ex una parte, & accepta possessio rei ex altera, nec dominium transfertur, donec venditor mercem, & emptor actualiter tradat pretium.

3. Hinc sequitur, per venditionem non esse necesse, ut actu transferatur dominium, sed satis esse ut talis venditio sit translativa dominii, & venditor remaneat obligatus ad illud transferendum. Transfertur autem dominium in emptorem, non quando fit contractus per mutuum consensum, sed quando traditur res a venditore, & solvitur ab emptore pretium, seu habetur pro soluto; seu loco ejus datur æquivalens, quale est pignus, vel fidejussor. Inde fit, ut quamvis sit posita substantia venditionis, si tamen possessio rei nondum sit emptori data, res si perit, pro venditore perit, & pro eodem fructificat, quia adhuc est in ejus dominio. Si autem possessio sit emptori data, quamvis nondum soluto pretio, ipsi emptori fructificat, ipsique perit, præscindendo a pacto aliquo justo in contrarium adjuncto, prout tradit Ant. a Spiritu S. *disp. 7. sect. 1. n. 781.* & fusius dicetur inferius.

4. Pretium emptionis, & venditionis debet esse certum, & determinatum, adeo ut nulla, & invalida sit venditio sine determinatione pretii, ut habetur ex §. *Pretium Inst. de empt. & vendit.* ibi: *Pretium constitui oportet; nam nulla emptio sine pretio esse potest; sed & certum pretium esse debet*; unde si pretium remittatur voluntati emptoris, ut det quod voluerit, & sibi placuerit, nulla, & invalida est venditio, ut habetur *l. quod sæpe, ff. de contrahenda emptione*: valet tamen si alterius judicio remittatur ut si venditor dicat, tanti tibi vendo hanc rem, vel tanti a te emo, quanti eam Judex, aut Petrus, vel Paulus æstimaverit, seu taxaverit, §. 1. *Inst. hoc tit.* dummodo tamen ille, qui est nominatus revera rem, seu pretium postea taxet; si autem noluerit, vel non potuerit pretium taxare, venditio non est valida ob incertitudinem pretii, ut notat Bonac. *disp. 3. qu. 2. pun. 3. n. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 1. n. 3.* Villalob. *tract. 21. diff. 1. n. 7.* & cum aliis Andreas a Matre Dei *tr. 14. cap. 2. p. 1. num. 2.*

5. *An vero dicenda sit emptio, & venditio, seu potius permutatio, quando pro merce, seu re, non datur solum pecunia, sed partim pecuniam, & partim rem aliam emptor paciscitur, & tradit pro integro pretio.* Resp. hoc judicandum esse ex prævalentia; si enim pecunia excedat, & prævaleat pretio rei adjunctæ, dicenda erit venditio; si vero pretium rei adjunctæ valde excedat pecuniam datam, erit permutatio; nam quod excedit, habet rationem principalis, & reliquum habet rationem accessorii: denominatio autem sumenda est a principali, non ab accessorio, siquidem principale trahit ad se accessorium. Quod si aut nullus, aut non sit notabilis excessus, talis censetur contractus, qualem ipsi contrahentes intenderint celebrare, siquidem contractus vim suam habet ab intentione contrahentium; in dubio autem attendi debent verba, quibus contrahentes utuntur, ut proinde dicendus sit talis contractus emptio, seu venditio, aut permutatio, prout contrahentes verbis exprimunt, se velle contrahere. Bonac. *supra n. 7.* Lugus *disp. 26. sect. 1. n. 6.* Villalob. *diff. 1. n. 4.* Lessius *cap. 21. dub. 1. n. 2.* Andreas a Matre Dei *n. 1.*

6. Quæres: *quid operetur arrha in contractu emptionis?* Arrha est id, quod datur venditori in signum celebratæ venditionis, & quasi pignus, quod stabilitur contractui, vel in securitatem contractus faciendi.

Resp. arrham, quæ datur in signum, & securitatem contractus faciendi, id operari, ut si emptor absque caussa velit discedere a contractu, amittat arrham venditori; si autem discedat venditor amittat duplum emptori, id est arrham, quam acceperat, & tantumdem de bonis suis, ut habetur *Institut. hoc tit.* Si autem arrha sit in confirmationem contractus jam facti, id operatur, ut altero invito, nulli contrahentium liceat amplius discedere, seu recedere a contractu, quamvis velit arrham amittere, etiamsi traditio rei nondum facta sit, nec pretium solutum, quia per arrham confirmatur contractus jam perfectus, & absolutus; unde etiam *l. 6. C. de rescind. vendit.* habetur: *non est probabilis caussa, propter quam rescindi factam venditionem desideras: quamvis enim duplam pretium offeras emptori, tamen invitus ad rescindendam venditionem urgeri non debes*, ac proinde sine alterius consensu rescindi non potest.

D U B I U M II.

Quisnam emere, & vendere possit, ubi de Negotiatione prohibita Clericis.

7. RESp. omnes licite, ac valide vendere, & emere posse, nisi specialiter a Jure prohibeantur; & quidem jure naturali, sicut contrahere, ita etiam vendere, & emere prohibentur infantes, amentes, furiosi, & omnes usu rationis carentes: item pupilli, minores, prodigi, quibus a Lege certo modo contrahere interdictum est, prout diximus supra *cap. 1. dub. 5.* ubi etiam constat Tutores, Curatores, & Administratores rerum alienarum de jure, nec per se, nec per alium emere posse bona pupillorum, minorum, & ea, quæ administrant, ne prætextu emptionis occasionem capiant fraudulenter decipiendi illos, quorum bona administrant; quæ ratio, quia cessat in Tutoribus pupillorum bona non administrantibus, emere poterunt sicut omnes alii, ut constat ex *l. Tutores 6. ff. de Auctorit. Tutor.* ibi: *Tutores, quibus administratio decreta non esset, tamquam extranei, recte a pupillo emere placet.*

8. Clericis prohibetur emere, & vendere, quando id faciunt titulo negotiationis lucrosæ, seu lucri gratia; non vero si id faciant alio titulo, puta ad honestam sui sustentationem: pro quo nota, negotiationem, quæ fit per emptionem, & venditionem triplicem distingui posse. Prima dicitur naturalis, qua emuntur necessaria ad sui sustentationem, & familiæ suæ, & superflua venduntur, & hæc non est Clericis prohibita, cum sit licita, & laudabilis, quia, ut habet D. Thomas 2. 2. *qu. 77. art. 4.* non est propria negotiatio, nec pertinet ad negotiatores, sed magis ad œconomos, & politicos, qui habent providere vel domui, vel civitati de necessariis ad victum.

9. Secunda dicitur artificialis, qua res per industriam commutata, & meliorata venditur, ut si quis emat lanam, ut inde conficiat pannum, quem deinde vendat; argentum, vel stannum, ut inde vasa conficiat, & vendat; vel emat animalia, ut postea saginata carius vendat; hæc etiam est bona, & omnibus licita, cum non sit proprie negotiatio, ut habet D. Thomas *loc. cit. ad 1* & D. Chrysost. relatus in can. *ejiciens dist. 88.* nec est prohibita Clericis, ut constat exemplo Religiosorum, qui olim Sportas, & Storeas texebant, ut venderent, & ex pretio se sustentarent; Paulus etiam artem Scenofactoriam faciebat, *Act. 18.*

10. Tet-

10. Tertia, quæ est vera negotiatio, & propria Mercatorum, est illa, qua res emuntur eo animo, ut non mutatæ carius vendantur ob lucrum. Hæc negotiatio de se non est mala, sed indifferens, & si debite fiat, est moraliter bona, & Reipublicæ utilis, si ex fine honesto exerceatur: potest enim honeste, ac licite intendi, & quæri lucrum ex negotiatione ad sustentandam propriam vitam, & familiam, & ad exercenda opera pietatis; & quia non omnis fert omnia tellus, utiliter, ac laudabiliter ex una Provincia, seu Civitate, in qua species aliqua rerum abundat, merces ibi abundantes asportantur in aliam, quæ illis caret, ut sic Civitas, & Respublica rebus omnibus abundet, & inde lucrum quærere, & accipere tamquam debitum ob industriam, & mercium asportationem: vitia autem, quæ quandoque solent intervenire in emendo, & vendendo non sunt vitia negotiationis, sed negotiantium, a quibus quis potest abstinere, si negotiationem recte, ac debito fine, ac modo exerceat.

11. Ex circumstantiis tamen potest vitiari, & reddi mala, ex malitia scilicet negotiantium, ob fraudes, perjuria, mendacia, & injustitias, quæ, quia frequenter accidere solent, negotiationem reddunt periculosam, & multis obnoxiam peccatis, ut proinde Leo Papa relatus in can. *Qualitas de pœnit. dist.* 5. ad Rusticum Episcopum scripsisse legitur; *difficile est inter ementis, vendentisque commercium non intervenire peccatum*, quia, ut Gloss. fin. ibid. observat: *Contrahentibus naturale est sese invicem decipere*.

12. Hinc merito ab Ecclesia Clericis in Sacris constitutis, aut beneficium Ecclesiasticum habentibus, & Religiosis, etiam in Sacris non constitutis, vetita est negotiatio. Can. *consequens C. negotiatorem*, C. *fornicarii dist.* 88. cap. *fin. de vita, & honest. Clericor. Clement.* 1. *eod. tit.* can. *placuit* 21. *quæst.* 3. cap. *secundum, ne Clerici, vel Monaci*, ubi Pontifex ait sub anathematis interminatione, prohibemus, ne Monaci, vel Clerici caussa lucri negotientur, & Can. *Consequens*, & Can. *sed neque* ponitur pœna suspensionis, & Can. *Canonum* 3. Can. *Quicumque caussa* 14. *quæst.* 4. ponitur pœna depositionis, quas pœnas, appellatione remota, innovavit Concil. Trid. *sess.* 22. *de reform. cap.* 1. idque merito propter periculum peccati, propter lucri cupiditatem, quæ mire occupat animum, & a spiritualibus avocat, & quia, ut habet Apost. 2. ad Timoth. cap. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*. Hujusmodi pœnæ excommunicationis, suspensionis, & depositionis contra Clericos negotiatores non sunt latæ, sed ferendæ sententiæ, unde supponunt Sententiam Judicis, ut docent Lugus *disp.* 23. *sect.* 3. *n.* 23. Villalob. *tr.* 21. *diff.* 3. *n.* 1. Trullench *lib.* 7. *Decal. cap.* 21. *dub* 9. *n.* 6. Molina *tom.* 2. *tr.* 2. *disp.* 342. Andreas a Matre Dei *cap.* 2. *n.* 37.

13. Peccant mortaliter Clerici beneficiati, vel in sacris constituti, si negotientur, quia est materia gravis, & prohibita sub gravibus pœnis, quæ imponi non solent, nisi propter peccatum mortale. Requiritur frequentia negotiationis, nam si semel, aut iterum negotientur, secluso scandalo, non peccant mortaliter, quia Jura relata loquuntur de Clerico exercente negotiationem, eique insistente, cujusmodi non est, qui solum semel, aut bis negotiatur. Villalob. *supra n.* 3. Andreas a Matre Dei *n.* 38. Trullench n. 9. Diana *part.* 1. *de contract. resol.* 72. Excusantur etiam a peccato mortali Clericus, & Religiosus si negotientur ob urgentem necessitatem alendi se, familiam, seu Monasterium, cui aliter non possunt occurrere, quia leges Ecclesiasticæ non obligant in casu urgentis necessitatis; & necessitas non habet legem, ut patet in lege jejunii, auditionis sacri, & hujusmodi, quæ non obligant, urgente necessitate. Villalob. *n.* 7. Trullench *dub.* 9. n. 7. Lugus *nu.* 37. Andreas a Matre Dei *n.* 39. & alii communiter.

14. Excusantur Clerici in Minoribus constituti, si careant beneficio Ecclesiastico, qui non peccant si negotientur, seu exerceant negotia sæcularia alias licita; nam Jura loquuntur de Clericis beneficiatis, vel constitutis in sacris Ordinibus, non de aliis, quibus omnia licent, quæ laicis, cum possint redire ad sæculum. Medina *de restit. qu.* 30. Molina *tr.* 2. *disp.* 342. Navar. *cap.* 25. nu. 110. Salas *de empt. & vendit. dub.* 2. Genuen. Ricc. Graff. Cov. quos affert, & sequitur Antonellus *de Regimine Ecclesiæ lib.* 6. *cap.* 7. n. 4. idque etiam asserunt de Clericis sæcularibus solum in Minoribus constitutis, quamvis beneficium habeant Ecclesiasticum. Trullench *supra n.* 7. Diana *part.* 1. *de contr. resol.* 73. Andreas a Matre Dei *cap.* 2. nu. 37. maxime si Beneficium sit valde tenue, quia tunc sicut in sententia aliquorum, possent non recitare Officium, ita possent negotiari; secus si Beneficium non sit ita tenue, quia vere sunt Clerici, & congruam, aut notabilem sustentationem habent ab Ecclesia, unde mortaliter peccant negotiando.

15. Ultra pœnas superius enumeratas Clericus negotiator, si tertio admonitus non desistit, perdit interim quoad bona sua privilegium Clericale, cap. *fin. de vita, & honest. Cleric.* & quoad hæc ligatur Statutis laicorum, & tenetur solvere Gabellas, pedagia, & alias præstationes, quas solent laici, nec possunt se defendere privilegio fori. Requiritur trina monitio, nec sufficit una monitio peremptoria, quia in materia pœnali, cujusmodi est ista, verba non debent large, sed stricte, & rigorose interpretari; nec item sufficit monitio generalis, ut omnes Clerici abstineant, sed debet esse monitio specialis tali Clerico facta: perdit, inquam, privilegium clericale quoad bona patrimonialia, non quoad suam personam, nec quoad bona Ecclesiæ, quia delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, juxta *Regul.* 76. *Juris in* 6. & notat Gloss. in cap. *fin. de vita, & honest. Cleric.* de bonis autem, quibus negotiatur illico perdunt privilegium sine monitione, ac tenentur solvere Gabellas, ut notat Andreas a Matre Dei *cit. n.* 37.

16. Probabile est, Clericos, & Religiosos, quibus prohibitum est negotiari per se immediate, id præstare posse per alium, qui totam industriam præstet, ut si Clericus pecuniam tradat Mercatori, ut ipse negotietur cum aliis suis pecuniis, vel ineat societatem cum Mercatore, qui totam industriam, & laborem impendat, & teneat rationem dati, & accepti absque eo quod ullo modo ille se ingerat, & recipiat solum partem lucri. Ratio est, quia Jura loquuntur, & prohibent negotiationem tantum in persona propria, ex *Clem.* I. *de vita, & honest. Cleric.* nec procedunt de illo, qui totam curam alteri relinquit; nam tunc cessat indecentia, distractio, & periculum peccandi, quæ sunt motiva prohibitionis. Ita Molina *disp.* 342. §. *utrum autem*, Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 1. *n.* 6. Villalob. *supra nu.* 6. Andreas a Matre Dei *n.* 40. Trullench *n.* 1. Lugus n. 36. alios referens Diana 1. *p. de contract. resol.* 72. Rebell. *lib.* 9. *qu. ult. sect.* 2. addens, a veniali non esse excusandos, si per se ipsos exigant rationem dati, & accepti, immo tantam posse esse indecentiam, & scandalum, ut a mortali non excusentur; ita pariter Salas *dub.* 2. *num.* 8.

17. Non possunt Clerici, & Ecclesiastici conducere alia prædia, agros, vel similes res fructiferas, ut fructus vendant, & lucrum faciant, quia licet hæc non sit negotiatio rigorosa, hoc tamen illis expresse prohibetur cap. 1. *ne Clerici, vel Monach.* cap. *pervenit. dist.* 86. & in Concil. Carthag. 1. & 4. relato *cau.* 1. 21. *qu.* 3. Lessius n. 6. Salas *n.* 10. Lugus n. 29. Villalob. *diff.* 3. *num.* 7. nisi id faciat pro sua necessaria sustentatione, vel si forte conduceret prædiolum animi recreandi caussa, vel si aliis ipsius Clerici prædiis esset circumdatum, ad evitandas rixas, vel damna, ut notat Antonell. *de regim. Eccles. lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 2. vel nisi jure hereditario succedat conductori, nam tunc non prohibetur continuare conductionem usque ad præfinitum tempus, ut cum aliis tenet Antonell. n. 5.

18. Possunt tamen agros Beneficiorum, aut bonorum suorum patrimonialium opera laicorum colere absque metu illicitæ negotiationis, ut fructus vendant: possunt etiam retinere, & locare boves, oves, aliaque animalia, quæ habent ex successione, vel decimis, & fructus illorum vendere: possunt pariter vendere granum, hordeum, & alios fructus recollectos ex bonis patrimonialibus, vel Ecclesiasticis pro sua, & suorum sustentatione. Sic Sacra Congregat. Concilii relata per Barbosam, *part.* 1. *Juris Eccles. Univers. cap.* 40. *num.* 127.

„ *Quæcumque hac de re colligi possunt, ex iis nempe, quæ sapientissima Benedicti XIV. fel. rec. inter sa-*
„ *per tanti discriminis materiam disseruit, hoc loco uae*
„ *prætermittimus, benevolum lectorem nostrum ad Tract.*
„ IX. *Cap.* IV. *dub.* V. *num.* 42. *hujus editionis Volum.*
„ III. *de Sacram. Ordinis transmittentes, ubi integrum*
„ *fere Caput appositum fideliter fuit ex Synodo Diœce-*
„ *sana, de hac ipsa eadem re multa, consueta sua eru-*
„ *ditione pertractans, decerptum.*

DUBIUM III.

Quænam Res vendi possint.

19. Resp. vendi posse omnia pretio æstimabilia, nisi obstet specialis aliqua prohibitio, seu circumstantia, quæ venditionem reddat invalidam; seu illicitam; ex quo fit, ut spiritualia vendi nequeant, quia pretio non æstimantur, nisi ratione materiæ, vel laboris in iis fabricandis; sic absque labe simoniæ venditur calix, aut fundus, cui est annexum juspatronatus, dummodo per hoc pretium non augeatur, ut late diximus *circa primum præceptum Decal. in materia de Simo-*

Simonia. Venditio templi prohibetur abſque licentia Principis, etiam quoad materiale, & ſecundum expenſas factas in eo conſtruendo, *l. Sancimus Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis*; an vero ſufficiat conſenſus Epiſcopi, vel requiratur conſenſus Pontificis, dicemus inferius cum de alienat. bonor. Eccleſiæ. Res publicæ, ut viæ, fora, plateæ vendi non poſſunt a perſona privata, quamvis talis venditio referatur in tempus, quo hæc bona erunt perſonæ privatæ, *l. Celſus ff. de contrah. empt.* vendi tamen poſſunt a Republica, Rege, ſeu Principe habente illarum rerum dominium.

20. Vendi poſſunt omnia bona, ſive præſentia, ſive futura: ſive ſint res mobiles, ſive immobiles; ſive corporales, ſive incorporales, ut ſunt nomina, jura, actiones, & debita, quamvis omnia non poſſint donari, ne quis maneat inteſtatus: per hoc autem, quod omnia vendat non remanet inteſtatus, cum teſtari poſſit de pretio, quod pro illis accipit, ut cum Palao, & Lugo docet Andreas a Matre Dei *cap. 2. num.* 28. Hereditas vendi poteſt, ſecuta morte teſtatoris, non antea, ne detur occaſio machinandi mortem illius, cujus emitur hereditas, & prohibetur *l. 1. ff. de heredit. vel action. vendit.* & *l. ult. Cod. de pactis*, ubi habetur, omnes pactiones circa hereditatem invalidas eſſe, ſi non conſentiat dominus illorum bonorum, & in eo conſenſu perſeveret uſque ad mortem, ut cum Molina tenet Bonac. *qu. 2. p. 2. n. 19.*

21. Vendi poſſunt res non tantum exiſtentes, ſed etiam futuræ, quæ adhuc exiſtunt in cauſſa naturali, vel alias ſperantur, ſic vendi poteſt jactus retis, & quod capietur venatione; hæc enim ſunt pretio æſtimabilia. Similiter vendi, & emi poſſunt partus pecorum, & fructus agrorum, quamvis non ſint collecti, ſed in ſpe tantummodo exiſtant, cum hoc diſcrimine, quod quando venduntur fructus agri, & partus animalium, ſi nihil naſcatur, emptor non tenetur ſolvere conventum pretium; at vero quando venditur jactus piſcationis, aut venationis, tametſi nihil capiatur, tenetur emptor illud ſolvere, *l. ex empto 8. in princ. ff. de contrah. empt.* ubi redditur ratio, quia *ſpes empta eſt*, & ratio diſcriminis eſt, quia in priori venditione ſemper intelligitur tacita conditio, ſi naſcantur, in poſteriore vero non ita, ſiquidem in priore ſemper ſupponitur, aliquid eſſe naſciturum, non vero idem ſupponitur in poſteriore, ubi ſpei emptio eſt: ubi etiam res empta erit emptoris, tametſi duplo excedat pretium, *l. ſi jactum 12. ff. de Action. empt.* niſi aliter conventum ſit inter contrahentes, ut ſi emptor dicat; dabo tibi decem nummos pro qualibet libra piſcium, tunc enim talis emptio cenſetur conditionata, ſi piſces capiantur, ſicut cenſetur abſoluta, ſi quis res priori generis emens dicat; dabo tibi tot nummos pro fructu, aut partu, qui ſperatur, ſive aliquid, ſive nihil naſcatur. Molina *diſp.* 340. *num.* 14. & late Roſignol. *contr. 2. diſquiſit.* 1. §. 1. *per totum.*

22. Nemo, regulariter loquendo, cogi poteſt invitus ad res ſuas vendendas, vel emendas alienas, *l. Invitum 11. Cod. de contrah. empt.* ibi: *Invitum comparare, vel diſtrahere, poſtulantis deſiderium juſtam cauſſam non continet*. Nam *quiſque rei ſuæ moderator, atque arbiter exiſtit, l. in re mandata C. mandati*, ac proinde pro libito ſuo de eo diſponere poteſt. Cogi tamen poteſt a legitimo Superiore, ſi exiſtat juſta cauſſa, & cedat in bonum publicum, unde a Principe cogi poteſt dominus, ut juſto pretio vendat domum ſuam, vel prædium, ſi neceſſaria ſit ad fabricandam Eccleſiam, Monaſterium, Hoſpitale, Palatium Principis, ad viam publicam ſternendam, *l. ſi locus ff. quemadmodum ſervitus amittatur*, *l. ſi quis ſepulcrum de Religioſis, & ſumpt. funer.* Covar. *lib. 3. variar. reſol. cap.* 14. *n.* 7. Homobon. *conſult. tom.* 2. *part.* 6. *reſp.* 10. Molina *diſp.* 342. *n.* 2. Lugus *diſp.* 26. *ſect.* 2. *n.* 12. id extendentes ad caſum, quo fundum, domuſque aliena neceſſaria eſt pro erigendis, aut ampliandis ſcholis publicis. Addit Layman *lib. 3. tr. 4. cap. 17. §. 5. n. 34.* fabrum ferrarium vicinum ſcholis publicis, favore boni publici, cogi poſſe, ut vel domum vendat, vel ex vicina migret.

23. Tempore neceſſitatis, famis, & inopiæ frumenti cogi poſſunt, qui habent frumentum a Judice ordinario, ut illud vendant, ſicut emptores prohiberi, ne plus emant, quam neceſſarium eſt, ne aliis deficiat, *l. 1. §. cum curam ff. de officio Prætoris Urbis*. Quæ Juris diſpoſitio extenditur etiam ad Clericos, qui in caſu communis neceſſitatis cogi poſſunt ad res ſuas vendendas, non quidem a Judice laico, qui nullam juriſdictionem, aut poteſtatem habet in Clericos, ſed a proprio Judice Eccleſiaſtico; & ita declaraſſe Sacr. Congreg. Cardinalium *in una Brundiſina 7. Aprilis* 1641. docet Pignatellus *tom.* 1. *conſult.* 476. tum quia in neceſſitate omnia debent eſſe communia, tum quia Jure divino, & naturali quivis, etiam Clericus fame laboranti ſuccurrere tenetur. Lugus, & Layman *loc. cit.* & alios referens Diana *par. 1. tr. 2. de immunit. reſol.* 8.

24. Non eſt licitum vendere res indifferentes, quibus homines communiter male uti ſolent, ut ſunt venena, clavis falſa, &c. niſi moraliter conſtet, in bonum uſum ab emente ordinari, quia cenſeris cooperari peccato alterius, illi miniſtrando materiam peccati, ut cum Suarez, Sanchez, Navar. & aliis diximus in materia de Scandalo *cap. 7. num.* 67. ſed venditio eſt valida, & pretium retineri poteſt, & poſt rei traditionem exigi poteſt a venditore, ſi res ei non reſtituatur, ut docet Lugus *diſp. 26. ſect. 2. n.* 19. licite venduntur res indifferentes, quibus homines bene communiter uti ſolent, quamvis aliquando in malum uſum ordinentur, ut ſunt chartæ luſoriæ, taxilli, fuci, pigmenta, arma offenſiva, & hujuſmodi; ſi tamen ſufficienti fundamento conſtaret, ementem, & poſtulantem male uſurum rebus illis, alioquin indifferentibus, teneris, ſi commode potes ſine gravi tuo detrimento eas illis non vendere, nec dare; cum enim ex caritate tenearis proximi peccatum impedire, ſi commode poſſis, multo magis teneris materiam peccati illi non præbere, ut diximus *loc. cit.* de Scandalo. Videri etiam poteſt Bonac. *de contract. qu. 2. p.* 2. ubi plura hujuſmodi tractat.

25. Quæres: *An, & quatenus emi, & vendi poſſit res aliena, ſeu furtiva?*

Reſp. venditionem rei alienæ eſſe invalidam quoad transferendum dominium rei venditæ in emptorem, cum ex *Regul. 79. Juris in 6.* venditor non poſſit plus juris in emptorem transferre, quam ipſe habeat, quapropter qui bona fide rem furtivam emit, tenetur vero domino comparenti reſtituere, etiamſi debeat pretium datum amittere, vel quia venditor, a quo emit, non reperitur, aut non eſt ſolvendo, aut non vult contractum reſcindere, & pretium reſtituere, niſi legitimo temporis curſu res empta præſcripta fuerit ab emptore bonæ fidei. *An vero emptor bonæ, vel malæ fidei poſſit rem emptam reſtituere venditori ad recuperandum pretium datum*, diximus ſupra *tract. præced. cap. de poſſeſſore bonæ, malæ, vel dubiæ fidei.*

26. Quæres 2. *An vendi poſſint officia publica?*

Reſp. licite vendi poſſe, nonnullis ſervatis conditionibus, quæ videri poſſunt ex dictis ſupra *tr. 1. cap. 5. dub. 4. n.* 35. ubi difficultas hæc propoſita, & ſoluta fuit.

DUBIUM IV.

Quanti Res vendi, vel emi poſſit, ſeu de juſto pretio rerum venalium.

27. PRetium rerum venalium duplex communiter aſſignatur, aliud legitimum ſeu legale, quod a lege publica, Principe, Republica, ſeu ab alio ad id habente poteſtatem ponitur, aut taxatur pro communi totius Reipublicæ bono; cum enim emptio, & venditio jure gentium ſit introducta in communem utilitatem, & commodum ementis, & vendentis, dum unus indiget merce alterius, & alter pecuniis, ſeu pretio ementis, conveniens fuit, ut a Principe, ſeu publica poteſtate pretium taxaretur pro conſervanda pace contrahentium, & æqualitate contractus, maxime in rebus ad victum neceſſariis, ut nimirum certum ponatur pretium pro pane, vino, carne, piſcibus, & aliis hujuſmodi; & hoc pretium conſiſtit in indiviſibili, adeo ut non ſit licitum illud augere ex parte vendentis, nec minuere ex parte ementis, eritque peccatum mortale, aut veniale, cum obligatione reſtituendi juxta quantitatem augmenti, vel decrementi, ut poſtea dicam.

28. Aliud eſt pretium naturale, ſeu vulgare, quod communi, ac prudenti hominum judicio, & exiſtimatione taxatur, penſatis omnibus circumſtantiis, tum rei, quæ venditur, ejuſque neceſſitatis, utilitatis, abundantiæ, vel penuriæ; tum loci, temporis, & modi, quo venditur, & perſonæ, a qua venditur. Hoc pretium vulgare, ſeu naturale non conſiſtit in indiviſibili, ſed patitur latitudinem, quia non taxatur ab aliquo principio certo, & fixo, ſicut legale, quod taxatur per legem, ſed a communi exiſtimatione prudentum, quæ variatur, & creſcit, ſeu decreſcit ſecundum diverſa hominum judicia; & inde communiter dividitur in infimum, medium, & ſupremum, ſeu ut alii dicunt, in pium, moderatum, & rigoroſum. Infimum eſt, infra quod juſte non poteſt res emi; ſupremum eſt, ſupra quod non poteſt vendi: quoties autem limites pretii ſupremi, & infimi non exceduntur, emptio, & venditio in utroque foro remanet juſta, quamvis ab uno magis, ab altero minus vendatur, prout docet Navarr. *in Manual. cap. 23. num.* 17. quanta autem ſit hæc latitudo juſti pretii inter ſupremum, & infimum non poteſt ita facile determinari ob varia hominum judicia, & rerum varietatem; quo enim res, quæ venditur, eſt vilior, minorem habet lati-

latitudinem; majorem vero quo res est pretiosior. Magis communiter conveniunt Doctores, quod si res aliqua secundum pretium medium æstimatur centum, infimum erit nonaginta quinque, & supremum centum quinque. Lugus *disp.* 26. *a.* 3. Bonac. *qu.* 2. *pun.* 4. *num.* 1. Palaus *de Just. com. disp.* 4. *p.* 2.

29. Dices, *justitiam commutativam, quæ versatur in commutationibus, non habere medium rationis, sed medium rei, adeoque justum pretium consistere in indivisibili, nec habere latitudinem supremi, medii, & infimi*. Sed contra dico, quod medium rei, quando metiendum est ex vario concursu circumstantiarum, & varia judicantium æstimatione, retinere, quam diximus, latitudinem ad differentiam pretii legalis, quod consistit in indivisibili, quia ab uno principio taxatur.

30. Resp. non esse licitum res emere, aut vendere pro libito, sed vendendas esse justo pretio, adeo ut vendens supra supremum, & emens infra infimum peccet contra justitiam, & restituere teneatur excessum, nisi læsio sit valde modica, vel accedat liberalis donatio, seu remissio, saltem præsumpta illius, qui deceptus fuit. Ratio est, quia emptio, & venditio est introducta pro communi utilitate utriusque contrahentis, & sic debet inter illos servari æqualitas dati, & accepti, ne unus præ alio gravetur; sed æqualitas non servatur, si res vendatur, vel ematur ultra, vel infra pretium communi hominum æstimatione justum; ergo violatur justitia commutativa, quæ in contractibus vult servari æqualitatem, & insurgit obligatio conscientiæ restituendi excessum: & ita tenent cum D. Thoma 2. 2. *qu.* 77. *art.* 1. Navar. *cap.* 23. *n.* 84. Lugus *disp.* 26. *n.* 81. Palaus *tract.* 32. *disp.* 15. *pun.* 5. §. 2. *n.* 3. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 6. & alios referens Andreas a Matre Dei *cap.* 2. *n.* 84. Bonac. *pun.* 4. *num.* 3.

31. Nec obstant Jura, quæ in contrarium adduci solent, puta l. *in caussa* 16. §. 4. *de Minoribus*, ubi Pomponius ait: *in pretio emptionis, & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire*; & l. *item si* 22. §. 3. *ff. locati*. *In emendo, & vendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit, minoris emere; quod minoris sit, pluris vendere, & ita se invicem circumscribere* l. 1. §. 16. *ff. ad S. C. Trebell.* *Res tanti valet quanti vendi potest*. *l. in re mandata* 21. C. mandati *suæ quisque rei moderator, & arbiter existit*, quæ, & similia facile solvi possunt; nam ad duo priora dicendum est, ita debere intelligi, quod licitum sit contrahentibus in emptione, & venditione se invicem circumvenire, & decipere intra latitudinem justi pretii, adeo ut venditor vendere possit pretio summo, emptor vero infimo pretio emere, ut docent Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 4. *num.* 13. Reginald. *lib.* 25. *n.* 309. Andreas a Matre Dei *cap.* 2. *n.* 86. Similiter res tanti valet, quanti vendi potest intra latitudinem justi pretii. Unusquisque rei suæ est moderator, & arbiter, ita ut possit de illa disponere retinendo, donando, aut vendendo, infra latitudinem tamen justi pretii, non tamen ut possit vendere quovis excessu.

32. Quæ quidem intelligenda sunt pro foro conscientiæ; nam pro foro externo permissum est rem vendere, & emere quovis pretio, dummodo non fiat læsio, & deceptio ultra dimidium, *l.* 2. *C. de rescind. vendit.* juncto cap. *cum dilecti, de empt. & vendit.* permissum est, inquam, in hoc sensu, quia in foro externo non datur actio decepto contra deceptorem, nisi læsio sit ultra dimidium, & hoc ad tollendas plures lites, quæ passim sequerentur, si ex qualibet fraude daretur actio. Ceterum pro foro conscientiæ tenetur deceptor reddere excessum justi pretii, quamvis bona fide contraxerit, ignorando rei valorem; nam cognito errore tenetur in conscientia reddere excessum, si extet, vel id, in quo factus est ditior, juxta regulas generales supra traditas de restitutione; nam ignorantia excusat a peccato, sed non tollit injustitiam contractus, ut tradit Homobon. *in consult. tom.* 2. *part.* 6. *resol.* 13.

33. Ex quo infert Bonac. *qu.* 2. *pun.* 4. *nu.* 6. ementem vili pretio gemmam magni valoris a rustico ignorante pretium illius, non esse tutum in conscientia, quamvis protestetur, se nolle plus dare, etiamsi gemma mille aureos valeat, seque velle excessum retinere titulo donationis, sed teneri ad restituendum excessum, quia sicut non potest res pluris vendi, quam valeat, ita non potest minoris emi, invito venditore, qui certe præsumitur invitus, quando rei valorem ignorat, ac proinde rusticus, qui gemmæ valorem ignorat, non præsumitur excessum liberaliter donare, seu remittere, cum talis liberalis donatio, seu remissio vix præsumi potest locum habere inter consanguineos, vel amicos, ut testatur Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 37. Valeret contractus si uterque ignoraret valorem gemmæ, & emptor illam vili pretio emeret sine fraude, dolo, metu, aut violentia; nam uterque init contractum sortis, seque periculo exponit lucri, & damni, ut *ibid.* docet Bonac.

34. Dubium est: *an res, quæ non habent pretium taxatum a Principe, nec pretium naturale, seu vulgare taxatum a communi usu fori, ut sunt gemmæ exquisitæ, & raræ picturæ, & statuæ antiquæ, aves Indicæ, & alia hujusmodi, quæ solum spectant ad voluptatem, splendorem, & luxum, vendi possint quovis pretio excessivo, & quanti contrahentes inter se convenireat*. Affirmant plures, quia cum hæ res non habeant pretium, nec a lege, nec ab usu fori, habent valorem ex mera voluntate ementis, & vendentis, & habet locum illud; Tanti res valet, quanti vendi potest, *l.* 1. §. *heres ff. ad S. C. Trebell.* & quisque rei suæ est moderator, & arbiter, *l. in re mandata C. Mandati*. Adde, quod res hujusmodi cum non sint necessariæ humanæ vitæ, qui illas emit pretio excessivo, nulla necessitate cogente, censetur excessum liberaliter donare. Ita Sotus, Ledesma, Medina, Salon. Valentia, Toletus, & alii, quos affert, & sequitur Ant. a Spiritu S. *disp.* 17. *sect.* 5. *num.* 825. sequitur etiam Homob. *consul. tom.* 2. *part.* 6. *resp.* 14. & Diana *part.* 1. *tr.* 8. *resol.* 86.

35. Hæc Sententia, quamvis sit probabilis, tamen probabilior est opposita, docens res hujusmodi raras vendi non posse quocumque pretio excessivo, sed dumtaxat pretio justo, quod communi peritorum, & intelligentium æstimatione tale judicatur. Ratio est, quia res qualibet justo pretio vendi debet, quod spectatis omnibus circumstantiis, illi judicatur æquale; justum autem pretium illarum rerum, quæ non habent pretium naturale, seu vulgare, nec taxatum a lege, illud censeri debet, quod communi æstimatione intelligentium, & peritorum, spectatis omnibus circumstantiis raritatis, pretiositatis, materiæ, & aliis, judicatur æquale, & secundum illud vendi debent, non vero pro libito vendentis, quia excessivo pretio vendens non est tutus in conscientia, nec illud censeri possit liberaliter donatum; nam emptor non intendit donare, sed emere, nec venditor illud acceptat ut donatum, sed exigit ut debitum; nec est ulla ratio præsumendi donationem, ubi non est amicitia, vel consanguinitas. Potius illum excessum dat emptor ex inconsiderantia, passione, animi levitate, vel nimio, ac temerario affectu ad rem illam: excessus autem sic datus, vel acceptus, restitui debet, ut cum Angelo, Medina, Conrado, & aliis docet Salas *de vendit. dub.* 5. & ita tenent Lugus *disp.* 26. *n.* 47. Palaus *disp.* 5. *pun.* 3. *nu.* 3. Rosignol. *contr.* 2. *prænot.* 2. Bonac. *pun.* 4. *n.* 25. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 3. Villalob. *tr.* 21. *diff.* 5. *n.* 10. qui bene advertit, pretium in his rebus habere magnam latitudinem, prout sunt diversa peritorum judicia, dum unus centum, alter quingenti picturam æstimare potest.

36. Illud bene advertunt Bonac. *nu.* 5. Lugus *nu.* 48. Palaus *num.* 6. & alii satis communiter, res pretiosas parvo pretio emi posse in iis locis, in quibus parvi passim æstimantur; & e contra magno pretio vendi posse res alioquin viles, si in illis locis sint in magna æstimatione, quia tunc venduntur pretio justo taxato a communi æstimatione illarum gentium. Et hoc titulo dicunt licitum fuisse Europeis res vilissimas, puta cultellos, specula, vitra colorata, tintinnabula, & hujusmodi, magno & excessivo pretio vendere Indis, & Æthiopibus, apud quos res hujusmodi, apud nos viles, sunt in magna æstimatione, magisque ab illis æstimantur, quam aurum.

DUBIUM V.

Ex quibus caussis, seu circumstantiis rerum venalium pretium augeri, aut minui possit.

37. Quamvis numquam licitum sit ex vi contractus emptionis, & venditionis rem vendere pluris, aut emere minoris, quam valet, ut cum D. Thoma 2. 2. *qu.* 77. *art.* 1. diximus supra *num.* 30. nam hoc est contra æquitatem justitiæ, quæ postulat, ut venditor non gravetur accipiendo minus, quam dat, nec emptor dando plus, quam accipit: siquidem emptio, & venditio est introducta pro communi utilitate utriusque contrahentis, quorum unus indiget re alterius, vel e contra; quod autem pro communi utilitate introductum est, non debet esse magis in gravamen unius, quam alterius: plures tamen assignantur a Doctoribus caussæ, ob quas rerum venalium pretia augeri, vel minui solent.

38. Prima est lucrum cessans, aut damnum emergens; nam tale lucrum cessans, aut damnum emergens sunt aliquid pretio æstimabile, quo privari non debet, cum nullus invitus teneatur damnum pati in gratiam alterius; si ergo ex eo, quod quis rem suam vendat in gratiam alterius, lucrum aliquod cesset, vel damnum patiatur, juste prætendere potest illius compensationem, & hoc titulo augere pretium, juxta proportionem damni,

damni, ut se indemnem servet. Et ita communiter tenent Lugua *disp.* 26. *num.* 89. Palaus *disp.* 5. *pun.* 12. *num.* 3. Lessius *cap.* 21. *num.* 26. Bonacina *punct.* 4. *num.* 28. Trulleneh *cap.* 20. *dub.* 6. *num.* 4. & alii communiter.

39. Verum ut hoc titulo pretium augeri possit, tres requiruntur conditiones, ut bene notat Ant. a Spiritu S. *disp.* 17. *n.* 828. Prima est, ut lucrum cesset, ac damnum sequatur ratione ipsius venditionis, & non aliunde, vel per accidens: ex hac caussa, qui triticum erat servaturus usque ad mensem Maji, vel transferre cupiebat ad locum, in quo pluris vendi solet, licite potest nunc mense Septembri vendere in gratiam emptoris pretio, quo erat venditurus mense Maji, detractis expensis necessariis pro custodia, seu transportatione, & aliquid, arbitrio boni viri, pro periculo, cui subest, ut clare constat ex cap. *Naviganti de usuris*, ubi ponitur casus ad litteram de Mercatore carius merces vendente, quam in promptu valeant, quia erat eas servaturus ad tempus solutionis, quo credebatur plus valituras; & ratio est, quia talis venditor pretium non auget ratione temporis, sed damni, quod patitur nunc vendendo merces, quas erat servaturus ad tempus, in quo pluries eas vendidisset. Idem valet, si res alias vendit, quibus recentis, erat cum lucro negotiaturus, detractis expensis, quæ semper detrahi debent tam in lucro cessante, quam in damno emergente.

40. Secus dicendum, si merces, puta triticum, non erat servaturus ad mensem Maji, sed illud erat mense Septembri venditurus, quia tunc nullum patitur damnum, nec lucrum cessat. Nec dicas: cap. *In Civitate*, ubi ponitur iste casus, absolute dicitur, *licere vendere pretio, quod futurum putatur tempore solutionis, nulla facta mentione, num venditor sit eousque servaturus.* Sed contra dico cum Glossa, eumdem esse casum hujus cap. & cap. *Naviganti*, ubi restringitur, ut solum liceat, quando tempore contractus non erat venditurus, sed servaturus in tempus, quando valebit eo pretio, aut circiter, quo credito nunc venditur. Adde, quod Pontifex Alexander III. in cap. *In Civit.* loquitur de cinnamomo, pipere, & mercibus, quas illi venditores in aliud tempus servare instituebant; & Gregorius IX. dicto cap. *Naviganti* explicare mentem Alexandri conveniunt Doctores communiter, affirmantes quod ea, quæ implicite dicuntur cap. *In Civitate*, explicite declarasset Gregorius in tertio casu cap. *Naviganti*.

41. Secunda conditio est, ut tale lucrum cessans, aut damnum emergens deducatur in pactum, seu de illo prius moneatur emptor, ut sciat quare pretium augeatur, & plus ab illo exigatur, ut tale augmentum sit illi voluntarium, ut cum Dicastillo notat Ant. a Spiritu S. *num.* 828. & cum aliis Salas *de empt. dub.* 30. *num.* 4. Quod si tempore, & loco, quo triticum erat venditurus, varia sint pretia, non potest vendere pretio summo, cum non sit certum, quod tali pretio esset venditurus, sed vendere debet pretio medio inter summum, & infimum, quia sic servatur æqualitas, & neutra pars conqueri potest. Salas *loco cit. num.* 5. Tamb. *lib.* 8. *in Decal. tract.* 3. *c.* 7. §. 6. *num.* 10. & cum illo Ant. a Spiritu S. *num.* 829. Tertia conditio est, quod talis venditio fiat in gratiam emptoris sollicitantis venditorem, ut vendat, cum alias non esset venditurus; nam si venditor ultro se offerat ad vendendum, nihil ex justitia potest exigere pro suo damno emergenti, cum emptor non sit illius caussa, & sic cogi non potest ad tale damnum venditori reparandum.

42. Secunda caussa pretium augendi est specialis affectio venditoris erga rem illam, qua se privat in gratiam emptoris, ut si habeat equum mitissimum, & mansuetum; statuam valde antiquam; domum paternam a suis majoribus acceptam, potest venditor aliqualiter pretium augere arbitrio boni viri ob specialem affectum, quam habet ad res illas, ut cum Villalob. Bonacina, Lessio, Lugo, Trullench, & aliis docet Andreas a Matre Dei *punct.* 9. *cap.* 2. *num.* 90. Non tamen potest augeri pretium ex eo præcise, quod res sit emptori valde utilis, & commoda; nam talis utilitas, & commodum, cum non sit propria venditoris, non potest ab illo vendi, & hoc titulo rei pretium augere. Bonac. *punct.* 4. *num.* 27. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 6. *num.* 17. P. Navar. *cap.* 2. *dub.* 5. & cum aliis Andreas a Matre Dei *num.* 91.

43. Tertia caussa augendi pretium est raritas, seu penuria mercium, multitudo emptorum, & paucitas vendentium; sicut e contra abundantiam mercium, multitudo vendentium, & paucitas emptorum minuit pretium. Ratio est, quia ea, quæ abundant, minus æstimantur, quæ vero rara sunt, & minus in promptu, magis æstimantur, quia difficilius haberi possunt; quæ quidem major æstimatio justificat pretium, quod etiam auget, ac justificat multitudo emptorum; nam quo major est illorum copia, minor est copia mercium, & major illarum æstimatio: sicut e contra abundantia mercium pretium illarum minuit; nam quod magis abundat, facilius habetur, & minus æstimatur; eadem ratione multitudo, vel paucitas vendentium pretium minuit, seu auget, quia tunc facilius, vel difficilius merces haberi possunt, & hinc est, quod nonnumquam pretia rerum notabiliter crescant in nundinis, & aliis mercatis, superveniente scilicet magna emptorum multitudine, quibus abeuntibus, eadem pretia iterum ad antiquum statum redeunt, & in fine nundinarum pretia notabiliter decrescunt ob inopiam emptorum, & post victoriam res vilius emuntur propter illarum abundantiam. Ita tenent Salas *dub.* 25. Palaus *disp.* 12. *pun.* 12. *n.* 1. Lessius *cap.* 21. *dub.* 4. *n.* 30. Andreas a Matre Dei *cap.* 2. *n.* 102. & alios referens Bonac. *quæst.* 2. *pun.* 4. *num.* 14.

44. Quarta est officium, & modus vendendi. Qui enim vendunt ex officio, ut Mercatores, pluris vendere possunt, quam alii, qui non ex officio, sed casu, & data occasione vendunt, quia mercatura, & officium Mercatoris adjunctas habet curas, labores, atque pericula in conquirendis, asportandis, & conservandis mercibus pro communi bono; quæ sunt pretio æstimabilia, unde ipsis permittitur aliqualiter pretium augere; & ideo dici solet, quod res in officina publica, & in manu mercatoris pluris æstimatur, quam in manu militis. Ita Lugus *disp.* 26. *num.* 88. & cum Lessio, Medina, Reginaldo, & aliis tradit Bonac. *qu.* 2. *pun.* 4. *num.* 30. idque comprobat ipsa consuetudo ubique recepta, vi cujus mercatores, & alii vi officii vendentes, ordinarie merces pluria vendunt, quam alii. Non proinde tamen mercatores pluria vendere possunt, quam sit lege taxatum, vel communi æstimatione fori inter illos præscriptum, quia in taxatione pretii habita est ratio mercaturæ. Si tamen, qui mercaturam non exercet, rem suam æque bonam eodem pretio venderet, quo solent mercatores, non peccaret contra justitiam, nec teneretur ad restitutionem, quia illam venderet pretio currenti. Ita cum Lessio Bonac. *loco cit.* Salas *dub.* 29. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 3. Villalobos *diff.* 6. *num.* 10.

45. Eadem ratione, qui minutatim vendunt, pluris vendere solent, quam qui simul magnam copiam vendunt, quia ille modus vendendi minutatim plures affert labores, incommoda, & dispendia, & res ipsæ multo deficiunt; cessant autem illa incommoda, labores, & dispendia, si simul magna copia vendatur, & venditor remanet expeditior, ut statim alias merces comparet cum majori lucro, quam si eas ordinario pretio minutatim vendidisset.

46. Similiter merces pluria venduntur in manu, & officina mercatoris eas asservantis, quæsiti, & rogati, quam cum venditores per se, aut per proxenetas quærunt, & rogant emptores; nam juxta illud tritum, *merces ultroneæ vilescunt*; vilescunt, inquam, pro tertia parte, ut cum Molina, & aliis tenet Facundez *lib.* 5. *cap.* 19. *num.* 5. & secundum alios etiam pro mediotate, ut cum Megala, Rebello, Barthol. a S. Fausto tenet Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 23. 53. 77. sequitur Ant. a Spiritu S. *tract.* 10. *disp.* 17. *num.* 820. inde inferens, quod ille, qui emit rogatus, potest emere pro medietate justi pretii, ut si res valet quatuor, potest emere duobus. Et ita cum Diana, Lugo, & Palatio tenet etiam Tambur. *lib.* 8. *in Decal. tract.* 3. *cap.* 7. §. 4. *num.* 7. Hanc doctrinam censeo limitandam, ut solum procedat in casu, quo magna sit copia mercium, vel quo rem parum tibi necessariam, utilem, commodam, seu gratam, & potius onerosam emis rogatus, in gratiam venditoris, alias non empturus; secus si emas rem præcise rogatus ab eo, qui est in necessitate constitutus, ut tenet Navarrus *in man. cap.* 23. *num.* 78. *&* 83. & cum Medina, Sylvestro, & Soto, Salas *dub.* 25. *num.* 4.

47. Huc spectat modus ille vendendi sub hasta, quo modo res aliquando carius venditur, & aliquando vilius, prout pauciores, aut plures adsunt emptores, & contradicentes; siquidem justum pretium in subhastatione censetur illud ultimum, quod offertur, & quod eo modo vendendi extorqueri potest absque fraude, ut constat ex communi usu, & praxi etiam apud probos, & doctos homines recepta, etiam in casu, quo ex contentione emere volentium, res duplo vendat: hoc enim fortunæ venditoris relinquendum æquitas postulat, cum in multis aliis infra justum pretium vendere contingat; dummodo tamen absit fraus, & dolus, ut contingeret si venditor induceret fictos emptores, ut sic augeatur pretium, aut si per vim, & dolum avertantur, & impediantur alii ab emendo: si enim hoc modo, adhibendo fraudes, res multo plus vendatur, quam valeat, vel multo minus ematur, tenetur venditor illud majus resti-

restituere, & emptor augere usque ad justam pretium, prout docent Malderus *tr.* 5. *cap.* 2. *dub.* 2. Salas *dub.* 25. *n.* 4. Bonac. *pun.* 4. *nu.* 21. ubi citat Petrum Navarrum, Lessium, Medinam, Reginaldam, & alios.

DUBIUM VI.

De justo rerum pretio legali, seu taxato.

48. RESp. Rerum venalium pretium a Principe, seu publica potestate juste taxatum, & determinatam, esse omnino servandum, non tantum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ, adeo ut pecces mortaliter contra justitiam, cum obligatione restituendi, qui plus taxato pretio vendit, & qui minus emit, vel extorquet, si materia sit gravis. Ratio est, quia lex a legitimo Superiore juste lata obligat non solum in foro externo, sed etiam in conscientia, ut diximus *in tract. de legib. cap.* 2. *dub.* 2. sed taxatio, seu determinatio pretii pro rebus maxime humanæ vitæ necessariis, est lex a legitimo Superiore juste lata pro bono communi ad tollendas fraudes, & injustitias; ergo obligat etiam in conscientia, & cum per illius transgressionem violetur justitia, obligat etiam ad restitutionem, nam transgressores exigunt, & recipiunt indebitum contra Dominorum voluntatem. Et ita tenent Doctores communiter, ut tradunt Salas *dub.* 6. *concl.* 4. Palaus *disp.* 5. *pun.* 4. *n.* 4. Lugus *disp.* 26. *nu.* 56. Navarr. *in manual. cap.* 23. *n.* 88. Sanchez *lib.* 1. *consil. cap.* 7. *dub.* 4. Villalob. Dicastill. & alii, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 2. *n.* 111.

49. Pretiam juste taxatum observare tenentur non solam Laici, sed etiam Clerici, & Religiosi, ut constat ex dictis *in tract. de Legib. cap.* 3. *dub.* 5. *n.* 38. ubi diximus, Clericos in conscientia obligatos esse servare leges civiles taxantes pretia rerum, frumenti, vini, ceterarumque rerum ad victam necessariarum, vel prohibentes extractionem mercium extra Provinciam, non quidem immediate, & directe jure civili, sed jure naturali, & divino præcipiente, ne quis ultra justum pretium res suas vendat: justum autem pretium censetur illud, quod publica auctoritate est taxatum, ac proinde peccare mortaliter, cum obligatione restitutionis, si majori pretio res hujusmodi vendant. Navar. *in Man. cap.* 28. *n.* 88. Sperelius *dec.* 13. *fore Eccles. n.* 11. Palaus *sup. pun.* 5. *nu.* 5. ubi alios refert.

50. Advenæ similiter, & peregrini tenentur ad pretium juste taxatum, nam ex *cap. ult. de foro compet.* ratione contractus quilibet sortitur forum loci contractus: forum autem sortiri, & legibus loci adstringi a pari procedant. Quare peregrini alicubi contrahentes tenentur servare formam contractuum in eo loco præscriptam, ut cum Sanchez, & Bossio diximus *in tract. de Legib. cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 45. ubi *num.* 46. diximus, peregrinos teneri servare pretium ibidem taxatum in emptione rerum persolvendum, & vendentes triticum in alieno territorio teneri servare pragmaticam, seu taxam pretii, quod in eodem territorio servatur, quia pretium est pars contractus, & quia quilibet tenetur pretium justum emptionis, & venditionis servare: justum autem pretium est illud, quod per leges est taxatum. Similiter advenæ, & peregrini solvere debent gabellas alicui contractui juste appositas, quia est onus contractus *ibid.* celebrati.

51. Hinc sequitur, illicitum esse carius vendere peregrinis, & exteris, quam naturalibus, si exceduntur limites justi pretii, quia numquam licitum est justum pretium excedere. Bonac. cum aliis, *punct.* 4. *num.* 24. Ant. a Spiritu S. *disp.* 17. *num* 821. & cum aliis Salas *dub.* 28.

52. Resp. 2. Si pretium legale discrepat a vulgari, illud regulariter observandam est, nisi manifeste constet esse injustam. Ratio est, quia pretiam legale taxatam a Principe, seu Magistratu, supponitur justum, nisi manifeste constet oppositum; & sic illud observandum est, cum ad Principem, seu Magistratum spectet taxare pretium pro communi bono totius Communitatis, ad tollendas, & evitandas pauperum oppressiones, & damnorum occasiones, ut cum Petro Navarro, & Valentia tenet Bonac. *pun.* 4. *n.* 7.

53. Si autem, consideratis omnibus, manifeste constat, pretium a lege taxatam esse injustum, & iniquam, tunc illud non est in conscientia servandum, quia publica potestas ad hoc tantum se extendit, ut justum pretium constituat; & inde, superveniente sterilitate, pretium taxatum tempore abundantiæ augendum est: sicut e contra, superveniente abundantia, minuendum est, & contrarium esset irrationabile; & ideo Navar. *in Man. cap.* 23. *num.* 88. *in fine* ait: Superveniente necessitate, tolli taxam, quia nimirum, circumstantiis mutatis, si lex non mutatur, evadit injusta, nec obligat, cum per illam injuste graventur subditi. Molina *disp.* 364. *n.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 14. *circa finem*. Trullench *lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 2. *num.* 8. Dicastillus, Villalob. Reginal. & alii, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *num.* 115.

54. Ex hoc inferunt Doctores, quod quando pretium taxatum pro pane, vino, carne, & aliis hujusmodi rebus est injustum, tunc licitum esse subditis minuere mensuram, aut detrahere de pondere quantum sufficit, ad hoc, ut remaneat justum pretium; nam hujusmodi artifices non tenentur deserere officia Reipublicæ necessaria, ac proinde si pretium lege taxatum revera sit injustum non obligat in conscientia, & licebit detrahere quantum satis est. Bonac. *pun.* 4. *nu.* 7. Molina *disp.* 353. *n.* 24. Rebellus *lib.* 9. *qu.* 10. Reginald. *lib.* 25. *n.* 283. *&* 285. Filliuc. *tr.* 35. *cap.* 4. *n.* 82.

55. Non est tamen facile credendum ipsis artificibus, sed diligenter caussa examinanda, onerando conscientiam ipsorum in confessionibus, qui si serio asserunt, quod stante taxa, vel ipsimet grave damnum pati, vel certe omni honesto lucro, unico ipsorum sustentationis modo, carere deberent, taxatoribus, vel non intelligentibus rem, vel, mutatis circumstantiis, taxam non mutantibus, tunc licite poterunt minuere mensuram, aut detrahere de pondere quantum sufficit, ut remaneat justum pretium; modo communiter artifices tale damnum patiantur, secus si unus, vel alter, quibus non erit licitam mutare taxam pro omnibus statutam. In dubio præsumendum est pro lege, quod sit rationabilis, & justa, ac proinde servanda in foro conscientiæ, ut cum aliis notat Bonac. *ibid.*

56. Quod si pretium a Principe taxatum communiter non observetur, sed ab omnibus, aut a majori parte violetur, sciente Principe, & dissimulante, seu non puniente, cum facile id facere possit, tunc non obligat in conscientia; nam Princeps tacendo, & dissimulando, cum obstare possit absque suo magno incommodo, censetur consentire, & consequenter dispensare in lege taxante pretium, vel illam abrogare; secus si ob vitanda gravia mala transgressionem impunitam relinqueret, quia in eo casu non voluntarie consentit, vel si transgressores puniat, vel aliquos tantum juste, vel injuste dissimulet, videtur enim solum eam aliis dispensare, non legem abrogare, ut cum Reginal. Medina, & Salonio tenet Bonac. *qu.* 2. *pun.* 4. *nu.* 9. & cum aliis Andreas a Matre Dei *cap.* 2. *n.* 116.

57 Quæres: *An possit aliquid ultra taxam exigere qui rem vendit meliorem, & in bonitate excedentem alias, quæ communiter vendi solent, puta triticum magis purgatum, & selectum, vinum magis generosum; idem valet de aliis mercibus a lege, seu communi æstimatione taxatis, si aliquæ præ ceteris sint meliores, & excellentiores?* Negat Salas *de empt. & vendit. dub.* 12. *num.* 9. quem sequitur Palaus *disp.* 5. *pun.* 6. *n.* 3. Ratio est, quia Princeps potest, & vult, propter bonum commune, rebus etiam inæqualibus idem pretium imponere: & oppositum esset ostium aperire violationi legis in commune damnum. Multi enim dicerent suum triticum, suasque res præstantiores, & notabiliter meliores aliis, quæ communiter vendi solent.

58. Resp. triticum, vinum, & hujusmodi, propter notabilem excessum in bonitate, vendi posse ultra pretium a lege taxatam. Ratio est, quia sicut vendens triticum in bonitate longe inferius, ac deterius illo, quod communiter venditur, eo quod sit paleis plenum, a vermibus corrosum, vel affectum aliquo notabili defectu, vendi non potest pretio a lege taxato, ut etiam concedunt Palaus, & Salas, sed detrahendum est quantum prudentis arbitrio minus valet, quam triticum integrum, & incorruptum taxatum a lege, quod communiter venditur; ita si triticum sit in bonitate longe melius illo, quod communiter vendi solet, poterit majori pretio vendere propter illam majorem bonitatem. Si autem excessus non sit notabilis, sed modicus, non potest augeri pretium, quia parum pro nihilo reputatur. Ita Molina *tom.* 2. *disp.* 364. *n.* 11. Reginal. *lib.* 25. *cap.* 16. *sect.* 3. *n.* 284. Bonac. *pun.* 4. *n.* 14. Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 52. & alios referens Andreas a Matre Dei *cap.* 2. *n.* 228. & Homobon. *consult. tom.* 2. *par.* 6. *resp.* 55.

59. Nec obstat, quod Princeps possit, & valit ob commune bonum, rebus etiam inæqualibus, idem pretium imponere: non obstat, inquam, quia voluntas Principis, & taxa ab eo imposita, cadit super illa, quæ communiter vendi solent, etiamsi habeant inæqualitatem; secus si magna sit inæqualitas, quia tunc ratione illius excessus potest augeri pretium, sicut de facto diverso, & minori pretio venditur libra piscium minutorum, quam majorum, quamvis sint ejusdem speciei, quia isti præ illis sunt magis æstimabiles: ita in casu nostro majori pretio vendi potest res notabiliter excedens in bonitate.

60. Quæres 2. *An venditor possit ex acervo, & cumulo fructuum separare meliores, & excellentiores, eosque vendere ultra taxam, ceteros vero juxta taxam?* Negat Diana *part. 1. de contract. resol. 35.* quia pretium taxatum est pro utrisque permixtis.

Resp. fructus meliores, & excellentiores sic separatos posse vendi ultra taxam, juxta superius dicta, reliquos vero posse vendi pretio taxato, si remaneant ejusdem bonitatis, & æqualitatis; secus si deteriores fiant, & inæqualis bonitatis. Idem valet de carnibus, piscibus, & aliis hujusmodi; & inde macellarii non possunt titulo benevolentiæ, aut majoris pretii aliquibus vendere carnes puras, & sine ossibus, nisi reliquum vendant minori pretio; nam, detracta carne electa, alia minus valet, & plus justo alii emptores ossibus onerantur; unde peccant contra justitiam cum obligatione restituendi, si quod reliquum est, detracta carne pura, sine ossibus, vendant taxato pretio, ut habet Homobonus *de exam. tr. 1. par. 7. cap. 17. q. 180.* Idem tenet Lugus *disp. 26. n. 86.*

61. Quæres 3. *An tritico mundo, & puro licitum sit miscere grana inferiora, & inutilia, aut vino optimo, & generoso miscere deterius, vel aquam, & pretio taxato vendere?* Difficultas procedit, quando per illam mixtionem non redditur deterius illo, quod tali pretio communiter vendi solet: si enim efficiatur deterius, certum est non posse vendi taxato pretio, sed detrahendum esse de pretio, quantum minus æstimatur cum tali respectu.

62. Resp. affirmative, si, facta mixtione, triticum æque bonum persistat, ac illud, quod communiter venditur. Ratio est, quia venditor per talem mixtionem nullam injuriam facit emptori, cui dat triticum æque bonum, & æque utile ad humanos usus, sicut alia, quæ tali pretio communiter venduntur. Certe si ex area cum tali mixtione asportasset, vendere poterat pretio taxato; ergo idem etiam facere potest, quamvis mixtio de industria facta sit, quia per hoc non redditur deterius, & minus utile emptori. Lugus *disp. 26. num. 67. & 68.* Bonacina *punct. 6. n. 17.* Homobon. *de exam. part. 2. tr. 9. cap. 3. qu. 4.* Lessius *cap. 21. dub. 11. n. 87.* & alios referens Andreas a Matre Dei *cap. 2. n. 130.*

63. Difficilius in vino hæc mixtio videtur admittenda, cum per illam regulariter reddatur deterius, & ad plures effectus minus utile, cum difficilius conservetur, & facilius acescat, si ad conservandum emitur ab emptore, tum quia lex taxans pretium vini, loquitur de vino puro, quale est omne vinum ex torculari extractum. Si tamen alicubi consuetudo vigeret miscendi parum aquæ vino, quando conficitur, poterit talis mixtio tolerari, si non efficiatur deterius illo, quod tali pretio communiter vendi solet, ut cum Lugo notat Andreas a Matre Dei *loco citato*; notat etiam Bonacina *dict. num. 17.* excusari posse argentarios, & aurifices, qui æs, aut aliud metallum commiscent auro, & argento ad ipsa simul connectenda, & firmanda, modo id tantum præstent, quantum est necessarium, & consuetum.

D U B I U M VII.

An Chirographa, & Credita possint anticipata solutione minoris emi.

64. HAbet quis Chirographum, aut Creditum centum aureorum, post annum, vel duos annos solvendorum; quæritur: *An emi possint præsenti solutione nonaginta, vel nonaginta quinque aureis?* Eadem difficultas est de aliis debitis ad certum tempus solvendis, quæ ab aliquibus dicuntur *futura*, & alii vocant *pagas acerbas*, sumpta metaphora a fructibus terræ, quæ sicut ante maturitatem sunt gustatu acerbi, ita & debita, donec eorum solutioni præfixum tempus adveniat, immatura, & acerba, & quæritur: *An talia debita minoris emi possint, quando emuntur pretio anticipato, scilicet ante tempus solutioni constitutum?* Conveniunt Doctores, id fieri posse ratione lucri cessantis, damni emergentis, periculi non obtinendi solutionem a debitore, vel certe, quod non sine lite, expensis, & magna difficultate recuperabitur; tunc enim juxta qualitatem difficultatis, periculi, & damni, detrahi potest de pretio, tantoque minus emi, quanto majora sunt pericula, & difficultates, quæ tales, ac tantæ possunt esse, ut licite emi possint dimidio valore, ut tenet Lessius *cap. 21. dub. 9.* Ita Doctores communiter, Molina *disp. 361.* Salas *dub. 39.* Lugus *disput. 26. num. 93.* Bonacina *quæst. 3. punct. 10.*

65. Et quidem emi possunt minori pretio etiam ab illo, qui ob favorem Principis, & Officialium absque difficultate, & damno solutionem facile potest obtinere, quia nimirum valor alicujus rei non debet æstimari ex utilitate privata, sed ex communi æstimatione. At in communi æstimatione debitum etiam certum, quod absque difficultate, incommodis, & expensis non potest obtineri, minus æstimatur, & sic minori pretio potest emi. Nec obstat, quod respectu ementis cessant pericula, quia per hoc non variatur pretium desumptum ex communi æstimatione, & emptor debet suæ fortunæ adscribere, quod debitum recuperare possit absque difficultate, & expensis. Lessius *dub. 9. n. 76.* Lugus *nu. 94.* Bonacina *punct. 10. n. 4.* Rosignol. *contr. 2. prænot. 3. nu. 4.* Trullench, Villalobos, & alii, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *cap. 2. n. 156.*

66. Debitores ipsi nequeunt minori emere chirographa, seu credita ceteroquin certa, & liquida, quando ipsi sunt in caussa, quod suo tempore solutio non sequatur, aut nonnisi cum difficultate, periculo, & expensis, quod nonnunquam faciunt Ministri Regii, Quæstores, & Officiales, qui Regis pecunias administrant, & ex dolo, negligentia, aut alia culpa sunt in caussa, quod solutio debiti difficilis, periculosa, & onerosa evadat, qui proinde nequeunt hujusmodi credita minori pretio emere anticipata solutione, cum nemo ex delicto suo commodum reportare debeat, nec ditari cum alterius injuria; ipsi namque tenentur tollere difficultates, & facere, quod solutio debiti difficilis, aut periculosa non sit. Multo minus possunt hujusmodi Officiales, & Ministri suggerere amico, ut emat minori pretio debita illa Regis a creditoribus, quæ postea integra emptori solvuntur a Ministro, diviso inter utrumque lucro illius emptionis, quod merito ut injustum, & iniquissimum damnant Molina *disput. 313. §. Solent præterea*, Lugus *disp. 26. n. 102.* Andreas a Matre Dei *cap. 2. n. 158.*

67. Si autem debitores, Ministri, & Officiales, qui solvere debent, non sint in caussa, quod solutio præfixo tempore difficilis, & periculosa reddatur, sed id aliunde proveniat, & ex aliis caussis, poterunt ipsi sicut alii hujusmodi credita minori pretio emere, cum non debeant esse inferioris conditionis, ac alii; & quia debitum in tali statu, ad quod sine culpa debitoris pervenit, non plus valet, & sic non est cur tanti ab illo non possit emi. Ob eamdem rationem si debitor anticipando solutionem a creditore desideratam damnum emergens, aut lucrum cessans patiatur, poterit emere minori pretio. Ita Doctores communiter, Lugus, Lessius, Andreas a Matre Dei, & apud ipsum Sanchez, Salas, Malderus, Villalobos, & alii.

68. Difficultas est de debito liquido, & certo, quod absque periculo, difficultate, ac molestia obtineri potest: *an illud valeat anticipata solutione minoris emi?* in quo discrepant Doctores. Prima Sententia constanter affirmat. Ratio est, quia ibi non intervenit usura, nec mutuum etiam virtuale, sed vera venditio; siquidem per mutuum obligatur mutuatarius ad aliquid postea solvendum, & mutuans retinet actionem ad sortem contra accipientem, a quo potest sortem repetere, & apud quem stat periculum sortis, quod non evenit in casu præsenti, ubi venditor ad nihilum remanet obligatus, quamvis debitor nihil postea solvat, quia jam dedit emptori totam rem debitam, nempe jus ad illud debitum, & apud emptorem stat periculum sortis, adeoque ibi non intervenit mutuum, sed est vera venditio, qua quis vendit anticipata solutione, non quidem pecuniam postea solvendam, sed jus, quod habet ad illam.

69. Nec ibi intervenit injustitia, quia tale jus emi licite potest minori pretio; nam juxta communem hominum æstimationem, qua rerum pretia taxantur, jura, seu credita minus æstimantur, quam pecunia præsens; minus namque est habere jus ad rem, quam rem ipsam. *L. Minus, ff. de Reg. Jur.* ibi: *Minus est actionem habere, quam rem.* Plus æstimatur res præsens, quam de futuro solvenda, quia res futura, & absens, quamdiu abest, inutilis, & sterilis est etiam jus habenti; cum e contra res præsens continuo utilis sit habenti. Ita tenent Navar. *in man. cap. 17. num. 231.* Sanchez *in consil. lib. 1. cap. 7. dub. 17. n. 5.* Innocent. *cap. in Civitate de Usuris.* Abbas *eod. cap. in Civit. nu. 7.* Sa, Rosella, Armilla, Toletus, & alii, quos affert, & sequitur Diana *par. 1. tr. 8. resol. 49.* probabile putat cum Layman, & Dicastillo, Tambur. *lib. 8. Decalog. tract. 3. cap. 3. §. 8. nu. 2.* sequitur Antonius a Spiritu S. *tract. 10. disp. 17. nu. 846.* Cajet. *in sum. verb. Usura, circa finem.*

70. Hinc facile justificatur contractus, quo juxta temporis longitudinem minori pretio emuntur pagæ acerbæ, seu maturandæ Montis Genuensis, quia scilicet non venditur, nec emitur pecunia postea solvenda, sed jus, quod quis habet ad illam, quod de se minus æstimatur, & minus valet, quam res ipsa præsens. Adde, quod merces ultroneæ vilescunt, saltem pro tertia parte; sed hujusmodi pagæ acerbæ communiter exponuntur vendendæ,

ut rogantur emptores, qui proinde possunt illas minoris emere usque ad tertiam partem, sicut de aliis creditis cum Facundez docet Antonius a Spiritu S. *loc. cit.* Hæc Sententia videtur probabilis, tum propter rationem, tum propter auctoritatem Doctorum.

71. Probabilior tamen est Sententia opposita negans debita certa, & liquida minori pretio emi posse, si in iis suo tempore obtinendis nulla sit difficultas, vel periculum, aut lucrum cessans, seu damnum emergens. Ratio est, quia per omnes committitur injustitia, & redditur illicita emptio, & venditio, quando non servatur æqualitas dati, & accepti, mercis, & pretii; sed si debita liquida, & certa, chirographa, seu pagæ acerbæ minori pretio emantur, non servatur æqualitas inter datum, & acceptum; dantur enim nonaginta, aut nonaginta quinque, & accipiuntur centum aurei. Nec obstat, quod debita, pagæ acerbæ, seu maturandæ, & chirographa non sint de præsenti, sed postea solvenda post aliquod tempus, quia debitum liquidum, & certum centum aureorum sine difficultate, periculo, aut damno obtinendum, revera valet centum, nec absentia pecuniæ per aliquod tempus reddit illud minoris valoris, quam sit pecunia præsens, secus etiam in mutuo licite posset accipi aliquid supra sortem, cum pecunia in mutuo postea solvenda dici posset minoris valoris, quam pecunia præsens, quæ datur mutuatario, ac proinde licitum esse accipere aliquid supra sortem pro adæquato valore, quod esset ostium aperire usuris palliatis; unde merito reprobatur ab Innocent. XI. damnante illam propositionem, quæ est in ordine 41. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

72. Conf. peccat contra justitiam cum obligatione restituendi, qui supra justum pretium rem vendit præcise ob dilatam solutionem, aut emit infra justum pretium ob anticipatam solutionem; ergo etiam peccat contra justitiam, cum obligatione restituendi, qui pagas acerbas post annum maturandas, aut debitum liquidum minori pretio emit, quam valet, præcise ob anticipatam solutionem, cum utrobique sit eadem ratio. Et ita tenent Rosignol. *contr. 2. de empt. & vendit. prænot. 3. nu. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 8.* Petrus Navarrus *lib. 3. cap. 2. num. 162.* Molina *disp. 361.* Salas *dub. 39.* Palaus *disp. 5. punct. 13. num. 6.* Villalobos *tract. 21. diff. 8. num. 3.* Dicastillus *lib. 2. tr. 9. disp. 2. num. 68.* Andreas a Matre Dei *cap. 2. num. 160.* & aliis pluribus adductis, Lugus *num. 96.*

73. Ad fundamentum oppositum dicendum est, ibi adesse mutuum virtuale, ut tenet Molina *disputat. 361. §. Pro solutione*, & supponit Rosignol. *contr. 2. prænot. 3. num. 2.* quia debita acerba, & chirographa minori pretio emuntur præcise ratione anticipatæ solutionis; & licet vendens non maneat obligatus ad aliquid reddendum immediate, & per se ipsum emptori, nec iste retineat actionem, & jus repetendi aliquid a venditore, qui jam dedit emptori totam rem venditam, nempe jus ad illud debitum; sufficit tamen ad hoc ut sit quoddam genus mutui, ut venditor maneat obligatus in aliena persona, scilicet in suo debitore, qui substituitur emptori vice, & loco venditoris, & sic salvantur omnia requisita ad verum mutuum; nam emens chirographum, dat nonaginta repetenda ab eo, qui loco venditoris substituitur; & si debitum forte pereat, perit substituto, non vero mutuanti.

74. Falsum deinde est, quod in tali emptione non interveniat injustitia pro inæqualitate pretii; nam licet in rigore metaphysico non ematur immediate a venditore pecunia postea solvenda, sed jus ad illam, moraliter tamen pro eodem reputatur utrumque, cum utrumque sit ejusdem valoris, & æstimationis, quando nulla difficultas, aut periculum timetur; certe si ematur debitum, non in posterum, sed statim exigendum, non minus reputaretur jus, quam ipsa pecunia, nec posset minoris emi. Adde, quod intentio ementis non tendit principaliter in actionem ratione sui, sed in centum solvenda, cum actio per se, & ratione sui nihil valeat, & inde emens anticipata solutione solum intendit dare de præsenti nonaginta, ut post annum sibi reddantur centum, in quo consistit injustitia, & usura. Ad Textum ex *l. Minus 105. ff. de Reg. Juris*, dico verificari, quando actio, vel jus habet adnexum periculum, laborem, & expensas, quia jus ad summam centum non valet minus ea, nisi ratione periculi, nec pecunia solvenda differt intrinsece a præsenti, sed solum extrinsece ratione temporis dilati, quando nullum adest periculum eam consequendi.

75. Dices: *Res, quæ solum est in potentia, & spe, non tanti æstimatur, quanti ea, quæ est in actu, ut patet de tritico in herba, & in potentia, & in maturitate, seu tempore messis, & in fructibus acerbis, & maturis; minoris enim pretii sunt fructus acerbi, quam maturi: at centum post annum solvenda, nunc non sunt in actu, sed in sola potentia, & spe, & sunt debita acerba, non matura.* Conf. ex Cajet. quia terra sterilis usque ad biennium minus valet, quam ipsamet, si sit utilis, & fertilis hodie; sed debita, seu chirographa fructum non pariunt, nisi post biennium; ergo minus æstimantur, & minoris sunt valoris, quam si statim producerent fructum.

76. Sed contra dico, quod res, quæ solum est in potentia, & spe, non tanti æstimatur, quam ea, quæ est in actu, quando illa potentia, & spes impediri potest; secus si non sit impedibilis, ut contingit in casu nostro. Triticum in herba, secundum se, non tanti valet, quanti triticum perfectum, quia potest multis modis impediri ne perveniat ad messem, & fructus acerbi ne perveniant ad maturitatem, quod non valet de debito liquido, & certo; nam centum certa, & secura semper valent centum, quamvis non sint accipienda nisi post annum, nec differunt a maturis intrinsece, sed extrinsece ratione temporis dilati; dicuntur autem maturescere non quoad augmentum valoris, sed quoad præsentiam solutionis. Similiter terra sterilis, cum de se, & intrinsece sit fructifera, minus valet ratione fructuum, quibus emptor propter sterilitatem, aut, si non statim tradatur, carere compellitur: at pecunia, cum de se non sit fructifera, minus solum valet ratione lucri cessantis, damni emergentis, & periculi, ratione cujus poterit minus dari pro debito in futurum solvendo, non autem propter solam dilationem temporis.

77. Ad id, quod additur, quod merces ultroneæ vilescant pro tertia parte, dico, non debere ita universaliter accipi, sed limitari juxta superius dicta *nu. 46.* in casu, quo magna sit copia mercium, vel quo rem parum sibi necessariam, utilem, commodam, sed potius onerosam emis rogatus, in gratiam venditoris, alias non empturus; secus si emas rem præcise rogatus ab eo, qui est in necessitate constitutus. Sicut enim non licet venditori rem aliquam pluris vendere, si ab alio rogetur ob privatam propriam utilitatem, vel necessitatem, ut notavimus supra *dub. 5. num. 46.* ita etiam ex eo præcise, quod quis in necessitate fortasse constitutus rem suam vendendam ulteri offerat, eumque roget ut emat, non potest minoris emi. Lugus *disp. 26. nu. 91.* Lessius *cap. 21. num. 31.* & inde talis emptio debitorum, & chirographorum erit usuraria, si minori emantur præcise ratione anticipatæ solutionis, vel saltem erit injusta ratione pretii inæqualis, ut supra dixi.

DUBIUM VIII.

An licitum sit rem carius vendere credito, quam numerata pecunia.

78. Constans est omnium Doctorum sententia, licitum esse rem pluris vendere credito, quam numerata pecunia, intra tamen latitudinem justi pretii, non sic extra. Prima pars facile constat, quia sicut licitum est venditori in rebus, quæ non habent pretium a lege taxatum, illas vendere pretio supremo, medio, vel infimo, ita poterit illas vendere justo pretio supremo iis, quibus credito, seu dilata solutione vendit, & aliis pretio medio, vel infimo.

79. Secunda pars habetur ex D. Thoma 2. 2. *q. 78. ar. 2. ad 7.* ubi ait: *Ad septimum dicendum, quod si aliquis carius velit vendere res suas, quam sit justum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem expectet, manifeste usura committitur, quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui; unde quidquid ultra justum pretium pro hujusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usuræ.* Ratio ex Sancto Doctore facilis est, quia qui rem valentem decem aureos vendit quindecim ex hoc solum titulo, quod pretium non statim solvitur, perinde est, ac si decem aureos mutuos daret, ut quindecim recipiat post aliquod tempus, in quo consistit usura, ut patet consideranti. Unde sic vendens peccat graviter contra justitiam, cum obligatione restituendi: cum D. Thoma sentiunt Doctores communiter.

80. Dixi, *ex hoc solum titulo*, quod pecunia non statim solvitur, seu ob dilatam solutionem, quia ex aliis titulis potest excusari talis venditio: & primo ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, servatis conditionibus explicandis *cap. sequenti*, cum agemus de Mutuo, & Usura. Secundo ratione periculi, ne postea pretium solvatur, vel ex toto, vel ex parte, dummodo periculum verum sit, & non falsæ innixum præsumptioni; tunc enim potest pluris vendere, quanti scilicet æstimetur tale periculum arbitrio viri prudentis; & ratio est, quia tale periculum est aliquid pretio æstimabile, ratione cujus, sicut potest ipse venditor ad sui assecurationem

lici-

licite exigere fidejussorem, qui pro onere in se suscipiendo potest de justo pretio eum principali debitore convenire: ita potest, non exigendo fidejussorem, ratione talis periculi illud pretium exigere, quod juste potest exigi ab eodem fidejussore, si requireretur. Ita cum aliis Tamburinus *lib. 8. Decalog. c. 7. §. 6. num. 3.* Medina *de restit. quæst. 38. casu 3. & 4.* Lessius *cap. 21. dub. 6. n. 54.* Palaus *disp. 5. punct. 12. num. 6.* Molina *disp. 356.* Rosignol. *controv. 2. prænot. 2. num. 11.* Antonius a Spiritu S. *disp. 17. num. 838.* & alios referens Andreas a Matre Dei *cap. 2. n. 144.* contra plures gravissimos Doctores ab eodem relatos.

81. Requiritur tamen, quod periculum sit verum, & non fictum, nec falsæ præsumptioni innixum, poterit enim venditor aliquid plus recipere, quamvis postea damnum re ipsa non sequatur, quia tale plus non recipit ratione damni vere sequendi, aut secuti, sed ratione periculi, ne damnum sequatur. Addunt Molina, Lessius, Tamburinus, & alii, venditorem debere emptori manifestare, se id plus recipere ratione periculi; quod quidem verum puto in venditionibus agrorum, domorum, vel alterius rei magni momenti, in quibus ordinarie dari solet fidejussor, aut pignus pro securitate, non autem in aliis venditionibus ordinariis, in quibus non solet dari fidejussor, aut pignus; nam tunc emptor ex tali monitione graviter offendi poterit, vel etiam augere periculum.

82. In contrarium afferri solet Textus in cap. *Naviganti, de Usuris*, ubi habetur: *Naviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid supra sortem, usurarius est censendus.* Resp. Pontificem ibi solum decernere, tales contractus in foro externo præsumendos esse usurarios; non enim dixit esse usurarios, sed usurarium censendum esse, quia sub illo titulo multæ usuræ palliantur; nam sub prætextu periculi nonnunquam augmentum sumitur, quamvis periculum nullum sit, & mutuatarius non habeat animum pecunias trajiciendi; & sic ad vitandas fraudes voluit Pontifex in foro externo tales usurarios esse censendos, donec de illorum justificatione non constet. Addunt Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 13.* Palaus *disp. 4. punct. 18.* & alii in tali Textu, errore transcribentium, omissam esse particulam *non*, & sic ubi dicitur usurarius est censendus, legendum esse, *Usurarius non est censendus*; nam Pontifex respondens ad alium casum statim subjungit: *Ille quoque &c. non debet usurarius reputari*; siquidem dictio *quoque* appellat similitudinem cum præcedenti, adeo ut in utroque casu, aut in neutro debeat apponi particula *non*.

83. Alias explicationes refert Fagnanus *lib. 5. Decretal. dicto cap. Naviganti, & num. 58.* respondet, hunc Textum intelligendum esse de vero mutuo habente propriam formam contractus mutui, concurrente depravata, & perversa mutuantis voluntate, ut clare habetur ex ipso Textu, ubi Gregorius IX. ait: *Naviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem*, ubi aperte loquitur de mutuo: non autem procedere in alio contractu, qui mutui speciem, & formam non habet, sed ad aliud genus contractus a mutuo diversum reduci potest; sed contractus, de quo agimus, non est mutuum, sed venditio, ac proinde de illo non procedit talis Textus.

84. Hinc facile, & universaliter damnari non debet praxis illa Mercatorum, qui merces suas pluris vendunt dilata solutione, quam pro numerata pecunia; nam experientia constat, sæpe adesse periculum perdendi totum, aut partem pretii, vel lucrum cessans, aut damnum emergens, cum Mercatores præsenti pecunia continuo negotientur, & lucrum faciant. Debent tamen advertere, ne quibuscumque credito ementibus æqualiter lucrum, seu pretium augeant, sed juxta proportionem periculi, & molestiarum; nam plures sunt emptores, a quibus nec periculum, nec molestiæ timeri possunt, qui proinde non debent injuste gravari.

85. Quæres: *An licitum sit merces minoris emere ob anticipatam solutionem?*

Resp. id licitum esse, si ob anticipatam solutionem emptor patiatur aliquod damnum, vel adsit lucrum cessans, aut damnum emergens, vel periculum non habendi rem emptam, vel non habendi sinceram, sed defectuosam, vel quid simile: tunc enim poterit rem minoris emere juxta periculum, aut damnum, quod patitur, juxta superius dicta. Si autem damnum, aut periculum non patiatur, injustum, & illicitum est rem minoris emere ex solo titulo anticipatæ solutionis; nam in emptionibus, & venditionibus justum pretium servari debet, & injustitia committitur cum obligatione restituendi, si ob dilatam solutionem pluris vendatur, vel minoris ob solutionem anticipatam, cum utrobique militet eadem ratio; & ita tenent Doctores communiter.

86. Nec dicas: *Lanas in Hispania satis communiter minoris emi anticipata solutione, quam suo tempore valeant, numerata pecunia. Idem etiam valet de frumento, vino, oleo, serico, &c. quæ in aliquibus locis minori pretio emuntur, quam valent tempore traditionis.* Sed contra dico, id non fieri præcise ob anticipatam solutionem, sed quia ordinarie concurrit aliqua ex circumstantiis pretium minuentibus, lucrum cessans, damnum emergens, vel periculum non habendi res illas tempore determinato, vel non sine laboribus, & expensis.

87. Præscindendo ab hujusmodi circumstantiis pro rebus, quæ anticipate emuntur, determinari potest nunc illud pretium, quo tempore traditionis res probabiliter creditur valitura, vel illud pretium, quod tempore traditionis frequentius curret: &, si illo tempore plura fuerint pretia, eligatur medium, ut diximus supra *dub. 5.* de illo, qui anticipate vendit res suas, quas erat conservaturus, & venditurus tempore, aut loco, quo pluris vendi solent, posse scilicet nunc vendere in gratiam emptoris pretio illo, quo alio tempore, vel loco erat venditurus, ut habetur ex cap. *In Civitate*, juncto cap. *Naviganti, de usuris*, ubi Pontifex ait: *Ille quoque, qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur: quæ licet tunc plus valeant, utrum plus, minusve tempore solutionis sint valituræ, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari. Ratione hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, granos, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo tempore recipiat pro eisdem, si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.*

D U B I U M IX.

An venditor teneatur Emptori manifestare vitium rei venditæ.

88. Vitium, seu defectus rei venalis triplex esse potest. Primo in substantia, ut si vendas vitrum pro gemma, aurichalcum pro auro, stannum pro argento. Secundo in quantitate, seu in pondere, numero, & mensura, ut si mensuram, seu numerum augeas, aut diminuas. Tertio in qualitate, ut si vendas ovem morbidam pro sana, pannum adustum, vinum corruptum, tamquam sanum, & bonum: item si vendas domum, prædium, censum alteri obligatum, aut litigiosum, tamquam liberum. Ad hæc reducitur venditio rei aliena materia adulteratæ, ut est vinum aqua mixtum, frumentum paleis, & aliis seminibus involutum, cera sevo, seu pice permixta. Inter quæ vitia alia sunt manifesta, & per se nota, ut si vendas equum monoculum, seu claudum; alia latent, adeo ut ab emptore etiam oculato, & prudenti cognosci nequeant; alia item, quæ rem malam, perniciosam, seu inutilem reddunt emptori, qui certe non emisset, si vitium cognovisset; & alia, quæ solum reddunt minus utilem, & bonam, non tamen perniciosam, nec simpliciter inutilem.

89. Resp. 1. si vitium contingat in substantia necessario manifestari debet emptori, nec potest taceri, aut dissimulari sine peccato, & obligatione restituendi, quia nimirum error, seu defectus in substantia tollit consensum liberum necessario requisitum ad validitatem emptionis, & venditionis, & cujuslibet alterius contractus; unde etiam in foro externo, decepto datur actio de dolo, vel redhibitoria ad rescindendum contractum, & rehabendum pretium, aut rem venditam. Quod verum est, etiam venditor bona fide processit, ignorando rei defectum; nam licet tunc non peccaverit, stante bona fide; cognito tamen errore, tenetur rescindere contractum, aut tollere inæqualitatem, reddendo emptori excessum pretii, si extat, vel id, in quo factus est ditior, juxta regulam alibi traditam. Ita Andreas a Matre Dei *c. 2. n. 171.*

90. Quod si uterque venditor, & emptor ignorent rei valorem, & bona fide absque dolo procedant, & de pretio conveniant, ut valida, & firma sit venditio, sive plus, sive minus res illa valeat; tunc firma remanet venditio absque obligatione aliquid restituendi, si postea cognoscatur res illa longe plus, sive longe minus valere; nam ea illo modo contrahendi se casui, & fortunæ committunt, sibique invicem donare censentur. Andreas a Matre Dei *n. 171.* Molina, Rebell. Medina, Lopez, quos sequitur Salas *de empt. & vend. dub. 36. n. 4.*

91. Si autem rei valor ignotus venditori cognoscatur ab emptore, ut quando gemma venditur a rustico, qui valorem ipsius ignorat, tunc emptorem posse pretio longe minori emere, & rem emptam retinere, si venditori dicat se velle titulo donationis sibi remitti, & condonari; si sit majoris valoris, & rusticus, seu venditor dicat se condonare, docet Cajet. *in sum. verbo Emptio n. 1*, sequitur Armilla *eodem verbo num. 6.* &

probabile dicunt Lopez *de contract. cap.* 48. & Emmanuel Rodriquez 2. *p. cap.* 81. Verum communiter reprobatur, quia illa non est vera, sed simulata donatio, nec est sufficienter voluntaria, cum procedat ex ignorantia valoris rei venditæ; tum quia rusticus ad talem donationem obligatur ex ipso contractu venditionis: siquidem emptor tali pretio emit sub ea conditione, ut sibi remittatur, & condonetur excessus valoris; secus posset etiam usurarius mutuum dare cum pacto, & obligatione sibi donandi aliquid ultra sortem, quod falsum, & iniquum est. Cum igitur ibi non sit vera donatio, nec æqualitas pretii, remanet injusta venditio, cum obligatione restituendi excessum. Molina, Lessius, Rebell. & alii, quos sequitur Palaus *disp.* 5. *pun.* 22. *nu.* 2. Salas *dub.* 36. *nu.* 3. Lugus *disp.* 26. *num.* 137. Andreas *a* Matre Dei *num.* 172. & diximus *dub.* 4. *n.* 33.

92. Resp. 2. quando vitium, & defectus est in quantitate, id est in pondere, numero, & mensura, tenetur venditor illud manifestare, vel detrahere de pretio, juxta proportionem defectus; secus aperta committeretur fraus, & injustitia, nec servaretur æqualitas dati, & accepti, mercis, & pretii, a justitia commutativa requisita, quod maxime contingit, quando mensura fallaci, & deficiente merces venduntur, & adest obligatio restituendi totum id, quod est injuste ablatum, in quo conveniunt omnes Doctores. Limitari solet in casu, quo pretium taxatum sit evidenter injustum, nam tunc licitum erit minuere mensuram, aut detrahere de pondere quantum sufficit ad hoc, ut remaneat justum pretium, ut cum Bonacina, Molina, Rebello, Reginaldo, & Filliuc. diximus supra *dub.* 6. *num.* 53. quia tunc nulli fit injuria, cum ut supponitur, servetur æqualitas mercis, & pretii, nec venditores tenentur cum injusto suo damno vendere, vel deserere sua officia Reipublicæ necessaria. Ita etiam Lugus *disp.* 26. *numer.* 125. & cum aliis Andreas a Matre Dei *cap.* 2. *n.* 175.

93. Non est tamen ita facile credendum Mercatoribus conquerentibus, pretium esse injustum, sed res erit accurate examinanda, consideratis omnibus circumstantiis, iisque satis consideratis, adhuc Confessarii debent onerare conscientias pœnitentium, ne plus detrahant, quam necessarium sit ad justum pretium compensandum, ut diximus *supra num.* 55. ubi etiam notavimus, in dubio justi pretii esse ab hujusmodi fraudibus abstinendum.

94. Resp. 3. quando vitium versatur circa qualitatem, & est per se notum, & omnibus manifestum, regulariter loquendo nulla adest obligatio illud manifestandi, sed tantum tenetur venditor detrahere de pretio, quantum res venalis considerata cum tali vitio noscitur minus valere, quia cum vitium illud sit per se notum, & omnibus manifestum, non præsumitur emptori esse occultum, qui proinde cum tali vitio contrahens censetur voluntarie consentire, sibique imputare debet, quod rem vitiosam emerit, cum potuerit facile vitium cognoscere, ut si emat equum monoculum, seu claudum. Ita cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 77. *artic.* 3. *in corpore* tenent Doctores communiter, quorum nonnulli relati a Salas *dub.* 34. *num.* 3. putant, id esse verum, quamvis ex ignorantia, seu negligentia vincibili vitium ab emptore advertatur; nam sibi debet imputare, non venditori, qui ex justitia non tenetur eum monere de tali vitio patenti.

95. Verum si ex circumstantiis constaret, emptorem laborare ignorantia invincibili, vel quia caligat oculis, vel quia non est in tali negotiatione versatus, tunc sub mortali, & obligatione restituendi censeo venditorem in conscientia teneri vitium aperire, maxime si usum rei faciat inutilem, periculosam, seu [illegible]; nam respectu illius vitium revera censetur occultum. Ita Aragon. Salon. Toiet. Rodriquez, Petrus Navarra, Molina, Layman, quos sequitur Palaus *punct.* 22. *n.* 7. Antonius a Spiritu S. *disp.* 17. *n.* 873. & Rosignol. *contr.* 2. *præn.* 7. *n.* 10.

96. Resp. 4. si vitium in qualitate sit occultum, necessario manifestari debet a venditore, quando tale vitium rem emptam reddit inutilem ad finem ab emptore intentum, & multo magis si eidem, vel tertio reddat nocivam. Ratio est; quia dolus dans caussam contractui reddit contractum nullum, & irritum; sed quando tacetur vitium emptori noxium, vel reddens rem emptam inutilem ad finem intentum, dolus revera dat caussam contractui, & tollit consensum necessario requisitum ad illius validitatem; ergo remanet contractus nullus, & irritus. *L. in venditionibus ff. de contrah. vend.* tum quia quisque tenetur abstinere a damno alteri inferendo: sed qui damnosa, aut periculosa, vel prorsus inutilia vendit, nisi hæc vitia manifestet, occasionem damni, & periculi emptori dat, ut si mittet equum mancum pro sano vendet, quo postea in acie uti non potest; domum ruinosam pro firma; cibum pestiferum pro salubri; pannum adustum pro firmo; semina corrupta pro sania, & hujusmodi; ergo illa vendens, nisi vitia manifestet, peccat mortaliter cum obligatione restituendi damna illata, ut expresse docet D. Thomas 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. *in corp.* & cum illo Doctores communiter.

97. Tenetur autem venditor ad restitutionem, & ad compensanda omnia damna, quæ emptori, seu aliis emergunt ex taciturnitate vitii occulti, quia censetur omnium illorum caussa injusta, nec sufficit minuere pretium, & solum accipere quantum res ipsa valet cum tali vitio, sed tenetur ad restitutionem damnorum, quæ passus est emptor, cum sit illorum caussa efficax. Idque verum est, etiamsi emptor rem emat non ad specialem usum proprium, sed ut iterum alteri vendat, quia est caussa, vel damni quod tertio evenit, vel quod emptor, credens rem sanam esse, nihil ratione vitii de pretio diminuat, ut docent Salas *dub.* 34. *n.* 4. Palaus *n.* 9. & alios referens Andreas *a* Matre Dei *c.* 2. *n.* 164.

98. Si venditor vitium res ignoravit non tenetur ad compensanda damna, si quæ emptori, aut alteri inde eveniant, sed tantum pretium minuere, quanto minus res illa cum tali vitio æstimatur, ut servetur æqualitas mercis, & pretii, quia non fuit caussa voluntaria illorum damnorum, ut cum D. Thoma *loc. cit.* tenet Andreas a Matre Dei *n.* 165. &, si venditor occultum vitium revere ignorans, tempore contractus dicat, se nolle teneri de vitio occulto, si forte inest, & postea cognoscatur, si pretium sit æquale, habita ratione periculi in neutro foro tenetur ad aliquam restitutionem, etiamsi postea appareat vitium. *Arg. l. Quæro* 39. *ff. de act. empti.*

99. Ratio est, quia emptor tale periculum in se voluntarie suscepit, illudque venditor a se rejecit; illi tamen non prodest talis cautela, si vere occultum vitium noverat, sed tenetur in utroque foro ad restitutionem, etiamsi dicat se nolle teneri de vitiis occultis, ut habetur in *l. Quæro* 39. *ff. de Action. empti*, ibi: *Hæc exceptio non ad ea pertinere debet, quæ venditor novit, sed ad ea, quæ ignoravit, & de quibus emptorem certiorare nequivit.* Nec item excusatur venditor a restitutione, etiamsi unum vitium tacendo alterum manifestet; vel in genere dicat, vendo tibi hunc equum pro cæco, claudo, furioso, & omnibus vitiis affecto, quamvis inter alia vitia falsa enumeret illud verum, quia tali modo loquendi dolose procedit, & magis occultat vitium verum cum illis, quæ emptor videt manifeste falsa. Molina *disp.* 353. *n.* 16. Navarr. *c.* 23. *n.* 89. Andreas a Matre Dei *c.* 2. *n.* 166. Rebell. Lessius, & alii, quos sequitur Bonacina *disp.* 3. *q.* 2. *p.* 6. *n.* 16.

100. Quæres: *An Venditor teneatur manifestare vitium rei venditæ, quando per illud non redditur nociva, nec inutilis ad usum, ad finem ab emptore intentum, si credat non empturum, vel non empturum tanto pretio?*

Resp. non teneri, si de tali vitio expresse non interrogetur. Ratio est, quia ille, qui utitur jure suo circa alterius damnum, nulli facit injuriam, nec peccat; at venditor, non manifestando defectum rei venditæ, utitur jure suo citra alterius damnum, quia vendit rem nullo modo nocivam, aut periculosam, sed utilem, & accommodatam ementi ad usus, ad quos illam quærit, & justo pretio vendit; occultat vero defectum, ut sibi consulat, ne emptor, cognoscendo vitium plusquam par est, pretium minuat, & sic nemini facit injuriam, nec peccat, sive cognito defectu emptor esset empturus, sive non, quæ est ratio D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3. *in corp.* dicens: *Et si propter hujusmodi vitium subtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei, quia forte propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahere de pretio, quam esset subtrahendum; unde potest licite venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo.*

101. Conf. quia ad invalidandum contractum venditionis non sufficit quæcumque deceptio, sed debet esse talis, ut jure naturali, vel positivo contractum annullet; nec spectari debet, an emptor esset empturus; vel non, quia secus contractus passim dissolverentur cum magno Reipublicæ, & mercatorum detrimento; at defectus hujusmodi leves, qui rem venditam, nec noxiam, nec inutilem reddunt, nec jure naturali, nec positivo contractus dissolvunt, si pretio justo res vendatur; ergo talis contractus remanet firmus. Ita cum D. Thoma tenent Aragon. Salon. Bannez, Serra, Tapia, Prado, Dicastillus, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *c.* 2. *n.* 167. ita etiam Palaus *punct.* 22. *num.* 14. quorum aliqui bene advertunt, post celebrationem contractus emptorem esse monendum de occulto defectu, si aliis credatur esse venditurum, ne majori pretio vendat, quam par est, putans rem esse sanam, & omni vitio carere, ut cum Tambur. *lib.* 8. *in Decal. tract.* 3. *cap.* 7. §. 11. *num.* 121. tenet Ant. a Spiritu S. *disput.* 17. *num.* 871.

102. Dixi, *si de tali vitio expresse non interrogetur*;

nam

nam venditor de vitiis interrogatus tenetur illa manifestare, quamvis non sint notabilia in se, vel in ordine ad usum, ad quem res emitur; & si illa fraudulenter negat, vel dolosa æquivocatione celat, contractus redditur nullus, & irritus, quia dolus dat causam contractui, & tenetur restituere damna, si quæ inde sequantur, nisi res esset parvi momenti, quæ adhuc cognita non removeret emptorem a tali emptione, licet emisset minori pretio, quia tunc dolus non dat causam contractui, nec emens censetur rationabiliter invitus, ut cum Molina, Lessio, Rebello, & Reginaldo tenet Bonacina *pun. 5. num. 14.*

103. Dices: *per hoc quod venditor neget vitium rei venditæ, quando illud non est noxium, nec rem reddit inutilem ad finem intentum ab emptore, non mentitur in re gravi, nec affert grave damnum; ergo contractus per hoc non potest esse nullus, & irritus.* Sed contra dico, negationem venditoris, qui de vitio interrogatur, & illud negat, esse dolum dantem causam contractui, ac proinde illum reddere nullum, & irritum defectu consensus, & voluntarii, quod in emente supponitur non adesse; quæ ratio cessat, si venditor de vitio non interrogatur; & licet mendacium sit in re levi, tamen cum inducat negationem voluntarii, & consensus in emente, potest contractum reddere nullum, & irritum.

D U B I U M X.

Solvuntur aliquæ difficultates.

104. QUæres 1. *An Contractus sit validus, & justus, quando emptori datur una substantia æque bona, & utilis pro alia, & æque bene conducens ad usum, ac finem ementis, ac illa, quæ intenditur, & petitur, quod facere solent Pharmacopolæ vendentes* quid pro quo, *& unum medicamentum pro alio petito, ne in ipsorum officinis aliquod deesse conquerantur emptores?*

Resp. affirmative, quando certo constat de æquali bonitate. Ratio est, quia licet in tali casu una substantia differat ab alia in esse physico, non tamen differt secundum moralem considerationem, & æstimationem, per quam rerum pretia statuuntur, & sic una dari poterit pro alia, dummodo minuatur pretium, si sit inferioris conditionis, & valoris. Hac ratione dari potest unum medicamentum substantialiter diversum ab alio petito, quando certo constat, hoc esse æqualis virtutis, & æque utile ac illud; secus si talem certitudinem non habeant, nam tunc ementem decipiunt, dando unam substantiam pro alia, & accipiunt pretium certum pro medicamento incerto, & quod forte nocebit: quod idem valet de aliis mercibus, ut est vendere vinum unius loci pro vino alterius loci, & pannum unius Civitatis pro panno alterius Civitatis, dummodo sit æquale, vel fere æqualis bonitatis, & minuatur pretium, quanto minus unum præ alio æstimatur, quia tunc nulla committitur injustitia. Lugo *disp. 26. n. 124.* Salas *dub. 35. n. 1.* Tamb. *lib. 8. cap. 7. tr. 3. §. 11. n. 8. & 9.* Ant. a Spiritu S. *disp. 17. n. 872.* Medina, Dicastill. Soto, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *cap. 2. n. 174.*

105. Quæres 2. *An teneatur emptor manifestare valorem, & virtutem rei emptæ venditori ignotam; videtur enim ad id obligandus, sicut venditor obligatur ad manifestanda vitia rei venditæ?*

Resp. Ementem rem pretiosam, quæ communiter existimatur vilis, posse illam retinere absque obligatione aliquid restituendi venditori, si postea inveniat esse pretiosam. Ratio est, quia res tanti valet, quanti communiter æstimatur; sed res illa communiter æstimatur vilis, non pretiosa, ut si emat gemmam, quæ communiter ab omnibus æstimatur vitrum, aut herbam aliquam pretiosam, quæ communiter æstimatur vilis, potest illam retinere, nec tenetur ad aliquam restitutionem, quamvis emerit pretio vili, quo res illæ solent æstimari, quia res tanti valet, quanti communiter æstimatur. Dixi, *quanti communiter æstimatur*, quia si fuisset merus error, vel deceptio vendentis, ut si rusticus vili pretio venderet gemmam artifici illius pretium cognoscenti, sine dubio talis venditio vel rescindi deberet, vel reduci ad æqualitatem, juxta voluntatem decepti, quia fuit error in substantia rei, quæ communiter majori pretio judicatur, ut diximus supra *n. 91.*

106. Quod si antequam rem illam emeres, cognovisti esse pretiosam, tunc videndum est, an res illa communiter æstimetur vilis, nec facile ut pretiosa cognoscatur, nec etiam a peritis in arte; tu vero ea speciali, ac extraordinaria cognitione, & ingenio cognovisti esse pretiosam, ut si in fasce herbarum, olerum, vel lignorum, quæ ad cibum hominum, vel pabulum animalium, vel ignem venduntur, introspicias herbam aliquam pretiosam, & magnæ virtutis ibi communiter ignotæ, emere potes pretio communi, & currenti, quia communiter pro re vili æstimatur, & tuæ arti, cognitioni, & ingenio felix fortuna debetur. Conf. quia quando in aliqua regione res aliqua parvi communiter æstimatur, potes illam emere currenti pretio, quamvis alibi magni æstimetur, sicut olim apud Indos licitum fuit Hispanis pro auro, aliisque rebus pretiosissimis commutare specula, tintinnabula, & alia hujusmodi, quæ apud nos parvi æstimantur: & si ego sciam in agro reperiri thesaurum aliis ignotum, possum currenti pretio agrum emere; ergo etiam possum emere currenti pretio, quod communiter a peritis parvi æstimatur, & cujus virtus est aliis ignota. Nec valet eadem ratio de vitio, ac de virtute rei occulta; nam vitium cum sit noxium ementi facile manifestabitur, non sic virtus mihi soli nota; unde illud teneor aperire, non sic virtutem manifestare. Ita Rosign. *controv. 2. disquis. 4. §. 3.* Tamb. *lib. 8. Decalog. tract. 3. cap. 7. §. 12. n. 38.* quem sequitur Ant. a Spiritu S. *nu. 877.* Salas *dub. 36. n. 7.*

107. Si autem cognovisti, rem esse pretiosam ex vi artis ordinariæ, prout cognoscerent ceteri ejusdem artis, ut si rusticus aurifici venderet frustum auris rudis, non potes rem illam pretiosam emere pretio vili: & si emas, debes rescindere contractum ad instantiam decepti, vel augere pretium, & illud reducere ad æqualitatem, secus committeretur injustitia, ut diximus supra *n. 33.* *An vero tunc possis dare pretium infimum intra latitudinem justi pretii, si non interrogaris de valore?* aliqui affirmant, alii vero melius dicunt, pretium medium esse eligendum. Ita Tamb. *loco cit.*

108. Quæres 3. *An si in re empta invenias reconditum aurum, gemmam, vel quid simile, acquiras illius dominium?* Non procedit difficultas de thesauro reperto in agro, vel domo a te empta, de quo diximus *tract. 1. cap. 4. num. 45.* te posse juste retinere; sed de auro invento in alia re mobili, ut si emisti saccum lana plenum, & in eo aurum invenisti. Resp. negative, quia cum venditor ignoraverit aurum reconditum, non potuit in te illius dominium transferre, ut dicitur *l. a Tutore, ff. de rei vindicat.* nec tu illius dominium acquireres, quod acquiri non potest sine possessione, & hæc sine scientia dari nequit: unde, invento auro, quærendus est dominus, si possit inveniri, & illi aurum restituendum; at si, facta diligentia, non potest inveniri, inter bona incerta computandum est, quæ fiunt primi occupantis. Ita Palaus *pun. 17. n. 13.* Tamb. *loco cit. num. 42.* sequitur Ant. a Spir. S. *n. 787.*

109. Quæres 4. *Quid dicendum de Mercatoribus, qui res suas supra meritum laudant?*

Resp. peccare contra justitiam, cum obligatione restituendi, si mendaciis alios efficaciter inducant ad rem vitiosam emendam; secus si solum laudant supra meritum, ut abscondant vitium leve, quod non reddit rem minus utilem ad usum, ad quem emitur; hæc enim est consuetudo Mercatorum, quæ passim ab omnibus scitur; unde emptores imprudentes sunt, si illis credunt, idque etiam sæpe faciunt, ut justum pretium habere possint. Bonac. *pun. 6. n. 11.* Salas *dub. 35.*

D U B I U M XI.

An possit nunc currenti pretio rem emere, aut vendere, qui scit pretium paullo post minuendum, vel augendum fore.

110. DIsputata olim fuit hæc difficultas inter Antipatrum, & Diogenem Babylonicum de Mercatore Alexandrino, qui magnam copiam frumenti Rhodum annonæ caritate laborantem advexit, sciens se alios mercatores cum frumenti copia secuturos: *an posset frumentum suum pretio tunc currenti licite vendere, non manifestata copia mox futura.* Negabat Antipater, affirmabat Diogenes, illum secutus est Cicero: eamdem Sententiam tenent Medina *de restit. qu. 35.* Conrad. *de contr. qu. 62. 63. & 76.* Gabr. *4. sent. dist. 15. qu. 11. art. 3. dub. 6.* & nonnulli Jurisconsulti relati a Covarr. *Reg. peccatum §. 4. num. 6.* & alii dicentes, talem dolose, & injuste agere, proindeque ad restitutionem teneri, eo quia merces in tali casu crescunt, vel decrescunt in valore secundum æstimationem communem ob similium mercium penuriam, vel abundantiam de proximo futuram. Certe si venditor sciret penuriam mox futuram, merces suas non venderet, sed expectaret tempus, quo auctum esset pretium. Similiter emptor, si sciret brevi alias merces advehendas, non emeret, vel non tanti, sed expectaret futurum tempus, quo propter abundantiam pretium esset diminutum, ac proinde talis emptio, seu venditio, ex parte ementis, seu vendentis est involuntaria; contractus autem, in quo alter contrahentium est rationabiliter involuntarius, est nullus *l. in venditionibus ff. de contrah. empt. ergo.*

111. Resp. tamen nullam injustitiam committi, nec solum injustum, nec teneri ad restitutionem, qui currenti pretio justo emit, seu vendit, etsi privata scientia certo sciat brevi, & intra paucos dies pretium notabiliter augendum fore, vel minuendum. Probatur exemplo Joseph Patriarchæ, qui, ut habetur *Gen.* 41. prævisa futura sterilitate septem annorum, magnam frumenti copiam antea currenti pretio emit, & postea carius vendidit Ægyptiis, Regemque ditavit, nec tamen ab aliquo arguitur alicujus injustitiæ, quin potius maxime commendatur in Sacris Scripturis. Si autem Emptor sciens brevi futurum augmentum pretii, potest merces emere currenti pretio absque detrimento justitiæ; ita similiter venditor poterit absque detrimento justitiæ merces suas vendere currenti pretio, quamvis cognoscat, earum pretium brevi fore minuendum.

112. Ratio est, quia qui vendit, seu emit taxato pretio, vel a lege Principis, vel a communi æstimatione, juste vendit, seu emit absque ulla labe injustitiæ, & absque ulla obligatione restituendi; sed in casu supra posito vendunt, & emunt pretio taxato, vel a Principe, vel a communi æstimatione, ut supponitur; ergo juste vendunt, seu emunt absque ulla injustitia, & absque obligatione restituendi: secus non esset liber ab obligatione restituendi, qui ignarus brevi futuræ copiæ per Mercatorum frequentiam, vel aliunde præsenti pretio merces suas venderet; nam ignorantia non excusat a restitutione, sed solum liberat a culpa. Conf. quia scientia non auget, nec minuit pretium, nisi augeat, vel minuat communem æstimationem; sed privata scientia non auget, nec minuit communem æstimationem; ergo non auget, nec minuit pretium. Hæc sententia est in praxi apud Mercatores timoratos absque ulla contradictione, eamque tenent D. Thomas 2. 2. *qu.* 77. *art.* 3. *ad* 4. Cajet. *ibid.* Salon. *ibid. contr.* 4. Sylvester *verb. Emptio qu.* 15. Sotus *de Just. lib.* 6. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 3. Covarr. *ad Regul. peccatum pun.* 2. §. 4. *n.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 5. Salas *dub.* 32. Palaus *disp.* 5. *pun.* 15. *num.* 3. Rosign. *controv.* 2. *prænot.* 2. *num.* 9. Ant. a Spiritu S. *disp.* 17. *n.* 833.

113. Nec obstat fundamentum oppositum: dico enim, mercium abundantiam valorem minuere, & penuriam augere, quando est præsens, & actu in loco, vel communiter cognoscitur mox futura, non autem si solum cognoscatur ab aliquo particulari venditore, vel emptore, quia tunc, sicut illa particularis cognitio non variat communem æstimationem, ita non variat pretium, quod in communi æstimatione fundatur. Falsum deinde est ex parte alterius contrahentis deesse voluntarium, & consensum requisitum ad contrahendum, quia licet deficiat secundum quid, simpliciter tamen adest consensus necessarius. Nec obstat, quod si cognovisset, non contraxisset, quia ignorantia, & error, nisi sit circa substantiam, regulariter non tollit consensum requisitum; nec invalida est emptio illius, qui equum, vel aliam mercem emit, quæ postea intra paucos dies incendio, vel alio casu fortuito consumpta est, vel furto sublata, quam certe non emisset emptor, si prius hoc scivisset.

114. Dices: *si venditor sciret internam mercis bonitatem brevi tempore minuendam, seu corrumpendam, peccaret contra justitiam si venderet currenti pretio, emptore non admonito, aut non adminueret de pretio quantum æquum fuerit; ergo etiam peccat, si sciat valorem brevi minuendum ob abundantiam mox superventuram, quæ a venditore cognoscitur.* Sed contra dico, emptorem esse monendum, vel pretium minuendum, si cognoscatur interna bonitas brevi tempore mutanda ex qualitate, seu prava intrinseca dispositione, ob quam res brevi erit deterior, quia facit, ut vere nunc valor ejus intrinsecus sit minor; scientia autem particularis non mutat bonitatem intrinsecam, nec pretium mercis. Nec dicas, *pretium minuere copiam mox futuram*; contra est, quia ad hoc, ut illa copia mutet pretium, debet esse præsens, vel communiter cognita mox futura, nec sufficit, quod ab aliquo particulari cognoscatur.

115. *An vero talis venditio sit saltem contra caritatem propter damnum, quod evenit proximo.* Resp. negative, quia non peccat contra caritatem, qui facit actum de se licitum, & honestum, sibique utile, vel necessarium, quamvis cognoscat exinde sequi proximi damnum, quod evitare non tenetur cum detrimento proprio. Quare D. Thomas *q.* 77. *art.* 3. *ad* 4. ait, *abundantioris fore virtutis*, si venditor pretium minuat, & futuram copiam exponat; si enim est abundantioris virtutis hoc facere, jam non erit vitium contra præceptum caritatis hoc omittere, sed tantum carentia majoris virtutis, & perfectionis. Ita etiam tenent Lessius *supra n.* 43. Palaus *n.* 8. Rosign. *nu.* 9. Salas *dub.* 33.

116. Fieri tamen potest, ut talis venditio sit contra caritatem, si per illam emptor incideret in extremam, seu gravissimam necessitatem, & miseriam; nam si proximo in tali necessitate teneris ex caritate succurrere, a fortiori teneris illam vitare, seu proximum in illam non inducere, nisi in similem necessitatem esses incursurus; nam tunc poteris licite vendere, cum nullus ex caritate teneatur alteri consulere cum proprio detrimento in eodem genere bonorum: teneris tamen abstinere, si æque bene possis alteri vendere detrimentum non passuro; nam quisque tenetur avertere damnum proximi, si absque proprio incommodo id facere possit, ut cum Molina, Salas, & Lessio tenet Palaus *supra n.* 8.

117. Ant. a Spiritu S. *disp.* 17. *n.* 833. in casu posito, posse quemlibet res suas vendere, seu emere pretio currenti, etiamsi sit Princeps, qui pretium taxavit, vel unus ex Consiliariis, qui pretium imposuere, dummodo ex industria non differant promulgationem legis, ut ipsi carius vendant, cum non debeant esse deterioris conditionis, ac alii privati, nec ratione sui officii obligantur ad non exponendas, & vendendas res proprias eo tempore pretio communi, nec tenentur manifestare futuram promulgationem legis ante tempus assignatum a Principe, vel Magistratu; prout etiam tenent Lugus *disp.* 26. *n.* 140. Tamb. *lib.* 8. *in Decal. tr.* 3. *cap.* 7. §. 4. *n.* 21. & probabile dicit Diana *part.* 1. *de contract. resol.* 42. dummodo nulla intercedat fraus, aut deceptio; nam quilibet jus habet, ne per fraudes decipiatur.

118. Hinc sequitur, non peccare illum, qui certo sciens valorem alicujus monetæ brevi fore minuendum, proprias expendit, & distrahit currenti pretio, quamvis sit unus ex Consiliariis, vel ex Magistratu; cum, ut dixi, non sint illi deterioris conditionis, ac alii: Qui scit, aulam Principis brevi alio migraturam, potest currenti pretio domum suam locare. Qui cognoscit, obsidionem Civitatis mox futuram, & per eam multa esse peritura, potest bona propria divendere, & distrahere, domumque vendere currenti pretio, quam privata notitia cognoscit ab hostibus diruendam. Bona vero confiscanda, & libri prohibendi vendi non possunt currenti pretio, quia in se continent vitium, & causam futuræ confiscationis, & prohibitionis; nam bona cum sint confiscanda ob delictum commissum a possidente, & libri sint prohibendi ob errores, & malam doctrinam in illis contentam; idem dicendum de illis, ac de aliis mercibus intrinseco vitio affectis, quæ vendi non possunt, nisi vitio manifestato a venditore, ut cum Molina, Salas, Rebello, & aliis tenet Palaus *num.* 7. De libris prohibendis oppositum docet Lugus *disp.* 16. *n.* 144. quia secus, nec etiam ab ignorante prohibitionem futuram posset liber sine pretii diminutione vendi, nec postea posset, prohibitione secuta, pretium totum retineri, cum revera liber ille minus valeret propter vitium, quod jam habebat, ac proinde idem dicendum asserit de libro, quod de rebus aliis, cum ante prohibitionem pretium illius ex communi æstimatione justum sit. Addit pretium potius solere crescere, quando liber timetur prohibendus propter curiositatem & aviditatem emptorum legere volentium.

119. Quæres: *An venditor interrogatus ab emptore de futura copia Mercium, & diminutione pretii: an naves expectentur, possit obmutescere, vel etiam negare, aut dicere se nescire?*

Resp. posse licite dissimulare, & non respondere, quia non intercedit dolus, nec respondere tenetur. Poterit etiam dicere, se nescire, utendo verbis æquivocis, & amphybologicis, id est, se nescire publicis, de quibus interrogatur, quia non tenetur cum tanto suo incommodo, & detrimento veritatem aperire, quin potius jus habet eam celandi, ut sibi, suisque rebus consulat, nec ea dissimulatio est positiva deceptio, aut ad contrahendum inductio, sed veritatis occultatio, & contractus permissio, ut notat Palaus *num.* 10. Numquam tamen potest mendaciis, fraudibus, aut dolo alterum inducere ad emendum, aut plus emendum, quam alias esset empturus, nam tunc teneretur ad restitutionem: unde non potest assertive, & positive dicere, non esse venturam copiam mercium, aut naves esse submersas, nec id per se, vel per amicos spargere, ut ea fallaci persuasione inducat ad emendum; nam cum ea deceptio sit injusta, & ex ea emptoribus damnum eveniat, tenetur deceptor satisfacere. Idem valet, si projiciat litteras, quibus dicatur, naves esse submersas, aut venturam copiam mercium, ut ipse possit vilius emere, vel carius vendere, quia peccat contra justitiam, & fraudibus inducit ad contrahendum pretio currenti, ut cum Lessio tenet Lugus *disp.* 26. *n.* 145.

DUBIUM XII.

An qui rem aliquam vendendam accepit, determinato sibi pretio, possit excessum sibi retinere si pluris vendat.

120. CErtum est, accipientem rem aliquam vendendam, determinato sibi pretio, teneri restituere excessum, si illam vendidit supra justum pretium, non quidem Domino, a quo rem vendendam accepit, sed emptori, qui in tali venditione fuit læsus, & deceptus, in quo omnes conveniunt; si autem pluris vendidit intra latitudinem justi pretii, puta si vendendam accepit pro decem, & vendidit duodecim, dubitatur: *an possit illa duo retinere, tamquam fructum suæ industriæ*, ut affirmat Angelus *verb. Emptio num.* 28. & probabile putat Busembau *lib. 3. tract. 5. cap. 3. dub. 8. num.* 13.

121. Resp. non posse excessum justi pretii sibi retinere, sed teneri restituere domino, a quo rem vendendam accepit, quamvis pretium fuerit sibi designatum, si vel mercedem pro suo labore accepit, vel est in famulatu, vel gratis hoc officium præstandum suscepit, tamquam amicus. Ratio est, quia nullum habet titulum legitimum, quo possit excessum sibi retinere; non enim hoc facere potest titulo rei venditæ, cum hoc non sit ipsius, sed domini, a quo vendendam accepit; non ratione industriæ, vel ministerii, quia pro tali industria, vel ministerio mercedem accepit, ut suppono, vel si non erat in ministerio, & famulatu gratis onus suscepit: & ita cum Lessio, Molina, & aliis tenet Salas *de empt. & vendit. dub.* 45. Quod etiam procedit, etiamsi proxenetæ officio fungens sua industria pluris vendidit, rem ipsam laudando, nam ex ratione muneris tenetur rem vendendam commendare, modo non mentiatur, nec defectum aliquem tegat, ut notat Homobon. *de exam. tract. 9. cap. 4. q.* 6.

122. Nec obstat, quod dominus pretium determinaverit, quia pretium determinando solum intendit, ne venderet infra illud pretium, non autem supra, & ultra, si forte majus pretium inveniat, nisi forte intercesserit pactum tacitum, vel expressum, ut tanti venderet, & si quid ultra inveniret, id sibi retineret. Non censetur tamen adesse tale pactum ex eo præcise, quod pretium fuerit designatum, quia illa designatio non fuit, ne ultra illud pretium venderetur, sed ne venderetur infra illud: in dubio præsumitur adesse pactum, quando proxenetæ res tanti vendenda traditur, nullo assignato, nec promisso sui laboris stipendio, nam tunc præsumitur excessum dare in stipendium. Lugus *disp. 26. num.* 150.

123. Quod si ille majorem adhibuit diligentiam, quam deberet, ut si jussus vendere in hac Civitate, ubi non invenit ultra decem, profectus est in aliam, ubi invenit duodecim, potest illa duo retinere. Lugus *ibid.* & Salas *n.* 5. nisi forte mercedem acceperit, etiam pro illa extraordinaria diligentia facienda. Idem valet si alia industria non debita rem melioravit: Palaus *disp. 5. num.* 4.

124. Facta sufficienti diligentia, si non invenit nisi pretium taxatum a Domino, potest mediator tali pretio, quod alii obtulerunt, rem illam sibi vendicare, sibique emere; & si postea majori pretio alteri vendat, potest excessum sibi acquirere, & sibi retinere, nam fideliter egit negotium Domini, quærendo pretium, quod inveniri potest; re autem empta potest proprio nomine vendere, sed periculum penes ipsum stabit: unde Confessarius diligenter interrogare debebit hunc mediatorem, an vere habuerit animum emendi, & subeundi periculum, si aliquod accideret. Lugus *loc. cit.* Salas *n.* 3. Ant. a Spiritu S. *disp. 17. n.* 861.

125. Hoc idem proportionaliter dicendum est de illo, cui commisisti, ut tibi rem aliquam emeret, tali pretio determinato, puta duodecim argenteis, qui, si facta diligentia, decem argenteis emit, non potest illa duo sibi retinere, quia non illius, sed tuo nomine facta est emptio, nisi intercesserit aliqua extraordinaria diligentia, vel suo proprio nomine emerit, & tibi postea currenti pretio vendiderit; nam tunc poterit illa duo retinere, tamquam fructum suæ industriæ. Palaus *num.* 3. Salas *dub. 45. num.* 6. Hinc Sartores, qui pro alio pannum emunt ad conficiendam vestem, nihil possunt sibi retinere sub prætextu, quod possent ab aliis Mercatoribus carius emere; nam tenentur debitam adhibere diligentiam, ut quoad fieri potest, vilius emant; nec sufficit, quod Mercatores illis dicant, se in ipsorum gratiam minoris rem vendere, quam essent vendituri, quia Mercatores falso hæc dicere solent, ut alliciant Sartores ad emendum ab illis, ut cum Molina notat Salas *num.* 6. Si tamen sincere agant, & facta diligentia morali, non inveniant, qui minoris, quam duodecim panni ulnam vendere velint, & aliquis, eo quod ipsius officinam frequentat, minori pretio venderet, puta undecim cum dimidio, poterit sibi retinere dimidium, tamquam donatum a Mercatore, eo quod ipsius officinam frequentat. Lugus *num.* 153. Palaus *n.* 3. Ant. a Spiritu S. *num.* 862. Diana *part. 2. tract. 8. res.* 16. Ratione lucri cessantis, eo quod cessent ab opere, dum pergunt, ut pannum inquirant, & emant, censeo nihil retinere posse, quia gratis hoc facere supponitur, ut sibi potius, quam aliis vestis conficienda tradatur. Palaus *num.* 3.

126. Quæres: *An Amicus, qui gratis rem vendendam suscepit, peccet, ac teneatur ad restitutionem, si pretium consuetum pro tali venditione recipiat, & quid, si alteri vendendam tradidit?*

Resp. Amicum in tali casu peccare contra fidelitatem, & veracitatem, quia mentitur dum pretium recipit pro venditione rei, quam gratis vendendam suscepit; non tamen teneri ad restitutionem, quia non peccat contra justitiam, nisi forte dominus in promptu haberet alium amicum fidelem, & veracem, qui sine stipendio venderet, nam tunc esset injusta caussa damni, & sic teneretur ad restitutionem. Anton. a Spiritu S. *num.* 862. Idem valet, si amicus alicui tertio rem vendendam tradidit; esset enim infidelis, non injustus, si de pretio venditionis aliquid tradat illi tertio: secus si propter supervenientem infirmitatem, aut aliam urgentem necessitatem non possit rem illam immediate vendere, & illam vendendam tradat proxenetæ; tunc enim dominus non potest esse rationabiliter invitus, si de pretio aliquid detrahat, & tradat proxenetæ, cui satisfacere de proprio non tenetur. Rusignol. *contr. 2. disquis. 3. §.* 2.

DUBIUM XIII.

Cujus periculo pereat res vendita, nondum Emptori tradita.

127. PRocedit difficultas de re vendita nondum emptori tradita; nam si res vendita pereat, vel deterior fiat postquam emptori jam fuit tradita, tunc certum est apud omnes, quod pereat emptori, quia res quælibet domino suo perit, vel deterioratur. Per traditionem autem emptor fit dominus rei emptæ, & venditor in emptorem dominium transfert, quod verum est, etiamsi pretium non fuerit solutum, modo cautio fidejussoria, vel pignoratitia ab emptore data fuerit, aut venditor fidem habeat emptori, eidem rem credito vendendo, ut constat ex *l. lectos, & l. quod si neque ff. de periculo, & commodo rei venditæ*. Si autem pretium non sit solutum, nec fides data, non censetur venditor velle rei venditæ dominium in emptorem transferre, ut cum aliis notat Palaus *disp. 5. pun.* 24.

128. Ante traditionem diversa est ratio; pro quo nota, rem aliquam posse esse determinatam in specie, ut loquuntur Juristæ, seu determinatam in individuo, ut dicunt Theologi, ut hæc domus, hic equus, hæc gemma in particulari segregata, & distincta ab aliis ejusdem speciei, vel potest esse determinata solum in genere non in individuo, licet determinetur quantitas rei, ut tot mensuræ tritici, tot oves de grege, tot jugera de meo prædio. Rursus res determinata in pondere, numero, & mensura vendi potest ad corpus, vel ad mensuram: ad corpus vendi dicitur, quando res aliqua oculis subjecta venditur tota simul uno, eodemque pretio, nulla facta expressione numeri, ponderis, & mensuræ; ut vendo tibi hanc domum centum aureis; hoc prædium mille aureis; hoc dolium vini decem aureis. Ad mensuram vendi dicitur, quando non venditur res tota simul unico pretio, sed per partes assignato pretio pro qualibet parte; ut vendo tibi hoc prædium decem aureis pro quolibet jugere, hoc dolium vini uno aureo pro qualibet mensura.

129. Resp. 1. Si res certa in specie, seu in individuo vendita pereat, vel deterioretur ante traditionem, totum periculum, & damnum est penes emptorem, qui totum pretium solvere debet, non obstante rei illius interitu, ut clare constat ex §. 6. *Inst. de empt. & vendit.* ibi: *Cum emptio, & venditio contracta sit (quod effici diximus, simul atque de pretio convenerit) periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet. Itaque si ædes totæ, vel aliqua ex parte incendio consumptæ fuerint &c. emptoris damnum est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretium solvere.* Idem habetur *l. quod sæpe, §. si res ff. de contrah. empt. l. necessario, ff. de periculo, & commodo rei venditæ*, & tradunt communiter Doctores, Palaus *disp. 5. pun. 24. n.* 2. Molina *disp. 356. n.* 11. Lessius *lib. 2. cap. 21. num.* 96. Rosignol. *contr. 2. prænot.* 9. Bonacina *disp. 3. quæst. 2. punct. 8. numer.* 3. Ratio sumitur ex disposit. Jurium; & quia sicut ad emptorem per-

pertinent commoda, & fructus rei venditæ, ita pertinere debent incommoda, & pericula: tum quia, perfecta venditione, soluto pretio, vel habito pro soluto, venditor non censetur amplius dominus, sed custos, & depositarius rei venditæ; res autem, quæ sine culpa custodis, & depositarii perit, non ipsi, sed domino perit, ac proinde res vendita non venditori, sed emptori perit.

130. Nec dicas: *ante traditionem emptor non fit dominus rei emptæ, ac proinde non ipsi, sed venditori debet perire*. Sed contra Bonac. docet, emptori perire, non quia ipse sit dominus rei ante traditionem, sed quia ita jura disponunt; volunt enim, omnia rei commoda, & incommoda in venditione rei determinatæ pertinere ad emptorem, qui esset verus dominus, nisi Jura traditionem requirerent, vel dic venditorem, peracta venditione, potius esse depositarium, & custodem, quam dominum, cum teneatur rem tradere ad libitum alterius, & emptorem fieri dominum, saltem Juris fictione, ac proinde ipsi, non venditori rem perire; nisi specialiter conventum sit, periculum penes venditorem remanere, donec res empta tradatur, nam contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. *Regul. 85. Juris in 6.*

131. Hoc tamen debet intelligi, nisi res perierit ex dolo, vel culpa venditoria, quia tunc ipsi, non emptori periret; nam venditor cum ex vi contractus teneatur rem tradere, obligatur ad illius custodiam, donec tradatur, & sic tenetur de dolo, lata, & levi culpa, non autem de levissima, quia emptio, & venditio, cum sit in gratiam utriusque contrahentis, non debet teneri de culpa levissima, de qua tenetur commodatarius, eo quod commodatum sit in gratiam solius commodatarii, sed tantum de culpa lata, & levi, ut cum Anton. Gomez, Rebell. & Emman. Sà tenet Palaus *supra n. 3.* Periculum etiam est penes venditorem, quando fuit in mora culpabili rem tradendi, quæ eodem modo apud emptorem non periisset, ut habetur *l. illud 17. ff. de periculo, & commodo rei venditæ*. Ratio est, quia mora sua cuilibet est nociva. *Regul. 25. Juris in 6.* Quod si uterque contrahens fuit in mora, ne res traderetur, tunc periculum est illius, qui posterior est in mora, prout disponitur *cit. l. illud secundum ff. de periculo, & commodo rei venditæ*.

132. Dixi, *quæ eodem modo apud emptorem non periisset*, nam si eodem modo apud emptorem periisset, si eidem fuisset tradita, tunc damnum totum est emptoris, non venditoris, qui licet fuerit in mora, ad nihil tamen tenetur, ut habetur ex *l. item si, §. ult. ff. de rei vendicat.* & ex *l. cum res, § ult ff. de legatis*, & tradunt Molina *disp. 364. n. 13.* Sylvester *verb. emptio, quæst. 2.* Lugus *disp. 26. n. 217.* Palaus n. 3. Ratio est, quia in dato casu nullum præjudicium ex mora provenit emptori, qui eodem modo tale damnum habuisset. In dubio, an res eodem modo apud emptorem fuisset peritura, interpretatio fieri debet contra morosum venditorem, qui proinde erit obligandus ad tale damnum. Palaus *ibid.*

133. Porro si emptio, & venditio non fuit absoluta, sed conditionata conditione pendente in futurum, & res pereat ante impletam conditionem, totaliter perit venditori, quia ante adventum conditionis non est perfecta venditio, *l. illud ff. de periculo, & commodo &c.* unde etiam, re pereunte, contractus dissolvitur, Palaus *num. 4.* Bonacina *punct. 8. num. 3.* Si autem res totaliter non pereat, sed tantum deterior fiat, pendente conditione, damnum pertinet ad emptorem, sicut etiam ad ipsum pertinet commodum, si res melior fiat. *L. Necessario ff. de peric. & commod. rei venditæ*. Ratio esse potest, quia, impleta conditione, contractus retrotrahitur ad tempus conventionis. Molina, Rebell. & Palaus *numer. 4.* Bonacina *numer. 3. vers. dixi, modo venditio*.

134. Resp. 2. si res aliqua in pondere, numero, aut mensura consistens vendatur ad mensuram, ante traditionem, mensurationem, & gustationem periculum manet apud venditorem, quia emptio, & venditio censetur facta sub tacita conditione, si mensurata, ponderata, vel numerata fuerit, ut proinde non censeatur absoluta, & perfecta venditio, & emptio, nisi post mensuram, pondus, & numerum, ut constat ex *l. Quod sæpe 35. §. in his, ff. de contrah. empt.* & *l. 2. de periculo, & commodo rei venditæ*, & tradunt Molina *disp. 366.* Lessius *dub. 12. num. 96.* & cum Rebell. Layman, & aliis, Palaus *pun. 24. num. 5.* Quod si contractui constitutus sit aliquis terminus, intra quem fieri debeat mensuratio, aut pondus rei emptæ, si per emptorem steterit, ne mensuratio fiat, periculum erit penes emptorem, & venditor non tenebitur, nisi de dolo, & lata culpa: si nullus sit constitutus terminus, venditor debet emptorem monere, ut intra certum tempus ad mensurandam, vel ponderandam rem emptam comparerat, eo non comparente, periculum erit apud emptorem. *L. si quis vina 4. ff. de peric. & commod. rei venditæ*, juncta *l. 2. Cod. eod. tit.*

135. Si autem res aliqua in pondere, numero, aut mensura consistens non vendatur ad mensuram, sed ad corpus, ut si dicat: *emo, seu vendo tibi hoc dolium vini, aut olei, hunc acervum tritici, vel cumulum lapidum, aut gregem ovium viginti aureis*, totum periculum erit penes emptorem, ut constat ex *l. 2. Cod. de commodo, & periculo rei venditæ*, & talis venditio ad corpus dicitur etiam per aversionem, quia totum periculum venditor a se avertit, & illud transfert in emptorem, nisi venditor fuerit in mora, aut dolo, prout diximus supra de re certa vendita in individuo.

136. Si autem in tali emptione, & venditione exprimatur numerus, mensura, aut pondus, licet res illa uno pretio vendatur, ut *vendo tibi centum Oves de meo grege, hunc acervum tritici centum modiorum, hoc dolium vini decem mensurarum, hoc Prædium decem jugerum, viginti aureis*, controvertitur: an talis emptio, & *venditio dicatur facta ad corpus, vel ad mensuram*. Communis Sententia docet, esse venditionem ad corpus, si quantitas exprimatur in venditione, non ut taxativa, & restrictiva pretii, sed tantum ut demonstrativa, ad effectum demonstrandi rem venditam præcise, ut contradistinctam ab aliis, maxime si addatur particula *circiter, plus minusve*, & prius substantia, quam quantitas exprimatur, ut cum dicitur *vendo tibi solo meum prædium centum circiter jugerum situm in tali loco pretio centum aureorum; vendo tibi hoc dolium vini continens circiter decem mensuras pretio viginti aureorum*. Si autem quantitas per se primo exprimatur tamquam taxativa, & restrictiva pretii, adeo ut venditor non esset venditurus tali pretio, si res illa majorem numerum contineret, ut *vendo tibi decem modios ex meo tritico, decem jugera ex meo prædio pretio viginti aureorum*; tunc non censetur venditio facta ad corpus, sed ad mensuram, ut late tradit Rosignol. *contr. 2. prænot. 10.*

137. Quod si res vendatur solum in genere, & sub indeterminatione, ut si vendas decem mensuras tritici, decem oves, nulla facta designatione loci, ex quo sumi debeant, periculum est penes venditorem, qui tenetur tradere triticum, & oves, etiamsi totus acervus tritici, ex quo illas mensuras sumere intendebat, vel totus grex pereat, quia nimirum emptor non habet jus ad aliquod determinatum individuum, sed solum in genere; genus autem perire non potest, ut habetur *l. incendium, Cod. si certum petatur*, nisi in pactum deductum sit, quod oves ex isto grege, & triticum ex isto acervo sumi debeat, quia tunc, consumpto grege, & acervo combusto, venditor ad nihil amplius tenetur, ut cum Lessio, Rebello, & Molina docet Palaus *pun. 24. n. 6.* Rosignol. *contr. 2. prænot. 9. num. 4.* ubi advertit, pretium in eo casu esse restituendum emptori, si forte sit solutum.

DUBIUM XIV.

Cujus sint commoda, & fructus rei venditæ.

138. COmpleta venditione, reque tradita emptori, si ab ipso pretium fuit solutum, aut fides data, seu præstita cautio fidejussoria, vel pignoratitia, certum est, emolumenta, commoda, & fructus rei venditæ, & traditæ, pertinere ad emptorem, sicut diximus dubio præcedenti de periculis, & damnis rei venditæ, quæ post traditionem, & pretium solutum spectant ad emptorem, quia nimirum emptor illius factus est dominus; res autem quælibet domino suo fructificat, sicut eidem perit, vel deterioratur ante traditionem.

139. Resp. fructus pendentes tempore venditionis, sive maturi sint, sive immaturi pertinent ad emptorem quoad valorem, quem habent tempore venditionis, ut habetur *l. Julianus, §. si fructibus, ff. de action. empti l. post perfectam, Cod. eod. tit. l. fructus, ff. de his, quæ in fraudem creditoris*. Ratio est, quia fructus pendentes tempore venditionis censentur pars rei venditæ, & uno, eodemque pretio emti cum re ipsa; si tamen venditor post perfectam venditionem aliquas expensas bona fide fecisset in colligendis, & conservandis fructibus, eas emptor recompensare deberet, ut habetur *l. post perfectam, Cod. de action. empt.* ibi: *Post perfectam venditionem, fœtus quidem pecorum emptori, venditore vero sumptus, si quos bona fide fecerit, restitui debere notissimum est*. Quod quidem verum est, etiamsi pretium nondum sit solutum, nec habitum pro soluto, quia censentur pars rei venditæ: & ita tenent Molina *disp. 368.* Palaus *pun. 25.* Covarr. *part. 1. var. resol. cap. 15. num. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 13. num. 100.* Rosignol. *prænot. 9. num. 6.*

140. Hinc cum Molina, & Rebello bene infert

Bona-

Bonacina *punct.* 7. §. 1. *numer.* 2., & sequitur Palaus *punct.* 15. *num.* 3., quod si vendas vineam paullo ante vindemiam, aut agrum paullo ante messem, fructus omnes pendentes emptori debentur, quia sunt pars agri, & vineæ venditæ; &, si vinea sit locata, pensio debetur emptori, quia illa succedit loco fructuum, nisi aliter inter contrahentes conventum sit, quia tunc conventioni standum est. Infert insuper, quod quando equus venditur, intelliguntur etiam vendita omnia ornamenta, quibus equus ornatur tempore venditionis, ut est sella, frænum, &c. si cum illis emptori fuit equus ostensus, non quia ornamenta sint fructus equi; sed quia accessoriæ accedunt, & cohærent rei venditæ, & sic cum illa tacite censentur vendita; secus si equus fuit ostensus nudus, sine ornamentis, *l. Ædiles* 25. *ff. de ædilitio edicto*, §. *vendendi*, sic etiam tenet Gomez, & alii a Bonacina *citati*.

141. Dubium est: *cujus sint, seu ad quem pertineant fructus, qui nascuntur post venditionem absolutam, & completam, sed ante rei traditionem; vel, si fuit traditio, pretium promissum nondum fuit solutum, nec cautio præstita, nec fides data; vel, si fuit exhibita, non fuit a venditore acceptata, nec dilatio ad solvendum expresse concessa, an tunc fructus pertineant ad emptorem, vel venditorem?* Juristæ satis communiter docent, fructus hujusmodi ad venditorem pertinere, idque probant ex *l. Curabit, Cod. de action. empti, & vendit.*, ubi habetur: *Curabit Præses Provinciæ compellere emptorem, qui nactus possessionem fructus percepit, partem pretii, quam penes se habet, cum usuris restituere, quas, & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis favor, licet alias nulla mora intercesserit, generavit.* Idem habetur *l.* 2. *C. de Usures*, *l. Julianus §. ex vendito, ff. de act. empt.*, in quibus dicitur, venditori usuras compensativas esse solvendas. Item ex *l. qui pendentem* 25. *ff. de action. empti*, vi cujus venditor prohibere potest, ne emptor ob pretium non solutum uvas colligat ex vinea eidem vendita.

152. Ratio sumitur ex *l. Julianus* 13. §. 20. ubi dicitur: *nam cum emptor rei fruatur, æquissimum est, eum usuras pretii pendere*; non enim æquitas patitur, ut emptor rei venditæ fructus, & simul pretii commodo fruatur, & venditor illis omnibus privetur. Conf. quia inter contrahentes debet esse æqualitas, nec una pars tenetur adimplere contractum, quando altera pars & ipsa non adimpleat, adeoque venditor excusari debet a traditione rei venditæ, illiusque fructuum, quousque emptor non solvit pretium, illiusque usum, & commodum concedat venditori, prout ratione contractus obligatur. Adde, quod res quælibet domino suo fructificat; sed quousque pretium non sit solutum, vel data cautio, aut fides habita pro soluto, dominium rei venditæ non transfertur in emptorem, sed remanet apud venditorem; ergo nec fructus acquirunt emptori, sed spectare debent ad venditorem. Ita Covarruvias *lib.* 1. *var. cap.* 15. *nu.* 2. & 3. *var. cap.* 4. *per totum*, Angel. *verb. emptio n.* 5. Molina *disp.* 368. *concl.* 1. Rebell. *part.* 2. *de oblig. Justit. lib.* 9. *qu.* 16. *a num.* 5. Antonius Gomez 2. *var. cap.* 2. *num.* 11. Diana *part.* 4. *tract.* 4 *resol.* 139.

143. Resp. fructus omnes rei venditæ non solum pendentes tempore venditionis, sed alios etiam consequentes, pertinere ad emptorem, nullo etiam soluto pretio, nec illius fide data, & accepta, nisi aliter inter contrahentes conventum fuerit. Ratio est, quia post contractum emptionis, & venditionis celebratum, & absolutum, res vendita pertinet ad emptorem, quamvis pretium non solvat, nec illius fidem venditor acceperit; ergo ad emptorem spectant etiam fructus, qui ab illa nascuntur; quod enim ex re nostra nascitur, nostrum est. Deinde, quia secundum naturalem æquitatem ad emptorem spectare debent commoda, & fructus rei venditæ, ad quem spectat ejusdem rei damnum, & periculum; sed, facta venditione, etiam non secuta traditione, nec soluto pretio, nec præstita cautione, damnum, & periculum rei venditæ spectat ad emptorem, ut diximus supra *dub. præced. num.* 138., ergo etiam ad illum spectare debent fructus, & commoda ejusdem rei venditæ, prout habetur *l. Id quod* 7. *ff. de peric.*, & *commod. rei venditæ* ibi: *Si totus ager post emptionem flumine occupatus esset, periculum esset emptoris; sic igitur & commodum ejus esse debet*: & ita tenent Theologi magis communiter, Sylvester, Rosella, Armilla, Lopez, Lessius, Petrus Navarra, quos affert, & sequitur Palaus *disp.* 5. *pag.* 29. *num.* 4. Rosignol. *contr.* 2. *prænot.* 9. *num.* 6.

144. Non obstant fundamenta opposita, & quidem ad Leges adductas respondet Andreas a Matre Dei *cap.* 2. *de empt.*, & *vendit. n.* 17., illas tamquam foventes, & permittentes usuras, esse revocatas per jus Canonicum; ideo venditor, peracta venditione, non potest colligere fructus, aut prætendere usuras, aut aliquod interesse, nisi ob dilatam solutionem ejusdem pretii; cum autem dilatio censenda sit quædam mutuatio, sequitur fructus, & interesse solum recipi ratione mutui, ac proinde continere usuram vetitam jure naturali, & canonico. Ad *l. Curabit*, dici potest, usuras deberi ratione damni, quod ex dilata solutione proveniebat pupillo. Ad *l. Qui pendentem*, dicendum est, inde solum inferri venditorem retinere posse rem venditam loco pignoris, donec pretium solvatur, & colligere fructus emptori restituendos una cum re vendita, quando fuerit pretium solutum, nisi velis, illas deberi in pœnam pretii non soluti, sed tunc non erunt necessario solvendæ a venditore, quousque per Judicem non sit condemnatus in pœnam moræ culpabilis, ut cum Rebello tenet Palaus *par.* 25. *num.* 9.

145. Ad primam rationem dicendum est, esse contra æquitatem, quod venditor privetur pretio, & fructibus rei venditæ; non tamen sequitur, fructus venditori competere, sed teneri solvere pretium, & compensare damna, si ob non solutum pretium aliqua venditori contingant. Excusari poterit venditor, si rem venditam, illiusque fructus retineat loco pignoris tradendos emptori post solutum pretium. Res quælibet domino suo fructificat, nisi sit alteri debita, nam si sit alteri debita, illi etiam debentur fructus talis rei. Adde, quod emptor post venditionem absolutam statim evadit dominus rei emptæ, cui proinde debentur etiam fructus ab illa provenientes.

146. Dixi in responsione, *nisi aliter inter contrahentes conventum sit*, quia ex speciali conventione poterit venditor sibi reservare fructus titulo compensationis damni emergentis, & lucri cessantis, si ex dilata solutione sibi lucrum cessare, aut damnum emergere prudenter timeat, ut cum Rebello, Lessio, & Layman notat Palaus, *punct.* 26. *num.* 6., & Lugus *disp.* 25. *numer.* 140. dicens, de hoc nullum esse dubium; numquam tamen potest fructus sibi reservare rei venditæ ob solam dilationem pretii, ut nonnulli affirmant, & probabile dicit Bonacina *disp.* 3. *qu.* 2. *p.* 7. §. 1. *num.* 5. Angelus *verb. emptio num.* 5., & Molina *disp.* 368. *num.* 17., quia ob solam dilationem solutionis fructus reservare, vel aliud accipere continet usuram, cum sit lucrum recipere supra sortem ex mutuo; siquidem dilatio solutionis, & mutuatio æquiparantur, ut cum Maldero, & aliis docet Andreas a Matre Dei *c.* 2. *num.* 19.

147. Poterit etiam venditor recipere fructus, si in tali contractu venditionis reservet sibi dominium utile, concesso dumtaxat emptori dominio directo, donec pretium fuerit solutum, cum certum sit, dominium utile posse separari a directo, & unum vendi sine altero; sed tunc venditor debet subjacere periculis evenientibus circa eosdem fructus, quorum est dominus. Nec obstat, quod si tempore intermedio res pereat, vel deterioretur, damnum sit emptoris, non venditoris, qui reservat sibi jus percipiendi fructus, quia, ut notat Lugus *disp.* 25. *sect.* 8. *num.* 141., emptor sentit etiam commodum ex tali emptione, quia habet jus, & dominium directum ad rem determinatam, & quia incrementum, & augmentum intrinsecum rei toto illo tempore, sive quoad valorem, sive quoad substantiam, totum est in emptoris commodum.

148. Quæres: *An licitus sit contractus, quem Itali vocant a godere, & contingit, quando Titius tradit Cajo mille aureos, & iste vicissim tradit Titio domum, agrum, seu fundum fructiferum æqualis valoris, hoc pacto, ut unus utatur domo, seu fundo, alter vero pecunia, reservata utrique facultate repetendi rem propriam, restituta pecunia, vel domo respective.* Certum est, contractum *a godere* licite fieri posse, si uterque contrahens det, & recipiat rem fructiferam æqualis valoris, & æqualium fructuum; nam tunc fructus compensantur cum fructibus; si autem unus tradat pecuniam, & alter domum locabilem, seu fundum fructiferum, poterit ille recipere, & retinere fructus titulo lucri cessantis, aut damni emergentis, si vere tradenti pecuniam lucrum cesset, seu damnum emergat, præscindendo a lucro cessante, seu damno emergente.

149. Resp. contractum istum, per se loquendo, esse illicitum, & usurarium. Ratio est, quia talis contractus resolvitur in purum mutuum; nam tradens pecuniam, dum retinet jus eam repetendi, perinde est, ac illam mutuo dare, & ob dilatam solutionem lucrum reportare, dum interim utitur possessione, & fructibus ex ea perceptis, quos nullo alio titulo percipere potest, nisi ob dilatam solutionem; non enim eos recipit titulo lucri cessantis, aut damni emergentis, cum nullum damnum detur, ut suppono, nec titulo compensationis, cum pecunia sit sterilis, nec de se fructus afferat, ac proinde de solo titulo mutui lucrum reportat, & fructus recipit, quod est intrinsece malum, & omni Jure prohibitum. Ita tenet Rebell. Lessius, Layman, & alii, quos affert, & sequitur Palaus *punct.* 26. *num.* 11. Bonacina

punct.

punct. 7. §. 1. n. 7. Andreas a Matre Dei *c. 2. nu.* 20. Tambur. *tract. 3. cap. 7. §. 6. n.* 16. Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 17. *n.* 840.

150. Nonnulli asserunt, hunc contractum posse justificari titulo emptionis, & venditionis cum pacto retrovendendi in gratiam utriusque contrahentis. An sit licitus iste contractus retrovenditionis in gratiam utriusque contrahentis, videbimus infra; in casu nostro patitur difficultatem, quia per venditionem, cum transferatur dominium rei emptæ in emptorem, si illa casu fortuito periret, non teneretur Titius reddere pecuniam sibi datam, cum res sua vendita pereat emptori, nec possit amplius redimi, quod est contra mentem sicut supra contrahentium, ut ponderat Lugus *disp.* 25. *n.* 534.

151. Alii recurrunt ad contractum census, quem Titius emit, data pecunia, & recipit fructus talis census a domo, seu fundo sibi a venditore census locato pro tempore, quo, restituta pecunia, census extinguatur. Sed hoc etiam est difficile, quia census est species alienationis, quam non intendunt facere sicut supra contrahentes. Deinde quia per Constitutionem S. Pontificis Pii V. census licet sit redimibilis ex parte vendentis, non tamen est redimibilis ex parte ementis, qui non potest alterum obligare ad censum extinguendum; tum quia, pereunte fundo censito, perit etiam census, qui non poterit amplius redimi, ut etiam notat Lugus *loc. cit.*, quare talis contractus est illicitus, & usurarius, nisi justificetur titulo lucri cessantis, vel damni emergentis, si vere hujusmodi lucrum cesset, & damnum emergat.

D U B I U M XV.

Cui debeatur res, quæ in solidum fuit successive duobus vendita.

152. RESP. rem duobus venditam deberi primo emptori, si nulli eorum adhuc tradita sit, quia, ceteris paribus, prior tempore, potior jure; juxta Regul. 54. *Juris in 6.*, tum quia res illa vendi non potuit secundo emptori sine injuria prioris, cui proinde tradenda est, ut asserunt communiter Doctores. Si autem secundo emptori res jam tradita est, & dominium in ipsum translatum; iste præferendus est, ut habetur *l. Quoties, Cod. de rei vendicat.* ibi: *Quoties duobus in solidum prædium jure distrahitur, manifesti juris est, eum cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorem.* Ratio est, quia per solam venditionem prior emptor, non acquisivit dominium, nec jus in re, sed dumtaxat jus ad rem; secundus vero per traditionem acquisivit dominium, & jus in re, ac proinde potior est in jure, & alteri præferendus. Lessius *cap. 21. dub. 20. num.* 140. Rebell. *lib. 9. qu. 17. sect. 3. nu.* 20. Palaus *punct. 27. num.* 2. Rosignol. *contr. 2. prænot.* 11. Covarr., Tapia, Malderus, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *punct. 2. n.* 8.

153. Limitatur resp. in emptore privilegiato, quando scilicet primus emptor ex jure privilegium habet, ut perfecta venditione, eidem dominium acquiratur, etiam ante traditionem, ut sunt Ecclesia, Monasteria, Hospitalia, & alia loca pia; nam tunc tradenda est tali emptori privilegiato, quamvis posteriori jam tradita esset, qui non potuit dominium acquirere, ac proinde restituenda est primo emptori privilegiato, prout docent prædicti Doctores.

154. Limitari etiam debet in casu, quo priori emptori res vendita fuerit, etiam specialiter hypothecata; nam stante tali hypotheca ei tribuente jus in re, secundus emptor non potuit rei sibi venditæ, ac traditæ dominium firmum acquirere, sed revocabile a primo emptore, qui proinde præferendus est, ut constat ex *l. si Creditor, §. fin. ff. qui priores in pignore*, ibi: *In pignore placet, si prior convenerit de pignore, licet posteriori res tradatur, adhuc potiorem esse priorem*, & ibi Glossa, Ant. Gomez, Covarr. Tiraq. Gutier. Lessius, & Molina, quos affert, & sequitur Palaus *num.* 10., & communiter alii Doctores.

155. Limitatur insuper, quando secundus emptor conscius fuit, rem prius jam fuisse alteri venditam; nam in tali casu primus emptor poterit a secundo emptore rem sic emptam revocare, & vindicare intra annum numerandum a die scientiæ alienationis, utpote alienatam in sui fraudem, *l. 1. & seqq. ff. quæ in fraudem creditorum*, & tenet Molina *disp. 369. n. 9.* Lessius, Layman, & Palaus *supra*, Rosignol. *prænot. 11. n. 6.*, post annum elapsum, quamvis secundus emptor non amplius teneatur in foro externo rem sic emptam priori emptori restituere, in foro tamen conscientiæ tenetur, vel illam restituere, vel satisfacere primo emptori, si propter id fuit in aliquo damnificatus, quia fuit caussa injusta talis damnificationis, ac proinde tenetur satisfacere, saltem in casu, quo iniquus venditor, tamquam principalis damnificator, aut nolit, aut non possit restituere, juxta regulas de restitutione alibi traditas.

156. Si dubium sit inter ipsos emptores quisnam illorum prius dominium acquisierit, in tali dubio primo emptori favendum est, nisi secundus emptor jam pretium solvisset; nam tunc præsumeretur, quod eidem res etiam tradita, & in ipsum dominium translatum fuisset, ut cum Lessio, & Covarr. observat Palaus *punct. 27. num.* 13.

D U B I U M XVI.

De Pactis in Venditione appositis, & primo de pactis legis commissoriæ, & addictionis in diem.

157. CERtum est, in contractu emptionis, & venditionis a contrahentibus licite, ac valide nonnullas apponi posse conditiones, sine quibus talis contractus non censeatur validus; siquidem contractus omnes ex conventione legem accipere dignoscuntur. *Regul. 58. Juris in 6.*, & quamvis plura esse possint hujusmodi pacta, & conditiones, tres præcipue solent considerari, & sunt, pactum legis commissoriæ, pactum addictionis in diem, & pactum retrovendendi; de duobus primis agemus in præsenti, de tertio in sequenti.

158. Pactum legis commissoriæ tunc apponitur in contractu, quando quis vendit domum tali pacto, & conditione, ut tali tempore determinato, puta intra annum pretium solvatur, &, solutione non facta, domus sit inempta, & contractus irritus, & vocatur pactum legis commissoriæ, quia lege fingitur incidere in commissum, qui determinato tempore non solvit, ut, allatis juribus, probat Palaus *pun. 32. n.* 1. Pactum addictionis in diem tunc contingit, quando quis domum ita vendit, ut si intra annum meliorem conditionem invenerit, domus sit inempta: melior autem conditio censetur offerri, si majus pretium, vel commodior solutio offeratur, ut habetur *l. Tibi autem 4. §. fin. de In diem addictione* illis verbis: *melior autem conditio adferri videtur, si pretio sit additum, sed si nihil pretio addatur, solutio autem afferatur facilior pretii, vel maturior, melior conditio adferri videtur. Præterea si locus opportunior solvendo pretio dicatur, æque melior conditio allata videtur. &c.*

159. Hoc utrumque pactum legis commissoriæ, & addictionis in diem censetur appositum in gratiam venditoris, ut statim recedere possit a priori venditione, si pretium statuto tempore illi non solvatur, vel melior conditio offeratur; poterit tamen pro libito petere solutionem pretii, & priorem venditionem approbare, quod non conceditur emptori, qui etiam invitus tenetur se accommodare voluntati venditoris, cum tale pactum sit appositum in favorem venditoris, non autem emptoris. Debet tamen venditor, adveniente casu, statim se determinare, an velit stare priori venditioni, aut ab illa recedere; semel autem posita determinatione, non est amplius ei liberum recedere, & variare, ut, allatis juribus, explicat fuse Palaus *p.* 32.

160. Dubium est: *Ad quem pertineant fructus medii temporis, quando ex præcedenti pacto dissolvitur contractus venditionis.* Et quidem pactum sive legis commissoriæ, sive addictionis in diem duobus modis apponi potest in tali contractu. Primo verbis directis ostendentibus ipso jure, & ipso facto contractum fore nullum, & irritum, si præfixo tempore pretium non solvatur, vel melior conditio offeratur, ut si dicas; vendo tibi domum hoc pacto, ut si intra annum pretium non solveris, vel alius meliorem conditionem obtulerit, domus sit inempta, & contractus nullus. Secundo verbis obliquis, & indirectis ostendentibus, contractum postea fore irritandum, & dissolvendum, ut si dicas; vendo tibi domum tali pacto, ut si intra annum pretium non solvas, vel alius meliorem conditionem obtulerit, contractus dissolvatur, seu ex tunc sit dissolutus, ut cum Molina, Reginaldo, & aliis tenet Bonacina *p. 7. §. 2. n.* 2.

161. Resp. fructus medii temporis pertinere ad venditorem, sicut etiam commoda, & accessiones rei factæ, quando venditio fuit celebrata cum pacto legis commissoriæ, vel addictionis in diem verbis directis clare ostendentibus, contractum ipso facto esse nullum, & irritum, ut habetur *l. Item, quod dictum est, ff. de in diem addictione l. si fundus, ff. de lege commissoria.* Ratio est, quia talis est vis conditionis appositæ in venditione, ut ex vi pacti dissolvatur, ac si non esset celebrata, & dissolutio retrotrahitur ad tempus, quo contractus fuit celebratus; nam venditio conditionata ante conditionem adimpletam non censetur perfecta, sed suspensa; unde fructus, commoda, & accessiones rei factæ, sicut pertinerent ad venditorem, tamquam ad verum dominum, si venditio celebrata non esset, ita etiam in nostro casu, ut cum aliis tenet Bonacina *n.* 2.

162. Si autem contractus fuit celebratus verbis obli-

quis,

quis, tunc fructus medii temporis, commoda, & accessiones pertinent ad emptorem, quia venditio non fuit conditionata, sed absoluta, dissolubilis solum pro tempore, quo melior conditio offeratur, vel pretium non solvatur, ut clare constat *l. 2. §. 1.* ibi: *ubi plura est venditio, Julianus scribit, hunc, cui res in diem addicta est, & fructus, & accessiones lucrari*, sed revocabiliter, sicut etiam ad eumdem pertinet periculum, si res interierit, quia res quælibet domino suo perit. Ita Covarr. Molina, Lessius, Azor. quos affert, & sequitur Bonacina *punct. 7. §. 1. num. 3.*

DUBIUM XVII.

De Venditione cum pacto Retrovendendi.

163. PActum retrovendendi, seu retroemendi potest apponi in contracta venditionis in gratiam ipsius venditoris, ut redimere possit, ut si quis vendat domum, seu prædium cum pacto, ut, eo volente restituere pretium, debeat emptor reddere fundum, vel in favorem ipsius emptoris, qui volens restituere fundum possit obligare venditorem ad restituendum pretium, vel in gratiam utriusque, ut, volente uno reddere pretium, alter reddat domum, seu fundum, & volente altero reddere fundum, alter reddat pretium, quod quidem pactum potest apponi pro tempore determinato, puta quinquennii, aut septennii, intra quod vendens possit redimere, vel pro tempore indeterminato, ut quandocumque placuerit venditori teneatur emptor restituere, & revendere, & venditor iterum emere, si libuerit emptori; & quæritur: *an quolibet ex his modis contractus sit licitus.*

164. Resp. 1. venditionem cum pacto retrovendendi in gratiam venditoris licitum esse, tam jure Canonico, quam Civili; de jure Canonico constat ex *extravag. Regimini 1. & 2. hoc titul.* ubi expresse tamquam licita approbatur emptio, & venditio cum pacto retrovendendi, seu redimendi. De Jure Civili, constat ex *l. si fundum C. de pactis emptorem, & vendit.* ubi hoc pactum declaratur, approbatur, & ex eo conceditur actio. Ratio est, quia quilibet, cum sit rei suæ moderator, & arbiter, potest illum, vel absolute, vel limitate certo modo, & conventione vendere, dummodo servetur æqualitas pretii, nec alteri fiat injuria, nec prohibitum sit lege aliqua humana, seu divina; sed venditio cum pacto retrovendendi in gratiam venditoris nulla lege prohibetur, quin potius approbatur, nulli fit injuria, & servatur æqualitas, si tantum minuatur de pretio, quantum est onus, quod imponitur emptori: & ita tenent Doctores communiter, tum Theologi, tum Canonistæ, Covarr. *lib 3. var. resolut. cap. 8. num. 3,* Molina *disput. 375. num. 2.* Medina *de reb. per usuram acquisitis quæst. 5.* Sotus *lib. 6. de Justit. q. 5. art. 3.* Navar. *in man. cap. 17. num. 248.* Lessius *lib. 2. cap. 21. num. 113.* Rosignol. *contr. 2. prænot. 4.* Bonacina *qu. 2. punct. 3. num. 3.*

165. Probant hoc idem nonnulli ex illo *Levit. 25.* ubi licitum erat filiis Israel possessiones suas vendere cum pacto redimendi: *cuncta Regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur.* Verum id non probat, quin potius videtur colligi oppositum, cum *ibid. vers. 26.* dicatur, fructus esse computandos in partem pretii: *sin ipse, qui possessiones suas vendidit, pretium ad redimendum potuerit invenire; computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit, & quod reliquum est, reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam;* nos autem dum vendimus tali pacto, fructus non computantur in pretium, sed acquiruntur emptori, tamquam domino. Quare dicendum est, illam non fuisse veram venditionem fundi, sed fructuum fundi usque ad annum quinquagesimum, id est Jubilæi, in quo anno omnia redibant ad priores dominos, & inde juxta quantitatem annorum, in quibus fundus manebat apud emptorem, plus, minusve æstimabatur juxta quantitatem fructuum percipiendorum usque ad annum Jubilæi.

166. Nec obstat Caput *Ad nostram hoc tit.* ubi videtur tale pactum reprobari, tamquam usurarium; non enim reprobatur ratione pacti, sed respectu circumstantiarum, ex quibus prudenter colligi poterat, illam venditionem affecta, & animo usurario fuisse factam, & sic palliatam usuram fuisse, ut patet legenti Textum, nam ibi sermo est de re vendita valde modico pretio ob tale pactum, & emptor ibi nominatus consueverat usuras exercere, ut egit in dicto facto.

167. Cum res vendita cum tali pacto in favorem venditoris minus æstimetur, quam si libere, & absque tali onere venderetur, inde est, quod debeat diminui aliquid de illo pretio, quo venderetur sine tali onere. Quanta vero debeat esse hæc diminutio, non omnes conveniunt; aliqui dicunt, usque ad tertiam partem pretium esse minuendum; alii magis communiter usque ad quartam, adeo ut res, quæ justo pretio venderetur 100. aureis, vendi, & emi possit 75. Covarr. *lib. 3. var. resol. cap. 10.* Navar. *cap. 23. num. 86.* Mascard. *de probat. C. 1. concl. 449. num. 11.* Sed alii melius hoc remittunt arbitrio Judicis, seu boni viri, & juxta consuetudinem Regionis, in qua fiunt hujusmodi contractus, & juxta communem æstimationem in ordine ad qualitatem gravaminis, ut docet Rosignol. *prænot. 4. num. 6.* Molina *disp. 375. num. 8.* Quod si tale pactum poneretur in favorem ementis tantum, res pluris æstimatur, quia gravamen remanet apud venditorem.

168. Major difficultas est: *An in venditione possit apponi tale pactum in favorem emptoris, & gravamen venditoris, qui teneatur redimere, ubi placuerit emptori retrovendere, & restituere pretium; videtur enim resolvi in purum mutuum, quo emptor tradit pecuniam emptori, quam potest recuperare pro libito, acceptis rei fructibus supra sortem, quod est lucrum reportare ex mutuo, & usuram committere.*

169. Resp. 2. licite apponi posse pactum etiam in favorem emptoris, & gravamen venditoris. Ratio est, quia tale pactum nulla lege est prohibitum, non continet usuram, nec injustitiam, & sic licite potest apponi. Non continet usuram, quia hæc solum in mutuo locum habet, hic autem nullum intervenit mutuum, nam si res perit, perit emptori, qui non potest repetere pretium, si nolit retrovendere, quapropter non recte dicitur mutuo dedisse pretium cum facultate illud recuperandi pro libito, acceptis rei fructibus supra sortem, cum isti sibi debeantur, tamquam vero domino rei emptæ: nec item intervenit injustitia, si gravamen, quod imponitur venditori majoris rei pretio compensetur. Covarr. Lessius, Molina, Rosignol. & alii, qui etiam admittunt pactum hujusmodi fieri posse in favorem utriusque contrahentis; si enim licite fieri potest divisim, ita licite fieri poterit simul, ut docet cum aliis Bonacina *qu. 2. p. 3. num. 7.*

170. Resp. 3. Emptorem, qui rem aliquam, puta domum emit cum pacto retrovendendi, posse eamdem locare venditori, donec eam redimat, dummodo tales contractus emptionis, & locationis sincere fiant, quia emptor tunc locat rem suam, quam acquisivit titulo emptionis; quæ si eo tempore pereat, non locatori, sed emptori perit; sunt enim duo contractus de se liciti, qui simul fieri possunt, quamvis etiam fiant ex pacto præcedenti. Lugus *disp. 26. num. 199.* Malderus *cap. 2. dub. 26. concl. 3.* Andreas a Matre Dei *cap. 2. n. 61.* & alios referens Bonacina *q. 2. p. 3. n. 16.* Cavendum tamen est, ne potius usuræ pallium sit, quam vera emptio, & locatio, ut facile contingere potest dum locatur domus, ager, fundus, res, quæ perire non potest. Ad id cognoscendum notandæ sunt sequentes conditiones.

171. Prima conditio ad validitatem contractus requisita, est vera, & sincera intentio emendi, & vendendi, qua deficiente, sicut deficit contractus emptionis, & venditionis, qui non perficitur sine consensu, & animo eum celebrandi, ita remanet purum mutuum, & usura palliata: traditur enim ab usurario pecunia venditori domus tractu temporis restituenda, & interim recipit fructus locationis non computandos in sortem, quod est reportare lucrum ex mutuo, in quo consistit usura. Requiritur ergo ad validitatem istius contractus vera, & sincera intentio vendendi, & emendi cum animo acquirendi, & transferendi respective dominium rei sic emptæ, & venditæ. Quod si bona fidea sit ex parte ementis, erit actus in conscientia licitus, quamvis deficiat ex parte vendentis, qui sua simulatione, & fictione non debet præjudicium, & detrimentum afferre emptori existenti in bona fide, & ignoranti ipsius fictionem, sed illum debet servare indemnem, prout postulat justitia, & natura contractus, ut cum Molina tradit Bonacina *supra n. 10.* si tamen emptor cognosceret fictionem vendentis, non posset contractum celebrare, ad cujus validitatem requiritur consensus utriusque.

172. Secunda conditio est justum pretium, quod censetur esse illud, quod, attenta qualitate gravaminis impositi, ac loci consuetudine, æstimatur æquale; si enim contractus celebretur cum pretio valde modico, & exiguo, ut vix pertingat ad medietatem justi pretii, indicat animum contrahentis esse usurarium, ut habetur ex cap. *Ad nostram 5. loc. citat.* ubi Pontifex usuram commisisse declarat illum, qui pro domibus, & olivis dedit LX. *uncias tarrenorum, quæ vix dimidiam partem, justi pretii contingebant:* indicat enim non adesse animum emendi, & vendendi, sed dumtaxat palliandi usuram, nam licet pactum de retrovendendo, & locando venditori diminuat de pretio, *arg. l. Fundi partem ff. de contrah. empt.* non tamen adeo diminuit, ut vix pertingat ad medietatem justi pretii; quod si adesset animus vere emendi, & vendendi, contractus solum esset illici-

tus,

tus, & injustus cum obligatione restituendi, quod defuit de justo pretio.

173. Tertia conditio, ut fructus rei emptæ pertineant ad emptorem, qui illius acquisivit dominium, cuique proinde fructificare debet, sicut penes ipsum, tamquam dominum, stare debet periculum ejusdem rei; si autem res empta successive sit locata venditori, ad illum spectabunt fructus ejusdem rei propter contractum locationis cum eo celebratum, ratione cujus solvit emptori pretium, & affictum talis locationis.

174. Hic autem adverte in taxando pretio, & affictu talis locationis, non esse habendam rationem pecuniæ, nimirum quinque, vel sex pro quolibet centenario, sed considerandos esse fructus, qui ex re empta, & locata percipi solent, secus daretur gravis suspicio mutui, & usuræ palliatæ, ut cum Bonacina *supra num.* 13. tenent Doctores communiter. Quod maxime verum est, si emptor, & locator fundi certam non habeat illius cognitionem, nam tunc deficere videtur vera, & sincera intentio emendi, & locandi, sed potius erit intentio mutuandi, & percipiendi lucrum ex mutuo, quia nullus præsumitur habere animum emendi, quod penitus ignorat, prout docet Ludovicus Beja *part.* 2. *respons. casu* 7. *Conf.* quia nonnumquam constituitur pensio, seu affictus locationis quinque, vel sex pro centum, quamvis fundus emptus, & locatus, deductis expensis, vix reddat quatuor, quod est argumentum efficacissimum, nolle paciscentes emere, & vendere, sed emptorem velle sub prætextu retrovenditionis lucrari sex pro centum, ut ponderat Beja.

175. Quæres: *quonam pretio sit redimenda res empta cum pacto retrovendendi, an pretio, quo fuit empta, vel pretio, quo valet tempore retrovenditionis?*

Resp. licite apponi posse pactum de redemptione facienda eodem pretio, quo fuit empta, ut patet ex communi usu, & praxi taliter contrahentium, cum solum sit pactum de rescindendo priore illo contractu; sed quando dissolvitur contractus, idem pretium est restituendum; ergo potest apponi pactum de tali pretio restituendo, seu de revenditione facienda eodem pretio, prout docet Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *d.* 14. *num.* 115. Bonacina *punct.* 3. *n.* 14. Potest etiam apponi pactum de retrovenditione facienda eo pretio, quo valebit tempore redemptionis, quo casu erit tali pretio redimenda, quia novus celebratur contractus sub pretio currenti: res siquidem vendi potest quanti valet, sed tempore retrovenditionis potest plus, vel minus valere; ergo potest tali pretio retrovendi. Lessius *ibid.* & alios referens Bonacina *num.* 15. Si nullum præcessit pactum de pretio, sed solum de retrovenditione, tunc redimenda est pretio currenti propter rationem dictam, quia nimirum fit novus contractus, nec retrovendens tenetur solum rescindere contractum præcedentem; novus autem contractus venditionis debet esse sub pretio currenti tempore, quo fit venditio, ut docet Tambur. *lib.* 8. *Decal. tract.* 3. *cap.* 7. §. 8. *num.* 21.

176. Quæres 2. *An jus redimendi transeat ad heredes, adeo ut heredes venditoris, qui contractum celebravit cum pacto retrovenditionis in sui favorem, possint, eo mortuo, rem venditam redimere?*

Resp. affirmative, quia hæc est natura pacti, & contractus, ut ejus obligatio utrinque transeat ad heredes, nisi aliter conventum sit inter ipsos, ut cum Molina docent Bonacina *punct.* 3. *n.* 17. & Lugua *disp.* 26. *n.* 187. vel nisi tempus redimendi positum in contractu jam sit elapsum, quia tunc cessat actio venditoris, & illius heredum, etiamsi pupilli, vel minores sint. Quod si ob ignorantiam talis pacti heres intra tempus præfixum non redemit, potest petere restitutionem in integrum. Lugus *ibidem.*

177. Quæres 3. *An si nullum fuit præfixum tempus, intra quod res vendita redimi debeat, possit semper redimi, etiam post* 30. *vel* 40. *annos, & in perpetuum?*

Negat cum aliis Rosignol. *contr.* 2. *disquisit.* 2. §. 3. dicens, elapso tempore præscriptionis cessare jus venditoris ad redimendam rem venditam, & emptorem jure præscriptionis posse contra venditorem defendere. Affirmant Bonacina *num.* 18. & Lugus *num.* 188. cum Antonio Gomez, & Greg. Lopez, quos affert, & sequitur Molina *disp.* 374. *num.* 9. Ratio est, quia emptor se obligavit retrovendere quandocumque venditori placuerit, & constat a pari de censu redimibili, quem venditor semper redimere potest, etiam post quodcumque tempus etiam longissimum, ut habetur ex Bulla S. Pontificis Pii V. & ex *l. quod si nolit* §. *si quid ita ff. de ædilitio edicto*, ibi: *Si vero convenerit, ut perpetuo fiat redhibitio valet item conventio.* Utraque Sententia est probabilis, sed primæ favet Rota Romana, quæ coram Seraphino 17. Maji Anno 1600. & sæpe alias decrevit, hanc obligationem posse 30. annis præscribi.

178. Quæres 4. *An si emptor medio illo tempore alteri vendidit, possit primus venditor, qui rem vendidit cum pacto retrovenditionis illam recuperare a secundo emptore, eidem oblato pretio?* Negat Bonacina *num.* 19. cum Molina *disp.* 375. Reginaldo, Gomez, & aliis, quia primus venditor solum habet actionem personalem contra primum emptorem, ut damnum sibi proveniens resarciat, non autem actionem realem, unde poterit secundus emptor rem illam sibi retinere. Alii tamen dicunt, actionem esse realem, ac proinde primum venditorem posse, reddito pretio, rem illam a secundo emptore recuperare: quod quidem probabilius existimat Lugua, & cum illo Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 17. *a.* 857. quibus adhæreo, quia primus venditor non solum habet actionem personalem contra primum emptorem, a quo potest damna, & interesse repetere, quando non potest a secundo emptore rem suam recuperare, sed etiam habet actionem realem, ut possit rem venditam recuperare, ubicumque existit, & hoc ex vi pacti initi cum primo emptore, ratione cujus habebat actionem realem activam transmissibilem ad proprios heredes, & etiam passivam transmissibilem ad heredes primi emptoris, a quibus poterat rem venditam recuperare, ita etiam retinet eamdem actionem contra secundum emptorem, ut ab illo possit rem suam recuperare.

179. Quæres 5. *Ad quem pertineant fructus pendentes tempore retrovenditionis? Certum est, omnes fructus perceptos ante retrovenditionem pertinere ad emptorem titulo dominii acquisiti per primam venditionem, quo vero ad fructus pendentes, & immaturos tempore retrovenditionis;*

Resp. dividendos esse inter emptorem, & venditorem, id est pertinere ad emptorem secundum valorem, quem habent tempore revenditionis faciendæ, quo vero ad æstimationem, & valorem subsequentem pertinere ad venditorem redimentem, qui denuo rei illius dominium acquirit. Molina *disp.* 374. *num.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 123.

„ *Quænam vero istiusmodi contractum vitiari maxime possint, vide apud Pontificem nostrum in sua Synod. Diœcis. edition. Patavin. lib.* VII. *cap.* II. *num.* 4. *iis verbis:*

„ 4. At nonnulla sunt, quæ contractum venditionis cum pacto redimendi vitiare possunt. Et primo quidem, si in illius stipulatione facultas, quæ datur venditori, rem venditam, quandocumque voluerit, redimendi, gravetur onere eam redimendi majori pretio, quam ipse vendiderit, contractus erit injustus; quamquam enim Leotardus *de usuris, quæst.* 15. *num.* 10. etiam hanc pactionem licitam tueatur, rectius tamen alii, usurariam præsumendam contendunt, addentes, quod si hæc præsumptio aliis adjuvetur conjecturis, sine ulla hæsitatione, debeat in foro externo absolute usuraria pronuntiari, ob regulam Textus *in cap. Illo nos, de pignoribus*, quam ad rem exornat Ansaldus *cit. decis. num.* 6. Secundo, si venditio fiat cum pacto redimendi intra certum tempus, quo elapso, non sit amplius locus retrovenditioni, manifestam pariter redolet usuram; siquidem ejusmodi pactum efficit, ut contractus induat naturam pignoris, quod observavit Mantica *de tacit. lib.* 4. *tit.* 31. *num.* 68. *& seqq.* & quamvis non indueret naturam pignoris, adhuc a justitia deficeret, si obtentu pacti redimendi, venditio fieret infra limites justi pretii, neque haberetur ratio oneris impositi venditori, fundum redimendi intra certum tempus, quo elapso, nequeat illum pro suo libito, eodemque pretio, recuperare; de qua re legendus est Leotardus *cit. quæst.* 15. *a num.* 16. *usque ad* 22. ubi pluribus argumentis præfati contractus injustitiam demonstrat. Tertio, si pactum redimendi hac lege ineatur, ut non liceat venditori, fundum redimere, nisi post præfiniti temporis, puta duorum, aut decem annorum, intervallum, non carebit præsumptione usuræ: quoniam ex ea temporis præfinitione, fas est conjicere, interim voluisse emptorem lucrari ex mutuo, & usuram ficta fundi emptione palliare; & quamvis hæc sola conjectura tanta non sit, ut contractum in foro externo statim evincat fœneratitium, si tamen emptor alias fuerit de usura diffamatus, aliud non desiderari, ut etiam prædictum pactum, judiciali sententia declaretur usurarium, docent Mohedan. *dec.* 3. *de emption. & vendit.* Mantica *loco citato num.* 31.

„ 5. Jam vero cum *Pactum francandi*, de quo est sermo, intra speciem contineatur contractus venditionis, cum pacto redimendi (sicuti præmonuimus) omnes præfatæ, aliæque similes conditiones, quæ hanc turpem, atque illicitam reddunt, etiam illud contaminant. Quare Gabriel Cardinalis Palæotus, primus Archiepiscopus Bononiensis, ne *pactum francandi* in sua Diœcesi passim usurpatum, animas suæ curæ concreditas usuræ flagitio illaquearet, accuratam instructionem promulgavit, typis Bononiensibus, an-

„ no

„ no 1587. impressam, post quæstiones morales, ejusdem mandato explicatas, a Patre Ludovico de Beja Ord. Erem. in qua, mira prudentia, & solertia, omnes in primis enumerat, & enucleate exponit conditiones, quæ illud in foro externo, aut omnino usurarium, aut saltem usuræ suspectum probant. Confessarios deinde monet, ut in foro Sacramentali, ab emptore diligenter exquirant, num revera serium unimum habuerit fundum emendi, ejusque dominium acquirendi, vel an potius voluerit mutuam dare pecuniam, & usque ad ejusdem restitutionem, consequi fructus ea domo, prædio, aliove fundo, quem cum *pacto francandi* emere simulavit; si enim res hoc posteriori modo se haberet, esset certi, & turpis fœnoris reus. Similiter & venditorem interrogandum ait, num ab emente pecuniam mutuam petierit, cum fœnore restituendam, eumque renuntiem induxerit ad usuram obtegendam pallio *pacti francandi*. In hoc quippe rerum statu, non esset venditor immunis a gravis noxæ reatu, cum neminem liceat ad fœnerandum allicere, qui alias non sit ad fœnerandum paratus: quinimmo vix contingere potest, ut a peccato excusetur, qui, ut consequatur pecuniam, quam ab iniquo fœneratore sine usura obtinere non potest, se obligat ad eam restituendam cum fœnore, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 78. *artic.* 4. *in corp. Dicendum est, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris: licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris, propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius*, quam sequuntur Innoc. *in cap. Super ea, de usuris*, Sylvester *in Sum. V. Usura* 7. §. 1. Tabiena *V. Usura* 8. §. 1. 2. & 3.

DUBIUM XVIII.

An liceat carius vendere credito, & statim ab eodem vilius emere, numerata pecunia.

180. CОntingere hoc solet, quando quis indigens pecunia præsenti, ut suis satisfaciat necessitatibus, nec illam mutuo inveniens, pergit ad Mercatorem, & ab eo credito emit merces pretio summo, quas iterum eidem retrovendit pretio infimo, sed numerata pecunia. Hispani hunc contractum vocant *Mohatra*, seu *Barata*, & Itali vocant *Stoco*; & quæritur: *An possit esse licitus, & immunis ab usura.*

181. Conveniunt omnes, hunc contractum esse injustum, & usurarium, quando venditor obligat emptorem credito ementem summo pretio, ut statim sibi retrovendat infimo pretio, numerata pecunia, quia resolvitur in purum mutuum palliatum sub nomine venditionis, & emptionis; venditor enim tradit emptori pecuniam de præsenti, ut majorem summam accipiat in futurum, quod est reportare lucrum ex dilata solutione, unde merito reprobatur ab Innocent. XI. damnante illam propositionem, quæ est in ordine 40. *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri*; quare non potest venditor emptorem obligare ad hujusmodi retrovenditionem sibi, aut socio suo statim faciendam.

182. *An vero possit esse licitus talis contractus, quo pretio summo venduntur credito merces, & statim ab eodem emuntur pretio infimo numerata pecunia, si fiat sincere absque ullo pacto præcedente, & absque ulla obligatione imposita emptori*.; Negant Mercardo 2. *de contractib. cap. ult.* Medin. 1. *Summ. cap.* 14. §. 21. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 31. quia hoc videtur fieri ad palliandam usuram; tradit enim pecuniam, ut inde recipiat lucrum ex mutuo, quod est committere usuram.

183. Resp. per se loquendo licite fieri posse, si nullum præcedat pactum, sive explicitum, sive implicitum de retrovendendo primo venditori. Ratio est, quia duo hi sunt contractus distincti, scilicet venditio, & emptio, qui celebrantur justo pretio; nam si pretium supremum, quo merces credito venduntur, & pretium infimum, quo emuntur pecunia numerata, sunt intra latitudinem justi pretii, ut suppono, nullum intervenit mutuum, sed vera emptio, & venditio, nec ulli fit injuria, etiamsi merces emantur a primo venditore, qui non est factus deterioris conditionis ad emendum per hoc, quod illas merces vendiderit justo pretio; unde si quivis alii possunt illo pretio emere, potest etiam hoc facere ipse, qui vendidit; nam inde potius commodum, quam incommodum evenit retrovendenti, dum liberatur a quærendis aliis emptoribus, & a sumptibus faciendis in proxenetas, & a manifestanda aliis sua indigentia. Ita tenent Palaus *disp.* 5. *punct.* 31. *nu.* 4. Villalob. *tr.* 21. *diff.* 19. *a n.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 16. Navar. *cap.* 23. *num.* 91. Bonacina *qu.* 2. *punct.* 3. *n.* 26. Andreas a Matre Dei *cap.* 2. *n.* 70. Salas *de empt. dub.* 37. Diana *par.* 1. *tract.* 8. *resol.* 38. Ant. a Spiritu S. *disp.* 17. *num.* 848. & alii apud ipsos.

184. Dixi, *per se loquendo*, & dummodo contractus sincere fiat, quia in praxi redolet usuram, aut injustitiam; vendens enim merces credito pretio summo, & easdem emens pretio infimo numerata pecunia, videtur reportare lucrum ex dilata solutione, & nonnumquam generat scandalum aliis putantibus, id fieri ex aliquo pacto præcedenti, saltem implicito, aut certe in tali emptione, & venditione justum pretium non servari, maxime si merces non extrahantur ab officina, nec emptori tradantur; quare hujusmodi contractum in Regnis Lusitaniæ, & Castellæ prohibitum esse testantur Salas *dub.* 37. *n.* 5. Palaus *punct.* 33. *nu.* 2. Andreas a Matre Dei *cap.* 2. *punct.* 7. & alii Scriptores Hispani, tum ob periculum injustitiæ, tum ob periculum usuræ, quæ sæpe sub his contractibus palliatur.

DUBIUM XIX.

Qualiter Monopolia sint illicita.

185. MOnopolium ex vi nominis idem est, ac unius venditio, & contingit, quando unus tantum, aut pauci per modum unius curant, ut alicujus generis merces ab ipsis solis vendantur, & quatuor modis contingere solet. Primo conspiratione Mercatorum, quando inter se conveniunt, ne quis minoris vendat, sed solum tali pretio, nam tali conspiratione fit quasi unus venditor, cum detrimento civium, qui pretio ab ipsis constituto emere coguntur, quando possent minoris emere, si plures essent venditores, quorum singuli minuendo pretium solent emptores ad se allicere; unde peccant graviter contra caritatem, & contra justitiam legalem, cum hoc prohibeatur *l. unica, C. de Monopoliis*, sub gravissimis pœnis, privatione bonorum, & perpetuo exilio, cum hoc cedat in maximum Reipublicæ detrimentum, quoniam ab ipsis solis coguntur emere cives.

186. Peccant etiam contra justitiam commutativam, cum obligatione restituendi excessum, si, conspiratione facta, merces vendunt supra pretium supremum, quo venderentur, si non esset tale monopolium, ut per se patet. Si autem conveniant de non vendendis mercibus, nisi pretio summo, intra latitudinem tamen justi pretii: idem valet, si conveniant de non emendis mercibus, nisi pretio infimo intra latitudinem tamen justi pretii: *an tunc peccent contra justitiam?* Affirmant plures, peccare contra justitiam cum obligatione restituendi emptoribus, quos creditur minoris empturos, si conspiratio non adesset. Ratio est, quia per talem conspirationem cives coguntur emere merces pretio summo, cum illas possent habere pretio medio, vel etiam infimo, idque præstant per actionem lege prohibitam, & sic per injustitiam, cum cives jus justitiæ habeant, ne mediis iniquis, & illicitis compellantur merces emere majori pretio, quam alias essent empturi. Sic Palaus *disp.* 5. *punct.* 34. *num.* 4. Salas *dub.* 38 Sotus *lib.* 6. *de Just. qu.* 2. *art.* 3. Navar. Conrad. Rebell. Layman, & alii relati a Palao *loc. cit.*

187. Probabilius tamen est, illos peccare contra caritatem, & contra justitiam legalem, & bonum publicum, non tamen peccare contra justitiam commutativam, nec habere obligationem restituendi. Ratio est, quia per talem conspirationem non tollitur æqualitas requisita ad contractum emptionis, & venditionis, cum merces non vendantur supra supremum, nec emantur infra infimum; sed intra latitudinem justi pretii, quod non consistit in indivisibili; unde licet talis conventio sit illicita, quia prohibita, & quia contra caritatem, non tamen, quia injuriosa, & sic non inducit obligationem restituendi, ea ratione, qua non tenetur restituere, nec peccat contra justitiam, qui ab aliquo petit, ut non vendat alteri nisi pretio rigoroso, licet esse possit contra caritatem. Ita cum Molina, Lessio, Aragonio, Lugus *disp.* 26. *num.* 172. Rosignol. *contr.* 2. *prænot.* 6. *num.* 3. Trullench *lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 4. Bonacina *quæst.* 2. *punct.* 5. Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 4. Antonius a Spiritu Santo *disp.* 17. *num.* 883. qui cum aliis docet, quod quando Mercatores conveniunt non vendere merces, nisi pretio summo, emptores posse convenire contra Monopolium venditorum, ut non emant, nisi pretio justo, sed viliori, ut sic se servent indemnes, quia utuntur jure suo. Bonacina *num.* 3.

188. Secundo contingit Monopolium, quando unus, duo, vel tres emunt omnes merces alicujus generis, aut majorem partem, ut ipsi soli postea eas vendant eo pretio, quo volunt, sicque inducunt notabilem inopiam, & caritatem; & hi quidem graviter peccant contra ca-

ritatem, & justitiam legalem, non tamen tenentur ad restitutionem, si vendant justo pretio, quamvis supremo, quod quidem censendum est esse illud, non quod resultat ex inopia per monopolium inducta, sed quod, seclusa ea conventione, & monopolio, esset pretium justum, attenta quantitate, & qualitate rei venalis, & majori, seu minori ementium frequentia, quod rarissime accidit, nam taliter convenientes regulariter vendere nolunt, nisi tali pretio ab ipsis taxato.

189. Ratio primæ partis est, quia tali conventione, & monopolio inducitur in Civitate penuria contra bonum publicum cum detrimento pauperum, & indigentium, & impediunt alios cives, ne congruo tempore, & pretio sibi possint necessaria providere: quod maxime verum est, quando Monopolium committitur in rebus ad victum necessariis, & hac ratione damnantur illi, qui magnam frumenti copiam emunt tempore, quo minus valet, horrea implent, & servant, ut, adveniente inopia, carius vendant, qui quidem graviter peccant contra bonum publicum, cum detrimento pauperum, & indigentium. Ita Rosignol. *n.* 5. Molina, Lessius, Lugus, quos sequitur Ant. a Spiritu S. *num.* 884.

190. Ratio secundæ partis est, quia justo pretio emunt, & vendunt, & sic non peccant contra justitiam commutativam, nec proinde tenentur ad restitutionem. Nec obstat, quod per talem conventionem inducatur penuria, quia hoc non est contra justitiam commutativam, quæ solum respicit æqualitatem inter contrahentes, sed contra legalem, quæ respicit bonum publicum, ut habet Rosignol. *loc. cit.* Molina *disp.* 345. *nu.* 5. Bonac. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 4. ubi *nu.* 5. refert, excusari posse ab obligatione restituendi illos, qui vulgo *Recatones* vocantur, qui anticipate merces emunt ab iis, qui eas asportant, ut postea carius vendant, & qui triticum transferunt extra territorium, quamvis ob id pretium notabiliter augeatur, quia licet peccent contra caritatem, & prohibitionem Principis, non tamen peccant contra justitiam commutativam, ex qua solum oritur obligatio restituendi. Idem cum Tamburino, & Reginaldo tenet Ant. a Spiritu Sancto n. 885.

191. Tertio contingit monopolium, quando quis, ut suas merces carius vendat, alios impedit, & avertit, ne majorem copiam afferant, & introducant in Civitatem: & iste peccat graviter contra justitiam commutativam, cum obligatione restituendi, si vi, dolo, aut fraude impediat, ne merces aliunde advehantur, & introducantur, & quia est caussa injusta damni Reipublicæ, & Civium, qui jus habent, ne vi, & fraude impediatur copia mercium sponte advenientium, & ne injuste mercium pretium augeatur. Si tamen absque vi, & fraudibus, solis precibus, vel suasionibus curat, Mercatores abire, & copiam mercium non adferre, non peccat contra justitiam commutativam, quia illis non facit injuriam; nam Cives jus non habent justitiæ ad emendum viliori pretio, nisi ea suppositione, quod adsit mercium abundantia: nec jus habent, ne venditores precibus a venditione removeantur; peccabit tamen contra caritatem, juxta superius dicta. Lugus *disp.* 26. *n.* 179. Palaus *punct.* 3[illegible] *num.* 8. Rosignol. *n.* 6. Bonacina *punct.* 5. *num.* 8. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 153. Trullench *lib.* 7. *cap.* 21. *dub.* 18. *num.* 9. Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 27. & cum aliis Andreas a Matre Dei *num.* 63.

192. Quarto monopolium contingit auctoritate publica, quando Princeps, seu Respublica concedit alicui privilegium, ut ipse solus alicujus generis merces advehere, & vendere possit, quod licite concedit, quando adest justa caussa concedendi, & bonum publicum ita postulat; qua deficiente, committitur injustitia tum a concedente, tum ab impetrante, contra emptores, qui carius emere coguntur, & contra Mercatores, qui tali negotiatione erant sibi necessaria lucraturi. Justa caussa censetur adesse, quando privilegium conceditur, soluta certa pecuniæ summa ob publicam necessitatem, vel quando sine tali privilegio non essent alii, qui hujusmodi merces curare, & advehere velint, aut non tam bonas, aut non tam rationabili pretio. Hac ratione justa sunt privilegia, quæ Typographis conceduntur, ut intra decem annos librum imprimere, & divendere possint; vel quando ob merita alicujus Officialis aliquam novam artem invenientis id ei conceditur, ut sic alii alliciantur ad novas artes. Debet autem Princeps in tali casu, maxime in rebus ad vitam necessariis, ut pane, carne, vino, oleo, & hujusmodi pretium taxare, ne pro libito pretio quocumque vendantur cum detrimento pauperum, & civium; quod facilius permitti potest in aliis rebus ad luxum spectantibus. Palaus *pun.* 3. *num.* 2. Salas *dub.* 38. Rosignol. *num.* 4. Bonacina *nu.* 9. Trullench *dub.* 18. *num.* 3. Lessius *dub.* 21. *num.* 148. Malderus *cap.* 2. *dub.* 7. & alios referens Andreas a Matre Dei *num.* 52.

193. Ad monopolium spectat, quando conspirant artifices, ne quis opus ab altero inchoatum perficiat, cum hoc cedat in Reipublicæ, & Civium detrimentum; & ideo prohibetur *l. unica, Cod. de Monopoliis*, & idem si conveniant de locatione suarum operum certo pretio, vel ut non doceant artem Reipublicæ utilem, nisi Filium, aut Nepotem. Item quando falsum rumorem spargunt, aut falsas litteras conficiunt de submersione navium merces advehentium, ut hac de caussa illarum mercium pretium augeatur, ut diximus *supra dub.* 11. *n.* 119. & quando vendens sub hasta apponit fictos licitatores, qui plus offerant, ut ceteri emptores ascendant in pretio, & ipsi carius vendant; illi omnes peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem, quia fraudulenter procedunt. Item qui vi, & fraude removent emptores, ne plus offerant, ut ipsi pretio infimo emere possint; secus si solum absque vi, & fraude rogant amicos, ne plus certa quantitate offerant, ut ipsi pretio justo, sed infimo emere possint; nam tunc, cessante vi, & fraude, non peccant contra justitiam, nec tenentur ad restitutionem. Ita Bonacina *punct.* 5. *num.* 10. Palaus *n.* 9. Reginald. Dicastill. Trullench, quos sequitur Andreas a Matre Dei *num.* 58.

194. Quod diximus de spargentibus falsum rumorem, aut litteras falsas conficientibus de submersione navium, ut mercium pretium augeatur, peccare contra justitiam, & teneri ad restitutionem, si ratione illius fraudis carius vendant, quam alias essent vendituri, vel caussa sunt, quod alii carius emant, quam alias non essent empturi, valet etiam de iis, qui falsas litteras in loco apto relinquunt, ut legi possint, & legentes decipiantur, quia sunt injusta caussa damni, quod sic decepti patiuntur; secus dicendum, si litteras illas minutatim concisas spargerent, & aliis collectis, & compositis partibus deciperetur, quia tunc deceptus debet sibi damnum imputare: sicut e contra potest in suum bonum, & commodum laceratas litteras colligere, & illarum uti notitia, præveniendo alios emptores, si contineant vere, & realiter fore penuriam mercium, illarumque pretium augendum, quia nulli facit injuriam, & utitur jure suo, ut cum Rebello docet Palaus *disp.* 5. *punct.* 35. *num.* 2. 3. & 4.

195. Quæres: *An qui non fuit caussa monopolii; possit merces suas vendere pretio communi, quod per monopolium crevit?*

Resp. negative, si tale pretium sit supra supremum, quo venderentur illæ merces, si non fuisset monopolium. Ratio est, quia pretium taliter auctum per monopolium non est justum, cum sit supra supremum, quo alias merces venderentur, & sic nec ipse, nec alii possunt tali pretio vendere; unde tenetur ad restitutionem augmenti pretii, postquam fraudes monopoliorum cognovit; secus si pretium illud sit intra latitudinem justi pretii, quamvis sit supremum, ut cum Rebello tenet Bonacina *punct.* 5. *num.* 11.

DUBIUM XX.

An venditor teneatur de evictione.

196. EVincere dicitur, qui auctoritate Judicis rem ab alio venditam eripit de manu emptoris, probans esse suam, & tunc datur emptori actio contra venditorem ad recuperandum pretium, & Interesse, quantum scilicet sua interest, rem non fuisse evictam; unde venditor, regulariter loquendo, tenetur emptori de evictione. Sic habetur ex jure naturali, & statuitur *l. libera C. de sententiis, & interlocutoriis omnium Judicum, l. si cum quæstio C. de evictionib.* quod utique verum est, quando venditor, sciens rem esse alienam, & non suam, eam vendidit emptori ignoranti esse alienam; nam tunc tenetur ad omne damnum, & interesse, quia emptor injuste læsus fuit a venditore; si autem venditor, credens esse suam, bona fide vendidit, tenetur, cognito errore, contractum rescindere, & pretium restituere, antequam res evincatur a domino, cui est restituenda; non tamen tenetur ad damna, & interesse, ipsum excusante bona fide, ut cum Molina, Sylvestro, Azor. Reginaldo, & aliis tenet Bonacina *qu.* 2. *punct. ult. nu.* 2. & constat ex iis, quæ diximus supra *tr. præced. de possessore bonæ fidei cap.* 2. *dub.* 5.

197. Si lis moveatur contra emptorem super re empta, venditor illum defendere tenetur, liberare a molestiis, litem in se assumere, & propriis expensis prosequi, etiamsi ad hoc specialiter non se obligaverit, quia ad hoc tenetur ex natura rei, seu ex natura talis contractus venditionis: plures tamen dantur casus, in quibus venditor non tenetur de evictione, quorum tres assignantur a Gregorio IX. cap. *fin. de emptione*, ibi: *Si venditori post institutum contra se judicium quis denunciaverit, ut rem venditam sibi defenderet, nuntiare, vel contumaciter absuit tempore sententiæ promulgatæ, seu per inju-*

riam

vigm sententia lata fuit de evictione, juxta legitimas functiones agere non valebit; quod clarius explicat Glossa *ib.* dicens, quod emptor, ad hoc ut venditor teneatur de evictione, debet ei denuntiare, ut ipsum defendat super re ab ipso sibi vendita, alioquin non tenetur de evictione, ut *C. de evict. emptoris fundi*. Secundo, si contumax fuerit emptor, qui citatus non venit ad sententiam, sibi imputet, si lata fuerit contra ipsum, quia tunc venditor non tenetur ei de evictione, quia videtur potius condemnatus propter suam contumaciam, quam propter aliam caussam. *L. si ideo ff. de evict.* 1. *respon. Cod. eod. tit. emptor fundi*. Tertio, si Judex per injuriam pronuntiat sententiam contra emptorem, non contingit venditorem.

198. Quarto, si emptor a sententia, qua sibi res adimitur, absente venditore, neglexerit appellare, etsi prius intimationem litis motæ legitime jam fecerit. *L. si bona* 11. *C. de administr. Tutor.* juncta *l. Heorens* 63. *§.* 2. *ff. de evict.* Quinto, si tempore emptionis emptor novit rem esse alienam, nisi specialiter conventum sit de evictione, *l. si fundum C. de evict.* quia scienti, & volenti non fit injuria. Sexto, si emptor in arbitrum compromisit, & compromissarius contra eum tulit sententiam. Septimo, si in ipso contractu venditionis expressum sit, ne venditor, qui bona fide rem vendidit putans esse suam, de evictione teneatur. Octavo, quando sua culpa emptor possessionem amisit, & ex reo factus est actor. *Leg. si rem* 29. *§.* 2. *ff. de evict.* & si potuisset præscribere, & non fecit, *l. si dictum* 56. *§.* 3. *eod. tit.* quæ videri possunt apud Castro Palaum *disput.* 5. *punct.* 28. *§.* 4.

199. Non solum in contractu venditionis, sed in quolibet alio contractu oneroso contrahentes tenentur de evictione, quamvis specialiter non promiserint, quia ex ipso contractu nascitur hæc obligatio, jure sic disponente. Et quidem de permutatione habetur *l. si permutationis C. de evictionib.* & *l.* 1. *C. de rerum permutat:* nam id, quod permutatione accipitur, quasi emitur re permutata, qua compensatur. Heredes, & Socios, qui diviserunt inter se hereditatem, vel rem communem, teneri de evictione, si res alteri tradita evincatur, habetur *l. si familiæ Cod. familiæ erciscundæ*, & *l. si fratres, Cod. communia;* nam hæc divisio continet virtualem commutationem: unde, si res uni applicata evincatur, alter Cohæres tenetur de evictione, ut cum Antonio Gomez tenet Palaus *punct.* 28. *§.* 1. *num.* 6. ubi alia tradit de datione in solutum, & constitutione dotis, quæ possunt apud ipsum videri, & apud Bonacinam *disp.* 3. *qu.* 2. *punct. ult. n n.* 5.

200. Si res evincatur, quæ pluribus fuerat successive vendita, ultimus emptor, a quo res fuit evicta, habet actionem solum contra immediatum venditorem, non contra venditores antecedentes, cum quibus nihil egit, nec cum illis contractum fecit, ut *ibidem* notat Bonacina *num.* 7.

C A P U T III.

De Mutuo, & Usura.

D U B I U M I.

Quid, & quotuplex sit Mutuum.

1. MUtuum inde dicitur, quasi ex meo tuum. *Instit. §.* 1. *quibus modis re contrahitur obligatio;* & *l.* 2. *in princ. ff. si certum petatur*, quia tibi mutuando concedo tibi, quod meum est, ut fiat tuum, adeo ut possis pro libito de illo disponere, expendere, & distrahere, tibique pereat, decrescat, aut accrescat; & sumi potest pro ipsa re, quæ mutuo traditur, quæque res mutuata dicitur; sed magis communiter sumitur pro mutuatione, seu pro ipso contractu mutui, qua ratione sumitur in præsenti, quando de mutuo agimus, & hoc modo:

2. Mutuum bene definitur, quod sit contractus, in quo traditur res usu consumptibilis, quoad dominium, & usum, sub obligatione similem in specie, & bonitate reddendi. Desumitur ex *l. Mutuum ff. si certum petatur*, & tradunt Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *numer.* 3. Palaus *disput.* 4. *punct.* 1. Rosignol. *controv.* 3. *prænot.* 1. & alii communiter, quia in tali definitione satis explicatur propria ratio mutui, & illius distinctio ab aliis contractibus. Dicitur *contractus* loco generis: dicitur, *in quo traditur res*, quia mutuum perficitur traditione, & ante actualem rei traditionem non censetur esse mutuum, & per hoc distinguitur ab aliis contractibus, qui solo consensu perficiuntur, ut sunt emptio, & venditio, locatio, & conductio. Dicitur *res usu consumptibilis*, quia in hujusmodi rebus fieri solet mutuum, ut vino, oleo, frumento, & pecunia, quæ licet physice non consumatur, moraliter tamen per alienationem consumitur, quia desinit esse alienantis, ac si non amplius existeret. Ab aliis dicitur mutuum consistere in rebus pondere, numero, & mensura constantibus, quia mutuum versatur circa res consumptibiles, quæ numero, pondere, & mensura constant, id est, quæ juxta communem usum sunt apta proxime ponderari, ut æs, aurum, argentum; vel numerari, ut pecunia; vel mensurari, ut oleum, vinum, frumentum, & similia, quæ dicunt in suo genere functionem recipere, quatenus una potest dari, & substitui loco alterius, ut vinum pro vino, frumentum pro frumento, pecunia pro pecunia.

3. Dicitur, *quoad dominium, & usum*, quia mutuum dicitur quasi *ex meo tuum*; ita enim mutuum datur, ut res mutuata statim fiat accipientis, ut possit de illa libere disponere, & distrahere, in quo differt a commodato, locato, & conducto, in quibus non transfertur dominium. Dicitur, *cum obligatione similem in specie, & bonitate reddendi;* si enim reddenda sit res alterius speciei, non erit mutuum, sed permutatio, ut fieret, si pro vino redderetur frumentum, lana, vel alia res a vino diversa: si autem eadem numero res esset restituenda, non esset mutuum, sed commodatum, vel depositum. Potest quidem mutuatarius satisfacere reddendo rem eamdem numero, quam accepit, si eam non consumpsit; ad hoc tamen non obligatur ex vi mutui, cum sit dominus rei, quam consumere, & distrahere potest, illique perit, quocumque tandem casu, aut infortunio pereat; debet autem reddere rem similem non solum secundum speciem, sed etiam in quantitate, & bonitate æqualem, ut servetur æqualitas inter mutuantem, & mutuatarium.

4. Hic obiter adverte, duplicem esse bonitatem rei; unam intrinsecam, alteram extrinsecam: intrinseca bonitas dicitur illa, quæ est in ipsa re, puta, ut triticum, quod redditur, sit ita purgatum, & perfectum in substantia, sicut illud, quod est acceptum; extrinseca bonitas dicitur illa, quæ provenit ab extrinseco, & consistit in valore, & æstimatione rei, quando scilicet tanti valet triticum, quod redditur, quanti valebat illud, quod mutuatum est. Idem dicendum est de pecunia, cujus intrinseca bonitas consistit in puritate, & perfectione materiæ; extrinseca vero in valore, quem habet a Principe, aut ab usu Mercatorum, quamvis aliqui apud Covarr. *in tract. veter. numismat. cap.* 6. *nu.* 6. velint, in moneta intrinsecam bonitatem esse publicam æstimationem; qua sublata, desinit esse moneta. De intrinseca bonitate certum est, mutuum esse restituendum in eadem intrinseca bonitate: de intrinseca bonitate non videtur esse necessarium. Quare si post contractum mutui crescat, aut minuatur pretium rei sine culpa, & mora debitoris, damnum, & commodum videtur pertinere ad creditorem, ita ut debitor teneatur tantum solvere in quantitate, sive creverit, sive decreverit illius valor, ut, alios referens, tradit Palaus *disp.* 4. *punct.* 1. *n n.* 6. An vero idem dicendum sit de mutuo pecuniario, dicetur infra *dub.* 10. ubi fuse difficultas examinabitur.

5. Quamvis mutuum possit multipliciter dividi, ut notat Rosignol. *contr.* 3. *prænot.* 2. principaliter tamen dividitur in formale, & expressum, & in virtuale, ac implicitum; formale, & explicitum contingit, quando quis vere, & realiter rem tradit mutuatario, ut transeat in ipsius dominium modo supra expresso: virtuale, & implicitum dicitur illud, quod virtualiter includitur in aliis contractibus, & ob id dicitur mutuum palliatum, quia sub apparentia alterius contractus, puta emptionis, & venditionis, mutuum palliatur, quando quis scilicet alteri merces vendit majori pretio, quam vendi solent, ut si currenti pretio venduntur decem, vendit quindecim, aut viginti, concessa dilatione ad solvendum; apparenter enim videtur emptio, & venditio, virtualiter tamen censetur mutuare pretium emptori usque ad terminum illi concessum, & præfixum ad solvendum, & pro tali dilatione recipit illud supra justum pretium. Similiter mutuum est virtuale cum quid emitur anticipata solutione, perinde enim est, ac si mutuo dares pretium illud venditori usque ad tempus statutum traditioni rei, ita ut tunc solum incipiat habere, & retinere ex caussa venditionis, prout etiam in aliis contractibus explicat Rosignol. supra *n.* 3.

6. Dividitur etiam in mutuum licitum, & illicitum, seu usurarium: primum est, quando res gratis traditur cum onere solum restituendi aliam similem, & æqualis bonitatis; usurarium vero, quando non traditur gratis, sed cum obligatione restituendi non solum rem similem, & æqualis bonitatis, sed quid amplius pro dilatione temporis.

D U B I U M II.

Quinam possit mutuare, & mutuum accipere.

7. RESP. Omnes, qui contrahere possunt, de quibus dictum est supra *cap. 1. dub. 5. & 6.* posse etiam mutuum dare, & accipere. Ratio facilis est, quia contrahere, ut sic, est tamquam genus, quod sub se complectitur omnes contractus, & per consequens etiam mutuum; ac proinde, qui possunt contrahere, possunt etiam mutuum dare, & accipere. Non obstante hac regula generali, dubitari solet in particulari de Ecclesia, Civitate, Filio-familias, & Pupillo, vel Minori propter speciales Juris dispositiones.

8. Civitas, vel Oppidum, Ecclesiæ, Monasteria, & alia loca pia tunc solum obligantur ex mutuo ab ipsorum Rectoribus, Administratoribus, & Superioribus accepto, quando Creditores probant, pecuniam acceptam in ipsius Civitatis, Oppidi, Monasterii, & piorum locorum utilitatem fuisse conversam, alias solum Rectores, Administratores, & Superiores conveniri possunt, non vero Civitas, Ecclesia, Monasterium, seu loca pia. *L. Civitas ff. si certum petatur. Authentica Hoc jus porrectum. C. de Sacrosanctis Ecclesiis l. 1. Cod. de solutionib.* Molina *disp. 300.* Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 2. num. 12.* Reginaldus *lib. 25. num. 176.* Bonacina *q. 3. punct. 1. nu. 6.* Rosignol. *prænot. 4. num. 2.*

9. Si tamen, Rectores, & Administratores de consensu Prælati, & Capituli mutuum acceperunt nomine Ecclesiæ, non tenetur creditor probare, pecuniam fuisse conversam in utilitatem Ecclesiæ, sed absque tali probatione tenetur Ecclesia solvere mutuum acceptum, quia nimirum Ecclesia plenam, & liberam habet rerum mobilium administrationem, illas potest alienare, & pecuniam expendere, & sic tenetur solvere debita ratione mutui contracta; nisi forte pro tali solutione facienda necesse sit alienare res immobiles, aut pretiosas, quæ servando servari possunt; nam tunc creditor probare debet, pecuniam mutuatam versam fuisse in utilitatem Ecclesiæ, aliter non tenetur illam reddere, nam alienatio rei immobilis, aut mobilis pretiosæ sine evidenti utilitate, aut necessitate Ecclesiæ non conceditur, & aliter facta est invalida: non est autem utilitas, vel necessitas Ecclesiæ, si pecunia in ejus utilitatem conversa non est. Lessius *cap. 20. n. 13.* Molina *disp. 302. in principio.* Rosignol. *n. 2.* Andreas a Matre Dei *cap. 3. n. 9.* & probabile dicit Palaus *disp. 4. punct. 5. n. 2. & 5.*

10. Idem valet de Gubernatore, seu Rectore Civitatis, seu Oppidi, qui si mutuum accepit de consensu Senatus, seu Civium, tenetur Civitas illud solvere, quamvis Creditor non probet, pecuniam acceptam fuisse conversam in bonum Civitatis, seu Oppidi, etiamsi oporteat ad illius solutionem bona aliqua immobilia alienare; nam Civitas absque evidenti utilitate potest alienare bona, etiam immobilia, quorum habet dominium, & administrationem, ut cum Molina, Pinell. Bart. Corneo, & aliis tenet Palaus *punct. 5. n. 2.* Rosignol. *n. 4.*

11. Si Tutor, & Curator mutuum accipiant nomine Pupilli, & Minoris, non tenentur isti acceptam pecuniam solvere, nisi mutuans probaverit, fuisse conversam in commodum, & utilitatem Pupilli, seu Minoris *l. si in rem minoris C. quando ex facto Tutoris*, quod in mutuo est specialiter statutum ob facilitatem Curatorum mutuum accipiendi, & fœneratorum concedendi; unde ad alios contractus non debet extendi talis obligatio probandi, contractum esse in utilitatem Minoris, ut bene observat Palaus *disp. 4. punct. 4. num. 1.* Quomodo autem, & quando Pupillus, & Minor cum facultate, aut sine facultate Tutoris, & Curatoris possint civiliter, aut naturaliter obligari, dictum est supra *cap. 1. dub. 6.*

D U B I U M III.

De Mutuo facto Filiis-familias.

12. DE Filiis-familias existentibus sub patria potestate adest specialis dispositio Juris per Senatus Consultum Macedonianum, quo eximuntur ab obligatione restituendi pecuniam mutuo acceptam sine consensu parentum, adeo ut nec ipsi, nec ipsorum parentes, nec heredes post illorum mortem, teneantur dictam pecuniam solvere, sed semper possint contra excipere per dictum Senatus Consultum Macedonianum: ibi enim habetur: *Placet, ne cui, qui Filio-familias mutuam pecuniam dedit, etiam post mortem parentis ejus, cujus in potestate fuit, actio, petitioque detur.* Quod quidem privilegium factum est, non tam in favorem Filiorum, quam Parentum, ne scilicet Filii mutuo pecuniam accipientes insidiarentur vitæ Parentum, ut hereditate paterna consecuti, debita contracta solverent; & in pœnam mutuantium, ut sic retraherentur a mutuatione facienda Filiis familias.

13. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus non habet locum dispositio Senatus Consulti. 1. Si Filius habeat bona castrensia, vel quasi castrensia; nam ex illis tenetur solvere, nec potest uti exceptione Senatus Consulti Macedoniani. 2. Si communi errore credebatur sui juris, & non esse Filius-familias, eo quod officium aliquod publicum exerceret, vel mercaturam, prout habetur *l. 1. C. ad Macedonianum*, & *l. Zenoderus C. eod. tit.* quia tunc cessat præsumptio periculi, nec aliquid potest Creditori imputari. 3. Si mutuum non fit in pecunia numerata, sed in aliis rebus, ut in frumento, vino, oleo, & similibus, quia lex loquitur de mutuata pecunia; &, cum sit odiosa, & pœnalis, non debet extendi ad alias res, nisi datæ sint in fraudem legis, ut, iis rebus venditis, convertantur in pecuniam ad occultandum mutuum, ut habetur in *l. sed Julianus §. Mutui ff. ad Macedonianum.* 4. Si sciente, mandante, aut ratum habente Patre, pecunia mutuata sit. 5. Si in utilitatem patris pecunia versa sit, vel si pater debuisset eam secundum rectam rationem suppeditare, ut si filius absens caussa studiorum accipiat mutuum necessarium, ut vivat, vel libros emat, quia hujusmodi expensas facere non potuisset pater rationabiliter recusare. *L. Item si Filius-familias 7. §. quod dicitur ff. ad Macedonian.* 6. Si post mortem patris mutuum acceptum expresse, vel tacite approbavit, & approbare censetur, si partem illius solverit. 7. Quoties mutuum acceptum perseverat in specie apud filios, vel in virtute, quia ex illo facti sunt ditiores, quia tunc non obligantur vi contractus, sed ex re accepta, ut notat Palaus *punct. 3. n. 22.*

14. Si Filius renuntiavit tali privilegio, aut juravit, se soluturum, *an tunc uti possit exceptione Sen. C. Macedoniani*, non omnes conveniunt. De simplici renuntiatione dico, eam nullatenus subsistere, quia tale privilegium non est inductum in favorem Filiorum, sed Parentum, ne ipsorum mors a Filiis intentetur, & in fœneratorum detestationem. Nemo autem renuntiare potest privilegio in favorem alterius, & in odium delinquentium, & ad evitanda multa mala in Republica introducto. Si autem juravit, se soluturum, plures asserunt debere solvere, saltem post mortem patris, quia omne juramentum servandum est, quando sine peccato potest observari. Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 2. n. 9.* sed alii probabilius asserunt non obligari, quamvis juraverit, se soluturum, quia juramentum *non debet esse vinculum iniquitatis, nec est obligatorium, quando est contra bonos mores, vel in præjudicium tertii.* Cujusmodi est tale juramentum Filiorum, quod est in præjudicium Parentum: præbet Filiis occasionem peccandi, & est contra bonos mores, quia est de re prohibita per legem ordinatam ad bonum publicum, & ad præcavenda mala in Republica. Ita Panorm. in cap. *cum contingat de Jurejurando n. 22.* sequitur Rosignol. *contr. 3. prænot. 4. num. 14.*

15. Dubium tamen est: *an talis dispositio Senatus Consulti Macedoniani locum habeat non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ, adeo ut in foro conscientiæ non teneatur Filius-familias pecuniam mutuo acceptam, quam male consumpsit, restituere.* Sententia satis communis docet, S. C. Macedonianum excludere dumtaxat obligationem civilem pro foro exteriori, in quo non datur actio mutuanti, non vero obligationem naturalem, quæ nascitur ex contractu, ut constat ex *l. quia naturalis 10. ff. ad Maced.* tum quia Filius-familias, si, omissa S. C. exceptione, mutuum solvit, repetere non potest. *L. sed si Pater familias §. sed si non ff. ad Macedon.* ubi dicitur, Filius familias, qui, mortuo patre, solvit pecuniam sibi mutuatam, non posse eam amplius repetere, *quia ii demum solutam non repetunt, qui ob pœnam creditorum actione liberantur, non quoniam exonerare eos lex voluerit.* Ex quo sequitur, leges non liberare Filios-familias ab onere solvendi, secus solutam posset repeti, cum id, quod nec civiliter, nec naturaliter est debitum, si ex errore solvatur, recte repetatur; tum quia naturali æquitati repugnat, Filios-familias cum alterius damno locupletari: & ita tenent Covarr. Ricchardus, Padilla, Valerus, Michael Ferrua, Rebellus, & alii, quos affert, & sequitur Bossius *par. 3 var. moral. tit. 3 n. 229.* quæ sententia satis probabilis est, & consona æquitati naturali.

16. Probabilior tamen est Sententia opposita docens, Filios familias per S. C. Macedon. non solum liberari ab obligatione civili, sed etiam naturali, adeo ut in foro conscientiæ non teneantur solvere pecuniam mutuo acceptam sine consensu patris, exceptis casibus supra expressis. Ratio est, quia lex justa lata in utilitatem publicam ad avertenda mala a Republica, non solum obligat in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ, ut diximus in *tract. de Legibus*; sed talis est lex S. C. Macedon. quæ lata est in commune bonum Reipublicæ,

ad

ad tollendam omnem occasionem machinandi mortem parentibus, & in odium, & pœnam fœneratorum; ergo obligat in conscientia, & tollit obligationem civilem, & naturalem, secus male consultum esset Reipublicæ, bono communi; & parentum indemnitati, & fœneratorum iniquitati; siquidem Filii, ut ab ea obligatione liberarentur, & æri alieno, quo in conscientia gravantur, satisfacerent, suis parentibus insidias parabant: & ita tenent Innoc. & Panormit. in cap. *quia plerique n. 26. & 38. de immun. Eccles.* Lessius *lib. 2. c. 20. dub. 2. nu. 8.* Molina *disp. 301.* Rusignol. *prænot. 4. num. 5.* Layman, Sanch. & alii, quos affert, & sequitur Palaus *disp. 4. pun. 3. n. 6.* Andreas a Matre Dei *cap. 3. num. 10.* Diana *par. 8. tr. 7. res. 7.* & probabilem, & tutam dicit Bossius *loc. cit.*

17. Nec obstant fundamenta Sententiæ oppositæ; nam licet Filius ex contractu regulariter obligationem contrahat naturalem, lex tamen potest illius effectum impedire, tum quoad forum externum, tum quoad forum conscientiæ, declarando, non obligare in tali casu particulari, maxime quia lex, & publica auctoritas, justa intercedente caussa, potest rerum dominia uni auferre, & alteri adjudicare, sicut ex lege præscriptionis, jure confiscationis, irritatione testamenti minus sollemnis, & aliis exemplis probari potest. Filius-familias, qui, mortuo patre, mutuum solvit, non potest amplius repetere, quia, posita tali solutione, Respublica rei solutæ dominium, & retentionem creditoribus concedit, ne lites multiplicentur; nec credi possit S. C. Macedon. filiis voluisse favere, sed parentibus, deobligando filios ante solutionem. Periculum enim, quod lex consideravit, tunc potissimum subest, si Filius-familias mutuum recipiat, & cogatur ad solvendum, non autem si sponte solutum repetere nequeat. Nec obstat lex, *Sed & si pater §. ult.* nam solum significare intendit motivum, liberandi filios ab actione creditorum, & ab obligatione solvendi, non fuisse in favorem filiorum, quasi lex per se primo voluerit ipsos exonerare, sed in odium, & pœnam creditorum, ratione cujus filii remanent postea liberi ab onere solvendi, & per accidens, ac indirecte locupletentur cum aliorum jactura propter ipsorum culpam.

18. Dices: *Dispositionem S. C. Macedon. esse pœnalem in odium, & pœnam fœneratorum latam; ergo debet restringi, ut solum valeat pro foro exteriori, non pro foro conscientiæ. Adde, quod pœna non obligat ante sententiam Judicis, saltem declaratoriam criminis; ergo illa non potest Filius-familias in conscientia se tueri ante sententiam Judicis.* Sed contra dico, quod illa dispositio, licet sit pœnalis, & odiosa respectu fœneratorum, est tamen favorabilis respectu parentum, cujus indemnitati lex consulere voluit, & sic non est restringenda, sed late interpretanda. Pœna non obligat ante sententiam Judicis, quando pro sui executione requirit externum factum hominis: secus si nullam externam actionem requirat. Talis est pœna lata contra fœneratores, quibus leges solum denegant repetitionem pecuniæ mutuo datæ, cujus dominium, & possessionem adjudicavit Filiis-familias in pœnam fœneratorum.

19. Quæres: *An talis dispositio locum habeat, quando ille, qui mutuo dedit pecuniam Filio familias, bona fide dedit, ignorans dispositionem S. C. Macedoniani?*

Resp. non habere locum, si ille invincibiliter talem dispositionem ignorabat, quia ignorantia Juris sicut excusat a culpa, ita etiam excusat a pœna, ut diximus *in tract. de actib. humanis c. 1. dub. 6.*

DUBIUM IV.

Quid, & quotuplex sit Usura, & quo Jure prohibita.

20. Usuræ nomen ab usu derivatur, & sumitur aliquando pro usu alicujus rei; unde Cicero *in Verrem* ait: *Cur pyratis lucis usuram dedistis?* Sed magis communiter sumitur pro commodo, seu fructu ex rei alicujus usu proveniente. Sic Cic. *lib. de senectut.* ait: *Terra numquam sine usura reddit, quod accipit.* In præsenti sumitur pro lucro ex usu pecuniæ, seu mutuo proveniente, quod alio nomine fœnus, quamvis possit etiam sumi pro contractu, seu facto de lucro temporali supra sortem reddendo præcise ratione mutui; & in hoc sensu bene definitur Usura, quod sit *lucrum immediate proveniens ex mutuo.* Sic communiter Doctore.

21. Dicitur *lucrum*, & intelligitur quodcumque lucrum, seu commodum temporale pretio æstimabile, quod ultra sortem mutuo datam accipitur, tamquam debitum ex pacto, & obligatione justitiæ ratione mutui; sive deinde sit pecunia, sive frumentum, sive res alia temporalis pretio æstimabilis. Si enim paciscaris, ut pro pecunia mutuata quis tibi conferre teneatur Beneficium Ecclesiasticum, vel dare rem aliquam spiritualem, & sacram, potius simonia, quam usura commissa, dicetur, vel certe simonia simul, & usura.

22. Dicitur *immediate proveniens ex mutuo*, id est ex pacto, & obligatione contracta ratione mutui dicitur *ex mutuo*, quia usura proprie tantum committitur in contractu mutui, cum iste sit ex natura sua contractus gratuitus; in quo sufficit pecuniam mutuo acceptam reddere, sine mutuantis detrimento. In aliis contractibus, puta in emptione, venditione, permutatione, locatione, & similibus committi potest dolus, & injustitia, cum obligatione restituendi, ut si vendatur res vitiosa, aut carius justo pretio, sed non usura proprie dicta, quæ solum habet locum in contractu mutui, quando ultra sortem accipis lucrum, tamquam debitum ex pacto, & obligatione contracta ratione mutui: si aliquid plus datur ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, aut titulo liberalitatis, & amicitiæ, non erit usura, ut infra explicabitur. Quod si usura sumatur pro contractu usurario, tunc nihil aliud est, quam mutuatio cum pacto expresso, vel implicito recipiendi aliquid supra sortem ratione mutui.

23. Usura recte dividitur in *expressam*, & *tacitam*, seu *palliatam*. *Expressa* contingit, quando quis expresse petit, & exigit, pretium pro mutuo, ut si mutuet centum aureos cum obligatione, ac pacto expresso, ut post annum reddat centum cum auctario, seu centum & decem. Usura tacita, & virtualis, quæ etiam dicitur *palliata* non consurgit ex contractu mutui formali, & expresso, sed ex aliis contractibus, quibus imbibitur, & virtualiter includitur, & sub quorum apparentia, & specie, veluti pallio occultatur, ut in venditione, & emptione, quando præcise ob dilatam, seu anticipatam solutionem, aliquid de justo pretio detrahitur, vel supra justum pretium exigitur; hoc enim nihil aliud est, quam emptori mutuare pecuniam cum auctario restituendam, ut supra diximus *n. 4.* vel illam mutuare venditori, si ob anticipatam solutionem aliquid de justo pretio detrahitur. Dividitur etiam in realem externam modo explicatam, & mentalem, quando mutuans intendit lucrum ex mutuo recipere, tamquam debitum ratione mutui, quamvis nullum actum exterius apponat; & in prohibitam Jure divino, & naturali, & prohibitam solo jure Ecclesiastico, ut successive dicemus. Aliæ deinde sunt usuræ compensatoriæ, quæ non dantur, nec exiguntur præcise ratione mutui, seu in compensatione damni emergentis, aut lucri cessantis, vel ratione periculi, laboris, seu expensarum, quæ probabiliter solvenda erant in mutuo recuperando; & hujusmodi usuræ sunt licitæ, quia id, quod datur ultra sortem principalem, non datur præcise ratione mutui, sed ex alio titulo justo, in compensationem lucri cessantis, vel damni emergentis, ut dicetur infra *dub. 8.* Aliæ dicuntur usuræ punitoriæ, seu moratoriæ, quando intercedit pactum dandi aliquid supra sortem in pœnam, si tempore debito mutuum non restituatur. Aliæ dicuntur lucratoriæ, quando scilicet datur, & accipitur aliquid supra sortem ratione solius mutui, & de istis maxime procedit difficultas in præsenti.

24. Omnes conveniunt, Usuram esse illicitam, & prohibitam jure Divino, & Ecclesiastico, ut proinde *in Clement. unic. §. ult. de Usuris* dicatur: *Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuram non esse peccatum, decernimus, eum velut hæreticum esse puniendum.* Et Alexander III. cap. *super eo de usuris*, inquit, quod *Usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur.* Sic *Levit. 5.* dicitur: *Ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti.* Ezechiel. 18. *Qui ad usuram non accommodaverit, & amplius non acceperit, hic justus est, & vita vivet.* In Psal. 14. dicitur habitaturum in tabernaculo Domini, *qui ingreditur sine macula, operatur justitiam, loquitur veritatem, & pecuniam suam non dedit ad usuram;* & Lucæ 6. ait Christus: *Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes*, id est, nihil ultra, quam dedistis, lucri caussa recipientes.

25. Nec dicas: *verba Christi Domini non continere præceptum, sed consilium; sicut enim non est præceptum, sed consilium* mutuum dare: *sic etiam consilium est*, nihil sperare, *seu accipere.* Sed contra dico, primam partem, *mutuum date*, non continere præceptum, sed consilium; bene tamen continere præceptum alteram partem, *nihil inde sperantes*; ea ratione qua *Psal. 75. vers. 12.* dicitur; *vovete, & reddite Domino Deo vestro*, ubi *vovere* est de consilio, sed *reddere*, & observare votum est de præcepto, juxta illud Deuteron. 23. vers. 22. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris, quod autem semel egressum est de labiis tuis observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo.* Et quidem tali loco prohiberi usuras colligitur ex aliis Scripturæ locis suprapositis, & probat Urbanus III. cap. *Consuluit*, & Alex. III. cap. *super eo, de Usuris*, dicentes: usuram utriusque Testamenti paginam detestari; & in novo Testamento vix alibi clarius prohibetur usura, quam in allato Textu, *Lucæ 6.* consonat Leo X.

cum Conc. Later. *sess.* 10. ubi sit: *Dominus noster* (*Lucæ Evag. attestante*) *aperto nos præcepto adstrinxit? ut ex dato mutuo quidquam ultra sortem sperare debeamus.* Alias explicationes hujus loci affert Malderus 2. 2. *tr.* 5. *de Mutuo, & Usura dub.* 3. Difficultas est: *an Usura sit prohibita solum jure Ecclesiast. & Divino, vel etiam jure naturali, ita ut nullo modo possit cohonestari.*

26. Resp. Usuram esse illicitam, & prohibitam non solum jure Divino, & Ecclesiastico, sed etiam jure naturali. Ratio est, quia injustitia est intrinsece mala, & jure naturali prohibita, cum sit contra justitiam commutativam, quæ servat æqualitatem inter contrahentes, & inter datum, & acceptum; sed usura continet injustitiam; nam mutuator, vel lucrum capit ex mutuo pro ipsa sorte, & capitali, & tunc plus accipit, quam dedit; nam mutuo dedit centum, & accipit centum, & decem, in quo non servatur æqualitas dati, & accepti, ac proinde committitur injustitia; vel lucrum recipit pro usu sortis, & capitalis, & tunc recipit id, quod suum non est. Siquidem usus, & utilitas cujuslibet rei spectat ad dominum illius rei, sed dominus rei mutuatæ non est ipse mutuans, sed mutuatarius, mutuum enim inde nomen accipit, quod *ex meo tuum fiat*, ut supra diximus; ergo ad mutuatarium spectat usus, & commodum talis rei, non ad mutuantem, qui proinde absque injustitia non potest illud sibi usurpare. Ita communiter Theologi, & Juristæ, cum D. Th. 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. Molina Aragon. Bannez, Valentia Salon. & alii, quos affert, & sequitur Salas *tract. de Usuris*, *dub.* 3. *n.* 3.

27. Dices: *non esse injustam, nec illicitum lucrum sumere pro usu rei; nam de facto in locatione lucrum sumitur pro usu rei locatæ.*

Sed contra disparitas est, quia in contractu locationis locator retinet dominium rei locatæ, ac proinde debet ipsi fructificare, & ad eum pertinere commodum, & utilitas a conductore percepta, quod non contingit in mutuo, ubi dominium rei mutuatæ non manet apud mutuantem, sed transit in mutuatarium, ad quem spectat commodum, & utilitas rei mutuatæ, sicut ad ipsum spectat etiam periculum. Deinde mutuum consistit in rebus usu consumptibilibus, in quibus usus quoad moralem æstimationem non distinguitur a dominio, sicut in rebus permanentibus. Adde, quod pecunia est ex natura sua sterilis, & infœcunda, quæ non parit fructum, nec aliam pecuniam.

28. Nec dicas: *argentum, & aurum monetarum non differt specie ab alio in vasa formato; sed licitum est pretium exigere pro accommodatione vasorum aureorum, & argenteorum; ergo etiam licitum est aliquid accipere pro mutuatione monetæ aureæ, & argenteæ.*

Contra enim est, quia in locatione vasorum argenteorum non transfertur dominium, sicut in mutuatione pecuniæ, nec illorum principalis usus est illorum consumptio, ac proinde possunt locari, & pretium pro locatione sumi; non vero pro mutuatione pecuniæ, cujus dominium transfertur in mutuatarium, & illam expendendo moraliter consumitur, nisi forte locare velis pecuniam pro sola ostensione, & pompa, retento tibi illius dominio; ut habet D. Thomas *cit. loc. ad* 6.

29. Dices 2. *Usuras olim fuisse Hebræis permissas Deuter.* 23. Non fœnerabis fratri tuo, sed alieno; *ergo usura non est intrinsece mala, nec jure naturali prohibita, secus non potuisset a Deo Judæis permitti.* Sed contra respondet Div. Th. 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *ad* 2. *Quod autem ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad majus malum vitandum, ne scilicet a Judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant*; sicut ex multorum sententia libellus repudii non erat illis licitus, sed impune permissus; sicut inter nos permittitur meretricium. Aliter respondetur, Judæis licitas fuisse usuras propter dominium, quod Deus illis concessit in bona gentium utpote suorum inimicorum, a quibus sicut poterant illa bona auferre per arma, & bellum, ita etiam poterant per usuras bona sibi concessa recuperare; sicut *Exod.* 12. concessum fuit Judæis, ut Ægyptios spoliarent vasis argenteis, & aureis, ac vestibus sibi commodatis; & sicut Judæi, spoliando Ægyptios, non commiserunt furtum, ita nec commiserunt usuram recipiendo fœnus a gentibus pro mutuo, quia utrobique acceperunt id, quod sibi erat a Domino concessum.

30. Dices 3. *Volenti, & consentienti non fit injuria, sed mutuatarius libere consentit in solutione usuræ; ergo illi nulla fit injuria.* Respondet D. Thom. *loc. cit. ad* 7. *Quod ille, qui dat usuram, non simpliciter voluntarie dat, sed cum quadam necessitate, in quantum indiget accipere pecuniam mutuo, quam ille, qui habet, non vult sine usura mutuare.* Quod si absque necessitate mutuum petit, non tamen usuram solvit, nisi ex quadam necessitate, in quam eum mutuator conjicit; nam, supposita mutuatarii libera voluntate mutuum petentis, quia prætat sibi utile futurum, mutuator conjicit eum in necessitatem dandi fœnus, & ideo quodammodo involuntarium per injuriam cogit, ut habet Malderus *dub.* 3. *circa finem.*

31. Leges Civiles, quæ olim permittebant usuras, revocatæ, & correctæ fuerunt per Jus Canonicum; & in *Clement. unic. de Usuris* excommunicantur Judices cogentes ad solutionem usurarum; quapropter non est amplius licitum eas permittere, nec etiam Hebræis, ut fuse probat Rusignol. *contr.* 3. *prænot.* 8.

„ *Fusius vide hæc omnia claritate, & eloquentia pari a Pontifice nostro in sua Synodo Diœcesana pertractata lib. X. cap. IV. Edition. Rom. num. II.*

„ II. Omne lucrum ex mutuo præcise *ratione mutui*, uti loquuntur Theologi, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto, usurarium, atque omni jure, naturali scilicet, Divino, & Ecclesiastico, illicitum esse, perpetua fuit, & est Catholicæ Ecclesiæ doctrina, omnium Conciliorum, Patrum, & Theologorum unanimi consensione firmata. Huic contradixere Græci schismatici, qui, teste Guidone Carmelita *in Cathalogo Hæreticorum*, quodcumque lucrum ex mutuo permiserunt. Græcis ex parte consensit Calvinus, qui ad *cap.* 18. *Ezechielis* licere docuit aliquod moderatum lucrum, non quidem a paupere, sed a divite, præcise ratione mutui exigere. Errorem a Calvino obiter insinuatum, ex professo propugnavit Carolus Molinæus in suo *Tractatu de Usuris*, ubi *nu.* 10. audacter affirmat, usuram non esse prohibitam, *nisi in quantum est contra caritatem.* Distinguit deinde *num.* 85. tres hominum gradus. Primus complectitur pauperes, emendicata stipe viventes, quibus non mutuo, sed eleemosyna succurrendum, ait: alter indigentes, qui pro tempore indigent, quamvis pares sint, mutuo postea restituendo; atque his quoque mutuum gratuito dandum asserit; tertius gradus complectitur divites, & mercatores, qui nihil indigent, sed rem suam negotiatione amplificare student; & ab his usuram moderatam, ratione mutui, juste, ac sancte exigi posse, tradit Molinæus. Eamdem pravam opinionem amplexatus, alia ratione defendit Claudius Salmasius in duplici Tractatu, altero inscripto *de Usuris*, altero *de Trapezitico fœnore*, quibus in locis usuram, nisi caritatem lædat, ab omni culpa absolvit, eo quod sit *merces locatæ pecuniæ*. Verum, quamquam plurimi Heterodoxi, Calvini, Molinæi, & Salmasii systemati stabiliendo allaboraverint, inter quos Petrus Heinigius *lib.* 2. *qu.* 1. Gerardus Noodt *de Fœnore, & Usuris lib.* 1. Gronovius, & Barbeyrac *in notis ad Hugonem Grotium lib.* 2. *cap.* 12. Bohemus *Jur. Ecclesiast. Protest. tom.* 5. *lib.* 5. *tit.* 19. rationem tamen, qua eam Salmasius tutatus est, fere omnes refellerunt, recte arbitrantes, mutuatæ pecuniæ dominium transferri in mutuatarium, ac propterea non posse mutuum locationi ullo pacto comparari, sicuti testatur Gottfridus Moscovius *in notis ad Pufendorf. lib.* 5. *cap.* 7. §. 5.

„ III. Impiæ Calvini, & Molinæi opinioni non veriti sunt subscribere pauci quidam Doctores Catholici. Distinguunt & isti duplex genus mutui: unum, quo pecunia, aliave res datur ad consumptionem, quod plerumque fit cum indigentibus pecuniam mutuam accipientibus, ut se, suamque familiam sustentent, debita solvant, filiam nupti tradant &c. alterum, quo datur ad negotiationem, ut cum mercatoribus fieri solet, qui acceptam mutuo pecuniam negotiatione augent, ingensque ex ea lucrum reportant. In primo casu usuram esse fatentur, quidquid exigit ultra sortem. At a fœnoris labe excusant lucrum, quod in secundo casu ex mutuo percipitur, dummodo sit moderatum, modumque servet a patriæ legibus definitum.

„ IV. Novam hanc distinctionem, ab Hæreticis primum excogitatam, præverterant Ecclesiæ Patres, qui uno ore, absolute, atque indefinite fœneratitium pronuntiaverant quidquid ex mutuo ultra sortem exigitur. Tertull. *lib.* 4. *contra Marcionem cap.* 17. ita explicat Ezechielis locum: *Pecuniam*, inquit, *suam fœnori non dedit, & quod abundaverit, non sumet, fœnoris scilicet redundantiam, quod est usura.* S. Basilius *in Psal.* 14. *to.* 1. *Oper. pag.* 107. allegato pariter Ezechielis loco, ait: *Ezechiel id in maximis malis recenset, si fœnus, & quidpiam ultra sortem accipiatur.* S. Ambros. *lib. unic. de Tobia c.* 14. *n.* 49. *to.* 1. *Oper. col.* 607. *Et esca usura est, & vestis usura est, & quodcumque sorti accedit, usura est.* S. Hieronymus *in Ezechielem lib.* 6. *cap.* 18. *tom.* 5. *Oper. col.* 210. *Alii pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, & non intelligunt, usuram appellari, & superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo,*

„ *quod*

quod dederint, plus acceperint. S. August. *in Psal.* 36. *ser.* 3. *n.* 6. *to.* 4. *Oper. col.* 285. *Si fœneraveris hominem, id est mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid, plusquam dedisti expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plusquam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si, plusquam dedisti expectas accipere, fœnerator es.* Concil. Agathense relatum a Buchardo *lib.* 2. *c.* 126. ab Ivone *par.* 6. *c.* 200. & a Gratiano *caus.* 14. *qu.* 3. *Can.* 4. *Usura est, ubi amplius requiritur, quam datur, v. gr. si dederis solidos decem, & amplius quæsieris.* Ex quibus Gratianus ibidem concludit: *Ecce evidenter ostenditur, quod, quidquid ultra sortem exigitur, usura est.* Patribus adhæsere veteres Theologi, qui, duce Divo Thoma 2. 2. *qu.* 78. *art.* 2. adeo districto omne lucrum ex mutuo jure naturali, & divino vetitum asseruere, ut ne munus quidem *ab obsequio, aut a lingua*, quod certe quidem minimum est, nullique onerosum, a mutuatario, solius mutui caussa, exigi posse docuerint.

V. Neque vero Calvini, & Molinæi asseclis suffragantur, aut loca Sacræ Scripturæ speciatim prohibentia, ne pauperes usuris opprimantur, uti *Exodi* 22. *vers.* 25. & *Levitici* 25. *vers.* 35. aut sententiæ Patrum, usuras dumtaxat redarguentium immoderatas, aut Canones Conciliorum, puta 36. ex Apostolicis, 17. Nicænus, & 12. Concilii Arelatensis primi, solos Clericos fœneratores severis pœnis subjicientes. Etenim antiqui Testamenti pagina in ipsismet in contrarium adductis locis, & adhuc clarius *Deuteronomii* 23. *vers.* 19. *Ezechielis* 18. & *Psal.* 14. omnem omnino usuram absque ullo personarum, a quibus exigatur, discrimine, prohibet, & detestatur; pauperes autem alicubi expresse nominat, vel tantum exempli caussa, quia plerumque contingit, ut illi magis egeant opis alienæ, & necessitate adacti mutuum accipiant, etiam sub obligatione immoderatum fœnus solvendi, quemadmodum ad prædictum Exodi caput adnotavit etiam Hugo Grotius; vel quia usuræ, quæ a pauperibus extorquentur, præter propriam pravitatem, quamdam redolent sævitiam, & immanitatem, speciali nota, & reprehensione dignam, sicuti ratiocinatur Gibalinus *de usuris lib.* 1. *c.* 7. *art.* 2.

VI. In novo autem Testamento Luc. 6. illis Christi Domini verbis = *mutuum date, nihil inde sperantes* = præceptum tradi, seu verius naturalem legem iterum inculcari, nihil prorsus lucri ex mutuo ab ullo, sive paupere, sive divite, exigendi, non solum docet D. Th. 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *ad* 4. sed concors fuit Conciliorum, Patrum, Summorumque Pontificum sententia, præcipue Urbani III. *in Cap. Consuluit, de Usuris*, qui præfati textus auctoritate omnem, quantumvis minimam usuram universim vetitam pronuntiavit; explicans enim præfata Christi Domini verba, iis prohibere ait, *omnem usuram, & superabundantiam.* Dicere autem, Summos Pontifices, & Concilia prædicti textus verum, & genuinum sensum non esse assequuta, quod aliquos mussitare non puduit, & temerarium, & fere hæreticum est: quidquid enim sit, an Ecclesia non solum infallibili polleat auctoritate in definiendis quæstionibus Fidem, aut mores respicientibus, quod nullus Catholicorum negat, sed etiam in delectu rationum, quas ad suas definitiones stabiliendas interdum adducit, de quo nonnulli Catholici dubitarunt; certum, & indubitatum est, eam errare non posse in interpretanda Divina Scriptura, ejusque genuino sensu Fidelibus aperiendo.

VII. Haud absimilis reponimus ad testimonia Patrum. Hi siquidem, licet vehementius invehantur in usuras immoderatas, atque a pauperibus extortas, veluti culmen sceleris, ad quos homines pertrahit sordida, atque insatiabilis avaritia; non idcirco tamen approbant moderatas a divitibus exigendas; quinimmo etiam istas aliis in locis expresse condemnant. Enimvero S. Ambr. *cit. lib. de Tobia c.* 6. *to* 1. *Oper. col.* 597. de iis agens, qui pecuniam suam fœnerantur, non indigenti, sed diviti, sed negotiatori, cui uberes proventus pariat, eos in hunc modum increpat: *Nihil nequius fœneratoribus, qui aliena damna lucra sua arbitrantur, & dispendio suo deputant quidquid ab aliis possidetur. Aucupantur heredes novos, adolescentulos divites explorant per suos, adjungunt se, simulantes paternam, & avitam amicitiam, volunt domesticas eorum cognoscere necessitates . . . . sin vero nullos laqueos alicujus necessitatis offenderint, intexunt tabulas, ajunt, nobile prædium esse venale, amplam domum: accumulant proventus fructuum, annuos reditus exaggerant, hortantur, ut coemant. Similiter faciunt, pretiosas vestes, & monilia nobilia prædicantes. Negant se habere pecuniam ingerunt suam, dicentes: utere ut tua; de fructibus emptæ possessionis pretium multiplicabis, debitum reddes.* Et c. 14. col. 607. *& putas te pie facere, quia a negotiatore velut munus suscipis? Inde ille fraudem facit in mercium pretio, unde tibi solvit usuram. Fraudis illius tu auctor, tu particeps, tibi proficit quidquid ille fraudaverit. Et esca usura est, & vestis usura est, & quodcumque sorti accedit, usura est. Quod velis ei nomen imponas: usura est.* Similiter Hieronym. *in cit. cap. Ezechiel. tom.* 5. *Oper. col.* 210. perinde ac si cum illis ipsis congrederetur, contra quos pugnamus, fœnus reprobat, etiam ex re percipiendum, quæ ingentem fructum mutuatario attulit, inquiens: *solent argumentari, ac dicere: dedi unum modium, qui satus fecit decem modios; nonne justum est, ut medium modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate novem, & semis de meo habeat? Nolite errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur. Respondeat enim nobis breviter fœnerator misericors, utrum habenti dederit, an non habenti? Si habenti, utique dare non debuerat. Sed dedit quasi non habenti; ergo quare plus exigit quasi ab habente?*

VIII. Ad Canones quod attinet, si argumentum, quod ex illis instaurant, quidquam haberet roboris, & efficacitatis, probaret etiam fornicationes, & adulteria esse Laicis permissa, quia plerique Canones in solos Clericos fornicarios, & adulteros, nulla facta Laicorum mentione, animadvertunt; quæ sane argumentatio inepta, & ridicula foret; novum quippe non est, Ecclesiam severius in Clericis punire delicta, quæ etiam in Laicis execratur, sicuti opportune, & ad rem apposite monuit Concil. Carthag. I. *Can.* 13. *Quod in Laicis reprehenditur, id multo magis in Clericis oportet prædamnari.* Ceterum non desunt alii innumeri Canones, Clericos æque, ac Laicos usurarios redarguentes; atque, ut alios prætereamus, antiquissima Synodus Eliberitana *Can.* 20. *to.* 1. *collectionis Harduini col.* 252. hæc habet: *Si quis Clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit, eum degradari, & abstineri. Si quis etiam Laicus accepisse probatur usuras, & promiserit correctus, jam se cessaturum, nec ulterius exacturum, placuit, ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate duraverit, ab Ecclesia esse projiciendum.* Ac Leo Magnus *Epist.* 3. *ad Episcopos per Campaniam, Picenum, Tusciam, & universas Provincias constitutos c.* 3. *relat. can.* 7. 14. *q.* 4. exagitans usuræ peccatum, ait: *Quod nos, non dicam in eos, qui sunt in Clericali officio constituti, sed & in Laicos cadere, qui Christianos se dici cupiunt, condolemus.*

Jure itaque, ac merito Auctores permittentes moderatum lucrum ex mutuo a divite, & negotiatore exigere, veluti adversantes communi, & perpetuæ Catholicæ Ecclesiæ doctrinæ inclamarunt, & validissimis argumentis confutarunt Navarr. *Comment. de Usuris n.* 8. & *seq.* Gibalinus, & Leotardus, in suo quilibet *de Usuris* Tractatu, Cardinalis de Lugo *de Just. & Jure to.* 2. *disp.* 25. Jacobus Gaytte egregio Opere, quod concinnavit adversus Molinæum, Salmasium, Auctoremque libelli Gallici *du Traité de la pratique des Billets*, Saintebeuve *in resol. casuum conscientiæ to.* 2. *ult. edit. Paris. an.* 1700. *cas.* 210. *pag.* 482. & *seq.* Aloysius Bulteau, seu Bultellus *in Apologia pro Lactantio in materia usurarum, edita Parisiis anno* 1677. Pouget *in suis Cathol. Instit. to.* 1. *p.* 760. Natalis Alexander *Theol. dogmat. & moral. to.* 2. *lib.* 3. *cap.* 7. Genett. *Theol. mor. to.* 1. *tr.* 4. *de mutuo, & usura qu.* 6. & *seq.* Pontas *in diction. cas. conscient. tom.* 3. *verb. Usura*, Continuator Prælectionum Theologicarum Honorati Tournely *tr. de contract. part.* 2. *cap.* 3. aliique plurimi.

X. Verum, quoniam tot Doctorum auctoritate, & argumentis minime perterriti, prædictam exoticam opinionem nonnulli iterum refricare non dubitamut, propterea nos ad Petri Cathedram evecti, ne Catholicæ Doctrinæ puritas, cujus depositum nobis est a Christo concreditum, hac erroris labe fœdaretur, datis ad Italiæ Episcopos encyclicis litteris sub die prima Novembris 1745. hæc inter cetera declaravimus: primo, omne lucrum ex mutuo, ratione mutui, usurarium, & illicitum esse: secundo, ad usuræ labem purgandam, nullum arcessiri posse subsidium, vel ex eo, quod id lucrum, non excessivum, & nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit, vel ex eo, quod is, a quo id lucrum, solius caussa mutui, deposcitur, non pauper, sed dives existat, nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus, tertio, quamquam una cum mutui contractu possint quandoque alii tituli, ut ajunt, forte concurrere, ipsi mutuo extrinseci, a quibus justa oriatur caussa aliquid, ultra sortem ex mutuo debitam, exigendi; attamen falso, & temere affirmari dixi-

mus, ejusmodi titulos semper reperiri, ac ubique præsto esse, ita ut illorum ratione, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis, alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram, salvamque, recipere. Alia præterea edisimus, atque in contractibus servanda commendavimus, quæ in Episcopales Synodos utiliter inseri poterunt, ne usuræ macula inficiantur; sicuti videre est in præfatis nostris litteris, quæ sunt in ordine 143. *Bullarii nostri tom.* 1. quasque nupertime theologico Commentario illustravit Daniel Concina Ordinis Prædicatorum Theologus.

XI. Quamobrem, si jampridem aliquot Episcopi, inter quos Cardinalis de Camus Episcopus Gratianopolitanus, Cardin. de Bissy, tunc Episcopus Tullensis, Jacobus Benignus Bossuet Episcopus Meldensis, & Bragadinus Episcopus Veronensis, in suis Edictis, & Pastoralibus Instructionibus præfatam proscripserant erroneam opinionem, utpote quam noverant jam a Conciliis, Summorumque Pontificum Constitutionibus prædamnatam; multo magis integrum nunc erit Episcopis illam, postquam iterum nominatim, & expresse est ab Apostolica Sede reprobata, novis, si opus fuerit, Constitutionibus e sua Diœcesi exturbare, eamque temere disseminantes, aut usu ipso approbantes, severis pœnis coercere.

XII. Post eliminatum Hæreticorum errorem, qui, paucorum fraudulentia, etiam in Catholicam Rempublicam irrepere cœperat, abs re non erit obiter detegere falsam doctrinam, qua sunt imbuti Judæi inter Christianos degentes. Ex illis Deuteronomii verbis *cap.* 23. = *Non fænerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamcumque aliam rem, sed alieno* = inferunt Hebræi, sibi licere fœnerari Christianis, quos, licet inter eos versentur, pro alienis habent, & extraneis. Facile quidem esset hanc Judæorum fallaciam retundere, aut dicendo cum Ambrosio *cit. lib. de Tobia c.* 15. in allegato textu, permissum dumtaxat fuisse Judæis usuras exigere ab Amorrhæis, Amalecitis, aliisque vicinioribus populis, a quibus Deus dominium abstulerat rerum omnium, quas possidebant, & Judæis contulerat; aut dicendo cum D. Th. 2. 2. *cit. q.* 78. *art.* 1. *ad* 2. non fuisse permissum Hebræis usuras exigere ab extraneis, sed tolleratum, tamquam minus malum, eo pacto, quo, propter duritiam cordis eorum, fuit in illis toleratum uxorum repudium; quod etiam ante Div. Th. senserat Alexander de Hales *par.* 4. *q.* 86. *art.* 2. ubi ait: *Numquam fuit Judæis licitum fænerari alieno, sed permissum fuit illis, sicut dare libellum repudii, propter duritiam cordis sui. Peccabant tamen mortaliter fænerando alieno; sed permittebatur eis duplici de caussa, scilicet, ne facerent pejus, id est, ne fænerarentur fratribus suis, & quia duri erant, & paullatim trahendi ad perfectionem.* At, quoniam res est cum Hebræis, qui Theologorum, & SS. Patrum auctoritatem irrident, nec ullus nobis suppetit modus evellendi pravam illam opinionem, quæ in eorumdem mentibus altas egit radices, unum faciendum superest; ut detrimentum, quod ex falsa illius opinionis usu, in detrimentum cedit, & oppressionem pauperum Christianorum, pro viribus impediamus; neque aliter id præstari potest, quam opportunis Constitutionibus Episcoporum, & Christianorum Principum Edictis, quibus severe prohibeantur Judæi Christianorum loca incolentes, ne ratione mutui quidquam a Christianis extorqueant, & certa simul præscribatur quantitas lucri, ultra quam nihil impune exigere possint ex aliis contractibus cum Christianis initis.

XIII. Primum statutum fuit in Conc. Albiensi an. 254. edito a Luca Dacherio *to.* 1. *Spicilegii*, in cujus *c.* 19. *pag.* 724. habetur: *Statuimus, & mandamus, in his, quæ deinceps mutuaverint Judæi Christianis, Christianorum spiciarum fiatur simplici juramento, an quidquam usurarium sit in eis; & in eo, quod usurarium esse dixerint, sic jurati absolvantur.* Quod decretum renovatum legimus in Conc. Montis Pessulani anni 1258. *c.* 5. *eodem to.* 1. *Spicilegii pag.* 725. Alterum edixit Innoc. III. in Conc. Generali Lateran. *c.* 67. relato in *cap. Quanto magis, de usuris*, ubi districte vetuit, ne Judæi, obtentu cujuslibet contractus, quem ceteroquin licita cum Christianis inire queunt, graves, & immoderatas usuras exigant: *Synodali Decreto statuimus, ut, si de cetero, quocumque prætextu Judæi a Christianis graves, & immoderatas usuras extorserint, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter.* Utrumque vero ad compescendos fœneratores Judæos in temporali ditione Ecclesiæ commorantes, iterum decernendum consuluit Marcellus Severolus, Sacri Consistorii Advocatus, Nobis, dum viveret, singularis amicitiæ nexu conjunctus, in suo elaborato suffragio, edito apud Passeranum *in cap. Quamquam*, 2. *post num.* 84. *de usuris in* 6. Et, ne a Synodis recedamus, ita nupertime statuit Episcopus Pisaurensis in sua Diœcesana Synodo, habita an. 1742. tit. 4. nu. 17. cujus exemplum poterunt alii Episcopi imitari.

DUBIUM V.

An quælibet obligatio imposita Mutuatario contineat usuram.

32. SOlent aliquando mutuantes pacta quædam apponere in mutuo ad occultandas usuras, de quibus videndum est in præsenti: *An vere licite possint apponi, vel usuram contineant; ut sunt pactum remutuandi, conferendi officium, aut beneficium, remittendi injuriam, reintegrandi amicitiam, frequentandi officinam, molendinum, vel aliquid conferendi ex gratitudine*; de quibus omnibus universaliter

33. Resp. conventionem, & pactum quodcumque, per quod mutuatario imponitur onus, & obligatio ex justitia aliquid præstandi, ad quod alias non tenebatur, esse usurarium, & illicitum. Ratio est, quia usura est lucrum immediate proveniens ex mutuo, id est ex pacto, & obligatione unice contracta ratione mutui, & tamquam ejus pretium, & ut debitum ex justitia, non quia vere debeatur ex justitia, sed quia exigitur tamquam si esset debitum ex justitia, & titulo oneroso ex pacto, & conventione ipsorum contrahentium; ergo lucrum, & commodum quodcumque pretio æstimabile tali pacto collatum, est usurarium, sive sit pecunia frumentum, aut obligatio civilis quidquam præstandi ratione mutui, quia per tale pactum aliquid exigitur supra sortem, quod alias est indebitum; secus si tale lucrum non proveniat immediate ex mutuo, sed mediate, titulo solius gratitudinis, liberalitatis, aut amicitiæ, secluso quocumque pacto explicito, aut implicito.

34. Hinc sequitur, committi usuram ab illo, qui mutuat alteri sub onere, ut ipse remutuare teneatur, quoties mutuans indiguerit, quia talis obligatio remutuandi in futurum, est pretio æstimabilis, quæ sine usura non potest apponi, cum sit onus distinctum ab obligatione mutui, vi cujus mutuatarius solum tenetur ex justitia reddere sortem principalem. Non est tamen illicitum, nec usurarium vicissim mutuum dare, aut vicissim sese obligare ad mutuandum, sive de præsenti, sive in futurum; nam contrahentes tunc sunt pares in obligatione, si unus præ alio non magis gravetur, aut ratione temporis, aut ratione materiæ mutuandæ, vel alterius circumstantiæ: quod affirmare videtur D. Thom. qu. 78. *art.* 2. *ad* 4. dicens: *Repugnat mutuationi obligatio ad mutuum faciendum in posterum, quia etiam talis obligatio pecunia æstimari posset, & ideo licet simul mutuanti unum aliquod aliud mutuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuum faciendum in posterum*: & ita cum Lessio, Reginaldo, & aliis tenet Bonacina *disp.* 3. *qu.* 3. *p.* 3. *n.* 9.

35. Similiter usura est mutuata sub obligatione civili, & onere imposito mutuatario, ut officium, vel beneficium, privilegium, seu exemptionem a gabellis tibi, aut alteri conferat, quamvis illud officium, seu beneficium alicui esset a mutuatario gratis concedendum; ut ex tua officina merces emat justo pretio, quas alias esset empturus; ut in tuo molendino, quod præ aliis non longius distat, molat triticum: ut pro te fidejussor existat; domum conducat, aut vendat; vel etiam mutuam Judici, ut iniquam Sententiam ferat; aut mulieri, ut sui corporis copiam faciat: idem valet de quocumque alio obsequio a manu, seu lingua præstandum. Horum omnium ratio est, quia obligatio civilis ad hæc omnia præstanda, est quædam servitus, per quam mutuatarius privatur libertate, quam habet emendi, vendendi, officium, seu beneficium conferendi, cui voluerit, quæ quidem servitus imposita mutuatario, est pretio æstimabilis, sicut etiam plura ex iis sunt pretio æstimabilia, quæ proinde faciunt usuram, si ex novo pacto, seu civili obligatione, quasi ex justitia, & non solius amicitiæ, & gratitudinis a mutuatario exigantur, ut habet Rosignol. *contr.* III. *prænot.* 10. *nu.* 2. & 3. Palaus *disp.* 4. *pun.* 11. Anton. a Spiritu Sancto *disp.* 15. *numer.* 584. Bonacina, Salas, & alii magis communiter.

36. Usura pariter est, deducere in pactum amicitiam, familiaritatem, & laudem, quia licet exhibere signa familiaritatis, & laudes non sint pretio æstimabilia, tamen obligatio illa præstandi est novum onus pretio æstimabile, quod indebite imponitur mutuatario. Usura item est deducere in pactum, ut mutuatarius desistat a lite, ut condonet injuriam, & vexare desinat, quan-

quando lis, & vexatio est justa, quia potest justam vindictam, & satisfactionem exigere; secus si lis, aut vexatio esset injusta, quia mutuans nullum inde lucrum reportat, sed solum damnum, & vexationem indebitam evitat. Ita cum Salas, Petro Navarr. & Corrad. tenet Palaus *disp.* 4. *pun.* 20. *nu.* 2. *&* 3. Rosignol. *prænot.* 10. *num.* 2. & cum Lugo, & Lessio Antonius a Spiritu Sancto *num.* 583.

37. Usura est obligare mutuatarium ad restituendum mutuum in alio loco, in quo non accepit, si inde mutuatarius gravatur; vel ipsum obligare, ut partim recipiat in pecunia, & partim in mercibus, quibus non indiget, & alias non erat empturus, quia imponis onus, & obligationem indebitam. Molina *disp.* 310. *casu* 2. Salas *dub.* 17. Palaus *p.* 12. *n.* 4. Item obligare mutuatarium, ut mutuum restituat in re diversæ rationis, aut vendat vinum, vel triticum tempore messis pretio currenti, quia imponis obligationem indebitam vendendi res suas, quas non erat venditurus, sed erat conservaturus. Bonac. *p.* 3. *num.* 6.

38. Resp. 2. Non est usura obligare mutuatarium ad ea facienda, quæ in conscientia facere tenetur, aut suæ obligationi satisfaciat. Ratio est, quia hujusmodi pactum non superaddit novum onus, quod magis gravet mutuatarium, cum ad id præstandum jam teneretur in conscientia; &, si forte lucrum inde aliquod eveniat mutuanti, non erit ratione mutui, sed aliunde, puta titulo justitiæ, & sic tale pactum non continet usuram: in quo conveniunt Doctores communiter. Inde licitum est mutuare sub onere, quod mutuatarius Missam audiat die festo, impleat votum, desistat ab odio, & iniqua vexatione, ut restituat pecuniam mihi, vel alteri vere debitam, quia in eo non imponitur nova obligatio justitiæ: idem valet in similibus, quando mutuatarius non magis gravatur, quam mutuatio gravet mutuantem. Ita cum Sylvestro, & Hostiensi, Antonius a Spiritu Sancto *num.* 585. Bonacina *qu.* 3. *pun.* 3. *num.* 15. *&* 16. Malderus *dub.* 8. Si autem aliquid non sit debitum ex justitia, sed solum ex caritate, ad id præstandum non potest mutuatarius obligari obligatione civili, quia illi imponeretur onus, quod antea non habebat; onus autem quodcumque indebitum continet usuram, & debitum caritatis verteretur in debitum justitiæ. Malderus *dub.* 4. Salas *de usuris dub.* 9. *n.* 5. oppositum probabiliter putat Palaus *p.* 14.

39. Non est usura obligare mutuatarium ad dandam cautionem fidejussoriam, aut pignus, quia hæc non exiguntur tamquam pretium mutui, sed ad securitatem rei mutuatæ. Palaus *pun.* 22. *nu.* 6. Andreas a Matre Dei *cap.* 3. *num.* 65. *fine*.

DUBIUM VI.

An liceat in Mutuo ultra sortem aliquid exigere tamquam ex Benevolentia, & Gratitudine debitum.

40. Cessante quocumque pacto, sive explicito, sive implicito, non est illicitum, nec usura, donum, sive obsequium aliquod accipere a mutuatario gratis, & liberaliter collatum; nam, quod gratis simpliciter datur titulo gratitudinis in recognitionem mutui accepti, non datus in pretium, nec ex pacto, seu obligatione civili; & sic non est usura, quæ necessario includit pactum, saltem virtuale. Nec sufficit obligatio antidoralis, quæ est simpliciter gratuita, quamvis non sit omni ex parte liberalis, nec importat debitum justitiæ, sed debitum morale, & gratitudinis, ut in simili diximus *in tract. de Simonia cap.* 1. *dub.* 7.

41. Difficultas in præsenti est: *An possit talis obligatio antidoralis in pactum deduci, adeo ut mutuans dicat, se mutuum gratis, & liberaliter conferre cum hac conditione, & pacto, ut mutuatarius antidoralem obligationem adimpleat, dando gratis aliquam pecuniæ quantitatem, vel aliquod temporale donum, aut conferat officium, privilegium, exemptionem a gabellis, merces emat in sua officina, molat in suo molendino, vel aliquid hujusmodi.* Affirmant Adrian. Angel. Major. Almain. & favent Navarr. & Covarr. relati a Palao *disp.* 4. *de just. commut. pun.* 14. *n.* 4. quatenus asserunt, mutuatarium vi mutui compelli posse ad exequenda, quæ ex gratitudine tenetur, modo mutuans expresserit, se nolle aliam obligationem inducere, quam ex gratitudine. Ratio est, quia ex vi mutui, sicut potest exigere obligationem ex justitia, sic poterit exigere executionem obligationis ex gratitudine.

42. Deinde, quia licitum est absque labe usuræ intendere lucrum sibi dandum a mutuatario, tamquam debitum ex benevolentia, & gratitudine; siquidem mutuans intendens obligationem antidoralem, & sperans lucrum temporale sibi ex gratitudine dandum, nullam imponit obligationem mutuatario, nec intendit aliquid sibi ex justitia debitum, & sibi dandum in pretium, & compensationem mutui, sed solum intendit gratitudinem, quæ naturaliter sequitur ex beneficio, seu collato mutuo, & temporale lucrum sperat sibi gratis, & liberaliter conferendum absque ullo pacto, ac proinde non committit usuram; ergo neque est usura tale lucrum exigere tamquam ex gratitudine debitum, cum utrobique militet eadem ratio.

43. Resp. Conventionem, pactum, & obligationem impositam mutuatario dandi lucrum aliquod ex gratitudine pro mutuo, esse illicitam, & usurariam. Oppositum damnatur ab Innocent. XI. damnante illam propositionem, quæ est in ordine 42. *Usura non est; dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.* Ratio est, quia usura committitur quoties mutuanti lucrum provenit immediate ex mutuo, & mutuatario imponitur onus, ad quod non tenetur ratione mutui; sed per pactum dandi lucrum aliquod ex gratitudine mutuans reportat lucrum immediate ex mutuo, & mutuatarius gravatur onere, ad quod non tenetur præcise ratione mutui, dandi scilicet lucrum pro mutuo, quod dare non tenebatur: nam licet mutuatarius jure naturali teneatur esse gratus pro accepto beneficio, & contrahat obligationem ad antidora, illa tamen non potest deduci in pactum, & transferri in obligationem civilem, quia plus gravaretur, quam teneatur ratione mutui.

44. Deinde quia mutuatarius licet ex accepto mutuo contrahat obligationem antidoralem gratitudinis, non tenetur tamen compensare, & satisfacere per aliquam pecuniæ quantitatem, aut per donum aliquod temporale, sed potest gratum se præbere orando pro benefactore; signa honoris exhibendo; gratias agendo, vel etiam opem aliquam temporalem ferendo, si mutuans constituatur in extrema, seu gravi necessitate, non vero tenetur determinatam quantitatem pecuniæ, aut rem aliam pretiosam dare. Quare si imponis onus dandi pecuniam, aut aliam rem pretiosam, imponis onus, quod de jure non inest, & ad quod mutuatarius non tenetur, & sic committis usuram, ut in simili diximus *suo loco de Simonia*.

45. Conf. quia licet pactum de dando lucro pro mutuo dicatur liberalis, & gratiosa donatio, vere tamen non est gratiosa donatio, sed vera, & onerosa solutio; sicuti si petenti a me domum meam, dicam, nolo tibi vendere, sed volo tibi eam gratis donare, hoc tamen pacto, & conditione, ut tu ex gratitudine mihi dones quinquaginta nummos aureos, alias scias me tibi non daturum, verbis luderet, nec esset vera donatio, sed rigorosa venditio, & solutio palliata sub nomine donationis; ita etiam in casu nostro, si ego convenio tecum dicens: mutuo tibi centum hoc pacto, & conditione, ut obligeris ex gratitudine mihi dare sex supra sortem, erit gratuita donatio quoad nomen, sed in re vera, & rigorosa solutio, & contractus onerosus *do, ut des; facio, ut facias*, & per consequens vera usura: secus omnis usura juri naturali repugnans poterit hoc contrahendi modo excusari a peccato; semper enim dicere poteris: mutuabo tibi liberaliter centum, si obligeris mihi dare ex gratitudine sex supra sortem; hoc enim est aperire patentissimam januam omnibus Simoniis, & Usuris divino Jure prohibitis.

46. Nec dicas: *non dari usuram, quando pactum obligat solum ex fidelitate, non ex justitia*. Contra enim est, quia hæc ipsa obligatio ex fidelitate est novum gravamen pretio æstimabile, quod sufficit pro usura constituenda. Deinde, quia ad usuram non semper requiritur pactum formale, & explicitum, sed sufficit, quod auctarium supra sortem accipiatur, ut pretium mutui, & ut debitum vi illius, & non ut mere liberaliter datum; in nostro casu illa obligatio dandi sex supra sortem ex fidelitate, & gratitudine, est contractus onerosus, distinctus ab obligatione antidorali, & includit veram solutionem sub palliato nomine gratuitæ donationis, & sic veram includit usuram. Hanc Sententiam tenent cum D. Thoma 2. 2. *qu.* 78. *art.* 2. *ad* 2. *&* 4. Cajet. & Aragon. *ibi* Salon. Tolet. Petrus Navar. Molina, Rebell. Less. Salas, quos affert, & sequitur Palaus *pun.* 14. *n.* 5.

47. Ad rationem dubitandi positam a principio dico; non est illicitum ex mutuo sperare lucrum sibi liberaliter dandum a mutuatario, & illud accipere, si liberaliter detur absque ullo pacto præcedente, sive formali, & explicito, sive virtuali, & implicito, quia tunc non vitiatur liberalis donatio, nec gravamen imponitur mutuatario; secus si præcedat pactum, & obligatio de tali lucro conferendo, & illud exigatur tamquam debitum ex pacto, & obligatione præcedente, quæ vitiat liberalem donationem, & imponit mutuatario gravamen indebitum, ad quod non tenetur ratione mutui, nec ex obligatione gratitudinis, cui satisfacere potest per alia signa, ut supra dictum est.

48. *An vero sit licitum verbis excitare, & inducere, seu allicere mutuatarium ad remunerationem ex liberalitate, ac gratitudine faciendam?*

Resp. hoc esse licitum speculative loquendo, quia talis excitatio non reddit remunerationem involuntariam, cum illi nullam obligationem imponat, sed liberum relinquat; & inde, si mutuatarius postea aliquid donet, poterit mutuans illud recipere, quia non recipit lucrum immediate ex mutuo, nec ex aliquo pacto præcedente, sed ex amicitia, & liberalitate alterius. Ita Cajet. Molina, Rebellus, Salas, quos affert, & sequitur Bonacina *qu.* 3. *p.* 2. *num.* 10. & in simili dixit Less. *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 4. *num.* 27. de famulo, qui sponte domino inservit, non petens stipendium, ut hac ratione alliciat dominum ad procurandum sibi Beneficium. Idem dicit de eo, qui tradit munera, ut hac ratione trahat ad benevolentiam, ut inde ex benevolentia obtineat, quod periturus est.

49. Hæc doctrina, quamvis, speculative loquendo, possit esse vera, in praxi tamen non est admittenda tamquam periculosa, & fovens usuras; siquidem talis excitatio, si mutuum antecedat, videtur pactum quoddam implicitum continere; si vero subsequatur, tunc mutuatarius metu injusto induci solet ad solvendum aliquid supra sortem, timens, ne sibi injusta nota ingratitudinis inuratur, & ne in futurum possit amplius mutuum recipere, quod utrumque reddit involuntariam solutionem, & remunerationem. Ita Bannez *q.* 78. *art.* 1. *dub.* 3. Lugus *disp.* 25. *num.* 30. Andreas a Matre Dei *cap.* 3. *num.* 34. Nec dissentit Bonacina *num.* 11. docens, mutuantem, qui dubitat, an mutuatarius aliquid sibi tradat ex liberalitate, gratitudine, & plene voluntarie, vel an potius tradat involuntarie, mixte ex verecundia, vel timore sibi alias denegandi mutui, teneri ad restitutionem, quousque comperiat illud sibi liberaliter tradi, quia quilibet tenetur cavere periculum committendi usuram, quod non cavet, qui aliquid accipit a mutuatario, dubitans, sibi ex liberalitate tradi.

D U B I U M VII.

Usura mentalis, qualiter sit peccatum, & obliget ad restitutionem.

50. Usura mentalis non sumitur in præsenti pro sola intentione, & proposito interno dandi ad usuram, ea ratione, qua homicidium mentale est sola intentio, & propositum occidendi, sed pro actuali mutuatione facta animo lucrandi, & recipiendi aliquid supra sortem, seu ultra summam, quam mutuavit; & dicitur mentalis, quia est cum sola intentione, & proposito interiori lucrandi, exterius nullo signo, nullo modo, nec ullo pacto manifestata. Difficultas est: *an mutuare cum tali spe, ac intentione lucrum reportandi, sit semper usura mentalis peccaminosa, cum obligatione restituendi.*

51. Resp. illicitum esse, & usurarium sperare, & intendere lucrum immediate ex mutuo sibi dandum ex obligatione justitiæ, tamquam pretium mutui, non vero sperare lucrum, mediate solum, & occasione mutui, dandum scilicet sibi ex amicitia, gratitudine, & liberalitate mutuatarii. Prima pars habetur ex cap. *Consuluit de Usuris*; ubi Urbanus III. adducendo illud *Luc.* 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, ait: *Qui mutuat, alias non mutuo daturus, eo proposito, ut licet omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat, pro hujusmodi lucri intentione, quam habet, judicandus est male agere*. Ratio est, quia qui recipit lucrum immediate ex mutuo, ut debitum, & pretium mutui, de facto peccat, & committit usuram; ergo etiam peccat, & committit usuram mentalem, qui lucrum tali modo sperat, & intendit ob pravam voluntatem exequendi aliquid illicitum, & malum: quod quidem verum est, etiamsi quis per mutuum principaliter intenderet amicitiam mutuatarii, & minus principaliter lucrum ex ipso mutuo, si nimirum illud intendit tamquam pretium, & civiliter debitum.

52. Ratio secundæ partis est, quia ille qui sperat, intendit, & recipit lucrum ex amicitia, & liberalitate mutuatarii, non illud intendit, nec recipit immediate ex mutuo, tamquam pretium illius civiliter debitum, sed solum occasionaliter, & mediate; unde non committit usuram, quæ est lucrum ex mutuo immediate proveniens, sive deinde tale lucrum principaliter intendatur, sive minus principaliter, sive sit caussa impulsiva, sive finalis, dummodo solum occasionaliter intendatur ex amicitia, & liberalitate, & non immediate tamquam pretium mutui: ea ratione, qua dicitur simoniacus ille, qui solum inservit Collatori beneficiorum, ut intuitu servitii Collator obligetur ad conferendum illi Beneficium, tamquam pretium præstiti servitii, non vero qui inservit pro stipendio, & ex sola benevolentia Collatoris intendit, & sperat beneficium sibi gratis conferendum. Nec item dicitur Simoniacus ille Canonicus, qui recipit distributiones, non tamquam pretium Divini Officii, sed tamquam quid annexum ad sui sustentationem, sive illas principaliter, sive minus principaliter intendat; ibi enim potest esse affectus avaritiæ, sed non simoniæ. Ita cum D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *ar.* 2. tenent Cajet. Sotus, Navar. Molina, & Lessius, quos affert, & sequitur Rosignol. *contr.* III. *prænot.* 9. Villal. Trull. Palaus, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *c.* 3. *num.* 32.

53. Dices cap. consuluit de Usuris: *generaliter damnatur ille, qui mutuat, alias non mutuo daturus, eo proposito, ut, licet omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat*. Sed contra dico, Urbanum III. illo *cap.* talem solummodo damnare pro intentione, quam habet, quæ quidem in casu proposito Pontifici videtur prava ea fuisse, quia indicatur is, de quo consulitur, propositum habuisse lucri eo modo, quo solent usurarii, sed solum pactum exterius defuisse; unde sperabat lucrum immediate propter mutuum, non tantum mediate occasione mutui, ut bene notat Mald. *c.* 3. *dub.* 5.

54. Hinc sequitur, mutuantem non teneri ad aliquam restitutionem lucri percepti ex mutuo, quando mutuatarius ex mera gratitudine donat, & mutuans sub eodem titulo recipit; requiritur enim ad inducendam obligationem restitutionis ex usura mentali, quod mutuans recipiat aliquid ultra sortem animo usurario, & mutuatarius similiter tribuat eodem animo, scilicet tamquam debitum ex mutuo. Dubium tamen est: *An teneatur ad restitutionem, quando mutuatarius solvit lucrum tamquam debitum, ipse vero recipit tamquam sibi ex gratitudine datum, vel quando mutuatarius dedit liberaliter, ipse vero recipit mala fide, putans sibi dari, ut debitum, aut quando de intentione utriusque dubitatur.*

55. Resp. mutuantem teneri ad restitutionem, quando mutuatarius lucrum solvit animo usurario, tamquam debitum ex mutuo, nisi bona fides excuset. Ratio est, quia mutuatarius tali animo solvens non abdicat a se dominium talis lucri, nec illa donatio, utpote involuntaria, est sufficiens ad transferendum dominium, cum desit animus donandi, ac proinde tenetur illud restituere, non ratione injustæ acceptionis, propter bonam fidem, quæ ipsum excusat, sed ratione rei acceptæ, quæ clamat pro domino. Rosign. *prænot.* 9. *fine*, tenetur, inquam, restituere lucrum, si extat, vel id, in quo factus est ditior, si bona fide fuit consumptum: si autem non extat, nec in aliquo factus sit ditior, ad nihil tenetur, juxta regulam generalem de possessore bonæ fidei. Ad nihil etiam tenetur, si lucrum bona fide acceptum per triennalem possessionem legitime præscripsit, ut suo loco diximus *de præscriptione*.

56. Quod si mutuatarius dedit lucrum illud liberaliter, sed mutuans accepit animo usurario, id est tamquam sibi debitum, tunc non tenetur restituere, nisi ratione conscientiæ erroneæ, quatenus putat, mutuatarium dedisse tamquam debitum, sed, cessante conscientia erronea, postea non tenetur, quando scilicet deprehendit animum mutuatarii fuisse liberalem. Ratio est, quia ex parte dantis posita est voluntas sufficiens ad transferendum dominium, & ex parte accipientis ponitur acceptatio formalis, quando deprehenditur liberalis animus mutuatarii, ergo cessat obligatio restituendi, quæ solum oritur ex re accepta, vel ex injusta acceptione, quorum utrumque deficit, quando animus mutuatarii cognoscitur esse liberalis. Ita Less. *lib.* 2. *c.* 20. *n.* 42. Cajet. *tom.* 2. *opusc.* 8. *q.* 3. Lugus, & alii. Si vero dubitetur de intentione utriusque, mutuans non potest aliquid recipere, & acceptum tenetur restituere, ea ratione, qua restituere tenetur ille, qui dubia fide rem alienam cœpit possidere, ut patet ex alibi dictis.

57. Regula ad cognoscendum in praxi, an lucrum in mutuo liberaliter detur, vel potius involuntarie, desumi solet ex qualitate personæ dantis, an sit dives, vel pauper; an liberalis, vel avarus: si enim sponte sua tradat, & animo hilari, cum alias sit liberalis, & gratus, præsumendus est liberaliter tradere, cum adsit certitudo moralis ad id credendum, ut cum Cajet. & Less. tradit Bonac. *qu.* 3. *pun.* 2. *n.* 11. an inter dantem, & accipientem detur aliquod vinculum amicitiæ, consanguinitatis, & familiaritatis, vel quid simile, nam quo majus est vinculum personarum, facilius præsumitur liberalis donatio inter illos facta. Consideranda est etiam virtus, & integritas personæ, quæ si est timoratæ conscientiæ, fundat præsumptionem liberalis donationis, ut in simili diximus *de Simonia cap.* 1. *n.* 47. *tract.* 4.

DU-

DUBIUM VIII.

Quibus titulis licitum sit in mutuo recipere aliquid supra sortem.

58. QUamvis usura sit intrinsece mala, Jure naturali, Divino, & Ecclesiastico prohibita, nec ullo modo fieri possit licita, nec dispensatione Pontificis, qui non dispensat contra Jus divinum, & naturale: nec consuetudine aliqua, aut Legibus, & Statutis Principum, quia nulla lege positiva, vel contraria consuetudine derogari potest Juri divino, & naturali, solumque permittitur, & usurarum excessus cohibetur, sed non approbatur ut licitus: aliqui tamen tituli mutuo solent adjungi, ratione quorum recipi potest aliquid supra sortem, & quatuor præcipue solent enumerari, scilicet lucrum cessans, damnum emergens, & periculum sortis, & pœna, de quibus, sicut de aliis nonnullis successive dicemus: proinde sit

§. I.

De Lucro cessante, & Damno emergente.

59. LUcrum cessare dicitur, quando ratione mutuatæ pecuniæ quis caret fructibus, & lucro, quod ex tali pecunia proveniret, si eam non mutuasset, ut si quis mutuet pecuniam, quam destinaverat lucrosæ negotiationi, aut ad emendam domum, vineam, censum, aut aliam rem fructiferam, caret lucro, quod ex tali negotiatione habuisset, aut fructibus, quos ex tali fundo fructifero percepisset. Damnum emergens est, quando ratione mutuatæ pecuniæ quis damnum patitur in rebus suis, ut si mutuet pecuniam destinatam ad reparandam domum, quæ propter hoc ruinam patitur, quia non potuit reparari ob carentiam pecuniæ mutuatæ; vel si non possit triticum, aut alias merces emere suo tempore, quas postea cariori pretio cogitur emere; in his enim, & similibus casibus datur lucrum cessans, aut damnum emergens; & quæritur:

An mutuator ratione lucri cessantis, aut damni emergentis possit aliquid recipere supra sortem absque labe usuræ, & id in pactum deducere?

60. Resp. licitum esse mutuatori ratione lucri cessantis, vel damni emergentis in mutuo accipere aliquid supra sortem, idque in pactum deducere absque usuræ labe. De damno emergente conveniunt omnes, tum Theologi, tum Juristæ, quia non est æquum, quod aliquis damnum patiatur in rebus suis propter beneficium alteri gratis collatum, & sic licite de ejus compensatione pacisci potest; hoc enim non est usum pecuniæ vendere, sed damnum vitare, ut ait D. Thomas 2. 2. *qu.* 78. *art.* 2. *ad* 1. Nec obstat illud Lucæ 6. *mutuum date, nihil inde sperantes*, quia non accipit aliquid ratione mutui, sed in compensationem damni, quod quis pati non tenetur: *ne dispendium patiatur, unde videtur præmium meruisse, cit. cap. Pervenit de Fidejussoribus*, & hoc in jure vocatur *Interesse*, prout distinguitur ab usura, seu lucro illicito.

61. De lucro cessante negarunt olim, esse titulum sufficientem exigendi aliquid supra sortem, nonnulli Canonistæ in cap. *ult. de usuris*, teste Covar. 3. *var. c.* 4. *n.* 5. quibus favet D. Th. *l. c.* ubi, postquam dixit ratione damni, quod patitur posse aliquid accipere supra sortem, addit: *Recompensationem vero damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere; quia non debet vendere, id quod nondum habent, & potest impedire multipliciter ab habendo.* Ratio est, quia lucrum cessare non est aliud, quam mutuantem impediri a lucro, quod illa pecunia facere poterat: qui autem sponte sua mutuat, non dicitur a lucro impediri, quia pecunia non est amplius lucro destinata; ergo nihil poterit accipere pro lucro, cum vere, & proprie ei non cesset, nisi forte quis vi, metu, aut fraude ad mutuandum inducatur; tum quia si ratione lucri cessantis liceret aliquid exigere, ostium magnum aperiretur usuris; nam quisque facile fingere poterit, ex mutuo sibi lucrum cessare, eoque veluti pallio usuras exercebit.

62. Dicendum tamen est, non solum ratione damni emergentis, sed etiam ratione lucri cessantis, licitum esse aliquid accipere supra sortem, quia utrumque est aliquid pretio æstimabile, & sic utrumque in pactum deduci potest, cum in utroque casu mutuans damnum patiatur ratione mutui. Certe si quis invitus per vim, & metum cogitur mutuare, debetur ei lucrum cessans, ut omnes concedunt, quia privatur spe lucrandi: spes enim lucri, est pretio æstimabilis, & ideo si per vim, & metum ea privetur, debet ei resarciri; nam secundum prudentem æstimationem est verum damnum emergens; ergo etiam hoc præstari debet sponte mutuanti, quia in gratiam mutuatarii tali spe privatur. Conf. quia spes illa lucri vendi poterat, sicut leges concedunt, vendi posse jactum retis, & segetes immaturas; si ergo ratione mutui quis ea privatur, debet ei damnum restitui: & ita in utroque casu tenet Salas *de usuris dub.* 18. & 19. ubi innumeros refert Auctores; Palaus *disp.* 4. *pun.* 5. Rosignol. *prænot.* 13. *n.* 1. & 6. Villalob. *to.* 2. *tr.* 26. *diff.* 7. & 8. Bonac. *disp.* 3. *q.* 3. *pun.* 4. Lessius, Laym. Rebell. Trull. & alii, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 3. *prænot.* 9.

63. Nec contrarium sentit D. Thom. *loc. cit.* qui debet intelligi, quod non possit accipi lucrum cessans, quod est in potentia solum remota, cujus nulla est probabilis spes; &, si loquitur de lucro cessante, quod est in potentia proxima, solum vult, non posse eodem modo accipi lucrum cessans, quo damnum emergens, scilicet non posse accipi ad æqualitatem, sed solum quanti spes illa potest æstimari, juxta ea, quæ dixit *qu.* 64. *art.* 4. ubi expresse hoc ponit discrimen inter lucrum cessans, & damnum emergens, quod illud debet secundum æqualitatem reparari, non istud. Ad rationem dico, mutuantem, sive sponte, sive coacte, vere impediri a consecutione lucri sperati; & licet nonnulli sub tali prætextu lucri cessantis possint usuras palliare, non sequitur, quod non possit accipi lucrum, quando vere cessat ratione lucri.

64. Verum, ut hoc titulo lucri cessantis, seu damni emergentis, sub quo persæpe solent usuræ palliari, licite possit accipi aliquid supra sortem, seu supra capitale, tres præcipue conditiones requiruntur: prima est, ut lucrum per se cesset, seu damnum sequatur ratione ipsius mutui, quod proinde sit vera caussa damni, sine qua non, quia scilicet mutuatur pecunia destinata negotiationi, emptioni rei fructiferæ, vel ad reparandam domum ruinosam, quæ aliter reparari non potest. Si enim alia ratione damnum potest impediri, & lucrum haberi, ut si habeas aliam pecuniam otiosam, quam commode mutuo dare possis, aut substituere negotiationi, emptioni, vel reparationi domus; tunc cessat titulus aliquid recipiendi supra sortem ratione mutui, cum hoc non sit caussa damni, nisi pecuniam aliam repositam, & reservatam teneas propter occurrentes necessitates, ad usum, & commodum tuæ familiæ, ad dotandas filias, ad solandam senectutem, vel ad evitanda infortunia passim occurrentia, quia reputanda est ac si non esset, ac proinde potes aliquid recipere supra sortem; nam mutuatio est vera caussa damni, & quod cesset lucrum ex negotiatione speratum; non enim teneris in gratiam alterius te in aliquod discrimen conjicere, in quo conveniunt Doctores communiter. Molina *disp.* 316. *post initium*, Rebell. *part.* 2. *lib.* 8. *qu.* 6. *n.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 11. *n.* 86. Salas *de usuris dub.* 2. *n.* 5. Rosignol. *prænot.* 13. *n.* 8. Ant. a Spiritu S. *disp.* 15. *n.* 597.

65. Addunt nonnulli, te posse lucrum reportare, si mutuo tradas pecuniam, quam negotiationi exponere decreveras, quamvis aliam habes otiosam, & tibi non necessariam, quia hæc, quam mutuo dedisti, erat fructificatura, & non alia, & sic ex tali mutuo vere cessat lucrum, & non teneris in gratiam alterius aliam, quam reservare decreveras, exponere negotiationi, & loco illius subrogare, ut cum Trull. Villal. Lessio, Palao, Salas, & Valentia tradit Andreas a Matre Dei *cap.* 3. *num.* 86. sequitur cum Lugo, & Valentia, Antonius a Spiritu S. *cit. num.* 597. dicens, mutuantem etiam posse reportare lucrum, quando pecuniam subtraxit a negotiatione, ut paratam, & promptam haberet ad manus pro his, qui mutuo petunt, quicumque illi sint, quia vere illi cessat lucrum caussa mutui, citat Bassæum, Lessium, Tamburinum, & Lugum *disp.* 25. *num.* 94. Caute tamen agendum est in hac materia, si vere lucrum cesset, seu damnum emergat ratione mutui, prout non cessat lucrum, nec damnum emergit, quando pecunia hujusmodi mutuo data sine negotiatione, & lucro in capsa creditoris otiose jacens mansisset, quod maxime contingit, quando quis pecuniis abundans potest sine incommodo mutuum dare, & aliis suis necessitatibus satisfacere: sicut etiam cavendum est, ne sub prætextu mutuo dandi cum lucro pecuniam negotiationi destinatam, alia deinde utaris ad negotiandum, quia hoc esset palliare usuram.

66. Secunda conditio est, ut ab initio mutui æstimatio lucri cessantis, & damni emergentis deducatur in pactum; si enim nullum præcessit pactum antecedenter ad mutuum, non potest amplius mutuans aliquid exigere ultra sortem ob istum titulum, etiamsi postea damnum emergat; vel lucrum cesset, quia censetur illud remissum, & condonatum; nisi mutuatarius fuerit in mora solvendi tempore debito; potest enim semper excipere, quod si scivisset solvendum esse illud interesse, pecuniam cum tali onere mutuo non accepisset, ut

cum Navarro, Rebello; Lessio, Layman, & Salas tenet Palaus *disp. 4. pun. 15. numer. 4.* Rosignol. *controv. 3. num. 3.*

67. Quod si terminus fuit solutioni præfixus, & damnum revera sequatur ex eo, quod debitor fuerit in culpabili mora solvendi; tunc tenetur ad damnum, & interesse solvendum, etiamsi non fuerit a creditore in pactum deductum. Ratio est, quia quando in contractibus præfigitur terminus ad solvendum, tacite censetur initum pactum, ut qui intra præfixum terminum non solverit, teneatur ad interesse defectu solutionis, utcum Molina, Rebello, Navarra, Reginaldo, & aliis tenet Bonac. *disp. 3. qu. 3. pun. 4. n. 4.*, & hoc verum est, etiamsi nulla intercesserit interpellatio, nam dies interpellat pro homine virtute pacti ab initio præstiti. Si vero solutioni non fuit terminus appositus, tenetur mutuatarius lucrum cessans, & damnum emergens compensare, quando fuit a creditore interpellatus, & non solvit; nam mutuum sub ea conditione conceditur, ut si mutuatarius non solverit, quando debet, id est termino præfixo, vel a creditore interpellatus, teneatur ad interesse. Palaus *supra num. 11.*

68. Si tamen mutuatarius non fuit in mora culpabili, nec solvit præfixo termino ex impotentia, tunc excusatur ab obligatione solvendi lucrum cessans, & damnum emergens, quia ad impossibile nemo tenetur; & jura obligantia mutuatarium ad interesse ob non factam solutionem tempore debito, loquuntur de debitore moroso, cujusmodi non est censendus, qui culpa morali caret, nisi forte id expresse in pactum sit deductum. Salas *dub. 19. num. 9.* Rebellus *lib. 8. qu. 7. n. 4.* Lessius *cap. 20. dub. 10. n. 69.* Palaus *n. 12.* Bonac. *pun. 4. n. 5.* Andreas a Matre Dei *cap. 3. n. 82.*

69. Tertia conditio est, quod interesse lucri cessantis non recipiatur statim ab initio, dum mutuum traditur, sed convenienti intervallo; puta si mutuo tradas centum aureos, & lucrum cessans existimetur decem, non debet ea decem statim accipere, quia non traderet mutuo centum, sed solum nonaginta, & ex illis acciperet lucrum, perinde ac si mutuaret centum, quod aperte iniquum, & illicitum est. Ita cum Molina, Lessio, & Salas, Palaus *nu. 9.* Rosignol. *n. 8.* & aliis adducta, Bonac. *pun. 4. n. 13.* Damnum, quod timetur, & lucrum, quod speratur, debet esse verum, & non fictum, quod scilicet eventurum, quasi certo, & probabiliter credatur; unde non debet esse in potentia tantum remota, quod multis modis potest impediri, quia hoc non debet rationabiliter æstimari, ut cum Gutier. Villalob. Tapia, & Maldero notat Andreas a Matre Dei *cap. 3. n. 83.* Nec debet accipi totum, & integrum lucrum, quod speratur, sed tantum quanti valet spes illa lucri, deductis expensis, laboribus, & periculis; nam lucrum in spe subjectum periculis, & expensis, minus valet, quam lucrum in re certum, & liberum ab illis, ut cum D. Thom. *qu. 62. & art. 4. qu. 78. art. 2. ad 1.* tenent Doctores communiter, Sotus, Arogon. Banoez, Reginaldus, Navarrus, Salas, quos sequitur Bonacina *punct. 4. num. 12.*

§. II.

An licitum sit in mutuo aliquid recipere supra sortem ratione periculi eam amittendi, vel non nisi cum molestiis, & expensis recuperandi.

70. RESP. affirmative, dummodo periculum sit verum, & non fictum, nec falsæ innixum præsumptioni, ut in simili diximus supra *cap. præcedenti n. 79.* licitum esse carius vendere credito, quam numerata pecunia, ratione periculi, ne postea pretium solvatur, vel ex toto, vel ex parte. Ratio est, quia tale periculum probabile perdendi capitale, aut illud non recuperandi sine expensis, & molestiis, est aliquid pretio æstimabile, quod gratis subire nemo tenetur in gratiam alterius. Si ergo mutuator tale periculum subeat mutuando pecuniam alicui non satis noto, decoctori, aut dubiæ fidei, nolenti, aut non valenti dare pignus, aut fidejussorem in securitatem pecuniæ mutuo acceptæ, poterit ratione talis periculi aliquid recipere supra sortem, quanti scilicet arbitrio boni viri æstimatur tale periculum. Certe si mutuatarius fidejussorem daret, posset iste juste petere, & accipere pretium pro fidejussione, & assecuratione, propter onus, quod in se suscipit, & periculum, cui exponitur solvendi pecuniam mutuatam; ergo etiam potest mutuator ratione talis periculi illud pretium exigere, quod juste posset exigere fidejussor, si daretur, illudque accipere, & retinere, quamvis postea damnum re ipsa non sequatur, quia tale pretium non recipit ratione damni vere sequendi, sed pro periculo damni, cui mutuans se exponit. Ita cum D. Thoma *opusc. 73. de usur. cap. 10.* tenent Joan. Medina, Corduba, Aragon. Salon. Lessius, & alii, quos affert, & sequitur Palaus *pun. 17. n. 3.* Bonac. *pun. 5.* Rosignol. *contr. 3. n. 10.* aliique communiter.

71. Dixi; *in mutuo posse aliquid sumi supra capitale a nolente, seu non valente dare pignus*, si enim mutuatarius velit pro securitate pecuniæ mutuo acceptæ dare pignus, aut fidejussorem, non potest absque usura mutuator aliquid recipere supra sortem, quia tunc cessat periculum amittendi capitale: nec potest cogere mutuatarium ad secum ineundum contractum assecurationis, quo ipse mutuator, certo pretio constituto, in se recipiat periculum pecuniæ, aut mercium, quia imponeret illi gravamen indebitum: idque maxime contingere potest in mercibus nauticis, seu trajectitiis, seu deferendis ad nundinas, in quibus si mutuatarium cogas, ut tecum ineat contractum assecurationis, quo certo pretio constituto, in te recipias illarum periculum quousque ad destinatum locum sint delatæ, usuram committis, ut constat ex cap. *Naviganti de Usuris*, ubi Gregor. IX. ait: *Naviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid supra sortem, usurarius est censendus.* Quæ quidem verba communiter intelliguntur de obligante mutuatarium ad prædictum contractum assecurationis, & nolente aliter mutuatare, quam sub tali pacto recepti in se periculi, ut inde possit aliquid supra sortem lucrari: quamvis alii dicant, Pontificem ibi solum decernere, tales contractus in foro externo præsumendos esse usurarios; non enim dixit *Usurarium esse*, sed *Usurarius est censendus*, quia sub illo titulo multæ usuræ palliantur, prout diximus supra *cap. præced. nu. 81.* ubi etiam diximus, nonnullos existimare, in eo Textu irrepsisse errorem, & deficere particulam *non*, ut cum dicit *Usurarius est censendus*, deberet dicere *Usurarius non est censendus*, quod probant ex cohærentia cum aliis, quæ ibi dicuntur, quod etiam tenet Palaus hic *disp. 4. pun. 18.*

72. Quamvis sit usura ex vi mutui obligare mutuatarium ad tecum ineundum contractum assecurationis, quia talis obligatio est pretio æstimabilis, ad quam non tenetur mutuatarius ex vi mutui; si tamen, nullo præcedente pacto, nec aliqua imposita obligatione, contractum in eas suscipiendi in te periculum sortis ex libero consensu, & voluntate mutuatarii, licite potes aliquid in compensationem accipere: sicut enim quilibet alius tertius potest pretium accipere pro hac præstanda securitate; ita potest hoc idem præstare mutuans, cum propter beneficium præstitum non debeat esse deterioris conditionis; tum quia post contractum mutui omnes concedunt, inter mutuantem, & mutuatarium celebrari posse contractum assecurationis; ergo idem fieri potest ante mutuum, si ad id non obligatur mutuatarius, sed sponte velit, ut cum Navarr. Covar. Molina, Lessio, Salas, & Layman docet Palaus *pun. 18.*

73. Hinc sequitur, licitum esse mercatori trans mare naviganti mutuare centum aureos, eo pacto, ut si salvus redierit, reddat centum viginti. Si vero navis perierit, ipse, vel ejus heredes nihil reddere teneantur, quia nulla hic intervenit usura, nec mutuator aliquid accipit supra sortem ratione mutui, sed ratione periculi, cui se exposuit, amittendi centum aureos mutuo traditos: est enim contractus sortis, in quo uterque se periculo exponit lucrandi, & perdendi; contractus autem sortis licitus est, si servetur æqualitas periculi, & pretii, ut in simili casu tenet Bonac. *pun. 5. n. 4.*

74. Dices: *Si ratione periculi amittendi sortem licitum esset aliquid supra sortem accipere, licitæ redderentur omnes usuræ, quia semper in quocumque mutuo potest adesse tale periculum.* Sed contra dico, in mutuo non posse sumi aliquid supra sortem ratione periculi, quando illud est valde remotum, improbabile, vanum, & frivolum, quod in omni mutuo essentialiter imbibitur; bene tamen si illud sit proximum, probabile, verosimile, & prudens, quod est mutuo extrinsecum; non enim est rationi consonum, quod mutuans hoc periculum proximum, & probabile amittendi sortem, vel illa non recuperandi sine molestiis, & expensis, subeat in gratiam mutuatarii; unde potest pro illo accipere aliquid supra sortem, quanti scilicet æstimetur tale periculum. Non vero pro periculo remoto, vano, & improbabili, quod imbibitur in omni mutuo, & satis compensatur, ut ait Salas, cum ea utilitate, quam percipit mutuans mutuando, scilicet quod si res incerta pereat ob aliquod infortunium, puta incendii, aluvionis, furti, non pereat mutuanti, sed mutuatario, qua ratione servatur æqualitas inter onera utriusque contrahentis.

75. Quamvis ex dictis licitum sit mutuanti recipere aliquid supra sortem ratione periculi, cui exponitur, amittendi capitale, vel illud non recuperandi sine molestiis, & expensis: in praxi tamen caute procedendum est, & melius erit abstinere a tali contractu, sub quo facile

cile pallientur usuræ, cum difficile sit cognoscere, quando periculum sit grave, aut leve, intrinsecum, vel extrinsecum. Si enim certo moraliter constet de periculo, quia debitor est decoctus, fallax, ignotus, aut dubiæ fidei, nemo prudens ei mutuum dabit, etiamsi promittat aliquid supra sortem, quia tam de sorte, quam de augmento remanet periculum; melius poterit in eo casu quisque sibi consulere, vel abstinendo a datione mutui, vel exigendo pignora, & fidejussores, ut magis communiter testantur Doctores.

§. III.

An pro carentia pecuniæ accipi possit aliquid supra sortem.

76. CONtrovertitur, utrum licitum sit aliquid exigere pro carentia pecuniæ, & obligatione expectandi solutionem mutui usque ad certum tempus, puta ad duos, vel decem annos, & procedit difficultas in casu, quo ex carentia illius pecuniæ nullum lucrum cesset, nec damnum emergat, seu periculum impendat; nam ratione lucri cessantis, damni emergentis, seu periculi perdendi capitale: *an, & quatenus possit aliquid sumi supra sortem*, jam diximus supra. Si autem nullum damnum immineat: *an pro sola carentia pecuniæ, & obligatione illam non repetendi per decennium, an possit sumi aliquid supra sortem*; Affirmarunt non pauci apud Dian. *par. 1. tr. 8. resol. 48. & par. 5. tr. 13. res. 50.* eo quod hæc obligatio sit pretio æstimabilis, nec sit mutuo intrinseca. Idem tenet, & late probat Caramuel in sua Theologia fundamentali, & probabile dicit Trull. *lib. 6. cap. 1. dub. 12.*

77. Resp. non esse licitum in mutuo recipere aliquid supra sortem ob solam carentiam pecuniæ, vel obligationem expectandi usque ad certum tempus, & oppositum damnatur ab Innocent. XI. damnante illam propositionem, quæ est in ordine 41. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari*; & ante damnata fuerat ab Alexandro VII. illa propositio, quæ inter ab ipso damnatas est in ordine 42. *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

78. Ratio est, quia carentia pecuniæ per aliquod tempus, & obligatio eam non repetendi, nisi post illud tempus, est essentialis, intrinseca, & inseparabilis a mutuo, quod per hoc differt a precario; nam qui rem precario concedit pro suo libito, potest semper illam repetere; non sic mutuum, quod non debet statim repeti, seu non nisi per aliquod tempus, & pro toto eo tempore, quo mutuare intendit; ergo non potest absque usura aliquid recipi supra sortem pro sola carentia pecuniæ, & pro obligatione mutuum non repetendi; siquidem dilatio data ad solvendum, est continuata mutuatio; secus ostium magnum aperiretur pro omnibus usuris palliandis, nam quisque dicere posset, se non recipere lucrum supra sortem ratione mutui, sed propter carentiam pecuniæ, & obligationem eam non repetendi, nisi post unum, vel plures annos, quo modo omnes contractus usurarii possent justificari. Sic tenent Molina, Less. & Reginal. quos affert, & sequitur Bonac. *qu. 3. pun. 6.* Rosignol. *contr. 3. disq. 4. §. 8.* Palaus *disp. 4. pun. 8. n. 7. ut 5.* Lugus *disp. 25. sect. 3. nu. 7.* Dicast. Laym. Villal. quos sequitur Andreas a Matre Dei *cap. 3. num. 24.* Diana *par. 8. tr. 7. res. 63.* ubi conqueritur, se a Trull. pro contraria sententia citari, cum illam Doctores improbabilem putent, & acriter censurent; idem habet *par. 11. tr. 1. res. 25.*

79. Dices: *quod, licet obligatio non repetendi mutuum per aliquod tempus, sit de intrinseca ratione mutui, nec pro ea recipi possit aliquid supra sortem, obligatio tamen non repetendi, nisi post longum tempus, puta post unum, aut post decem annos, non est de intrinseca ratione mutui, & sic poterit pro tali obligatione pretium sumi, cum sit pretio æstimabilis non minus, quam se obligare ad mutuandum per annum ad libitum mutuatarii, vel pro illo fidejubere, pro quo pretium sumi posse omnes concedunt. Adde, quod pecunia præsens utilior, ac pretiosior est, quam futura; ergo pro carentia pecuniæ poterit aliquid sumi supra sortem.*

80. Resp. non minus esse de intrinseca ratione mutui obligatio non repetendi per aliquod tempus, quam obligatio non repetendi ad longum tempus, quando mutuatio fit, seu conceditur ad longum tempus, ac proinde non posse pro tali tempore pretium sumi, si nullum mutuanti cesset lucrum, aut immineat damnum, quod tunc esset compensandum: licet enim liberum sit mutuanti mutuare, vel non mutuare, ad breve, vel ad longum tempus; si tamen libere, & sine suo detrimento mutuum concedit ad longum tempus, non potest aliquid recipere supra sortem pro toto tempore, pro quo mutuum concedit. Obligare se ad mutuandum per annum ad libitum mutuatarii, est obligatio pretio æstimabilis, & mutuo extrinseca, proinde nil mirum, si pro ea recipi possit aliquid supra capitale. Idem valet de eo, qui se obligat ad fidejubendum pro alio per annum, vel per decennium, necnon de illo, qui se obligat ad vendendum aliquid justo pretio ad arbitrium alterius, qui potest pro tali obligatione pretium recipere, non vero qui mutuat ad certum tempus, sive breve, sive longum, quia ratione temporis præcise non potest in mutuo aliquid recipere supra sortem. Qui se obligat ad mutuandum pro tanto tempore, mutuum voluntarie extendit ad illud tempus, & talis obligatio sufficienter compensatur, quando nullum aliud imminet damnum, per obligationem, quam habet mutuatarius restituendi suo tempore quantum accepit, & si interim pecunia pereat, non mutuanti pereat, sed mutuatario.

81. Ad id, quod additur, concedo, communiter magis æstimari pecuniam præsentem, quam futuram, cum illa sit utilis ad negotiandum, ad reparandam domum, ad alendam familiam, & alia hujusmodi: non sic pecunia futura, ex qua potius damnum evenire potest, & lucrum cessare; at si pecunia non sit implicanda, sed otiose conservanda in arca, non est melior pecunia præsens, quam futura, quin potius hæc melior est; nam si interim casu fortuito, & inopinato pereat, non mutuanti perit, sed mutuatario, qui postea statuto tempore eam integre restituere tenetur.

82. Dices: *debitor, qui solvere tenetur centum solum post duos, vel tres annos, potest se redimere, & extinguere debitum, solvendo nunc de præsenti nonaginta, vel nonaginta quinque; ergo etiam potest nunc mutuare nonaginta, ut recipiat centum post tres annos; perinde enim est, ac emere de præsenti majorem summam postea solvendam.* Sed contra dico, non esse licitum absque usura, anticipata solutione minoris emere credita immatura, seu pagas acerbas, seu credita postea exigenda, quando illa sunt certa, & exigenda absque ullo damno, ut diximus *cap. præced. dub. 7.* quia hoc involvit virtuale mutuum; mutuat enim implicite minorem pro majori summa exigenda: vel saltem includit injustitiam, si contractus reducatur ad terminos emptionis, & venditionis, ut *ibid.* diximus, & inde non est licitum minoris redimere, & extinguere debitum post tres annos solvendum, secluso damno emergente, lucro cessante, vel alio justo titulo, ut cum Azor. & Salas notat Bonac. *qu. 3. pun. 10. num. 3.*

§. IV.

An ratione Pœnæ, vel præsumptæ Donationis licitum sit aliquid accipere supra sortem.

83. POena conventionalis dicitur illa, quæ ex mutuo contrahentium consensu alicui contractui solet apponi, ut eam solvat, qui ex conventione deficit; & quæritur: *An in mutuo licitum sit talem pœnam apponere solvendam a Mutuatario, si tempore præfixo mutuum non restituat, adeo ut teneatur aliquid solvere supra sortem in pœnam suæ moræ, quamvis nullum lucrum cesset, vel damnum emergat mutuanti.*

84. Resp. affirmative, si pœna non apponatur in fraudem usurarum. Ratio est, quia talis pœna non solvitur a mutuatario præcise vi mutui, qua ratione esset usura, sed ob moram, sive culpam solvendi mutuum; siquidem debitor, qui est in mora culpabili, peccat contra justitiam retinendo alienum, invito domino. quapropter juste punitur pœna conventionali, quæ adeo imponitur, & exigitur, ut hac ratione mutuatarius constringatur ad sortem principalem, statuto tempore reddendam, & ne culpabiliter reddere differat. Ita tenent Sotus, Navarr. Molina, Lessius, Salas, quos affert, & sequitur Palaus *disp. 4. pun. 16.* Rosignol. *contr. 3. prænot. 13. num. 12.* Mallerus *tr. 5. c. 3. dub. 18.* Lugus *disp. 25. sect. 6.* Truilench *lib. 7. cap. 9. dub. 13.* & alios referens Andreas a Matre Dei *cap. 3. nu. 75.* Antonius a Spiritu Sancto *disp. 15. num. 612.* aliique communiter.

85. Conf. quia licitum est mutuanti obligare mutuatarium ad solvendum mutuum in tempore præfixo, & ad hunc finem consequendum uti mediis licitis, & honestis; cum enim ratio mediorum sit sumenda ex fine, cui licet velle finem, licet etiam velle media honesta, & utilia ad illum conducentia; sed inter media, quæ maxime conducunt ad hunc finem, ut debitor non sit in mora, unum est imponere illi pœnam, si in ea fuerit: frequenter enim, qui in solvendo esset morosus, ne hujusmodi pœnam incurrat, diligentem se exhibet; quod quidem medium est honestum, & justum, cum illo passim

utan-

utantur leges, & Judices, ut citius debitores suis creditoribus debita persolvant; & inde licitum est hujusmodi poenam in hunc finem mutuatario imponere.

86. Dices: *poenam alicui imponi non posse, nisi a Superiore; sed mutuans non est Superior respectu mutuatarii; ergo non potest ille poenam imponere.* Sed contra dico, poenam legalem, seu juridicam imponi non posse, nisi a Superiore, secus si agatur de poena conventionali, quæ ex pacto, & mutuo paciscentium consensu descendit; nam isti jure naturali, & civili possunt se obligare ad subeundam poenam, si in contractibus defecerint, ut hoc modo contractus firmiores sint, & negligentium incuria stimuletur, *l. si pacta Cod. de pactis, l. trajectitiæ ff. de action. & obligat.* & in Regul. 86. Juris in 6. dicitur *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*.

87. Ut autem poena mutuo imposita licita sit, nonnullæ requiruntur conditiones; quarum prima est, ut poena non apponatur in fraudem usurarum: censetur autem hoc modo apposita, quando mutuator nihil curat de potentia mutuatarii ad mutuum solvendum termino præfixo, illamque imponit, quamvis cognoscat mutuatarium fore impotentem ad mutuum tali tempore solvendum, & necessario futurum in mora, quia solum curat de lucro acquirendo sub titulo poenæ, ad palliandum usuram. Quod deinde cupias, debitorem potius in moram incidere, quam termino constituto solvere, ut possis poenam exigere, peccatum est contra caritatem, sed non impedit poenæ executionem, si fuerit in mora, ut cum Lessio, Molina, & Salas, tenet Palaus *disp. 4. pun. 16. num. 6.*

88. Secunda, ne cogatur poenam solvere, qui sine culpa fuit in mora, quia tunc esset injusta; sicut enim per Legem, aut Statutum, nemo sine culpa puniendus est, ita nec per poenam conventionalem, quæ imponitur ob culpabilem moram, *l. Sancimus C. de poenis, l. trajectitiæ ff. de actionib. & oblig.* cap. *Significante de pignorib.* & cap. *Cognoscente de constitut.* & inde non tenetur poenam solvere, qui detentus infirmitate, aut a creditore longe distans, seu conjectus in vincula, vel ex alia simili potentia, non solvit tempore præfixo, nisi forte factus sit impotens ex culpa sua commessationibus, vel ludis bona sua dilapidando, prævidens futuram impotentiam ad solvendum mutuum tempore debito. Lessius, Molina, Palaus *loc. cit. num. 7.*

89. Tertia, ut poena sit moderata, cum debeat esse proportionata culpæ, qualis non esset, si pignus cadat in commissum, aut sors duplicetur, ut patet cap. *Significante de pignorib.* & bene docet Covar. *lib. 3. var. resol. cap. 2.* Quarta, ut mora sit notabilis, spectata negotii qualitate, & consuetudine; non enim dilatio unius diei, vel hebdomadæ, videtur mora notabilis, ut statim poena exigatur, ut cum Bonac. Dicast. & aliis tenet Ant. a Spiritu S. *disp. 15. n. 613.* & cum Lessio, & Salas, Palaus *num. 9.* Quinta, ut non exigatur tota poena, si pars debiti soluta sit, nisi pars debiti mutuanti sit inutilis. Bonac. Palaus, & alii.

90. Quæres: *An poena conventionalis solvi debeat ante Sententiam Judicis?* Negant plures, quia poena conventionalis retinet naturam poenæ, de cujus ratione est, ne ante Sententiam debeatur, nisi forte contrahentes se obligaverint ad solvendam poenam independenter a Sententia Judicis, quia tunc solvi deberet ante Sententiam, cum pacta, & conventiones vim, & robur habeant a voluntate contrahentium, ut cum Sanch. Navar. Lessio, & aliis tenet Anton. a Spiritu Sancto *disp. 15. n. 614.* Sed probabilius est, illam in conscientia deberi ante Sententiam Judicis, quia talis poena est imposita ex libero contrahentium consensu, qui talis esse videtur, ut violans fidem solvere teneatur ex vi conventionis, & pacti obligantis independenter a Sententia Judicis; nam licet poenæ judiciales punitivæ, & involuntariæ debeant expectare Sententiam Judicis, non sic poena conventionalis, quæ est voluntaria, & jure naturæ servari debet; nihil enim ita naturale est, ac pacta servari *l. 1. ff. de pactis.* Ita cum Azor. Molina, Salas, & aliis probabilius existimat Bonac. *qu. 3. pun. 7. nu. 4.* Rosignol. *prænot. 13. n. 14.* Malderus *cap. 3. dub. 18.* Andreas a Matre Dei *cap. 3. num. 76.*

91. Non tamen est obligatio solvendi poenam hanc, antequam tacite, vel expresse a mutuante petatur, nam iste potest solutionem condonare, si vult, seu terminum prorogare; unde non petendo, cum possit, censetur condonare, & cedere juri suo. Ita Navarr. *cap. 23. num. 67.* Salonius, Molina, & alii, quos sequitur Bonacina *qu. 3. pun. 7. numer. 3.* & Rosignol. *prænot. 13. num. 15.*

92. Quæres: *An ratione præsumptæ donationis licitum sit mutuanti aliquid recipere supra sortem?*

Resp. affirmative, quando, nullo præcedente pacto, constat sibi liberaliter donari; nam si aliquid liberaliter datum recipere potest non mutuando, potest etiam mutuando, cum ratione beneficii præstiti non debeat esse deterioris conditionis: constare potest sibi liberaliter dari ex circumstantiis personæ dantis, & accipientis, si ille sit dives, & liberalis; si sit solitus similes recognitiones facere, si sit amicus, & consanguineus. Cavendum tamen est a pacto præcedenti, de quo diximus supra *dub. 6. num. 47.* & ubi etiam *num. 48.* diximus, an, & qualiter licitum sit verbis, aut factis mutuatarium excitare ad liberales donationes faciendas, & diximus ab illis abstinendum in praxi, propter periculum usurarum.

DUBIUM IX.

An in mutuo licitum sit pactum legis commissoriæ in pignoribus.

93. PActum legis commissoriæ licitum esse in contractu emptionis, & venditionis, constat ex dictis *cap. præced. dub. 16.* Nunc autem quæritur: *An possit illud pactum apponi in mutuo, an scilicet mutuator, qui pecuniam mutuat, accepto pignore, possit pactum apponere, ut si statuto tempore mutuatarius mutuum non restituat, pignus fiat mutuantis, eique cedat in solutum, vel sit ei venditum, & dicitur pactum legis commissoriæ, eo quod non solvens tempore debito incidit in commissum, & amittit jus rei suæ ob culpam commissam, non solvendo tempore præfixo*, ut explicat Bonac. *q. 3. pun. 8.*

94. Resp. pactum legis commissoriæ in pignoribus, per se loquendo, illicitum esse, & usurarium, & utroque Jure Canonico, & Civili reprobatum. De Jure Canonico constat ex cap. *significante, hoc tit.* ibi: *Cum igitur pactum legis commissoriæ sit in pignoribus reprobatum, &c.* De Jure Civili constat ex toto titulo, & maxime *l. 1. & ult. C. de pactis pignorum.* Ratio est, quia pignus, regulariter loquendo, plus valet, quam sit debitum, in cujus securitatem constituitur: sæpe enim pro mutuo decem aureorum traditur pignus viginti, vel triginta aureorum. Si autem addatur pactum legis commissoriæ, ut pignus fiat mutuantis, si statuto tempore mutuum non fuerit solutum, debitor plus solvere cogeretur, quam debeat, & creditor vi mutui, aut alterius similis contractus, plus reciperet ultra sortem sibi debitam absque ullo titulo; & sic usuram committeret; ut cum Navar. *cap. 17. n. 216.* Reginal. *lib. 25. n. 232.* Salonio, Rebello, & aliis tenet Bonac. *q. 3. pun. 8. n. 2.* Rosignol. *contr. 3. prænot. 12.* Palaus *disp. 4. pun. 23.* Trull. *lib. 7. c. 9. dub. 11. n. 14.* & alios referens Andreas a Matre Dei *cap. 3. num. 47.*

95. Licitum tamen, ac validum est pactum appositum, ut si mutuatarius non solvat statuto tempore, pignus vendatur justo pretio, vel habeatur venditum justo pretio, quæ particula semper intelligi debet, etiamsi non exprimatur, quanti scilicet arbitrio prudentis viri æstimabitur. Ita clare constat ex *l. si fundus 16. §. ult. ff. de pignor.* ibi: *Potest ita fieri pignoris datio, hypothecæve, ut si intra certum tempus non sit soluta pecunia, jure emptionis possideat rem justo pretio tunc æstimandam*; & redditur ibid. ratio: *Hoc enim casu videtur quodammodo conditionalis esse venditio.* Quare, adveniente casu, pignus debet æstimari, & illud, quod pretium justum excedit quantitatem debiti, debitori debet restitui; tunc enim creditor nihil accipit supra sortem, sed tantum se ipsum servat indemnem, quod licite facere potest, ut docent Auctores communiter, quos affert, & sequitur Bonac. *qu. 3. pun. 8. num. 3.*

96. Licitum pariter est, ac validum pactum legis commissoriæ in caussa dotis, quando Socer promittit Genero dotem in pecunia solvendam, & interim loco pignoris tradit fundum tali pacto, ut si intra certum tempus promissam dotem in pecunia non solverit, Gener retineat sibi fundum loco dotis. Ratio est, quia Socer potest pro libito in dotem promittere, & postea, si voluerit, etiam plus dare, ac prius promiserat; unde hac ratione nulli fit injuria, dummodo Socer id scienter, ac libere, nulla fraude, ignorantia, vel dolo deceptus faciat; siquidem scienti, & volenti non fit injuria, prout docent Sylvester *verb. Pactum, quæsito 14.* Azor. *part. 3. lib. 7. cap. 10. §. Quæro postremo*, & alios referens Bonacina *loco cit.*

97. Quæres: *An creditor, seu mutuator absque usura possit sibi retinere fructus rei sibi traditæ in pignus?*

Resp. negative, ut clare constat *l. 1. de act. pignorat.* ibi: *Ex pignore percepti fructus imputantur in debitum, qui si sufficiant ad totum debitum, solvitur actio, & redditur pignus; si debitum excedunt, qui supererunt reddantur.* Idem habetur cap. 1. de Usuris: *Si quis alicujus possessionem, data pecunia sub hac specie, vel conditione, in pignus acceperit, si sortem suam, deductis expensis, de fructibus jam perceperit, absolute possessionem restituat de-*

bito-

bitori. Consonat caput *cum contra 6. hoc tit.* ibi: *Cum secundum Canonicas sanctiones fructus restitui, & in sortem debeat computari*. Ratio est, quia res qualibet domino suo fructificat, dominus autem pignoris est debitor, non creditor, qui percipiendo, & retinendo fructus, illos perciperet ex re aliena, & ex mutuo aliquid haberet supra sortem, in quo consistit usura; nisi illos percipiat titulo lucri cessantis, vel damni emergentis, vel ob aliam justam caussam excusantem. Ita Mol. Rebell. Lessius, Reginaldus, Salas, quos affert, & sequitur Bonacina *punct*.9. & Rosignol. *prænot*. 12.

98. Debet autem creditor computare in sortem non solum fructus perceptos, sed etiam quos dominus percepisset, & ex culpa sua non percepit, per textum in *l*.2. *Cod. de pignor. act.* ibi: *Creditor, qui prædium pignoris nexum detinuit, fructus, quos percepit, vel percipere debuit, in rationem exonerandi debiti computare necesse habet*. Ratio est, quia fructus simul cum fundo fructifero censentur oppignorari, & cum eodem unicum pignus constituere, quod integrum restituendum est cum fructibus ex negligentia, & culpa sua non perceptis, cum de illis teneatur eadem culpa, ac de fundo, de quo tenetur ex culpa lata, & levi, non levissima, ex eo, quod contractus pignoris sit in gratiam utriusque contrahentis; in iis enim contractibus in gratiam utriusque contrahentis celebratis obligatio consurgit ex culpa lata, & levi, non levissima, ut diximus supra *tract*. 2. *de restit*. *c*. 1. *dub*. 7. Ita Molina *disp*.535. Azor. *p*.3. *l*.7. *c*.8. *q*. 2. Anc. a Spiritu S. *disp*.24. *sect*.3. *n*.1307. Trullench *l*. 7. *Decal. cap*. 26. *num*. 22. & cum aliqua limitatione Rosignol. *prænot*. 12. *num*. 5. debent autem fructus computari in sortem, deductis expensis, & labore creditoris.

99. Idem dicendum de fructibus perceptis a creditore, quos dominus non percepisset, si nimirum agrum sterilem recipiat in pignus, & sua diligentia, & cultura fructiferum reddat, tales fructus pertinent ad mutuatarium, seu debitorem, cujus est pignus, deductis expensis, & æstimatione laboris; nam fructus eo ipso, quod nascuntur, pertinent ad dominum fundi, juxta vulgata jura, prout docet Navar. *in man. c*. 17. *n*.216. nisi moraliter constet de præsumpta domini voluntate libere concedentis, & condonantis tales fructus, quo casu creditor non tenetur illos in sortem computare, sed titulo liberæ cessionis, seu donationis posset sibi retinere. Rosignol. *prænot*. 12. *n*.4. Azor. *c*.8. *quæst*. 1. & 2. Vasq. Navarrus, Reginald. & alii, quos affert, & sequitur Bonacina *disp*.3. *quæst*.10. *num*.7. & Molina *disp*.535. *n*. 7. Posset etiam creditor hujusmodi fundum emere cum pacto retrovendendi, quo casu faceret fructus suos. Lessius *cap*. 20. *dub*. 16. *num*. 138. Filliuc. *cap*. 34. *cap*. 5. *num*. 109.

100. Duo excipiuntur casus, in quibus creditor non tenetur fructus perceptos, vel culpabiliter neglectos in sortem computare. Primus est, quando Feudatarius debet aliquid Domino directo, & illi tribuit feudum in pignus, si interim Dominus non exigat a Vasallo servitia alias debita, ut habetur cap. 1. *de Feudis*, & cap. *conquestus 6. de Usuris*, ubi dicitur, quod si Feudatarius dat in pignus proprio domino rem, quam feudo habebat, tunc fructus talis rei non debent ab ipso domino in sortem computari, dummodo servitium feudi interim remittat. Ratio esse potest, quia dum cessat servitium ex parte Feudatarii, suspenditur obligatio inter ipsum & dominum contracta, & dominium utile consolidatur cum directo, quoties res fundi redit ad dominum, ut habet Navarrus, & notat Fagnanus *cap*. 1. *n*. 3. *de Feudis*.

101. Secundus casus est, quando Gener pro dote promissa, & non soluta, in pignus recipit a socero fundum fructiferum; tunc enim non tenetur fructus perceptos in sortem computare, ut habetur cap. *Salubriter 16. de Usuris*, ubi Innoc. III. ait: *sane Generum ad fructus possessionum, quæ sibi a Socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ computandos in sortem, non credimus compellendum*: & ratio ibid. additur *cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda*: cum enim fructus dotis cedant marito ad onera matrimonii sublevanda, quousque dos non fuerit soluta, poterit maritus percipere fructus ex pignore, non quidem titulo lucri cessantis, ut aliquibus visum est cum Sylvest. *verb. usura* 3. §. 2. secus non liceret illos accipere, quando non esset expositurus negotiationi pecunias dotales, quod falsum esse constat ex d. c. *salubriter*, ubi in universum omnibus maritis id conceditur in casu non solutæ dotis: nec præsumptæ donationis a Socero, ut existimant alii cum Navar. *in man. c*. 17. *n*. 213. nam Pontifex in *d. cap*. non de donatione, sed de justitia fuit interrogatus, & ita determinat id, quod jure ipso licet, etiam invito Socero, sed ut onera matrimonii sustinere valeat, idest alere uxorem, & familiam, integra semper remanente dote ipsius uxoris, ita in eumdem finem traduntur fructus, ut maritus iis fruatur, donec dos fuerit soluta, ut cum Molina, & Rebello tenet Bonacina *q*.3. *punct*.9.

102. Non poterit tamen maritus recipere fructus pignoris, si non sustineat onera matrimonii, quia forte uxor mansit in domo paterna, ut habet Sylvester *verb. Usura* 3. *q*. 2. & Molina *disp*.321. Nec item si facta fuit conventio cum Socero, ut pignus inserviret tantum pro securitate dotis, quæ, concessa dilatione, non debeatur ante certum tempus, quia dum maritus absolute consensit in solutionem non faciendam, nisi tali tempore, libere cessit juri suo, ut interim fructus pignoris percipere non possit. Rosignol. *prænot*. 12. *n*. 7.

103. Potest maritus hos fructus percipere, & sibi retinere, quamvis excedant, & non sint absolute necessarii ad onera matrimonii, quia non censentur dari tamquam simpliciter necessarii, sed in subsidium, & ut honestius uxor alatur, quæ sumptuosius ali solet pro magnitudine dotis. Palaus *punct*. 20. *n*. 10. Potest etiam fructus retinere, quando alius a Socero, etiamsi sit extraneus, dotem promisit, & pignus dedit; nam cum maritus sustineat onera matrimonii, ex quodam contractu innominato, *do ut facias*, debentur illi fructus dotis, & sic etiam fructus pignoris in locum dotis subrogati: potest etiam convenire cum Socero, vel cum aliis, ad quos spectat dotem solvere, ut quotannis certam pensionem solvant, donec dos fuerit realiter persoluta: nam sicut onera matrimonii sustinenda jus tradunt marito ad percipiendos fructus pignoris, ita etiam ad percipiendos fructus ex aliis bonis, sive Soceri, sive aliorum, ad quos spectat dotem solvere. Bonacina *punct*.9. *n*.3. Rosignol. *n*. 8.

104. Quod si maritus acceptum pignus a Socero pro dote non soluta alteri tradat, ut ab ipso mutuo habeat pecuniam, qua pro suis necessitatibus indiget, non potest mutuator fructus pignoris sibi retinere, sed eos debet in sortem computare, nisi aliquod lucrum ei cesset, vel damnum emergat, quia reciperet fructum ex mutuo propter dilatam solutionem, in quo consistit usura: nec militat pro mutuatario eadem ratio, ac de marito cum non sustineat onera matrimonii, sicut maritus. Rosignol. *n*. 9.

105. Dissoluto matrimonio per mortem uxoris, maritus adhuc potest fructus pignoris percipere, donec fuerit dos soluta, si ex tali matrimonio superstites sint filii, quia tunc remanent onera matrimonii, cum teneatur alere filios, & educare familiam, ob quam caussam, durante matrimonio, fructus pignoris conceduntur. Idem valet de uxore, mortuo marito, quæ pariter percipere potest fructus pignoris marito traditi pro securitate dotis, quia de illa militat eadem ratio sustinendi onera matrimonii, alendi scilicet familiam, & Filios, quod præstat uxor, marito mortuo. Potest etiam vidua recipere fructus pignoris, titulo alimentorum, cum, mortuo marito, sit alenda ab heredibus illius; nam dos traditur, ut uxor alatur, & onera matrimonii sustineantur: cum autem heredes succedant in onera defuncti, & iste teneretur alere uxorem ex pacto dotali, sic tenentur heredes, donec dos fuerit soluta. Rosignol. *prænot*. 12. *num*. 10. Palaus *punct*. 21. & alios referens Bonacina *punct*. 9.

DUBIUM X.

An Mutuum restituendum sit in eadem specie Monetæ, sive crescat, sive decrescat illius valor.

106. Regulariter loquendo Mutuum restituendum est secundum quantitatem, qualitatem, & bonitatem rei acceptæ, ut sic servetur æqualitas dati, & accepti, nullo habito respectu incrementi, vel decrementi ab extrinseco provenientis, quod totum cedit mutuatario, qui cedit dominium rei mutuo acceptæ: si enim mutuo accepisti decem mensuras tritici, vini, olei, & hujusmodi, totidem debes restituere, sive creverit, sive decreverit illarum pretium, quia solum attendi debet substantia rei mutuatæ, ad servandam æqualitatem dati, & accepti, quod in aliis rebus extra pecuniam verissimum esse, usuque, & consuetudine confirmatum, cum Soto, Lessio, Layman, & aliis, fatetur Castro Palaus *tr*. 33. *disp*. 4. *punct*. 1. *n*. 6.

107. Hoc idem asserunt plures, maxime ex Juristis, servandum esse in mutuo pecuniario, & reddendam esse pecuniam secundum numerum, qualitatem, & speciem illius, quam accepisti. Si centum aureos effectivos mutuo tradidisti, totidem exigere potes, & totidem tenetur mutuatarius restituere, sive auctus, sive diminutus sit aureorum valor; nam substantia, & species monetæ considerari debet, non incrementum, vel decrementum valoris, quod totum stat penes mutuatarium, cui cedit domi-

dominium aureorum, & rei mutuatæ. Nec obstat, quod stante augmento valoris, plus videaris accipere, quam mutuo tradidisti; nam mutuasti centum aureos valentes mille quingentas libras, & accipis centum aureos valentes mille sexcentum libras; nam licet plures libras videaris accipere, tamen illæ libræ non conficiunt plures aureos, sed centum dumtaxat, qui debentur, ac proinde centum aureos recipiendo, nullam committis usuram, quia nihil accipis ultra sortem; centum dedisti, centum accipis; & ita, pluribus adductis, Cæsar Panimollis *tom. 2. decis. 44. annot. 1. n. 4. & seq.*

108. Oppositum tenent satis communiter Theologi docentes, in mutuo pecuniario, quando nullum fuit appositum pactum, nilve conventum, reddendam esse pecuniam secundum valorem, quem habebat tempore dati mutui; & inde, si centum aureos mutuo tradidisti, crescente illorum valore ex Decreto Principis, aut ex usu Mercatorum, non potes amplius centum exigere, & recipere, sed tot solum, quot complent valorem antiquum centum illorum aureorum; nam hoc modo tantum recipis, quantum, inspecta communi hominum æstimatione, dedisti, & plus reciperes, ac usuram committeres, si auctum valorem acciperes; nam haberes aliquid supra sortem, scilicet illud augmentum valoris. Ratio est, quia dominium hujusmodi aureorum transfertur in mutuatarium secundum valorem, quem habent tempore dati mutui, & sic secundum eumdem valorem debent restitui, ut servetur æqualitas dati, & accepti, non secundum augmentum, quod postea fit, quod totum spectat ad mutuatarium, sicut ad eumdem spectat decrementum, si postea tractu temporis, durante mutuo, auri decrescant in valore, adeoque minui debet numerus aureorum, si valor crevit; sicut debet crescere illorum numerus, si valor, & æstimatio decrevit. Ita tenent Rebellus, Angelus, Sylvester, Garzias, Reginaldus, Azorius, & alii, quos affert, & sequitur Bonac. *disp. 3. quæst. 3. punct. 3. n. 22.* Palaus *disp. 4. p. 1. n. 7.* Lugus *disp. 25. de mutuo sect. 7. n. 124.* Rosignol. *de mutuo prænot.* 10. n. 4.

109. Resp. 1. Licitum est mutuanti convenire cum mutuatario, ut sibi totidem restituantur aurei, sive crescat, sive decrescat illorum valor, quando æquale dubium est, quod possit crescere, vel decrescere, quia tunc æqualis est utriusque contrahentis fortuna, mutuantis scilicet si valor pecuniæ augeatur, mutuatarii vero si diminuatur. Ita Sylvester *verb. Usura q. 14.* Sotus *l. 6. q. 1. a. 2.* Lessius *l. 2. c. 20. dub. 17. n. 185.* Lugus *disp. 25. n. n. 125.* Palaus alios referens *disp. 4. punct. 13.*

110. Quod si probabilius, & fere certum erat, valorem auri fore augendum, potes etiam obligare mutuatarium ad restituendos totidem ejusdem materiæ, qualitatis, & valoris, si illos eras servaturus usque ad tempus valoris aucti. Ratio est, quia damnum pateris, privando te illa pecunia, quam eras conservaturus; cum autem non tenearis damnum pati propter beneficium alteri præstitum, sed possis te ipsum conservare indemnem, sequitur, quod possis obligare mutuatarium, & cum illo pacisci, ut totidem aureos ejusdem qualitatis, & materiæ, seu cum illo augmento restituat. Non potes tamen obligare mutuatarium, ut ante illud tempus mutuum non restituat, quia illi grave onus imponeres alienum a contractu mutui, unde usuram committeres recipiendo aliquid supra sortem, & obligando mutuatarium, ut solum eo tempore restituat, quo creditur pecunia pluris valitura, sed debes ipsum liberum relinquere, ut possit restituere quandocumque voluerit, ut cum Mol. Rebello, Lessio, & Saias tenet Palaus *supra n. 3.*

111. Difficultas est: *An si non eras pecuniam conservaturus usque ad illud tempus, quo creditur pluris valitura, & liberum relinquis mutuatarium, ut ante illud tempus possit mutuum restituere, possis in pactum deducere, ut tibi totidem nummi ejusdem materiæ, qualitatis, & valoris restituantur?* Affirmant plures, quia talis est natura mutui, ut restituatur idem numerus ejusdem bonitatis, & qualitatis rei acceptæ, nullo habito respectu incrementi, vel decrementi; deinde quia sciens valorem monetæ brevi diminuendum, utitur jure suo, si eam tunc mutuat, ut recipiat pecuniam æqualis valoris, non enim recipit aliquid supra sortem, sed tantum recipit, quantum mutuo tradidit: quod verum putat Bonacina *disp. 3. q. 3. p. 5. n. 17.* cum Sylvestro, Angelo, & Azorio, etiamsi mutuatarius non sit monetam acceptam consumpturus, antequam illius valor auctoritate Principis diminuatur, quia nimirum utitur jure suo. Conf. Potest Mercator nunc currenti pretio res suas vendere, quamvis sciat illarum pretium paullo post fore diminuendum, ut diximus *cap. præc. dub. 11.* ubi etiam *numer.* 118. diximus, non peccare illum, qui certo sciens valorem alicujus monetæ brevi fore minuendum, proprias expendit, & distrahit currenti pretio; ergo etiam poterit easdem mutuo tradere. Panormit. cap. *in Civit. de Usuris* n. 20. Turrecremata, Sotus, Toletus, & alii relati a Palao *supra n. 4.*

112. Verius tamen est, non posse tunc mutuantem obligare mutuatarium ad restituendum æqualem numerum aureorum, sed solam ad eum numerum, qui adæquet valorem, quem habebant tempore contractus, quia cum mutuans non sit aureos conservaturus usque ad tempus, quo valor illorum crescit, nullum damnum patitur mutuando, unde non potest absque usura mutuatarium obligare ad eumdem numerum restituendum, quia reciperet aliquid supra sortem, scilicet illud augmentum, quod nullo alio titulo reciperet, nisi titulo mutui. Ita tenent Palaus *punct. 13. n. 5.* Rosignol. *de mutuo disquisit. §. 1. fine,* Bonacina *q. 3. punct. 3. n. 29.* Andreas a Matre Dei *c. 3. n. 69.* & alii apud ipsos.

113. Nec obstant ea, quæ in contrarium adducuntur, quia natura mutui est, ut restituatur pecunia æqualis, non majoris valoris; unde non potes obligare mutuatarium ad restituendos aureos majoris valoris, si nullum damnum pateris. Qui scit valorem monetæ fore diminuendum, potest suas distrahere, & mutuare, ut recipiat alias æqualis valoris, non vero cum augmento, quando non erat suas conservaturus usque ad tempus, quo factum est augmentum: potest Mercator res suas vendere currenti pretio, & pecunias suas mutuare, quamvis sciat, pretium fore diminuendum, ut recipiat æqualem valorem, non vero augmentum, quod facere non potest sine usura.

114. Si contractus factus sit bona fide, & mutuasti tot aureos, vel argenteos, nihil cogitans de incremento, vel decremento futuro, & nulla facta sit mentio de modo restituendi, an in eadem specie, & numero, vel solum in eodem valore, si interim facta sit variatio in valore extrinseco, tunc Theologi magis communiter asserunt, esse considerandum valorem, quem habebant auri tempore contractus, & secundum illum restitutionem esse faciendam, quia substantia, & essentia monetæ, prout redditur expendibilis, & deducitur in contractum, præcipue consistit in æstimatione, & valore a Principe, seu communi Mercatorum usu taxato. Unde si petis, ut tibi reddatur idem numerus aureorum auctus in valore, plus petis, quam dedisti, & lucrum reportas ex mutuo, in quo consistit usura; quare aureorum numerus erit augendus, vel minuendus usque ad valorem, qui erat tempore contractus. Palaus, & alii supra relati.

115. Juristæ vero contendunt, restitutionem esse faciendam secundum eamdem speciem, numerum, & bonitatem, sive auctus, sive diminutus sit aureorum valor ut sic servetur æqualitas dati, & accepti; nam in mutuo solum attenditur æqualitas corporum, quæ mutuantur, non pretium, quod dumtaxat consideratur in contractu emptionis, & venditionis, non in contractu mutui, cambii, commodati, & depositi, in quibus pecunia consideratur tamquam res, non secundum valorem, quem habet, si enim pretium servandum esset, & secundum illud facienda æqualitas, jam non esset mutuum, sed emptio, & venditio. Ita Panimollis *decis. 44. annot. 1. n. 4. & seq.* ubi alios quamplures affert, & asserit, ita semper decisum fuisse a Rota.

116. Resp. inspiciendum esse modum, & verba contrahentium, an in obligatione deducta sit species, aut solum valor monetæ; si enim a me mutuo petis centum libras, & ego eas tibi trado in tot monetis aureis, & argenteis, tunc valor solum est in obligatione, & incrementum, & decrementum pecuniæ, si quod est tempore solutionis, spectat ad debitorem, cui sufficit solvere summam sui debiti cum currenti valore pecuniæ tempore solutionis, augendo, vel diminuendo aureorum numerum usque ad valorem centum librarum, prout docent Theologi. Si vero mutuo petis centum aureos, eosque tibi effectivos trado, tunc censetur obligata species; non enim tibi mutuavi valorem, sed speciem pecuniæ, quæ proinde restituenda est secundum speciem, & numerum, illiusque incrementum, seu decrementum, si quod est tempore solutionis, spectat ad creditorem, ut tenent Juristæ. Bartol. *in l. Paulus* n. 6. *ff. de solut.* Brun. *in tract. de monet. p. 3. n. 1. & seq.* Ant. Sola *de moneta, casu 24.* Loter. *de re benefic. l. 1. q. 19. n. 224.* Covar. *de Numism. c. 7. §. un. concl. 8.* & alii plures relati a Panimol. *num. 11.*

117. Nec dicas: *in cap.* Olim, *& cap.* Cum Canonicis de censib. *decisum fuisse, censum, & pensionem esse solvendam secundum antiquum valorem pecuniæ, habito respectu ad tempus impositionis census, vel pensionis, non autem ad tempus solutionis; quod si pecunia facta est minoris valoris, ex ipsis plures dandæ sunt pro adæquatione valoris monetæ antiquæ, & pauciores dandæ si valor antiquæ monetæ crevit.* Contra enim dico, in illis textibus mutationem factam fuisse circa bonitatem intrinsecam pecuniæ, & ideo statutum fuisse, ut solutio fieret in pecunia nova, ita tamen ut suppleret antiquam bonitatem, & qualitatem pecuniæ antiquæ, super qua erat obligatio, ut notat Rebell. *l. 11. q. 15. n. 4.*

118. No-

118. Nota, monetam duplicitèr mutari, & variari posse. Primo intrinsece, quia augetur, vel diminuitur pondus, vel materia deterioratur per admixtionem ligæ, & alterius materiæ inferioris. Secundo extrinsece, si, manente eadem intrinseca bonitate, & pondere, valor, & æstimatio extrinseca minuatur, seu augeatur, adeo ut aureus, qui prius valebat quindecim libras, decrescat ad decem, vel crescat ad viginti. Si moneta sit intrinsece mutata, conveniunt omnes, restituendam esse monetam, quæ currebat tempore contractus, si extet, sin minus, restitutionem esse faciendam de moneta nova, quæ suppleat valorem antiquæ: & in his terminis loquitur Textus in cap. *olim caussam* 20. & in cap. *cum Canonicis* 26. *de censib.* Abbas *in d. cap. olim caussam*. Bartol. Scaccia, & alii, quos affert Panimol. supra *n.* 14. ubi etiam affert decisiones Rotæ.

119. Quæ hucusque dicta sunt de mutuo pecunistio, posset proportionaliter dici de aliis rebus, frumento, vino, & oleo; si enim mutuasti decem mensuras tritici, non potes absque usura mutuatarium obligare ad eas restituendas in eodem pondere, numero, & mensura, quando non erat æquale dubium, quod tempore restitutionis illarum pretium posset crescere, vel decrescere; vel si erat certum, aut probabilius, quod pluris essent valituræ, non eras illas conservaturus usque ad tempus, quo cresceret illarum pretium, quia cum inde nullum patiaris detrimentum, augmentum illud supra sortem reciperes solo titulo mutui, in quo consistit usura; secus si frumentum eras conservaturus usque ad tempus incrementi, nam tunc mutuando damnum patereris, & hoc titulo absque usura potes augmentum recipere: & ita cap. *in Civitate*, & in cap. *Navigaati de Usuris* decernitur, usuram esse vendere rem carius eo, quod tempore solutionis plus sit valitura, nisi esset in illud tempus servanda.

120. Quod si contractus factus sit bona fide, nullo assignato tempore restitutionis faciendæ, facta etiam mutuatario permissione restituendi quandocumque voluerit, puto, te posse petere restitutionem faciendam in eodem numero, pondere; & mensura, adeo ut si decem mensuras tritici mutuo tradidisti, possis petere decem mensuras tibi restituendas in eodem pondere, & bonitate, nullo habito respectu ad incrementum, vel decrementum valoris, quod ab extrinseco provenit, & sibi imputare debebit mutuatarius, quod debeat easdem mensuras restituere tempore, quo pluris valent, cum potuerit esse magis sollicitus in reddendo. Lessius *c.* 20. *dub.* 57. *n.* 550. Molina *disp.* 315. Sotus *lib.* 6. *q.* 1. *art.* 2. Reginald. *l.* 29. *c.* 10. *n.* 185.

121. Hinc sequitur, non esse usuram mutuare triticum vetus, ut novum reddatur, quando non constat pluris valiturum, & vetus non sit deterius, corrosum, & imperfectum: si enim triticum vetus corruptum, & corrosum esset, tunc non potes petere, quod eadem quantitas novi tibi reddatur, quia lucrum ex mutuo reportares, in quo consistit usura; quare tantum detrahendum est, de quantitate novi reddendi, quantum æstimabitur illa deterioritas. Bonacina *q.* 3. *punct.* 3. *n.* 26. & apud ipsum Navarr. *c.* 17. *n.* 224. Molina *disp.* 351. *n.* 4. Rebellus, Reginald. & cum aliis Rosignol. *prænot.* 10. *n.* 4.

DUBIUM XI.

Qualiter Montes pietatis excusentur ab usura.

122. Mons pietatis est cumulus pecuniarum, frumenti, aut alterius rei similis ex Fidelium eleemosynis collectus ad indigentium necessitates sublevandas, ne immoderatis Hebræorum, seu aliorum usuris opprimantur. Sumitur etiam pro loco, in quo iste cumulus asservatur; & hac ratione Montes pietatis numerantur a Trident. *sess.* 22. *c.* 8. 9. & 11. inter loca pia, quæ ab Episcopo sunt visitanda. In Italia maxime hujusmodi Montes sunt frequentes, & institui cœperunt tempore Pauli II. Sixti IV. & Julii II. opera, & industria piorum virorum ex ordine fratrum Minorum, ut B. Jacobi de Marchis, & Bernardini de Feltro, qui suis concionibus excitarunt fideles ac copiosas eleemosynas subministrandas pro constructione, & institutione Montis ad pauperum necessitates sublevandas per mutuum gratis datum, vel sub aliquo parvo emolumento necessario ad conservationem montis.

123. Leges, & conditiones hujus Montis quatuor præcipue numerantur. Prima, ut mutuatarii dent pignus idoneum pro assecuratione pecuniæ mutuo acceptæ. 2. Ut ad certum tempus determinatum, puta ad annum, vel paullo amplius iis mutuum permittatur. 3. Ut si præfixo, & determinato tempore mutuatarii debitum non solverint, eorum pignora publice vendantur, & detracta sorte pro satisfactione Montis, residuum pignoris debitori restituatur. 4. Ut singulis mensibus, vel annis mutuatarii aliquid minimum solvant pro sumptibus necessariis ad conservationem Montis, scilicet pro stipendio Ministrorum, qui pecuniam servant, mutuant, recuperant, pignora custodiunt, & vendunt, cum opus est, pro conductione domus ipsius Montis, pro emendis libris, pro scriptoribus dati, & accepti, & pro aliis expensis ad dictum Montem conservandum necessariis.

124. Occasione hujus ultimæ conditionis fuit olim acriter disputatum: *An hujusmodi Montes pietatis contineant usuram?* Asserentibus nonnullis esse usurarios, quia recipiunt aliquid, licet exiguum, supra sortem principalem, quod fieri non potest absque usura; re qua delata ad Sedem Apostolicam, & in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.* 10. mature, ac diligenter discussa, tandem *Sacro approbante Concilio* definitum fuit, Montes pietatis esse licitos, & immunes ab omni labe usuræ, ut constat ex Bulla ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Inter multiplices*, in eodem Concilio edita, ubi non solum declarat immunes ab usura, sed eos laudat, tamquam pios, & cupit erigi cum dictis conditionibus, Indulgentias elargitur iis, qui auxilium ad hos Montes erigendos præstarent, & excommunicat illos, qui contrarium prædicaverint, & docuerint. Ita Joan. Medina *q.* 10. *de usuris*, Navarrus *cap.* 17. *n.* 223. *& Comment. de Usur. n.* 64. Molina *disp.* 325. Salas *dub.* 33. Palaus *disp.* 4. *punct.* 24. Lessius *c.* 20. *dub.* 23. & alios referens Bonacina *q.* 3. *punct.* 12. *n.* 2.

125. Ratio est, quia licet in hujusmodi Montibus pietatis modicum quid exigatur supra sortem, id tamen non datur, nec exigitur ratione, & titulo mutui, sed pro expensis necessariis ad Montis conservationem, & pro stipendio Ministrorum, qui Montem administrant, & semper parati esse debent ad mutuandum, ad pignora recipienda, & custodienda, & conficiendos libros dati, & accepti, & cetera necessaria præstanda. Hoc autem titulo aliquid recipere supra sortem non est illicitum, nec usurarium; nam Ministri sustentari debent a mutuatariis, pro quibus laborant, & inserviunt Monti pietatis, cum, ut præmittit Pontifex in definitione: *Regula Juris habeat, quod qui commodum sentit, onus quoque sentire debeat*; nec æquitas postulat, ut quis cum suo damno mutuet, ac beneficium alteri impendat, & inde tantum exigi potest, quantum necessarium est ad damnum vitandum, quod totum constat ex dicta Const. Leonis X. ibi: *Sacro approbante Concilio declaramus, & definimus, Montes pietatis, in quibus pro eorum impensis, & indemnitate aliquid modicum ad solas Ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum conservationem, ut præfertur, pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat, ultra sortem, absque lucro eorumdem Montium, recipitur, neque speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare, neque ullo pacto improbari, quinimmo meritorium esse, ac laudari, & probari debere tale mutuum, & minime usurarium putari.*

126. Quod si, factis necessariis expensis pro conservatione Montis, & stipendio Ministrorum, aliquid supersit ex pecunia, quam mutuatarii solvunt ultra sortem, non debet accrescere Monti titulo mutui, quia esset usura, sed debet restitui creditoribus, si fieri potest, vel erogari in pauperes, & usus pios juxta regulas generales restitutionis, & aliquid etiam applicari Monti, si opus est, non tamquam mutuanti, sed tamquam loco pio, & in bonum pauperum. Cavendum tamen est, ne plus exigatur a mutuatariis, quam necesse sit pro conservatione Montis, & aliis expensis faciendis, & inde si experientia constet, sufficere tres, aut duos exigere pro quolibet centenario, non est licitum tres exigere, quia tertium jam non recipitur pro necessariis expensis.

127. Quæres: *An privatæ personæ possint hujusmodi Montes erigere, & aliquid accipere a mutuatariis pro necessariis expensis?*

Resp. affirmative, si hoc faciant cum prædictis conditionibus, sed in hoc casu dominium pecuniæ ad hunc effectum a privatis collatæ non debet remanere apud privatos, sed cedere Monti, adeo ut illas nullatenus repetere possint. Si enim fundator Montis apud se retineret dominium, deberet propriis expensis sumptus necessarios facere, nec posset absque usura recipere aliquid a mutuatariis pro expensis ejusdem Montis, cujus retinet dominium, ut notat Azor. *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 9. *§. sed notandum.*

128. Dantur alii Montes a Principe, seu Communitate constituti, qui solo nomine differunt a censibus, Princeps enim, seu Communitas indigens magna pecuniæ summa, cum illam non possit habere ab uno tantum, erigit Montem, cui pro fundo assignat reditus in vectigalibus, vel aliis rebus immobilibus fructiferis, illumque dividit in tot partes, quas *loca Montis* vocant, illasque vendit centum aureis pro quolibet loco, assignato emptoribus fructu quatuor, vel quinque pro quolibet loco; suntque in duplici differentia; nam alii sunt

tem-

semporales, qui ulio nomioe vocantur *vocabiles*, quia morte emptoria fructus, qui solent esse majores, scilicet decem, vel etiam duodecim pro singulis locis, redeunt ad Principem; alii sunt *perpetui*, seu *non vocabiles*, qui transeunt ud heredes, de quibus omnibua fuse tractans Pasqualigus *a decis.* 182. usque ad *decis.* 205. Salas *de Usur. dub.* 33. Lugus *disp.* 25. *a n.* 197. *& seqq.* Filliuc. *tr.* 34. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 184. aliique Doctores.

,, *Clarius, & exteasius de ejusmodi contractibus agit*
,, *eruditissimus Pontifex in sua Synodo Diœces. lib.* x. *c.* v.
,, *per tot. potissimum de lucro, quod ultra sortem recipi-*
,, *tur in Montibus Pietatis, hisce verbis:*

,, Sermo est de specialibus contractibus, de quibus
,, dubitari potest, an occulta usuræ labe sordescant.
,, Diu, malumque inter Theologos, & Canonistas olim
,, disceptatum fuit, an usurarii essent Montes Pietatis,
,, Perusiæ anno 1450. primum erecti, in quibus, rece-
,, pto pignore, pecunia, aut frumentum mutuo datur pau-
,, peribus ea lege, ut, si præfixo tempore debitum non
,, solvant, vendantur pignora, & ex eorum pretio Mons
,, Pietatis sortem creditam, & modicum quid ultra sor-
,, tem recipiat, residuum vero reddatur debitori. Ejus-
,, modi Montes præ ceteris impugnarunt Cajet. *in Com-*
,, *ment. de Mont. Piet. c.* 5. & Dominicus Soto *lib.* 6. *de*
,, *just. q.* 1. *art.* 6. quibus videbatur modicum illud lu-
,, crum, ultra sortem receptum, usuram sapere. Acriter
,, pariter in illos invehitur cum aliis Acatholicis Carp-
,, zovius *Pract. Crim. q.* 92. *n.* 4 *& seq.* Verum Leo X.
,, in Concilio Lateranensi V. *Sess.* 10. sacro approban-
,, te Concilio, Montes prædictos licitos, atque ab om-
,, ni usuræ labe immunes pronuntiavit: siquidem, quod
,, ultra sortem a mutuatariis exigitur, non caussa mu-
,, tui, sed alio nomine exigitur, præcipue ut sine Mon-
,, tis detrimento congrua merces assignetur ministris,
,, qui non sine magno labore pignora custodiunt, ex-
,, cutiunt, expendunt, & alia ejusdem generis multa
,, præstant in gratiam mutuatariorum. Sicut enim, si
,, amicus, unius diei intervallo a me distans, mutuum
,, a me petat, quod ad eum mittere cogar per hominem
,, a me conductum, & mutuum, & mercedem, quam
,, dedi homini, per quem mutuum misi, jure repetere
,, possum; ita Montis Præfecti aliquid ultra sortem cre-
,, ditam exigere valent, erogandum in Montis ministro-
,, rum salarium: quemadmodum ratiocinatur Sylvius *in*
,, 2. 2. *D. Thomæ q.* 78. *art.* 4. *quæst.* 5. ubi alia pluri-
,, ma adducit argumenta ad vindicandam justitiam Mon-
,, tium Pietatis.

,, II. Quoniam vero periculum est, ne, quod a Mon-
,, tis Præfectis ultra mutuatam pecuniæ summam exigi-
,, tur, expensas superet in ministrorum sustentationem
,, erogandas; ideo sacra Congregatio Concilii, ut om-
,, nis usuræ suspicio quam longe abesset a Montibus Pie-
,, tatis, quos Tridentinum sess. 22. c. 8. de reform. in-
,, ter loca pia enumeravit, & Episcoporum visitationi
,, subjecit, die 7. Februarii 1637. rescribens ad Archie-
,, piscopum Neapolitanum, nihil ultra sortem exigen-
,, dum statuit, nisi prius consulta Apostolica Sede: *Lo-*
,, *ca pia* (verba sunt sac. Congregationis, quæ reperi-
,, mus adnotata *l.* 15. *decretor. p.* 486.) *& sacras ædes,*
,, *quæ deposita retinent, dum mutuant indigentibus pecu-*
,, *nias, accepto pignore, non posse quidquam a mutuata-*
,, *riis, nisi ex Sedis Apostolicæ dispensatione accipere.*
,, Idemque responsum datum legimus ad Episcopum
,, Adriensem die 14. Martii ejusdem anni, *eod. lib.* 15.
,, *decretor. p.* 501. *a tergo.* Multo minus, absque Apo-
,, stolicæ Sedis placito, erit plus exigendum, quam an-
,, tea consueverit, etiamsi Mons Pietatis eo auctario in-
,, digeat ad solvenda debita, quæ in mutuatariorum com-
,, modum contraxit. Quod probe scientes Præfecti Mon-
,, tis Pietatis civitatis Casalensis, dum Nos Sacræ Con-
,, gregationis Concilii Secretarium agebamus, ab eadem
,, Sacra Congregatione facultatem sibi fieri petierunt,
,, & Montem, cujus reditus impares erant sublevandis
,, pauperum indigentiis, ære alieno gravandi, & simul
,, exigendi quinque ex singulis centenis nummis ab iis,
,, qui in posterum, dato pignore, pecuniam a Monte
,, reciperent, ut tali pacto possent & consueta sustine-
,, re onera, & æs alienum paullatim solvere, quemad-
,, modum videri potest *in Thesaur. Resolut. tom.* 5.
,, *pag.* 28.

,, III. Quod si contra Episcopus animadverteret, plus
,, a mutuatariis solvi, quam necessarium sit ad Montem
,, servandum indemnem a necessariis impensis, & pos-
,, set, & deberet usuram moderari, & redigere ad æqua-
,, litatem cum quotidianis sumptibus, aliisque oneribus,
,, quibus Mons prægravatur: quamvis etiam in hoc even-
,, tu tutius sit, ut, priusquam Episcopus moderationem
,, decernat, sacram Congregationem Concilii consulat.

DUBIUM XII.

An licitum sit petere Mutuum ab Usurario, qui non est daturus sine Usuris.

129. RESP. licitum esse, ex justa, & rationabili caussa, mutuum petere ab Usurario, quamvis non sit illud daturus sine Usuris. Colligitur ex alicubi dictis circa primum decalogi præceptum *c.* 7. *de Scandalo dub.* 6. ubi diximus, ex justa, & rationabili caussa licitum esse petere actionem, quam alter non est facturus sine peccato, sive ille, a quo talem actionem peto, paratus sit ad peccandum, sive non, quia nimirum actio illa, cum de se sit indifferens non potest esse caussa, & occasio peccandi, nisi per accidens ex malitia alterius, qui tali actione est abusurus, non ex natura sua, ac proinde non teneor ab illa abstinere, si aliqua detur caussa justa, & rationabilis. In præsenti casu, qui petit mutuum ab usurario, petit actionem licitam, quam ille facere potest sine peccato, dando mutuum sine usuris, sibique imputare debet, si non est daturus sine peccato contra intentionem petentis, qui solum intendit propriam utilitatem, & permittit peccatum alterius ex justa, & rationabili caussa. Ita Cajet. Reginald. Salonius, Molina, quos sequitur Bonacina *punct.* 13. *n.* 2. Palaus *tr.* 6. *disp.* 6. *punct.* 10. Diana *p.* 5. *tr.* 7. *resol.* 8. aliique communiter.

130. Major difficultas est: *an sit licitum petere mutuum expresse dicendo*, da mihi mutuum sub usuris. Negat Bonacina *n.* 1. & apud ipsum Aragon. Salas, Rebell. Azor. etiamsi usurarius paratus sit dare sub usuris, quia non licet petere quod alter facere non potest sine peccato; hoc enim esset alium inducere ad peccatum; sed usurarius non est daturus sine peccato: ergo non possum petere, ut mutuum tradat sub usuris. At probabilius puto, id licitum esse, quia talis petitio non est intrinsece mala, sed bona: habet enim sensum conditionatum, hoc modo: da mihi mutuum, & si non vis dare gratis, paratus sum solvere tibi usuras; quod nihil mali continet, nec de se inducit ad peccatum. Ita tenent Diana *loc. cit.* §. *& tandem*, Sanch. *in Decal. c.* 8. *n.* 27. Molina *disp.* 335. Trullench *l.* 7. *Decal. cap.* 19. *dub.* 24. Ant. a Spiritu S. *disp.* 15. *n.* 642.

131. Dixi, *ex justa & rationabili caussa*, quia sine illa teneor lege caritatis sub gravi peccato cessare, & abstinere a mutuo petendo, ne absque caussa præbeam alteri materiam peccati, quod quisque vitare tenetur, quando commode potest. Nec obstat, quod usurarius jam sit dispositus ad mutuandum sub usuris; nam licet sit habitualiter dispositus, non tamen est determinatus ad hoc numero peccatum hic, & nunc committendum, quod facile vitare possum, si abstineam a petitione mutui; ergo teneor abstinere a petendo. Et quidem major adesse debet caussa, ut licite possim mutuum petere ab imparato, quam a parato, unde non sufficit ad petendum ab imparato, quod pecuniam expendere velim voluptuose, aut inhoneste, vel etiam in ludo; bene tamen si est necessaria ad aliam actionem honestam, vel quam sine decore omittere non possum, ut cum Suar. & Sanch. notat Petrus Hurtado *disp.* 173. §. 184. & alios referens Palaus *de Just. disp.* 4. *punct.* 27. *n.* 4.

132. Quæres: *An, & quatenus licitum sit solvere usuras promissas?*

Resp. licitum, & obligatorium esse illas solvere, si promissio fuit juramento confirmata, prout clare habetur cap. *debitores de jurejurando*, ibi: *debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligarunt, cogi non debent: si vero de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt domino reddere juramentum.* Ratio est, quia ex tali juramento nascitur obligatio erga Deum in testem adductum, ac proinde tenetur promissionem Dei testimonio firmatam implere, quando talis promissio potest adimpleri sine peccato; sed promissio solvendi usuras adimpleri potest sine peccato; nam licet usurarius peccet recipiendo usuras, non tamen peccat promittens solvendo, quin potius exercet actum Religionis erga Deum, & fidelitatis erga homines. Ita Sanch. Suar. Palaus, & alii, quos affert, & sequitur Leand. *tom.* 7. *tr.* 1. *disp.* 10. *q.* 8. ubi *q.* 10. notat, satisfieri tali promissioni, & obligationi momentanea solutione, quamvis statim absque ulla juramenti relaxatione solutum repetere possit, implorato Judicis officio, si opus est, quia juramentum tantum fuit de solvendis usuris, non de illis non repetendis; unde cit. cap. *debitores de jurejurando* dicitur: *Cum usuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiastica severitate, si necesse fuerit, compellendi.* Sic etiam tenent Covar. Gutierez, Suar. Less. Palaus, & alii ab eodem Leandro adducti.

133. Quæres: 2. *An sit licitum pecunias deponere apud usurarium?*

Resp.

Resp. non esse licitum absque gravi, & rationabili caussa. Ratio est, quia ex præcepto caritatis tenemur vitare peccata proximi, quando commode facere possumus; sed si non deponas pecuniam apud usurarium, plura ipsius peccata vitantur, quia usuras non exercebit, vel non in tanta quantitate; ergo teneris illam non deponere, nisi urgeat gravis necessitas, quia nimirum non habes tutiorem locum ad eam deponendam. Palaus *de Caritate tract. 6. disp. 6. punct.* 13. Navarr. *cap.* 14. *n.* 40. Rosignol. *disquis.* 8. §. 3. Diana *part.* 5. *tract.* 7. *resol.* 21.

134. Quæres 3. *An qui mutuum sub usuris accepit, licite possit alteri petenti mutuare partem illius pecuniæ sub onere solvendi partem usurarum, quas ipse solvit?*

Resp. affirmative, si inde damnum patiatur, quia adhuc durat caussa, propter quam ipse mutuum accepit, ut suis satisfaceret necessitatibus; aut jam erat pecuniam sic acceptam restituturus, & in gratiam alterius restitutionem differt. Ratio est, quia non tenetur amico petenti mutuare pecuniam sub usuris acceptam cum suo incommodo, & damno, sed potest se ipsum servare indemnem; secus si nullum inde damnum patiatur, nec erat pecuniam sub usuris acceptam restituturus, quia tunc nullus adest titulus aliquid recipiendi supra sortem: nec sufficit, quod ipse sub usuris mutuam pecuniam acceperit, & teneatur solvere usuras, nam iste non est titulus sufficiens ad recipiendum aliquid supra sortem per secundum mutuum, sicuti qui rem aliquam emit supra justum pretium, non potest ex hoc solum titulo rem eamdem vendere supra justum pretium, ut se ipsum servet indemnem, ut cum Salas tenet Lugus *disp.* 25. *num.* 75. Bonacina *disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 4. *n.* 8. Antonius a Spiritu S. *disp.* 25. *n.* 632.

DUBIUM XIII.

An Usurarius acquirat dominium rei per usuram acquisitæ.

135. Affirmant plures, Usurarios acquirere dominium rei per usuram acquisitæ, cum onere tamen restitutionis, quia solvens usuras habet veram, & liberam voluntatem illarum dominium transferendi in usurarios eas accipientes, quod sufficit ad transferendum dominium, quod per consensum conferentis cum rei traditione transfertur. Nec obstat, quod talis solutio sit secundum quid involontaria, siquidem absolute, & simpliciter est voluntaria, ac proinde sufficiens ad transferendum dominium, ut constat in aliis contractibus per metum celebratis, qui licet secundum quid sint involuntarii, quia tamen sunt simpliciter voluntarii, sunt validi, & dominium transferunt. Sic Gloss. in cap. *si quis usuram* 14. *q.* 4. *c. si Episcopum* 16. *q.* 6. & ita tenent Adrian. Palud. Henriquez, Armilla, Tabiena, & alii, quos affert, & sequitur Lugus *disp.* 25. *sect.* 11. *n.* 206. Navarr. *c.* 17. *n.* 165.

136. Alii distinguunt inter res usu consumptibiles, cujusmodi sunt pecunia, vinum, oleum, frumentum, & alia, quæ consistunt in numero, pondere, & mensura; & non consumptibiles, & dicunt, dominium rei usurariæ, quæ est usu consumptibilis, transferri in usurarium accipientem; nam illæ recipiunt functionem in suo genere, nec est necesse, quod eædem numero restituantur, sed sufficit si restituantur aliæ similes, & æquivalentes, ut habetur *l. si nummos, ff. de solutionib.* non sic vero dominium rei usu non consumptibilis, quæ semper eadem numero restitui debet, quando adhuc existit. Cajet. *tom.* 2. *opusc.* 8. *c.* 1. *&* 2. 2. *q.* 72. *art.* 3. & ibi Bannez, & Aragon. *dub.* 3. Verum hæc opinio communiter reprobatur, quia nulla est specialis ratio, ob quam rerum usu consumptibilium dominium acquirere debeat usurarius, quando illæ perseverant adhuc separatæ a rebus propriis, secus si cum illis sint permixtæ, quia tunc illarum acquirit dominium titulo specificationis, ut postea dicam *num.* 139.

137. Communis, & vera Sententia absolute negat, dominium accessionis rei usurariæ in usurarium transferri. Ratio est, quia ad transferendum dominium non sufficit sola traditio, nisi interveniat alia justa caussa, ut habetur ex *l. Numquam ff. de acquir. rerum domin.* ibi: *Numquam nuda traditio dominium transfert, nisi præcesserit venditio, aut alia justa caussa*, hoc est, justus titulus: sed in traditione usurarum non datur justus titulus, sed nuda traditio; nam hujusmodi titulus non est alius in nostro casu, nisi mutuatio, ob quam Jure Divino, Naturali, & Ecclesiastico, non potest pretium sumi, illiusque sumptio, sicut etiam promissio, est nulla, & irrita, sive sit res usu consumptibilis, sive non; ergo nullus datur titulus, quo possit dominium transferri, ut tenent Doctores magis communiter mox citandi.

138. Nec obstat, quod usurarum solutio sit simpliciter voluntaria, & tantum secundum quid involuntaria; nam licet sit simpliciter voluntaria quoad traditionem, non tamen talis est quoad translationem dominii; siquidem qui usuras solvit non intendit donare, aut plus juris transferre in alium, quam ipsi debeatur; sed nullo justo titulo, nullo jure mutuanti competit usurarum traditio, seu receptio; ergo solvens non intendit illarum dominium in mutuantem transferre, & sic mutuans illarum dominium non acquirit. Ita cum D. Thoma 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. tenent Salon. *contr.* 1. *n.* 5. Sotus *l.* 6. *de just. q.* 1. *art.* 4. Covar. *var. cap.* 3. *n.* 6. Molina *disp.* 326. Salas *de Usur. dub.* 38. *n.* 3. Lessius *l.* 2. *c.* 20. *dub.* 18. *n.* 158. Rosignol. *contr.* 3. *prænot.* 14. *n.* 3. Palaus *punct.* 25. *n.* 2. Bonacina *disp.* 3. *q.* 3. *p.* 14. *n.* 1.

139. Potest tamen usurarius dominium acquirere usurarum usu consumptibilium titulo specificationis, quando nimirum hujusmodi res per usuram acquisitæ ita confunduntur cum aliis rebus propriis ipsius usurarii, ut in tertiam speciem transeant, vel ita commiscentur, ut amplius discerni, & separari non possint; utroque enim ex his modis de jure gentium acquiri dominium rei commixtæ, & confusæ habetur §. *si duorum, & seqq. Inst. de rerum divis.* & *l. si alienum* 78. *ff. de solut.* ubi habetur: *Si alieni nummi, inscio, vel invito domino, soluti sunt, manent ejus, cujus fuerunt; si mixti aliis fuit ita, ut discerni non possent, ejus fieri, qui accepit, in libris Cassii scriptum est: ita ut actio domino cum eo, qui dedisset, furti competeret.* Ita ex communi sententia Lessius *c.* 20. *dub.* 18. *n.* 157. Palaus *disp.* 4. *punct.* 26. *n.* 4. *&* 5. Bonacina *punct.* 14. *n.* 1. Rosignol. *contract.* 3. *prænot.* 14. *n.* 2. *&* 3. Trullench *l.* 7. *c.* 19. *dub.* 17. & probabile putat Salas *dub.* 38. *n.* 9.

140. Attamen ex tali cumulo, & acervo sic permixto prius satisfaciendum est mutuatario, seu alteri vero domino, cujus pecuniæ, seu res fuerunt permixtæ, qui etiam poterit clam accipere ex dicto cumulo quantum de sua re ibi agnoscit esse permixtum; licet enim cumulus, vel acervus frumenti, vini, olei, pecuniarum dicatur esse mutuantis, vel alterius, attamen mutuatarius habet jus in re, ut possit ante alios creditores sibi satisfacere, accipiendo, & detrahendo quantum sibi competit, ut constat ex §. *si duorum Instit. de rerum divis.* & *l. Marcellus* 3. §. *Pomponius ff. de rei vendicat.* ibi: *si quid, quod ejusdem naturæ est, ita confusum & mixtum est, ut separari nequeat, pro parte vindicandum, ut puta meum argentum, & tuum in massam redactum est.* Quod quidem jure naturali valde consentaneum est; cum enim mihi certo constet, rem meam esse hic permixtam, debeo, posse detrahere ex illo acervo quod meum est, seu quantum mihi competit. Lessius *dub.* 18. *n.* 157. Palaus *n.* 7. Trullench *n.* 2.

141. Quod si usurarius, accepta per usuram pecunia, negotiatur, aliamque pecuniam acquirat, illius sic per negotiationem acquisitæ dominium acquirit, quia talis pecunia non est ex usura, sed fructus industriæ, ut habetur ex *l.* 8. cap. *si quis alteri, vel sibi*: ibi: *Qui aliena pecunia comparat, non ei cujus nummi fuerunt, sed sibi tam actionem empti, quam dominium, si ei tradita fuerit possessio, quærit*, quia nimirum est lucrum industriæ, non pecuniæ. Si talis pecunia negotiationis exposita perit, damno perit usurarii, qui tenetur tantumdem mutuatario restituere; ergo debet & ipsi cedere lucrum, si ab ea per negotiationem percipiatur; qui enim sentit incommodum, debet sentire & commodum. Nec dici potest, quod illa pecunia debeat perire mutuatario, qui est illius dominus; nam usurarius cum sit possessor malæ fidei, & alienam pecuniam periculo exponat, ipsi debet perire, qui est in culpa talis amissionis, & sic tenetur tantumdem restituere, ut cum D. Thoma 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. tenet Medina *de Usuris q.* 4. §. *ad quartum principal.* Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 6. Rosignol. *contract.* 3. *prænot.* 14. *n.* 5.

142. Hinc sequitur, usurarium ementem pecuniis usurariis fundum fructiferum, illud sibi acquirere, & fieri dominum fundi, & fructuum inde provenientium, quia talis emptio dici potest fructus industriæ, & de jure res empta succedit in locum pecuniæ, ac proinde qui ex aliena pecunia, etiam inscio, vel invito domino, rem aliquam emit, sibi acquirit hujus rei dominium, non alteri, cujus pecuniæ fuerunt; per Textum expressum in cit. *l.* 8. *c. si quis alteri, vel sibi*, & *l. si ex ea pecunia* 6. *C. de rei vendicat.* ubi dicitur, rem emptam etiam mala fide emptoris ex pecunia mea, non esse meam, nec mihi debitam, sed ementis. Idem habetur ex cap. *cum tu de Usuris*, ubi Alexand. III. præcipit, possessiones pecunia usuraria emptas esse vendendas, ut restituantur usuræ, quando non sunt alia bona, unde restituantur: non tamen præcipit, ut fructus, quos ex possessione illa usurarius receperat, restituantur; signum est ergo, quod possessiones illæ erant usurarii, & non venditoris, aut mutuatarii; secus præcepisset, fructus quoque ex illis ab usurario perceptos

ceptos esse restituendos. Ita tenet D. Thomas 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. *ad* 2. ubi aperte dicit, quod possessiones emptæ de usuris sunt ementium, obligatæ tamen illis, a quibus usuræ fuerant acceptæ. Salon *ibid. contr.* 2. & 4. Aragon. *ibid.* & *q.* 32. *art.* 7. Medina *q.* 4. *de Usuris ad* 4. *principale*, Petrus Navar. 4. *de rest. c.* 1. *dub.* 9. Sotus *l.* 6. *de Just. q.* 5. *art.* 4. *contr.* 2. Azor. *p.* 3. *l.* 8. *c.* 26. *q.* 5. & alios plures referens Salas *de Usuris dub.* 39. *n.* 3.

143. Dices: *Usurarius cum non sit dominus illius pecuniæ usurariæ, non potest, emendo fundum fructiferum, illius dominium transferre in venditorem; ergo nec venditor transfert dominium rei venditæ in ipsum, non enim intendit illud transferre, nisi in eum, qui vicissim in ipsum transfert dominium pretii; nam contractus non potest claudicare, & esse validus ex una parte, & non ex alia. Deinde, res empta de usuris succedit loco pecuniæ de usuris receptæ, ac proinde, sicut pecunia usuraria erat restituenda, ita etiam res empta tali pecunia est restituenda. Addo, quod usurarius non plus juris habere potest in fundo pecunia usuraria empto, quam habeat in illa pecunia, qua fuit emptus, sed non habet dominium illius pecuniæ; ergo nec fundi empti.*

144. Sed contra resp. antecedens verificari in rebus, quæ usu consumuntur, in quibus semper existit obligatio realis, ut proinde si usurarius illas alienaverit, alienatio remanet irrita, & nulla, nec earum dominium in alium transfert; non tamen in rebus consumptibilibus, & distrahibilibus, ut sunt pecuniæ, quia cum non sit necesse, ut eadem numero restituantur, contractus alienationis est validus, dummodo per talem contractum usurarii substantia non fiat minor, sed remaneat sufficiens pro solvendis debitis: cum autem in casu nostro usurarius emens fundum fructiferum, tantum habeat in rebus, quantum habebat in nummis, contractus remanet firmus. Ad secundum dico, quod res empta de usuris succedit loco pecuniæ de usuris acceptæ in hoc sensu, quod sicut illa pecunia pro usuris solvendis erat obligata; ita fundus pecunia usuraria emptus remanet pro iisdem obligatus, non obligatione reali, sed personali, sicut obligata remanent alia bona usurarii; unde non sequitur, quod sit restituendus, sed vendendus, ut usuris satisfiat, si non sint alia bona. Ad id, quod additur, falsum est, usurarium non habere plus juris in fundum usuraria pecunia emptum, quam habebat in ipsam pecuniam, siquidem illa pecunia semper fuit aliena, cum nec industria, nec justo contractu fuerit acquisita, sed in fundum emptum jus habet ratione industriæ, & voluntariæ negotiationis, non enim fundum habet tamquam fructum pecuniæ, quæ est sterilis, & infructifera, sed tamquam effectum industriæ, & negotiationis, quæ cum tota sit ipsius usurarii, illi dat jus in fundum emptum, qui proinde efficitur ementis, ut clare constat ex Juribus supra allatis.

145. Simili modo si rem alism u pecunia per usuram usurarius acquisivit, eamque vendidit, nummorum dominium sibi acquirit, ex *l.* 48. *Qui vas in fur. ff. de furtis*, ubi habetur: *Nummus, qui redactus est ex pretio rei furtivæ, non est furtivus*; & paullo ante: *Cum fur rem furtivam vendidisset, eique nummos pretii dominus rei per vim extorsisset, furtum nummorum eorum fecisse recte responsum.* Poterit tamen mutuatarius in tali casu pretium capere, & retinere in compensationem, si timeat, rem suam non esse recuperaturum, ut docet Lessius *c.* 20. *dub.* 18. *n.* 161. 162. & 164. ubi etiam docet, necessarium esse ad hoc, ut usurarius nummorum dominium acquirat, ut res, quæ esset vendenda ab usurario, vel fure, sit empta ab emptore bona fide, nesciente rem esse alienam, aliter pretium rei non transit in dominium emptoris. *L. si in emptione* 34. *ff. de contrahen. empt.* ita etiam Molina *disp.* 326. Salon. Salas, Rebell. quos sequitur Bonacina *q.* 3. *p.* 14. *n.* 4. Rosignol. *prænot.* 14. *n.* 6.

DUBIUM XIV.

Quinam teneatur ad restitutionem propter usuras.

146. RESP. Usurarios exigentes, & recipientes usuris graviter peccare cum obligatione restituendi, non solum id, quod supra sortem acceperunt contra jus naturale Divinum, & humanum, sed etiam lucrum cessans, damnum emergens, & omnia damna, quæ forte mutuatarius propter hoc passus est, cum usurarius sit illorum omnium caussa efficax, ea ratione, qua hæc omnia restituere tenetur fur, & injustus rei alienæ detentor, & occupator, ut diximus *tract. præced. c.* 2. *dub.* 3. *n.* 24. ubi etiam *dub.* 5. *n.* 46. & *seq.* diximus, teneri restituere omnes fructus perceptos, & quos dominus percepisset, quod etiam docet D. Thomas 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. distinguens inter fructus naturales, & industriales; & dicit, illos esse ab usurario restituendos, non istos, ibi: *Res quædam sunt, quarum usus est earum rerum consumptio, quæ non habent usumfructum secundum jura, & ideo si talia fuerint per usuram extorta, puta denarii, triticum, vinum, aut quid hujusmodi, non tenetur homo ad restitutionem, nisi ejus, quod accepit, quia id, quod ex tali re est acquisitum, non est fructus hujusmodi rei, sed humanæ industriæ, nisi forte per detentionem talis rei alter sit damnificatus, amittendo aliquid de bonis suis, tunc enim tenetur ad recompensationem nocumenti. Quædam vero res sunt, quarum usus non est earum consumptio, & talia habent usumfructum, sicut domus, & ager, & alia hujusmodi; & ideo si quis domum alterius, vel agrum per usuram extorsisset, non solum teneretur restituere domum, vel agrum, sed etiam fructus inde perceptos, quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus, & ideo ei debentur*, cum D. Thoma tenent Doctores communiter. Lug. *disp.* 25. *n.* 209. Pal. *punct.* 26. Rosign. *prænot.* 14. *n.* 4.

147. Universaliter peccant, ac restituere tenentur omnes illi, qui effective concurrunt ad contractum usurarium, vel ad exactionem usurarum, agentes partes usurarii suadendo, & consulendo, ut non nisi sub usuris mutuam tradat, & pecunias ad hunc effectum accommodando, quia omnes isti effective, & efficaciter concurrunt ad damnum alterius, & sic restituere tenentur juxta quantitatem damni caussati, exemplo consulentis, & præmoventis ad furtum, & rapinam, qui non restituente principali, in subsidium restituere tenentur, cum usura sit instar rapinæ. Can. *si quis usuram* 14. *q.* 4. Ita cum Soto, Navarr. Palud. Salon. Molina, Salas, & aliis tenet Palaus *disp.* 4. *punct.* 26. *n.* 4. Rosignol. *contr.* 3. *prænot.* 17. *n.* 3. Bonacina *p.* 15. *n.* 11.

148. Magistratus, Judices, & Domini temporales, qui Statuto, præcepto, vel alio modo compellunt ad solutionem usurarum, vel impediunt, ne solutæ, & repetitæ restituantur, graviter peccant contra justitiam, cum obligatione restituendi in defectum eorum, qui usuras receperunt, & sunt ipso facto excommunicati *in Clement. un. de usur.* ut cum Salas *dub.* 47. *n.* 12. bene advertit Bonacina *q.* 3. *punct.* 15. *n.* 12. Excusantur Principes supremi, qui, ad majora mala vitanda, usurarios esse permittunt in suo Principatu, dummodo nullum auxilium, vel favorem illis præbeant ad tales usuras peragendas, quia tunc non censentur caussa usurarum, nisi forte ingentes summas exigant pro licentia fœnerandi. Lessius *l.* 2. *c.* 20. *dub.* 21. *n.* 170. Trullench *l.* 7. *c.* 19. *dub.* 21. *num.* 3. Ant. a Spiritu S. *disp.* 15. *n.* 635.

149. Notarius, scienter conficiens instrumentum contractus usurarii, palliando usuras sub nomine veri mutui, venditionis, seu alterius contractus liciti, peccat, & tenetur restituere id, quod mutuatarius vigore talis instrumenti solvere cogitur, nisi hoc faciat de consensu, & ad petitionem mutuatarii, quia tunc licet graviter peccet contra juramentum factum in recipiendo officio tabellionatus de non faciendis hujusmodi injustis actionibus, & usurariis instrumentis, unde etiam puniri potest a Judice; non tamen peccat contra justitiam, nec tenetur restituere, quia non lædit invitum, nec lucrum reportat ex usura, ut facit usurarius, qui licet mutuando sub usuris rem gratam faciat mutuatario, quia tamen lucrum reportat ex mutuo contra jus naturale, divinum, & humanum, tenetur illud restituere. Excusatur etiam Notarius ab obligatione restituendi, si conficiat instrumentum aperte usurarium, quia illud tamquam nullum, & irritum nullam parit obligationem, seu virtute illius cogi non potest mutuarius ad solvendas usuras; non tamen tenetur restituere acceptum pro tali instrumento conficiendo, quia est solum de re turpi. Tenentur etiam restituere testes, qui scienter usurario instrumento assistunt, nisi hoc faciant de consensu mutuatarii. Bonacina *q.* 3. *punct.* 15. *n.* 12. Rosignol. *prænot.* 17. *n.* 4. Lessius *supra n.* 180. Salas *dub.* 44. *n.* 7. Molina *disp.* 335. *n.* 6. Ant. a Spiritu S. *n.* 636.

150. Peccant etiam, & ad restitutionem tenentur factores, & famuli usurariorum, qui ipsorum nomine contractus faciunt usurarios, aut cogunt mutuatarios solvere usuras, nisi escusentus es ignorantis invincibili, nescientes contractum esse usurarium; secus si tantum numerant pecunias, aut simpliciter eas accipiunt a solventibus, aut solum referunt in libros rationem dati, & accepti, quia tunc non concurrunt ad usuras, nisi remote, nec injuriam faciunt solventibus, ut habet Salas *loc. cit. n.* 12. Bonacina *n.* 12. Rosignol. *n.* 5. Anton. a Spiritu S. *n.* 537.

151. Heredes usurariorum restituere tenentur; juxta vires hereditatis totum id, quod fuit ab usurariis per usuras acceptum, quia obligatio realis defuncti transit ad heredes, qui succedunt in locum defuncti, & unam cum eo personam repræsentant; & quidem si unus solus sit hæres, tenetur ex se restituere totum, juxta vires hereditatis, si autem plures sint heredes, singuli solum tenentur pro sua parte: si res per usuras acceptæ adhuc existant in individuo, vel, ut ajunt, in specie apud aliquem ex dictis heredibus, istæ prius sunt restituendæ, cum damno

no communi, ut scilicet omnes alii refundant pro rata dicto coheredi restituenti, ut cum Soto, Toleto, & aliis tenet Rosignol. *n.* 10. Bonacina *n.* 14.

152. Quod si unus non sit solvendo, aut solvere noliit, reliquos coheredes teneri satisfacere pro sua parte affirmat Gloss. in cap. *tua nos de Usuris*, ubi dicitur, filios, & heredes usurariorum teneri ad usuras solvendas, sicut tenebatur pater dum viveret; at pater tenebatur integre solvere pro qualibet parte suorum bonorum, quousque ea bona exhauriret; ergo etiam tenentur filii, & heredes. Sed communior Sententia docet, singulos teneri solum pro sua parte, etiam si alter non solvat. Ratio est, quia, divisa hereditate, divisa etiam est obligatio inter heredes ex Juris dispositione; unde ex malitia, vel periculo unius heredis, alii non debent gravari, nec mutari illorum obligatio. Nec obstat cap. *tua nos de Usuris*, nam solum probat, omnes simul debere debita defuncti solvere, & quemlibet pro sua portione, non vero in aliorum defectum, ut cum Cajet. Medina, Sylvestro, Soto, Molina, & aliis docet Palaus *disp.* 1. *punct.* 18. §. 4. *num.* 3. & alios referens Bonacina *qu.* 3. *punct.* 15. *num.* 13.

153. Legatarii, & Donatarii non tenentur solvere usuras defuncti, cum onera transeant tantum ad heredes; quod verum est, etiamsi heredes nolint, aut non possint solvere, dummodo heredibus remaneant bona sufficientia ad integre satisfaciendum, quia Legatarii, & Donatarii non succedunt in onera Testatoris, nec ipsius personam repræsentant sicut heredes. Bonacina *supra num.* 15. Rosignol. *prænot.* 17. *num.* 12. & alii apud ipsos.

DUBIUM XV.

An qui bona fide fecit contractum usurarium, quem si usurarium cognovisset, alium justum faceret, possit retinere lucrum, quod ex contractu licito percepisset.

154. Difficultas hæc sæpe in praxi contingere solet, maxime apud homines rudes, & indoctos, qui bona fide pecuniam mutuo tradunt, nescientes, ex mutuo lucrum haberi non posse; ac proinde dubitatur: *An, qui contractum usurarium, vel aliter injustum celebravit, possit, re cognita, retinere lucrum perceptum, vel quod percepisset ex contractu licito, & justo, quod celebrasset, si cognovisset lucrum ex mutuo habere non posse.* Plures affirmant, quia qui bona fide celebrat contractum usurarium putans esse justum, & licitum, implicite intendit contrahere modo licito, & justo titulo lucrum habere per contractum licitum, quem celebrasset, si a se celebratum iniquum esse cognovisset. Ita tradunt Sa *verb. Usura n.* 8. Lugus *disp.* 25. *sect.* 9. Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 47. & *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 92. ubi pro eadem citat Tannerum.

155. Resp. regulariter loquendo, non esse licitum retinere lucrum acquisitum per contractum usurarium bona fide factum, nisi contrahentes exprimant, se velle contrahere eo meliori modo, quo possunt, & justo titulo lucrum habere. Ratio est, quia contractus usurarius, cum de se sit irritus, & nullus, nullum potest importare lucrum, nec esse potest titulus sufficiens ad illud retinendum. Nec sufficit bona fides celebrantis, nam illa excusat a peccato, & ab obligatione restituendi quousque durat, non tamen contractum facit esse validum, nec dat jus retinendi lucrum, quando, cessante bona fide, cognoscitur fuisse injuste comparatum, ea ratione, qua vendens aliquid bona fide supra justum pretium, aut emens infra infimum, non potest, veritate cognita, excessum retinere. Sic Lessius *lib.* 2. *c.* 20. *dub.* 12. Trullench *lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 10. Bonacina *quæst.* 3. *punct.* 15. *num.* 9. & 10. Malderus *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 13. *fine*, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *de mutuo cap.* 3. *punct.* 5. *num.* 59. & absolute tenet Rosignol. *contr.* 3. *disp.* 6. §. 6.

156. Dixi, *regulariter loquendo*, quia non sunt facile de usura condemnandi homines rudes, & indocti, qui ex sua pecunia pensionem, & lucrum reportant singulis annis ad rationem quatuor, vel quinque pro quolibet centenario, quamvis ipsi non intelligant quo jure, aut quo titulo sibi tale lucrum habere liceat; cum enim lucrum ex pecunia variis titulis haberi licite possit, puta per contractum societatis, cum assecuratione capitalis, & lucri certi pro majori incerto, ut explicabimus infra suo loco, per emptionem census, per emptionem fundi fructiferi cum pacto retrovendendi, & successiva locatione venditori facta, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, & aliis similibus, sufficit, quod rudes, & indocti actu, aut virtualiter contrahere intendant aliquo ex prædictis modis, seu quocumque modo licito possibili, aut prout audiunt viros doctos, & pios materialem hunc contractum excusare, seu quo illi contrahere solent, quamvis ignorent quonam justo titulo contrahant; vel certe actu, aut virtualiter contrahere intendant; & lucrum ex pecunia reportare solum modo justo, & licito, quia, etsi actu non cogitent, & ignorent modum licitum, implicite tamen illum intendunt.

157. Quod quidem verum est, etiamsi viri rudes, & indocti contrahendo utantur verbo *mutui*, quia non tam verba, quam eorum intentio spectari debet; dum enim contrahere intendunt omni meliori modo, quo de jure fieri potest, vel quo audiunt contrahere viros doctos, & pios, talis contractus non tam mutuo, quam contractus societatis, census, aut emptionis, censeri debet, ut etiam tradunt Trullench, Malderus, Lessius, Andreas a Matre Dei, & alii magis communiter; secus innumeri condemnandi essent, qui explicite solum intendunt ex sua pecunia lucrum reportare. Ratio universalis est, quia in hoc casu cum ex utraque parte contrahentium detur actualis consensus expressus, vel saltem implicitus, de hoc justo titulo, & consensus non sit tantum conditionalis, nihil deest ad justum lucrum reportandum.

158. Nec dicas; *hoc modo aditum aperiri cuicumque invalide contrahenti aliquid ex contractu invalido, & infructifero lucrandi; qui enim mala fide contraxit per contractum cognitum usurarium, dicere posset, si scivissem alio modo licito, & lucrativo contraxissem.* Sed contra, neganda est sequela: qui enim bona fide eo modo contraxit, implicite vult bono modo contrahere; at qui mala fide contraxit, jam voluit contrahere pravo, non autem recto modo. Nec obstat, quod si is bonum modum scivisset, hoc bono modo contraxisset; cum enim malo modo expresse contraxerit, dici non potest, quod habuerit virtualem, & implicitum consensum ad bonum modum contrahendi, sed dumtaxat consensum conditionatum, qui non est sufficiens ad recte contrahendum; & ad tollendum consensum expressum usurarium, quia conditionalia nihil ponunt in esse, ut bene docet Tambur. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 8. §. 3. *n.* 23.

159. Hic tamen advertendum est, quod ut mali contractus, in quibus accipitur aliquid ultra sortem, excusari possint, & licite ex iis lucrum haberi, debent posse resolvi in contractum licitum implicite, & virtualiter intentum, ac proinde celebrari debent cum persona, cum qua iniri potest talis contractus licitus; puta si pecuniam tradas mercatori, seu negotiatori, qui est tali pecunia negotiaturus, censeris cum illo contractum societatis inire; si alteri, qui fundum fructiferum, & reditus annuos habet, censeris inire contractum emptionis, aut census, & sic lucrum licite poteris reportare; si vero tradas illi, qui non est negotiaturus, vel non habet super quo licite contrahat, sed solum pecuniam accipit pro victu quotidiano, aut insumendam pro suis necessitatibus, cum non possit resolvi in contractum licitum, quia non adest materia, vel merces, lucrum, aut reditus, super quibus possit fundari emptio, census, vel societas, remanet purum mutuum, ratione cujus accipi non potest aliquid supra sortem, ut sæpe dictum est.

DUBIUM XVI.

De pœnis Usurariorum.

160. Usurarii alii sunt publici, & manifesti, & alii solum occulti. Publici, & notorii dicuntur tales, vel notorietate facti, aut juris; publici, & notorii notorietate facti dicuntur illi, quorum delictum nulla potest tergiversatione celari, quia nimirum publice habent mensam ad fœnerandum expositam, vel ita frequenter ineunt contractus usurarios, ut res sit notoria majori parti civitatis, oppidi, vel parœciæ, seu viciniæ. Gloss. *cap.* 1. *de Usuris in* 6. *verb. Manifesti*. Menoch. *de arbitr. Judic. casu* 235. *num.* 9. Mascard. *de probat. concl.* 425. *nu.* 3. & 4. Salas *dub.* 46. Lugus *disp.* 25. *sect.* 11. & alios referens Bonac. *q.* 3. *punct. ult. n.* 2. Publici, & notorii notorietate juris dicuntur illi, qui fuerunt in judicio de usura confessi, aut condemnati. Usurarii occulti dicuntur illi, de quorum crimine non habetur notitia, neque ex notorietate juris, neque ex notorietate facti, & quorum delictum potest aliqua tergiversatione celari.

161. Contra usurarios occultos nulla pœna latæ sententiæ reperitur in jure, sed solum contra manifestos, ut cum Molina *disput.* 334. §. *circa prædicta*, Toleto, Filliuc. & aliis tradit Thesaurus *de pœnis Ecclesiast. par.* 2. *verb. Usurar. pœna cap.* 1. unde cum usurariis occultis Confessarius procedere potest in foro conscientiæ, sicut cum aliis obligatis ex delicto. Contra usurarios publicos plures sunt pœnæ statutæ, tum Jure Civili, tum Jure Canonico.

162. Prima est infamia juris, cap. *inter dilectos de excessib. prælat.* Can. *infames* 3. *quæst.* 6. Can. *infames* 6.

quæst. 6. L. *improborum fœnus*, C. *ex quib. caus. infamia irrogatur*; & inde fiunt irregulares ad Ordines, & inhabiles ad Beneficia, dict. cap. *inter dilectos*; &, si Clericus esset, suspensionem incurrit. & si in tanto facinore perseveraret, est deponendus, ac beneficiis privandus, ut habet Thesaurus *de pœnis dict. verb. Usur. pœna cap.* 1. ubi tamen advertit, post correctionem, seu emendationem vitæ, posse cum illo Episcopum dispensare, ut possit promoveri, & promotus ministrare. Probabile etiam est, hanc pœnam infamiæ, & irregularitatis tolli per pœnitentiam, & restitutionem, vel cautionem restituendi, ut cum Salas *de usur. dub.* 47. tenet Thesaurus *loc. cit.*

164. Secunda est denegatio Sacramentorum, donec plenarie, & realiter restituerint usuras, vel idoneam cautionem præstiterint de restituendo pro viribus sui patrimonii, cap. *quia in omnibus de usur.* & cap. *quamquam eod. tit. in* 6. nec permittuntur Missæ ministrare, aut interesse, dict. cap. *quia in omnibus de usur.* & Concil. Trident. *sess.* 22. *in decreto de observand. & vitand. in celebrat. Missæ*, Ugol. *de usur. cap.* 24. *num.* 4. & alios referens Thesaurus *loc. cit.*

164. Tertia, ne admittantur ad oblationes, sive in Missa; sive extra Missam Deo dandas, tamquam male quæsitas per usuras, dict. cap. *quia in omnibus de usur.* & Ecclesiastici tales oblationes recipientes suspenduntur ab officio, & ad restitutionem acceptorum tenentur. Hoc tamen non procedit de oblationibus titulo oneroso datis, puta pro celebrandis Missis, vel pro eleemosynis pauperum; nam hujusmodi improprias oblationes ab usurario recipere non est prohibitum, si aliunde habeat bona sufficientia, quibus possit satisfacere, & usuras restituere, ut cum Suarez, & Filliuc. tenet Thesaurus.

165. Quarta, ut non possint admitti ad Ecclesiasticam sepulturam, etiamsi pœnitentes decesserint, antequam usuras pro modo, & possibilitate facultatum suarum restituerint, vel cautionem præstiterint ipsi, aut heredes de restituendo, quamprimum fieri poterit *d. cap. quamquam*, & cap. *quia in omnibus*; ita Gloss. *in Clement.* 1. *verb. manifestos de sepult.* Quod si usurarius publicus moriatur impœnitens, etiamsi facta fuerit integralis restitutio, vel cautio præstita, carere debet Ecclesiastica sepultura, tamquam notorius peccator impœnitens defunctus. Ita cum Abbate, Ugol. & aliis tenet Thesaurus *supra*. Quod si usurarius publicus mortuus impœnitens sepultus sit in loco sacro, venit exhumandus, & sepeliendus in loco profano, & in *Clement.* 1. *de sepult.* ipso facto excommunicantur, qui usurarios manifestos sepulturæ Ecclesiasticæ tradiderunt.

166. Quinta est, quod non possint facere testamentum, &, si fecerint, sit ipso jure nullum in utroque foro, d. cap. *quamquam de Usur. in* 6. ubi etiam prohibetur, quemquam dicto testamento aliter facto assistere. Nomine testamenti intelligitur etiam codicillus, & quælibet dispositio ultimæ voluntatis, juxta communem Doctorum sententiam, nisi prius solverit usuras, vel sufficientem cautionem modo dicto præstiterit; facta restitutione per usurarium, vel præstita cautione, valebit testamentum. Secus si testator moriatur impœnitens, & heredes vellent restituere. Ita Gloss. *in Clement.* 1. *de Sepult. verb. manifestos*, Lessius *cap.* 24. *n.* 188. & Thesaurus *loc. cit.* Rosignol. *contr.* 3. *prænot.* 15. ubi *nu.* 5. fuse tractat, quando sustineatur testamentum factum ab usurario, & de aliis usurariorum pœnis.

CAPUT IV.

De Cambiis.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex sit Cambium.

1. CAmbium, generaliter loquendo, ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 77. *artic.* 4. idem est, ac permutatio; nam *Cambire* idem sonat, ac *permutare*, estque contractus innominatus *do*, *ut des*, quo nimirum una res datur pro alia, & tripliciter contingere potest. Si enim una res detur pro alia re, retinet commune nomen permutationis; si una res detur pro pretio, dicitur emptio, & venditio; si autem una pecunia detur pro alia pecunia, tunc dicitur Cambium, de quo loquimur in præsenti, & bene definitur, *permutatio pecuniæ pro pecunia cum moderato lucro*. Ubi permutatio stat loco generis, & aliæ particulæ stant loco differentiæ, per illas enim differt a simplici permutatione, in qua, ut dixi, traditur una res pro alia, & ab emptione, & venditione, in qua res traditur pro pretio. Quod si pecunia ipsa vendatur, tunc non consideratur, ut pecunia, sed induit rationem mercis: cambium autem necessario exigit pecuniam pro pecunia permutari.

2. Cambium differt a censo per hoc, quod in censu non mutatur, nec restituitur accepta pecunia, sed loco illius solvitur annua pensio: differt a deposito, quia in deposito idem est restituendum, nec converti potest in proprios usus; in cambio vero non est eadem pecunia restituenda, & converti potest in proprios usus: eodem modo distinguitur a locato, & conducto, in quibus conceditur solum usus rei, non dominium; in Cambio autem conceditur dominium. Differt etiam a mutuo, quia in isto pecunia accepta solum post aliquod tempus restituenda est; in Cambio statim reddi potest, & quia in mutuo non solum pecunia, sed res qualibet usu consumptibilis dari potest, non sic in Cambio, quod sola pecunia perficitur, & quia mutuum perficitur sola datione unius pecuniæ: cambium vero requirit dationem, & receptionem utriusque pecuniæ, tum quia mutuum gratis fieri debet, cambium vero cum moderato lucro fieri solet. Ita ex communi Doctorum tradit Palaus *tract.* 33. *disp.* 7. *punct.* 1. & Rosignol. *contractu* 3. *prænot.* 1.

3. Dividitur Cambium in reale, & siccum. Dicitur siccum illud, quod non est verum Cambium, sed habet tantum speciem quamdam, & apparentiam Cambii, cum revera sit mutuum palliatum titulo Cambii, ut quando fingitur solutio præstanda in loco distanti, confictis etiam litteris ad locum distantem, ad quem non mittuntur, & solutio præstatur post aliquod tempus in eodem loco. Dicitur etiam siccum, quia non habet humorem, seu caret justo titulo, ad præstandum, & causandum lucrum. Cambium reale fit per veram, & legitimam pecuniarum permutationem, ex qua juste quid lucri capi potest.

4. Subdividitur Cambium reale in minutum, & locale: minutum contingit, quando in eodem loco una pecunia permutatur cum alia diversæ materiæ, formæ, seu valoris, ut quando mutatur pecunia aurea cum argentea, seu ærea, vel pecunia cum impressione unius Principis cum altera habente impressionem alterius Principis; dicitur minutum, quia satis frequenter grandiores pecuniæ permutantur cum minutioribus; dicitur etiam manuale, quia de manu ad manum eodem tempore, ac loco perficitur, ut notat Palaus *supra num.* 9. & Bonacina *quæst.* 5. *punct. unico*. Locale est, quando pecunia præsens permutatur cum absente, & solet appellari Cambium per litteras, quia mediis litteris correspondenti missis pecunia solvenda mandatur, ut si quis det Campsori pecuniam Bononiæ, ut aliam recipiat Romæ, vel e contra recipiat a Campsore pecuniam Bononiæ restituendam Romæ. *Campsor*, seu Bancarius, & Telonarius dicitur ille, qui dat pecuniam ad Cambium, seu in alterius utilitatem commutat; qui vero pecuniam recipit, seu in cujus utilitatem, & ad cujus petitionem permutatur, dicitur *Campsarius*.

DUBIUM II.

An, & qualiter Cambium minutum cum lucro sit licitum.

5. CErtum est, cambium siccum tamquam illicitum, & usurarium damnari a S. Pontifice Pio V. in Bulla de Cambiis edita, quæ incipit: *In eam pro nostro Pastorali officio*, & habetur *tom.* 2. *Bullarii Romani const.* 118. *dicti Pontificis*, ubi habetur: *primum igitur damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca cambia celebrare simulent, ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambii tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, ut transacto tempore, unde processerunt, inanes referantur, aut etiam nullis hujusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, ubi contractus fuerat celebratus, nam inter dantes, & recipientes usque a principio ita convenerant, vel certe talis intentio erat, neque quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradictis, hujusmodi litteris receptis, solutionem faciat*: licet ceteroquin Pontifex ibid. appellet *cambiorum usum legitimum, & quem necessitas, publicaque utilitas induxit*, quod de cambiis realibus, recteque celebratis intelligendum est, in quibus non sumitur lucrum pro mutuo, sed ob alias caussas, & titulos.

6. Difficultas tota est in assignanda hujusmodi caussa, ob quam lucrum ex cambiis justificari possit, & licite sumi, non obstante, quod valor monetæ, quæ permutatur sit æqualis cum valore alterius in ordine ad usus humanos. Et quidem loquendo in præsenti de cambio minuto, quod in eodem loco perficitur per commutationem monetæ aureæ cum argentea, seu ærea, vel e contra, seu pecuniæ grandioris, purioris, & pulcrioris cum minutis, & minus puris.

7. Resp.

7. Resp. in cambio minuto Campsores licite moderatum lucrum recipere posse supra valorem pecuniæ permutatæ ob varias caussas. Prima est ob officium cambiendi, quod faciunt in commodum Reipublicæ, & propter obsequium, quod præstant conquirendo, & congregando cujuscumque generis pecunias ad permutandum, & paratos se exhibendos ad eas commutandas secundum Campsariorum necessitatem, & voluntatem. Secunda est, labor in asservandis, & numerandis pecuniis, quas dant, vel accipiunt, qui labor assumptus in gratiam Campsariorum est pretio æstimabilis, maxime si pecunia sit in magna quantitate. Tertia est, ratione materiæ, quia nimirum sæpe dant pecuniam auream, vel argenteam, & accipiunt æream, quæ non est ita utilis ad plures usus. Quarta est, ratione commoditatis, quam habet Campsarius recipiendo monetam auream pro argentea, vel e contra, cum illa sit facilioris asportationis, &, si est inferioris metalli, est magis utilis, & commoda ad sumptus familiares, & quotidianos. Quinta, si moneta currit in uno Regno, & non in alio. Hos, & similes titulos, ob quos potest lucrum reportari ex cambio minuto, refert Lessius *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 2. Malderus *tract.* 5. *cap.* 4. *dub.* 2. Rosignol. *contr.* 5. *prænot.* 3. & 4. Bonacina *num* 3.

8. Non solum Campsor publicus, qui officium habet sibi demandatum a Republica, sed etiam quilibet privatus reportare potest lucrum ex cambio minuto supra valorem monetæ, quia de illo eædem militant rationes, ac de Campsore publico; siquidem privatus idem obsequium præstare potest conquirendi, & asservandi cujuscumque generis pecuniæ ad permutandum, & eumdem subire laborem in asservandis, & numerandis pecuniis in commodum, & utilitatem Campsarii. Nec obstat, quod idem labor etiam sit in Campsario; nam iste laborat in sui commodum, Campsor vero laborat in gratiam, & commodum Campsarii; cujus autem est commodum, ejus etiam est onus solvendi; & sic de aliis titulis, qui licitum reddunt lucrum ex cambio, qui non solum verificantur de Campsore publico deputato a Principe, sed etiam de quolibet privato idem officium præstante, & laborem subeunte in commodum, & gratiam alterius.

9. Quod verum est, etiamsi privatis hoc esset prohibitum a Principe; nam licet Principi prohibenti sit obediendum, tamen si privatus cambiendo lucrum reportaret ex cambio, non propterea teneretur illud restituere; nam prohibitio Principis non irritat contractum, nec efficit Campsorem inhabilem ad acquirendum dominium lucri, ut suppono. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 2. *num.* 9. Rebell. *lib.* 11. *quæst.* 4. *nu.* 6. Navar. *cap.* 17. *num.* 283. Molina *disp.* 399. *num.* 7. & *disp.* 405. *num.* 6. Salas, Salonius, Reginal. & alii, quos sequitur Bonacina *supra n.* 3. Rosignol. *prænot.* 3.

10. Quæres: *An in cambio minuto possit lucrum sumi titulo monetæ pulcrioris, antiquioris, & purioris metalli, puta purioris, & perfectioris auri, aut argenti, quam quis permutat cum alia imperfectioris materiæ, quamvis æquali in perfectione, seu valore legali?* Negat Medina *quæst.* 4. *de Cambiis*, quia pecunia non potest plus expendi, quam sit ipsius pretium legale a Principe taxatum; nam Princeps in taxando pretio pecuniæ rationem habere solet materiæ, & commoditatum, ac proinde non est licitum in cambio, & permutationibus augere pretium, seu lucrum reportare supra pretium a lege Principis taxatum.

11. Resp. licitum esse in cambio minuto lucrum aliquod sumere titulo monetæ pulcrioris, antiquioris, & purioris metalli, quæ permutatur cum alia imperfectiori, quamvis æquali in valore legali. Ratio est, quia quo pulcrior, purior, & antiquior est moneta, eo pretiosior, & æstimabilior est secundum communem hominum æstimationem, & commodior, & magis apta ad usus humanæ vitæ, quamvis eumdem valorem, & æstimationem habeat in ordine ad debita solvenda, aut res emendas, nam modium tritici emere potes moneta aurea, argentea, aut ærea: potest siquidem moneta considerari formaliter, prout est pretium, & mensura rerum venalium, & in hoc sensu verum est, expendi non posse, nisi secundum valorem a Principis lege taxatum: aut materialiter, prout est res quædam pura, pulcra, & antiqua, & alias habens commoditates, & in hoc sensu non consideratur secundum valorem a lege taxatum, sed prout induit rationem mercis quæ vendi potest pretio vulgato, secundum hominum æstimationem, nec prohibetur vendi supra valorem a lege taxatum. Cum autem in permutationibus non tam attendatur valor legalis, quam naturalis, prout moneta induit rationem mercis, vendi poterit supra pretium a lege taxatum. Ita Malderus *cap.* 4. *dub.* 2. Palaus *disp.* 7. *punct.* 2. *nu.* 6. Rosignol. *prænot.* 4. *n.* 2. & 10. & alios referens Bonacina *num.* 3.

12. Sequitur ex dictis, famulum, seu procuratorem, qui monetas aureas, vel argenteas accepit a domino, ad eas solvendas Creditoribus, aut res alias necessarias emendas, posse eas permutare cum vilioribus, seu eas dare ad cambium, & lucrum inde acceptum sibi retinere, quando dominus non curat, qua ratione, seu qua pecunia debitum solvatur, quia tunc nulli facit injuriam; non domino, qui non curat de modo solutionis faciendæ; non creditori, cui integre satisfit per monetas diversæ rationis habentes eumdem valorem legalem, unde lucrum ex tali permutatione resultans, est fructus industriæ, qui cedit famulo negotianti, & cambienti, cui etiam stat periculum, si forte damnum aliquod sequatur. Dixi; *quando dominus non curat, qua ratione, seu qua pecunia debitum solvatur*; si enim dominus cupiens creditori gratificare, eique dare occasionem lucrandi determinate voluerit solutionem faciendam esse creditori in tali specie, & qualitate monetæ aureæ, seu argenteæ, peccaret mortaliter famulus, si hoc faceret in moneta inferiori, & teneretur restituere creditori lucrum, quod forsitan ex tali aurea pecunia erat recepturus. Ita Palaus *disp.* 7. *punct.* 3. Lugus *disput.* 28. *sect.* 2. Molina *disp.* 402. Rosignol. *prænot.* 4. *num.* 12. Lessius, Reginald. Azor. Salas, quos sequitur Bonacina a *quæst.* 5. *num.* 5.

13. Qui etiam inde infert, negotiantem aliena pecunia furtiva, eaque utentem ad cambia, non teneri domino pecuniæ restituere lucrum perceptum, cum sit fructus industriæ, perceptum scilicet ex hominis industria, concurrente pecunia tamquam instrumento, quod ex se est infœcundum. Eadem ratione vendens triticum alienum tempore, quo carius valet, satisfacit emendo, & reddendo tantumdem æqualis bonitatis, eo tempore, quo minus valet, quando dominus erat usque ad illud tempus frumentum servaturus, quia nimirum dominus nullum damnum patitur, & recipit frumentum æqualis bonitatis, & sic lucrum perceptum ex anticipata venditione tritici potest sibi retinere, tamquam fructum industriæ, ut cum Rebello, & aliis tenet Bonacina.

DUBIUM III.

De Cambio locali, seu per litteras.

14. CAmbium locale, quod etiam dicitur per litteras, est permutatio pecuniæ præsentis cum absente. Dicitur *per litteras*, quia mediis litteris solutio alibi facienda committitur, & tripliciter contingere solet; primo, quando Campsor, seu Bancarius hic accipit pecunias alibi solvendas, estque in usu, tum apud Mercatores, tum apud Ecclesiasticos, qui cum Romæ solvere debeant pensiones, aut Bullarum expeditiones, Bononiæ pecuniam solvunt Campsori, ab eo accepsis litteris, per quas suo correspondenti solutio facienda mandatur. Secundo, quando Campsor Bononiæ pecuniam tradit alibi recepturus. Tertio, dando pecunias ad nundinas, ut praxis est inter Mercatores: & quidem licitum esse tale cambium locale, quo permutatur pecunia præsens cum absente, & ex eo posse lucrum haberi, satis constat ex cit. Bulla S. Pontificis Pii V. nam talem cambiorum usum necessitas, & publica utilitas induxit, ne scilicet in terras remotas abituri summo cum incommodo, & periculo magnum pecuniæ pondus semper secum portare cogantur, nec in eo lucrum sumitur ex mutuo, sed ex pluribus aliis titulis, de quibus nunc dicendum est.

15. Resp. 1. Campsorem licite posse lucrum recipere, quando a Campsario Bononiæ pecuniam recipit Romæ, Venetiis, Lugduni, aut alibi solvendam: primo ratione obligationis, quam subit Campsor transferendi, seu transportandi pecuniam de loco, in quo dat litteras cambii, ad locum, in quo per suum correspondentem facit eam solvere Campsario, vel cui voluerit, quæ certe translatio, seu transportatio est pretio æstimabilis, si enim Bononia Romam centum aureos transferre deberes, multum laborem, & periculum esses subiturus, quo te liberat Campsor in se recipiendo talem obligationem pecuniam transferendi, & solvendi Romæ, cui volueris dictam pecuniam, quam licet realiter non transferat in individuo, transfert tamen virtualiter, dum habet Romæ pecuniam congregatam, qua debito satisfacere potest absque tuo incommodo, & quia realiter non transfert, minus recipit, quam si per nuntium, aut aliam personam conductam realiter transferret.

16. Secundus titulus, quo potest Campsor in cambio locali lucrum licite reportare, est assecuratio ejusdem pecuniæ, qua gaudet Campsarius, dum Campsor in se suscipit periculum, seque obligat certo, ac tute illam transferre, seu Romæ solutionem facere, unde si forte pereat, non Campsario, sed Campsori perit, qui proinde ratione talis periculi, & assecurationis licite potest lucrum aliquod recipere plus, vel minus pro majori, vel minori

distantia loci, ad quem pecunia est transferenda, seu in quo pecunia est solvenda, consideratis etiam aliis periculis, & incommodis. Lugus *disput.* 28. *num.* 35. Palaus *disp.* 7. *punct.* 4. Lessius *cap.* 23. *dub.* 3. Rosignol. *contr.* 5. *de Cambiis II. præast.* n. 10. Bonacina *q.* 5. *n.* 7.

17. Tertius titulus, quo Campsor licite lucrum aliquod sumere potest in cambio locali, est inæqualitas pecuniarum in suo valore, qui potest esse major in uno loco, quam in alio; æquitas autem, & justitia postulat, ut Campsor servetur indemnis in valore monetæ; unde si Scutum aureum Bononiæ valet sexdecim Julios, & Romæ decem, & septem, debet Campsor plus Bononiæ recipere, quam solvat Romæ, ne detrimentum patiatur propter beneficium alteri præstitum; sicut ex hoc titulo deberet minus recipere, si valor monetæ major esset Bononiæ, quam Romæ. Lugus *num.* 27. Palaus *n.* 3. Rosignol. *num.* 12. Addi potest titulus quartus, scilicet labor scribendi litteras, quas dat Campsario, easque registrandi in libro, & labor scribendi alias litteras, quibus correspondentem admonet de solutione ab ipso facienda, quasque per tabellarium mittit, & recipit cum aliquo dispendio.

18. Resp. 2. Campsorem licite lucrum aliquod recipere posse, quando prius Bononiæ pecuniam solvit campsario, ut eam recipiat Romæ, quia militant rationes, & tituli superius assignati; dum enim pecuniam prius solvit Bononiæ, ut eam accipiat Romæ, virtualiter transfert pecuniam Roma Bononiam ad commodum, & petitionem ipsius Campsarii, qui liberatur ab onere, & periculis, quibus subesse poterat, si realiter deberet pecuniam Roma Bononiam transferre; unde titulo virtualis trajectionis, & assecurationis in commodum, & utilitatem Campsarii, licite potest lucrum aliquod recipere. Palaus *punct.* 5. *num.* 7. Rosignol. *num.* 15. Salas *dub.* 9. *num.* 2. Navarr. *cap.* 17. *numer.* 289. & alios referens Bonacina *num.* 6.

19. An vero Campsor lucrum reportare possit, quando cambium non minus ipsi, quam Campsario utile, & commodum est, puta Petrus Bononiæ existens cupit transmittere & habere Romæ mille aureos, & Campsor mille habet Romæ, & cupit habere Bononiæ, quo casu cambium utrique commodum est; & quæritur; *an Campsor licite possit ex tali cambio lucrum habere.*

Resp. affirmative, si a Campsario cambium postulatur, quia tunc præstat illi obsequium pretio dignum, virtualiter transferendo pecuniam, qua Campsarius Romæ indiget, eumque liberat ab onere, & periculis, ac expensis transferendi pecuniam, quod est pretio æstimabile, quamvis per accidens & ipse commodum sentiat; ea ratione, qua si quis conductum equum debeat cum expensis Romam remittere, locare potest alteri volenti Romam ire, & pretium locationis sibi retinere, quia præstat alteri obsequium tali pretio dignum, quamvis per accidens & ipse commodum sentiat, sicut e contra, si prius ab altero rogatur, ut sibi Bononiæ solvat mille aureos, illos Romæ recepturus, poterit lucrum recipere, quia præstat alteri obsequium mercede dignum, & per accidens est, quod inde & ipse commodum sentiat. Ita Tambur. *lib.* 9. *de contract. tract.* 3. *cap.* 4. §. 3. dicens, lucrum cedere illi, qui prævenitur, & postulatur. Rosignol. *de Cambiis II. prænot.* 2. Salas *dub.* 20. *circa medium*. Molina *tract.* 2. *disp.* 405. & alios referens Bonacina *qu.* 53 *num.* 23.

20. Resp. 3. licitum esse cambium ad nundinas, quod fere coincidit cum cambio locali. Dicitur *cambium ad nundinas*, eo quod Mercatores, & Nummularii determinant certa quædam loca, vel urbes, in quibus conveniunt, & olim conveniebant etiam cum mercibus, & pecuniis ad emendum, & vendendum; nunc autem conveniunt cum suis debitis, & creditis, ut debita solvantur, & ipsis credita solvantur, & ut rationes reddantur, & scribantur in libris dati, & accepti. Quater in anno Nundinæ in Italia celebrari solent spatio trium mensium inter se distantes. Primæ dicuntur Nundinæ Apparitionis, & celebrantur circa Festum Epiphaniæ. Secundæ vocantur Nundinæ Paschatis, & celebrantur circa principium mensis Maji. Tertiæ vocantur Nundinæ Augusti, quia dicto mense fiunt. Quartæ dicuntur Nundinæ omnium Sanctorum, quia paullo post dictum Festum celebrantur. Quando autem cambia dicuntur fieri ad primas, vel secundas nundinas, sensus est, quod solutio pecuniæ facienda est post tres, vel sex menses.

21. Hoc cambium ad nundinas, si fiat simpliciter sine recambio, de quo dicemus *dub. sequenti*, coincidit cum locali, & iisdem fere titulis justificatur lucrum, quod habetur ex illo, nimirum realis, aut virtualis trajectio pecuniæ ad locum nundinarum, ejusdemque assecuratio, diminutio, vel augmentum valoris pecuniæ in loco, in quo solvitur a Campsore, & in eo, in quo Campsario restituitur. Item labor, ac expensæ, quas facit Campsor conducendo, vel habendo alibi suum correspondentem, cui committat litteras cambii, & in scribendo, registrando, & computa faciendo in ipsis cambiis, ut explicat Tambur. *dict. cap.* 5. §. 1. *a n.* 6. *& seqq.* Hujusmodi nundinæ cambiorum, quia fiebant Lugduni, & postea in Civitate Besanzon, vocantur ab aliquibus cambia Lugdunensia, vel Besuntina, & dici possunt Placentina, quia postea fiebant in Civitate Placentiæ, & modo fieri solent in Italia in aliqua Civitate, seu Oppido Reipublicæ Genuensis.

,, *Plura adhuc videre poteris hac de re in prælaudata Synodo Diœces. lib.* x. *cap.* vii. *Edit. Rom. quod totum ad litteram hic tibi, studiose Lector, ad uberiorem eruditionem sic subjicio:*

,, VII. Post census, consideranda occurrunt cambia. Est autem cambium permutatio pecuniæ, cum moderato Campsoris lucro, quod tribus modis fieri potest: vel scilicet permutando pecuniam præsentem cum alia diversæ speciei, puta auream cum argentea; vel numerando Campsori pecuniam in uno loco, puta Romæ, restituendam in alio, puta Parisiis; vel contra accipiendo ab ipso Campsore pecuniam Romæ, ut illa eidem restituatur Parisiis. Primum dicitur cambium *minutum*, *& manuale*: alia duo appellantur cambia *localia*, *& per litteras*, eo quod numeranti pecuniam Romæ, litteræ tradantur directæ ad alterum Campsorem, seu Mercatorem commorantem Parisiis, cui restitutio ibidem facienda committitur. Ex quolibet ex his cambiis licere Campsori aliquid lucrari, Doctores omnes consentiunt: quia lucrum, quod percipit, non ex mutuo, sed ex aliis provenit legitimis titulis, quos præ ceteris expendunt Sotus *lib.* 6. *de just. quæst.* 10. *art.* 2. & Navarrus *manual. cap.* 17. *a n.* 289. *usque ad* 295. Joannes Medina *de cambiis quæst.* 4. & Molina *de contract. tract.* 2. *disput.* 404. Necesse tamen est, ut in cambio locali vera fiat pecuniæ translatio, aut saltem, ut qui pecuniam accipit, serium habeat animum illam alibi restituendi; si enim sciret, eo ipso in loco, ubi accepta est, fore restituendam, quamvis cambii litteræ alio directæ fingerentur, sub cambii specie, vera lateret usura, quæ hominum quidem judicium effugere, Deum autem eludere non posset. Et de hoc cambio, quod *fictum*, & *siccum* appellant, ea sunt intelligenda, quæ adversus cambia statuit cl. m. Card. Lanfredinus in sua Diœces. Synodo Cingulana, habita die 6. Augusti 1736. c. 14.

,, VIII. Hæc manifesta sunt, & vix ulli obnoxia difficultati. Alia captiosa adinventa est species cambii, quod vocant *obliquum*. Titius indigens mille aureis, mutuos eos petit a Cajo, qui cum consueverit negotiari, & negotiatione pecuniam suam augere, renuit indulgere petitioni Titii, a quo, ratione mutui, nihil potest exigere: quia vero Titius Cajum urgere non cessat, res inter eos in hunc modum componitur: Titius mutuos accipit a Cajo prædictos mille aureos, neque mutui caussa quidquam se Cajo, ultra sortem, soluturum promittit: at tamen Cajo damnum rependat, quod ex dato mutuo subit, dat ei facultatem, æquivalentem pecuniæ summam, sive a semetipso, sive ab alio, per cambii contractum, accipiendi, eamque ad negotiationem destinandi, simulque Titius se obligat ad solvendum Cajo, donec ei mutuum restituat, quidquid ratione cambii impendit, aut impendere deberet, si prædictos mille aureos a Campsore accepisset. Quandoque etiam ipsemet Titius mutuatarius assumit sibi onus, cambiis negotiandi tantam pecuniæ summam, quantam mutuam accepit a Cajo, in commodum tamen, & utilitatem ejusdem Caji, cui quotannis solvit, quantum ex cambiis lucratur, aut lucrari posset, donec ei mutuum restituat. Si primo modo res peragatur, pertinet ad Cajum mutuantem probare, cambii litteras revera a se transmissas, seu mille aureos se fuisse per cambium ab alio consecutum. Sed si Titius mutuatarius onus in se suscepit, summam ei æquivalentem, quam a Cajo mutuam accepit, cambiis activis negotiandi; tunc aut stet promissis, aut non: si primum, Cajus creditor juste percipit fructus, seu pecuniæ accessiones a cambiis productas: si secundum, quamvis tunc nihil ex cambiis consequatur, eosdem tamen fructus a Titio requirit, titulo *ejus, quod interest*, seu damni, quod subit ex eo, quod Titius susceptæ obligationi non satisfecerit, juxta decisionem 829. Romanæ Rotæ *coram Dunozetta Jun.* Et quia hic posterior securiorem reddit mutuantem, cui duplicem aperit viam ad consequendum auctarium mutuatæ pecuniæ, hac de caussa frequentius adhibetur.

,, IX. Præmissa hac cambii obliqui notione, quam præbet Cardinalis de Luca *lib.* 5. *titul. de Cambiis in Summ. par.* 2. *n.* 16. facile est suspicari, prædictas involutas ambages esse unice excogitatas ad palliandam usuram, quę nihilominus non satis occultatur, & magis

,, adhuc

adhuc aperte se prodit, cum contractus secundo ex recensitis modis initur: quid enim absurdius, quid incredibilius fingi potest, quam quod Titius indigens mille aureis, quos mutuos accipit a Cajo, totidem statim habeat paretos ad nundinas transmittendos, atque in activa cambia erogandos, in mutuantis Caji utilitatem? Et nihilominus non desunt Auctores, qui pro ejusmodi cambiorum tuenda justitia decertant, inter quos Cardinalis de Luca *de cambiis disc. 3. num. 5. disc. 5. n. 8. disc. 23. n. 9.* Ansald *de commerc. & mercat. disc. 65. n. 46. & seq.* Rota Bononiensis apud Urceolum *de transact. q. 40. a nu. 23. usque ad finem.* Et Rota Romana *decis. 1. lib. 8. ad ornat. Card. de Luc. & decis. 323. & 695. cor. Molines.*

X. Verum, quidquid sit de foro externo, in quo fortasse ita res gesta praesumitur, sicuti in contractus stipulatione describitur, in foro tamen interno, ubi sola spectatur veritas, si pecunia accepto mutuo respondens, neque a mutuante, neque a mutuatario, juxta prædictas diversas pactiones, fuerit ad nundinas transmissa, seu in cambia activa erogata, nec umquam in alterutrius animo fuit eam ad nundinas transmittere, seu in cambia erogare; minime dubitandum est, cambium esse illicitum, turpe, & usurarium, ac propterea e Christiana Republica prorsus eliminandum. Non enimvero negamus, posse mutuantem, qui solet pecuniam suam negotiatione augere, aliquid percipere a mutuatario, titulo *ejus, quod interest*, hoc est lucri cessantis, & damni emergentis, sed, cum hic legitimus adest titulus aliquid ultra mutuatam sortem exigendi, is erit ingenue adducendus, neque recurrendum ad prædictos cambii obliqui anfractus, qui vehementem ingerunt suspicionem fraudis, & doli. Quamobrem clar. memor. Cardinalis Marcellus de Aste, Episcopus Anconitanus, in suo Pastorali monito, edito post Constitutiones Synodales Cardinalis Bartholomæi Massei ejusdem Urbis Episcopi, evulgatas an. 1738. *pag. 165. & seq.* suas oves serio est adhortatas a cambiis obliquis, quæ mera esse deprehendit tegumenta usuræ: nec inopportunum existimamus, ut quilibet Episcopus, ad eradicandum e sua Diœcesi eorumdem cambiorum abusum, simile monitum formet, suisque inserat Synodalibus Constitutionibus.

Hoc idem de Clericis, si loqui velimus, vide in cap. sequenti.

I. Ex illicitis cambiis iterum ad licita redeuntes, hæc a Laicis impune exerceri poterunt, non vero itidem a Clericis, quibus vetitum esse cambiis activis operam dare, statim demonstrabimus. Nihil est antiquius in Ecclesia, lege Clericis interdicente omnem sæcularem curam, & quæstuosam negotiationem, quo liberius possint orationi vacare, & ad Ecclesiastica, quibus addicti sunt, ministeria incumbere; quod pluribus probat Theophilus Raynaudus *in discept. de Religioso Negotiatore.* Quinimmo tam ipse Raynaudus *in eadem discept. §. 3.* quam Franciscus Dominicus Granolettus in Apologia, quam compilavit *pro lege divina prohibente Clericis mercaturam*, eam prohibitionem a Jure Divino promanasse contendunt. Septimus inter Canones, dictos Apostolicos, ex recensione Cotelerii, alias quartus, sic se habet ex versione Dionysii Exigui: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus nequaquam sæculares curas adsumat: sin aliter, dejiciatur.* Cyprianus *epist. 66.* testatur, suo ævo Clericos ab omni commercio civili fuisse avocatos: *Quæ nunc ratio*, ait, *& forma in Clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini Ordinatione Clerica promoventur, nec molestiis. & negotiis sæcularibus alligentur:* cujusquidem disciplinæ adeo tenax fuit idem Cyprianus, ut, cum audierit, a Geminio Victore, de sæculo excedente (quem Pamelius suspicatur fuisse Episcopum Ecclesiæ Furnitanorum) quemdam Geminium Faustinum Presbyterum fuisse testamento suo tutorem nominatum, *in eadem epist. ad Clerum, & Plebem Furnis consistentem data* jussit, ut contra Victorem sententiam exequerentur Canonis Africani, quæ erat, ne pro dormitione ejus fieret oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia (pro more tunc temporis usitato) frequentaretur: *Neque enim*, ait, *apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & Ministros voluit avocare.* Atque, ut propius ad quæstuosam negotiationem accedamus, Concilium Carthaginiense III. anni 397. *Can. 15. tom. 1.* collectionis Harduini *col. 963.* statuit: *Placuit, ut Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi, vel Clerici, non sint conductores, atque productores privatorum, neque ullo turpi, vel inhonesto negotio victum quærant; quia respicere debent scriptum esse: Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* Concilium Arelatense II. circa annum 452. *Can. 14. tom. 2.* collectionis Harduini *col. 774.* decrevit: *Si quis Clericus pecuniam dederit ad usuram, aut conductor alienæ rei voluerit esse, aut turpis lucri gratia aliquod negotiationis exercuerit, depositus a Clero, a Communione alienus fiat.* Patres vero Concilii Chalcedonensis *Can. 3. cit. to. 2.* ejusdem collectionis *col. 602.* se molestissime audivisse ajunt, *quod quidam, qui in Clero videntur allecti, propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, & sæcularia negotia sub cura sua suscipiant;* idque fieri eodem Canone vetant. Conciliis consentiunt antiqui Ecclesiæ Patres, e quibus Hieronymus *epist. 52. ad Nepotianum nu. 5. relata in Can. 9. dist. 88.* Clericum negotiationi vacantem, quasi excommunicatum, fugiendum suadet: *Negotiatorem Clericum, & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge.* Auctor *quæstionum veteris, & novi Testamenti*, inter opera Augustini, *c. 127.* relat. *eadem dist. Can. 10. Fornicari*, ait, *omnibus semper non licet, negotiari vero aliquando licet, aliquando non licet. Antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari; facto jam, non licet.* Severus Sulpitius *hist. lib. 1. cap. 23.* Clericos turpi quæstui inhiantes, ita objurgat: *Tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido, veluti tabes incessit: inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt, venduntque, quæstui per omnia student.* Quare Gelasius Papa, ut hanc Clericorum immoderatam aviditatem compesceret, *epist. ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos, cap. 15. relato in Can. 1. 14. quæst. 4.* Clericos, qui deinceps negotiationi operam darent, ab omni Ecclesiastico ministerio arcendos decrevit: *Clerici aut ab indignis quæstibus noverint abstinendum, & ab omni cujuslibet negotiationis ingenio, vel cupiditate cessandum; aut in quocumque gradu sint positi, si cessare noluerint, mox a Clericalibus officiis abstinere cogantur;* cujus vestigiis inhærens Alex. III. *in cap. 6. Ne Clerici, vel Monachi, sub interminatione anathematis prohibuit, ne Clerici, vel Monachi caussa lucri negotientur:* ejusque Constitut. instauravit Clem. V. *in Clem. 1. §. adversus vero, de vit. & honest. Clericorum.*

II. Verum quædam sunt species negotiationis improprie talis, Clericis minime interdictæ, quas diligenter expendunt Theophilus Raynaudus *in cit. discept.* Gonzal. *in cit. c. 6. Ne Clerici, vel Monachi, n. 6.* Panimoll. *dec. 6. annot. 5. par. 1.* & Episc. Perimezzius *in suis Canonic. Allegat. p. 3. alleg. 3.* Istarum præcipue est, qua quis manuum suarum labore, & honesto artificio, victum sibi comparere studet. Hanc approbavit Apostolus Paulus *Actor. 20.* de se ipso dicens: *ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ:* & 2. ad Thess. 3. scribens: *neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione, nocte, & die operantes, ne quem vestrum gravaremus.* Ad sanctissimi porro Apostoli Pauli imitationem, plerique venerabiles Antistites, & Sacerdotes, suscepta divini verbi prædicationi, sacrisque Ecclesiæ ministeriis, externam manuum operam adjungebant, quæ nec a dignitate ipsorum, nec ab Ecclesiæ cura, quam perpetuam gerebant, abhorreret; eaque ratione cum sibimetipsis vitæ subsidia parabant, tum aliis egentibus operis sui quæstum impertiebantur, sicuti narrat Epiphanius *hæresi 80. n. 6.* Et profecto de Zenone Episcopo Majumæ in Palestina memoriæ prodidit Sozomenus *lib. 7. c. 28.* cum jam senem, & centum circiter annos natum, certum tempus lineas vestes texendi artificio dedisse, eoque & sibimetipsi, & pauperibus necessaria subministrasse, tametsi Ecclesiam divitem, & opulentam haberet. De Spiridione Episcopo Trimithuntis in Cypro referunt Rufinus *lib. 10. cap. 5.* & Socrates *lib. 1. cap. 12.* quod cum antea Pastor ovium fuisset, in isthoc vitæ genere, ex singulari animi moderatione, omnem ætatem suam transegerit. Monachos pariter Abbatis Antonii exercuisse omnes artes, atque ex divenditis opificiis victitasse, quod vero supererat, per mulierum monasteria, & carceres distribuisse, scribit Palladius *in Aphonio Hist. Laus. cap. 39.* Atque ut innumera ejusdem rei prætereamus exempla, Concilium Carthaginiense IV. *Can. 52. tom. 1.* collectionis Harduini *col. 982.* jubet, *Clericis victum, & vestitum sibi, artificiolo, vel agricultura, absque officii sui detrimento parare.* Altera impropria negotiationis species, Clericis permissa, est vendere res ex propriis prædiis collectas, suæque sustentationi superfluas: in quo sensu dixit Auctor Operis imperfecti *in Matthæum homil. 38.* omnes homines esse negotiatores, quia omnes coguntur res, quibus abundant, cum aliis, quibus carent, permutare. Licitum quoque esse Ecclesiasticis, e rebus ad propriam, & familiæ sustentationem coemptis, quæ supersunt, etiam carius, quam emerint, vendere, modo justi pretii non prætergrediantur limites, jure tradunt Gonzalez

„ in cit. c. 6. n. 6. Rebell. *de oblig. just. par. 2. q. ult. n. 2.* Molina *de just. disp. 342. concl. 2.* Gutierez *de gabel. q. 39. n. 16.* Cetera, quæ absque vera negotiationis nota a Clericis exerceri queunt, iidem Auctores enucleate explicant.

„ III. Quoniam tamen Clerici quæstui inhiantes, facile sibi persuadent, hunc, aut illum contractum, ipsis ceteroquin prohibitum, intra classem contineri negotiationis minus proprie talis, &, quod deterius est, facile Theologos inveniunt, falsæ eorum opinioni patrocinantes; necesse propterea est, ut interdum Episcopus eorum immoderatæ aviditati obsistat: sed, si res dubia sit, priusquam hunc, vel illum contractum Clericis vetitum declaret, explorare debet, quid de illo senserit sacra Congregatio Concilii, cujus in hanc rem plura decreta simul collecta referunt Fagnanus *in c. Multa, ne Clerici, vel Monachi*, Natalis Alexander *epist. 23. post tom. 1. Theol. dogmat. & moral.* Passerinus *de stat. homin. tom. 2. q. 187. n. 189.* & Monacell. *in formul. legal. tom. 3. pag. 149.* Quod vero speciatim ad rem præsentem spectat, tuto, & absque ulla hæsitatione declarare potest, cambia activa ad veram, & propriam pertinere negotiationem, Clericis prohibitam: quemadmodum docuerunt Abbas *in c. 1. n. 12. vers. Ex his nota, ne Clerici, vel Monachi*, Redoan. *de spoliis q. 2. n. 6. & q. 15. n. 15.* Bellett. *Disquisit. Cleric. par. 1. tit. de disciplin. §. 21. n. 19.* & sæpius decisum fuit a Rota Romana, præcipue *decis. 173. n. 6. decis. 251. n. 5. & seq. par. 14. recen. & dec. 209. n. 19. par. 12. recent.* Quapropter, etsi cambium activum, a Clerico initum, validum sit, neque ex eo, quod is illicite egerit, propterea absolvatur debitor ab obligatione solvendi, quod stipulatione promisit, sicuti advertit Cardinalis de Luca *de cambiis disc. 18. n. 7.* & respondit Rota *dec. 378. n. 5. & seq. par. 17. recen. & dec. 353. n. 5. & 6. part. 19. recen.* attamen potest Episcopus in ipsum tamquam verum negotiatorem, statutis a sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus pœnis animadvertere, suisque Synodalibus Constitutionibus edicere, ne ullus in posterum, in sacrorum Canonum contemptum, id facere præsumat.

„ IV. At nihilominus arbitrantur Clerici, nullo negotio se posse eas pœnas evadere, si nimirum cambii activi contractum per interpositam ineant personam: haud enim ignorant, plurimos, gravesque Auctores opinari, fas esse Clericis, quamlibet quæstuosam negotiationem per alium exercere; tunc quippe, ajunt, non distrahuntur a Divinis, nec cum proprii status dedecore implicantur sæcularibus curis: quæ fuit unica ratio, cur sacri Canones omnem illis interdixerint negotiationem. Ita docuere Molina *tract. 2. disp. 342. n. 13.* Lessius *de just. lib. 2. cap. 21. n. 6. in fin.* Layman *Theolog. moral. lib. 3. tr. 4. c. 17. §. 7. n. 40. vers. Prætera.* Theophilus Raynaudus *cit. discept. n. 91.* Cardinalis de Luca *de cambiis disc. 18. n. 8. circa medium*, Lazarus Benedictus Migliobucius, sacrorum Canonum in Pisana Universitate Professor, *Instit. Canon. lib. 2. tit. 29. dissert. 7. pag. 497. & seq.* aliique plures. Huic eidem opinioni adhærens sæpius laudatus Altovitus sacræ Congregationis Concilii olim Secretarius, in quadam caussa *Florentina*, sacræ Congregationi proposita die 29. Novembris 1681. Clericos etiam Sacris initiatos, censuit, & pœnæ, & culpæ reatum effugere, si cambia activa contrahant per interpositam personam; quamvis hanc opinionem minus tutam advertens, suum suffragium hisce verbis concluserit: *Verum quidem est, hunc negotiandi modum, per interpositam personam, licet non prohibitum, nec illicitum, non esse tamen decentem statui Clericali, ideoque non esse ad praxim deducendum.* De eodem juris articulo, ejusdem caussæ occasione, disseruit Cardinalis de Luca in suo speciali discursu, edito ab Episcopo Zaulo *ad Statut. Faventi. tom. 1. 2. edit. Roman. anni 1713. pag. 166. & seq.* qui cum jam antea docuisset, licere Clericis etiam per semetipsos cambia activa contrahere, eo fortius illis permissum censuit, & cambia, & quamlibet aliam negotiationem, per alium exercere. Quia tamen optime prævidebat, hanc doctrinam, si a sacra Congregatione approbaretur, scandalum parituram, ideo *sub ejusdem discursu num. 60.* sacræ Congregationi auctor fuit, ne ullum hac de re responsum daret: & reapse neque tunc, neque die 23. Septembris 1686. qua eadem quæstio ejusdem sacræ Congregationis examini fuit iterum subjecta, ullum ab ea prodiit responsum. Sed prædictam opinionem, quam Cardinalis de Luca, & Altovitus secuti fuerant, iterum postea in trutina positam, validissimis argumentis refutarunt Fatinellus Romanæ Curiæ Prælatus, morum integritate, & Juris scientia præclarus, *in suo respons. 6. num. 42. tom. 2.* & clar. mem. Cardinalis Acciajuolus in quodam suo suffragio, exarato in caussa Melevitana Synodi, *num. 26.* Et similiter Romanæ Rotæ Auditorium, eadem rejecta, contrariam sententiam est amplexatum; uti videre est *in dec. 8. n. 9. tit. 43. tom. 3. coram bon. mem.* Cardinali Falconerio. Et recte quidem, quoniam, juxta regulam 72. Juris, *in 6. Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.* Nec verum est, Clericos per interpositam personam, cambiis, alteriusve generis negotiationi vacantes, a curis liberari, quibus negociatores implicantur: scimus quippe, experientia edocente, eos continue anxios, & sollicitos esse de lucro, quod ex data alteri pecunia sint reportaturi, plenosque timoris, ne a socio decipiantur. Neque contrariæ opinioni favet Canon. 18. Concilii Eliberitani, ubi venia date videtur Sacris Ecclesiæ Ministris, aliorum opera, & ministerio negotiationem exercendi, cum dixerit *tom. 1.* Collectionis Harduini *col. 252.* *Episcopi, Presbyteri, & Diaconi de locis suis, negotiandi caussa, non discedant, nec circumeuntes provincias, quæstuosas nundinas sectentur. Sane ad victum sibi conquirendum, aut filium, aut libertum, aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittant; & si voluerint negotiari, intra provinciam negotientur.* Siquidem, si vel sola consideretur, quæ ea ætate vigebat, Ecclesiasticæ disciplinæ sanctitas, & præ oculis habeantur, quos indicavimus, vetustissimi Ecclesiæ Canones, sacros altaris Ministros ab omni turpis quæstus suspicione quam longe abesse jubentes, facile est conjicere, Eliberitanos Patres de sola locutos honestissima negotiatione tunc temporis usitata, qua scilicet sanctissimi Antistites, aliique inferioris ordinis Sacerdotes, ex artificiolis, proprio labore confectis, victum sibi, & pauperibus comparabant; simulque edixisse, ne ad hanc licet innoxiam exercendam iidem extra provinciam vagarentur.

„ V. Sed supervacaneum est pluribus de hac quæstione differere, quam Nos statim ac ad supremum Ecclesiæ Pontificatum evecti sumus, definivimus; necessarium quippe reputantes, novæ legis fræno cohibere insatiabilem Clericorum cupiditatem divitias accumulandi nostris Apostolicis litteris, datis die 25. Februarii 1741. quæ habentur *tom. 1.* nostri Bullarii Constit. 23. declaravimus, & edizimus, nullam negotiationem, aliàs Clericis prohibitam, posse ab iisdem, sub alieni nominis velamine, exerceri; eique etiam per alios operam dantes, obnoxios pœnis fecimus, quæ a sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis statutæ sunt contra Clericos negotiatores. Quocirca cum controversia Apostolicæ Sedis judicio dirempta jam sit, tuto poterunt Episcopi idipsum in suis Synodis iterum decernere, & Clericos per interpositam personam cambia activa contrahere præsumentes, ad sacrorum Canonum normam punire.

DUBIUM IV.

De conditionibus requisitis in Bulla S. Pii V. pro Cambiis localibus.

22. IN Bulla, quam de Cambiis edidit S. Pontifex Pius V. Anno Domini 1571. Kalend. Februar. Pontificatus sui anno 6. incipit: *In eam pro nostro Pastorali officio*, primo damnat cambia, quæ sicca vocantur, in quibus scilicet litteræ non mittuntur ad nundinas, vel si mittuntur nullum habent effectum, quia ibi nullus est, qui eas solvere debeat, unde redeunt vacuæ, & solutio cum interesse fit in eodem loco, ubi contractus fuerat celebratus; deinde nonnullas assignat conditiones pro cambio recte instituendo, quas præcipit observari.

23. Prima conditio est, ne Campsor ratione dilationis ultra terminum solutioni destinatum concessæ, lucrum aliquod exigat. Hæc conditio, ut bene advertit Palaus *disp. 7. pun. 14. nu. 2.* de jure naturali servanda est etiam independenter a Bulla S. Pii V. nam Campsor jure naturali non potest lucrum recipere ob solam dilationem temporis concessam ultra terminum solutioni statutum, quia esset lucrum reportare ex mutuo, in quo consistit usura; & inde, si Campsor in nundinis, quæ tribus mensibus distant, plus exigat tradendo pecuniam primo mense, quam si traderet secundo, vel tertio mense, committit usuram, quia ob dilationem solutionis aliquid plus exigit. Si tamen exigeret alio titulo, puta lucri cessantis, vel damni emergentis, tunc non esset usura: cum autem titulus lucri cessantis, vel damni emergentis facile contingere possit; nam quo longius est tempus destinatum solutioni, majora sunt pericula, diutius Campsores privantur sua pecunia; qua negotiari possent, & lucrari, & major est numerus illorum, qui petunt ad cambium; unde pretium crescit, quo quidem pretio privantur Mercatores, qui longiori tempore coguntur expectare solutionem, & sic facile possunt excusari Mercatores, qui pro longiori tempore plus exigunt, ut cum Molina *disp. 404. n. 5.* Lessio *lib. 2. cap. 23. dub. 6. num. 56.* tenet Tamb. *lib. 9. tract. 3.*

tract. 3. *cap.* 5. §. 1. *num.* 24. Salas *dub.* 18. *numer.* 2. Bonac. *qu.* 5. *num.* 9.

24. Secunda conditio est, ne ab initio, vel postea paciscatur de certo, & determinato interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, solvendo a Campsario, si tempore constituto sors soluta non fuerit; & inde si Campsor obligaret Campsarium ad solvendam summam aliquam determinatam, puta decem ultra sortem, & ultra lucrum cambii pro lucro cessante, vel damno emergente, faceret cambium illicitum, quia pro mora obligat Campsarium ad interesse certum; secus vero si pactum sit, ut solvatur tantum, quantum erit lucrum cessans, vel damnum emergens; nam tunc interesse, ad quod obligat, non est certum, sed incertum, & determinandum a Judice; & inde, si Campsor prætendat ex illa mora sibi debere interesse, & alia damna emergentia, debet in primis, & ante omnia judicialiter interpellare Campsarium ad dictam restitutionem pecuniæ faciendam cum protestatione, intimatione, ac notitia damnorum sibi decurrentium, sive imminentium; qua intimatione, & protestatione non facta, nec petere, nec consequi potest ipsum interesse, vel damna, ut notat Gratian. *discept. for. c.* 829. *n.* 9. Rota *par.* 1. *recent. dec.* 52. *n.* 3. & coram Otthobono, postea Alexandro VIII. *decis.* 92. *n.* 1. *&* 2. & novissime de Luca *in tr. de cambiis disc.* 2. 12. *&* 13. Hæc tamen verificantur pro foro externo, in quo erit puniendus tamquam usurarius, si pactum fiat de aliquo lucro certo.

25. Pro foro conscientiæ plures admittunt, non esse peccatum lethale, nec adesse obligationem restituendi, si pactum præcedat de aliquo lucro certo, & determinato; nam Pontifex id solum prohibuit ob periculum fraudis: quare, si absit fraus, & dolus, non est illicitum in cambio, sicut nec in aliis contractibus, pacisci de certo interesse, si tempore designato solutio facta non fuerit, ob lucrum cessans, vel damnum emergens, quod verosimiliter timeri potest ob dilationem solutionis, de quo proinde periculo probabiliter futuro potest ab initio juste pacisci: sicut etiam potest pacisci de poena, si solutio non sequatur, quod Pontifex solum prohibuit ob periculum fraudis, quæ facile latere potest in cambio, ut cum Lessio, Rebellio, Salonio, & Valentia tenet Palaus *supra num.* 4. Tambur. *cap.* 5. §. 1. *n.* 19. Rosignol. *de camb.* 1. *prænot.* 6. *n.* 5.

26. Nec valet, si dicas cum Lugo *disp.* 28. *sect.* 8. *n.* 111. *prohibitionem non fundari in falsa præsumptione, sed in veris periculis, & occasionibus peccandi, pro quibus vitandis prohibuit Pontifex in cambio fieri tale pactum de lucro certo, & determinato.* Sed dico, intentum Pontificis utique esse, vitare fraudes, & pericula peccandi, quæ facile contingere solent in cambiis, & sic prohibere, ne fiat tale pactum ad majorem securitatem conscientiæ; si tamen non adsint hujusmodi pericula, & occasiones peccandi, prout cessare videntur pro foro conscientiæ, quando pretium sincere taxatur arbitrio prudentis, pensatis omnibus circumstantiis pro illo periculo probabiliter futuro, tunc lex præsumitur non obligare, ut notat ibidem Rosign. & alios referens Bonac. *q.* 5. *n.* 9. dicens, hoc lucrum, & interesse exigi posse postquam Campsarius fuerit in mora solvendi debito tempore, non obstante prohibitione Pontificis vetantis id deduci in pactum; quod quidem pactum si fiat, non erit irritum; & lucrum retineri poterit, si non adsit excessus, quia re vera nulla facta est inæqualitas, nec injustitia.

27. Tertia conditio est, ne realia cambia fiant aliter, quam pro primis nundinis, ubi illæ celebrantur; ubi vero non celebrantur, pro primis terminis, juxta receptam locorum consuetudinem, & usum. Proximæ nundinæ dicuntur illæ, ad quas solvere debens commode mittere potest litteras suo Factori, ut cum Molina notat Palaus *n.* 7. & cum Salas *dub.* 26. Rosignol. *prænot.* 6. *nu.* 10. ad has autem nundinas cambium concedendum est, non vero ad secundas, aut tertias, quod ita intelligendum est fieri non posse, si Campsor ob talem dilationem lucrum augere velit; nam si Campsario concedat pecuniam non solum ad proximas, sed ad secundas, aut tertias nundinas, vel ipsi assignet terminum longiorem, quam postulat distantia locorum, non erit illicitum, nec usurarium, si pretium non augeat, sed exigat solum illud pretium, quod currit pro primis nundinis, vel pro terminis proximis; nam hoc cedit in favorem Campsarii, in cujus utilitatem præscriptæ sunt prædictæ conditiones a S. Pio V. in prædicta Constitutione. Tambur. *supra n.* 20. Salas, Lessius, Navar. quos sequitur Palaus *num.* 7. Rosignol. *num.* 6. Bonacina *qu.* 5. *num.* 9.

28. Quarta conditio est, ut in præfigendis terminis solutioni, habeatur ratio longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus facienda est solutio, & juxta majorem, seu minorem distantiam termini præfigantur, ne dum longiores statuuntur, detur occasio fœnerandi, scilicet accipiendi majus pretium pro majori dilatione concessa. Poterit tamen longior terminus præfigi, si ob id non augeatur pretium, & lucrum, ut supra dixi, & tenent Auctores citati. Circa hanc conditionem nonnulli advertunt, in Bulla non prohiberi Campsoribus, ne ante nundinas ob majorem dilationem amplius lucrentur, quia in hac clausula Pontifex non agit de quantitate solvendi, sed de præfigendo termino pro solutione facienda, ut cum Salas, & Lessio, Rosignol. *n.* 11. ponderans verba Bullæ, ubi dicitur: *Cavendum esse, ut ratio habeatur longinquitatis, & viciniatis locorum, in quibus solutio destinata est*, quæ quidem verba non sunt referenda ad majus, vel minus pretium cambii taxandum, adeo ut majus pretium solvendum sit, quando locus est remotior, minus quando est propinquior, sed tantum ad assignandum terminum competentem pro solutione. Ita Rosignol. *l. c.*

DUBIUM V.

An sit licitum Cambium cum recambio, seu cum recursa.

29. PRaxis, & modus hujus cambii cum recambio, seu cum recursa sic explicatur a Cardinali de Lugo *disp.* 28. *sect.* 7. Tambur. *tr.* 3. *c.* 5. §. 2. Rosignol. *de Cam. II. prænot.* 4. & aliis; Cajus indigens pecunia pro suis necessitatibus petit, & accipit a Petronio Campsore Bononiæ mille aureos ad cambium cum obligatione illos solvendi Placentiæ, seu Lugduni in primis nundinis cum interesse cambii, & quia Cajus Lugduni nullum habet correspondentem, qui pecuniam solvat, Petronius offert illi suum ministrum, seu procuratorem Lugduni existentem nomine Sejum, qui pro eo solvat, & ita litteræ mittuntur Lugdunum, & diriguntur Sejo procuratori Petronii, qui, acceptis litteris, ut eas exequatur, sibi solvit mille aureos, & scribit in libro, & constituit Petronium creditorem illius summæ, & Cajum debitorem, & sic terminatur primum cambium; sed quia Cajus non habet pecuniam Lugduni, Sejus, qui pro eo solvit, de ipsius commissione novas scribit litteras Bononiam Cajo, ut solvat Petronio mille aureos, quos sibi debet propter solutionem Lugduni factam ipsius nomine, quibus solutis, cum alio interesse cambii terminatur secundum cambium, ubi, ut vides, Sejus duplicem personam repræsentat: unam, prout est minister Petronii, & alteram, prout nomine Caji debitum solvit.

30. Hoc cambium esset illicitum, & usurarium, si certo constaret, petentem pecuniam ad cambium Lugdunense nullum habere Lugduni procuratorem, aut amicum, nullam habere pecuniam, nec habere posse, nec per se, nec per alium, etiam ad cambium acceptam, qua possit solutio ibidem præstari, quia tunc esset purum mutuum, & cambium siccum, ex quo sumi non potest auctarium. Nec juvat, quod litteræ mittantur; nam cum pecunia ibi non sit, nec possit fieri solutio, litteræ nihil operantur, perinde ac si non mitterentur, ut constat ex Bulla S. Pontificis Pii V. & tenent communiter Doctores. Dixi, *si certo constaret*; nam si quis bona fide dictum contractum iniret, credens, Campsarium in loco destinato habere pecuniam actu, aut virtute, qua possit contractum perficere, licite potest auctarium recipere, quamvis postea cognoscat, nullam adesse pecuniam, qua solutio fieri possit; nam licet contractus sit nullus, & irritus, tamen sic contrahens tenetur ea vi deceptionis compensare decepto quantum sua interest, contractum verum esse, & inde, licet lucrum sumi non possit ex vi contractus, qui nullus, & irritus est, bene tamen ratione lucri cessantis; aut damni emergentis, quod patitur deceptus: & ita cum Molina *disp.* 404. & Lessio *l.* 2. *c.* 23. *dub.* 7. *n.* 69. tradit Palaus *disp.* 7. *punct.* 8. Diana *p.* 1. *tr.* 8. *de contr. resol.* 14. & Lugus *disp.* 38. *sect.* 7. *n.* 79.

31. Si Cajus petens pecuniam ad cambium, proprium habeat Lugduni procuratorem, aut amicum, qui litteras acceptat, & solvit, cambium est verum, & reale, quamvis amicus postea per novas litteras committat Cajo similis summæ solutionem faciendam Bononiæ, quia litteræ tunc vere mittuntur, & suum habent effectum, & sic non est purum mutuum, nec cambium siccum, sed verum, & reale, in quo pecunia præsens permutatur cum absente: quod verum puto, etiamsi Cajus non habeat Lugduni proprium procuratorem, sed pro eo respondeat procurator Campsoris, quando iste propriam habet pecuniam, aut alienam distinctam a pecunia Campsoris, qua possit debitum extinguere, & solutionem facere, quia non implicat, unum duplicem personam repræsentare, quatenus diversa præstat officia, vicem gerendo creditoris, & debitoris, ut habet Bonacina *q.* 5. *n.* 11. Lugus *supra n.* 80. & cum illo Ant. a Spiritu S. *disp.* 19. *n.* 944.

32. Difficultas tota est, quando Campsarius Lugduni non habet correspondentem, sed pro eo respondet procurator Campsoris, qui nullas habet pecunias proprias, nec realiter, nec virtualiter, sed solum pecunias Campsoris: *an cum eis licite facere possit solutionem eidem Campsori de illius mandato, & alias litteras cambii mittere ab eodem Campsario solvendas Bononiæ, unde primæ litteræ exierunt cum cambio, in quo discrepant Doctores.* Negant plures, quia tale cambium resolvitur in purum mutuum palliatum sub nomine cambii. Cum enim pecunia, quæ datur, & accipitur, sit propria ipsius Campsoris, non potest ibi adesse vera permutatio, cum nemo dicatur rem propriam permutare cum alia sibi propria, & sic remanet cambium siccum, & verum mutuum. Ita Sotus *lib.* 6. *de just. quæst.* 10. *art.* 1. *& quæst.* 13. *art.* 1. *concl.* 3. Comitolus *in resp. moral. lib.* 3. *qu.* 16. *& lib.* Rebell. *p.* 2. *de obligat. just. lib.* 11. *quæst.* 6. *concl.* 3. *n.* 10. Lugus *de Usur. comment.* 3. *§.* 2. *dam.* 65. Molina *disp.* 404. & alii apud Salas *dub.* 17. damnantes cambium cum recambio.

33. Secunda Sententia docet, hoc cambium esse licitum, verum, & reale, quia litteræ vere mittuntur, & suum sortiuntur effectum, nec solutio pecuniæ fit Bononiæ, ubi fuit recepta virtute primi cambii, quod terminatur, & perficitur Lugduni per solutionem ibidem factam, sed virtute secundi cambii, quod Lugduni fuit celebratum. Nec obstat, quod Campsarius non habeat Lugduni proprium procuratorem, nec propriam pecuniam, sed idem sit respondens, seu procurator Campsoris, & Campsarii, apud quem Campsarius fidem, & creditum invenit; nam unus, & idem potest diversas personas repræsentare, sibique satisfacere, quatenus diversa præstat officia, vicem gerendo creditoris, & debitoris, ut patet in Tutore, creditore Pupilli: in nostro casu procurator Campsoris duplex præstat officium, & ipsius Campsoris, quatenus acceptat solutionem, & Campsarii, quatenus ipsius nomine pecuniam solvit.

34. Nec item solutio hujus cambii redditur fictitia, aut litteræ redduntur inanes, quia nimirum respondens Campsoris pecunias solvit in loco nundinarum, non mittit easdem litteras, sed finitur illud primum cambium, & novas scribit litteras Bononiam Campsori, ut exigat talem pecuniam a Campsario, quam pro eo solvit Lugduni, & recambit Bononiam, ubi fit solutio lucri cambii, & recambii. Nec item obstat, quod Campsarius non habeat Lugduni propriam pecuniam, nam ad cambium reale sufficit, quod in nundinis habeat amicum, mercatorem, seu procuratorem, qui ejus nomine ibidem solvat, prout de facto solutionem faciendam acceptavit, & fecit procurator Campsoris. Cum autem in isto cambio, & recambio omnia concurrant, quæ requiruntur ad cambium reale, sequitur, quod verum, & reale sit dicendum: & ita

35 Hoc cambium non esse damnatum a S. Pio V. sed approbatum in Bulla quadam data ad Bononienses, asserit Diana *part.* 2. *tract.* 8. *de contract. resolut.* 1. quia ibi habet Pontifex: *Che ogni persona possa dar denari a cambio, e fare, che le littere siano recapitate sopra essi datori, e così tenerli su i cambi finchè saranno rimborsati da chi avrà presa i danari.* Hanc sententiam tenet Magister Marcus Serra *tom.* 2. *in* 2. 2. *D. Thomæ qu.* 77. *art.* 4 ubi ait: *Probabile est, licitum esse cambium, quod dirigitur ad locum, ubi Campsarius nec ullam pecuniam, nec fidem, nec Respondentem, aut Procuratorem habet, sed Campsor exhibet Campsario suum Factorem, qui pro illo respondeat, & solvat ex pecuniis ipsiusmet Campsoris, & postea eamdem pecuniam per aliud cambium remittat, & ita fiat solutio utriusque cambii, & interesse in loco, ubi prima fuit accepta;* quod rationibus probat, & explicat. Eamdem Sententiam sequuntur Azorius, Megala, Naldus, Salas, Lessius, Emmanuel Sa, Homobonus, Salvatorius, Filliucius, Bartholomæus a S. Fausto, Salonius, Thomas Boninsignius, Scortia, quos affert, & sequitur Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 1. Eamdem sequitur Palaus *disp.* 7. *punct.* 9. Bonacina *disp.* 3. *quæst.* 5. & videtur comprobata ex communi praxi Mercatorum.

36. Alii melius distinguentes asserunt, licitum esse cambium cum recambio, quando Campsor, seu ejus procurator, qui simul respondet pro Campsario habet Lugduni pecuniam propriam, vel creditum proprium distinctum a credito contracto Bononiæ ex primo cambio Lugduni solvendo, quod possit Campsario commodare, ad solvendum debitum Bononiæ contractum; quia, sicut potest quilibet alius pecuniam Campsario commodare ad tale debitum solvendum, & cum eo novum cambium contrahere; ita potest hoc idem facere procurator Campsoris habens pecuniam distinctam a tali debito solvendo; tali autem pecunia actuali, seu virtuali, id est credito habita Campsarius, aut ejus Procurator solvit, ac extinguit primum cambium, & novum instituit Bononiæ solvendum cum interesse, in quo casu tam primum cambium Bononiæ contractum, & Lugduni solvendum, & extinctum, quam recambium Lugduni contractum, & Bononiæ solvendum, est verum, licitum, & reale, & in hoc sensu intelligi possunt Auctores secundæ Sententiæ.

37. At si procurator non habet Lugduni pecuniam propriam, nec creditum distinctum ab illo, quod Campsor contraxit per primum cambium Bononiæ celebratum, tunc non potest illud creditum transferre in Campsarium, & ex illo constitui secundum cambium cum extinctione primi. Ratio est, quia ad cambium verum, & reale requiritur duplex pecunia, altera propria Campsoris, quam Bononiæ tribuit Campsario, & altera Campsarii, quam Lugduni solvere debet Campsori ad extinguendum debitum Bononiæ contractum; sed in nostro casu nulla datur pecunia, nec actualis, nec virtualis propria Campsarii, qua possit primum cambium extinguere; ergo non potest esse cambium verum, sed purum mutuum palliatum sub nomine cambii. Nec dicas: *Campsorem posse transferre in Campsarium cambium, & creditum, quod habet contra ipsum; sicut enim potest tale cambium, & creditum in alterum transferre, & cum eo novum cambium constituere, cum sit virtualis pecunia, ita potest illud transferre in Campsarium, ac posse primam obligationem extinguere, & novum cambium constituere.* Contra enim est, quia Campsor alia ratione transferre non potest creditum in Campsarium, quam ipsum liberando a debito, & obligatione Bononiæ contracta; si autem ipsum liberat ab obligatione, jam non fit vera solutio, sed ficta tantum, & usuraria; siquidem Campsarius, vel ejus Procurator nihil accepit, quo primum cambium solvat, sed ab eo liberatur, ac proinde non fit Lugduni vera solutio cambii, sed ficta, & usuraria, ut tradit Lugus *disp.* 28. *a num.* 94. Tambur. *lib.* 9. *tract.* 3. *cap.* 5. *§.* 4. *num.* 7. Rosignol. *de Camb. II. prænot.* 10. Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 19. *num.* 947.

DUBIUM VI.

Ad quid Campsarius possit obligari, si termino constituto non solverit.

38. Respond. Campsarium posse obligari a Campsore ad interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, si culpabiliter, aut etiam inculpabiliter fuerit in mora solvendi termino constituto; non enim Campsor tenetur tale damnum subire ob commodum Campsarii, qui proinde etiam sine culpa potest obligari ad illud solvendum, quia non obligatur in pœnam, sed ex contractu, ut cum Salonio, Vega, Lessio, & Salas tenet Palaus *disp.* 7. *punct.* 12. sequitur Tambur. *supra §.* 6. *nu.* 1. An vero possit Campsarius obligari ad aliquod interesse certum, & determinatum, stante Bulla S. Pii V. id vetantis, constat ex dictis *supra dub.* 4. in explicatione secundæ conditionis positæ in dicta Bulla. Poterit etiam adjungi pœna aliqua a Campsario solvenda ratione culpabilis moræ, si termino constituto non solvat, ea ratione, qua in mutuo, & aliis contractibus potest imponi pœna debitori moroso, dummodo culpa sit gravis, & mortalis, & pœna non excedat culpam: secus in foro conscientiæ non teneretur Campsarius illam solvere. Palaus *num.* 2.

39. Potest etiam Campsor in contractu cambii dans alteri pecuniam exigere a Campsario fidejussores, vel pignora, cum jure naturæ liceat unicuique se ipsum servare indemnem, & constet a pari de aliis contractibus onerosis, in quibus pro securitate potest contrahens exigere pignus, aut fidejussorem; debebit tamen in isto casu minus pretium exigere a Campsario pro cambio, quia pecuniam suam minori periculo exponit, ut cum Lessio, Salas, & aliis tenet Palaus *punct.* 11. idque verum putat Rosignol. *de Cambiis II. prænot.* 12. *num.* 2. quando interesse cambiorum non est universali lege ex usu fori determinate taxatum; nam tunc habenda est ratio majorum, vel minorum periculorum, tam in cambio, quam in aliis contractibus; secus, quando interesse cambiorum universali lege statutum est, quia tunc Campsor velle potest totum interesse cambiorum universali lege taxatum, non obstante majori securitate orta ex pignore, seu fidejussore.

40. *An vero Campsor in isto casu, aut veniente Campsario, possit in se assumere munus, & obligationem Fidejussoris, & ob id pretium illud exigere a Campsario, quod acciperet quilibet alius fidejussor, ob securitatem præstitam, & periculum in se susceptum?*

Resp. affirmative, quia Campsor non debet esse deterioris conditionis, ac proinde potest fidejubere, sicut quilibet alius: potest etiam fidejubere pro Campsario apud illum, cui trajicitur debitum, & pro tali fidejussione aliquid accipere, dummodo respondens non

sit

sit factor, seu famulus Campsoris, debitum solvendis de illius pecuniis; nam cum censeatur cum illo una persona non potest pro illo fidejubere, ut cum Lessio, & Salas Palaus tenet *punct.* 11. *nu.* 3. & Rosignol. *prænot.* 11. *num.* 4.

41. Quæres: *An Campsor, pacto intercedente, possit obligare Campsorium non solventem culpabiliter tempore, & loco constituto, ut eamdem pecuniam accipiat ad cambia, & recambio, donec sortem ipsam persolverit?*

Resp. per se loquendo, id facere non posse. Ratio est, quia Campsarius ex vi cambii solum potest obligari ad aliquam moderatam pœnam, si fuerit in mora culpabili solvendi, & ad interesse, seu lucrum cessans, & damnum emergens Campsori; ut proinde si cambia, & recambia excedunt interesse, & culpam solutionis non factæ, non poterit ad illa Campsarius obligari. Dixi, *per se loquendo*; nam si Campsor fuisset lucrum illud ab aliis percepturus, si solutio fuisset facta loco, & tempore constituto, tunc posset hoc idem exigere a Campsario titulo lucri cessantis, & damni emergentis. Ita cum Lessio, Graffio, & Salas tradit Palaus *punct.* 12. *n.* 3. Bonacina *quæst.* 5. *nu.* 20. Tambur. §. 6. *num.* 2. & 3. Ant. a Spiritu S. *disp.* 19. *num.* 951.

42. Quæres 2. *An teneatur Campsor solutionem sortis acceptare, non soluto cambiorum detrimento, seu interesse?*

Resp. negative, quia tota obligatio interesse pendet ex obligatione sortis, cui innititur, & a qua pendet, unde obligatio sortis se habet ut fundamentum, quod solvi nequit, nisi prius sit solutum accessorium, prout clare constat in solutione censuum, in quibus creditor census non tenetur solutionem sortis admittere, quousque sibi decursæ pensiones solvantur. Ita cum Lessio, & Salas tenet Palaus *punct.* 13. Bonacina *punct.* 5. *num.* 21. Ant. a Spiritu S. *num.* 955. Nec dicas, *ex multis caussis debitorem, quando aliquid solvit, censeri illud solvi pro debito principali, si aliud non exprimatur, sed capitale est debitum principale; ergo si Campsarius aliquid solvit, censetur illud solvere ad extinctionem capitalis.* Sed contra dico, id verificari, quando debita proveniunt ex diversis caussis, suntque inter se diversa, non vero si proveniunt ex eadem caussa, ut in casu nostro, ubi adest unica caussa cambii, & unicum debitum, cui alterum accessorie accedit. Ita Palaus *disp.* 7. *punct.* 13. Bonacina *qu.* 5. *n.* 25. Lessius *dub.* 10. Antonius a Spiritu S. *num.* 956. Lugus *disp.* 28. *n.* 106. Tambur. §. 6. *n.* 5.

43. Qui plura de cambiis desiderat, videat P. Don Gregorium Rosignolum nostræ Congregationis, qui *contractu* 5. *de cambiis*, materiam hanc satis arduam, prolixam, & difficultatibus obvolutam, ob varias Mercatorum subtilitates, & lucrandi cupiditatem, fuse, clare, & distincte tractat, difficultatesque omnes, quæ in praxi solent accidere, adhibita peritorum a se consultorum notitia, dilucide solvit.

C A P U T V.

De Censibus.

D U B I U M I.

Quid, & quotuplex sit Census.

1. CEnsus dicitur a censendo, seu æstimando, eo quod olim bona civium recensebantur, ut, servata proportione, cuilibet tributum imponeretur, *l. forma ff. de Censibus*, & inde tributum, quod solvitur Principi, sive per capita, sive juxta bonorum cujuslibet æstimationem, dicitur census, de quo *Matth.* 22. Christus fuit a Judæis interrogatus: *an licitum sit Censum dare Cæsari?* in præsenti sumitur census pro jure percipiendi fructus annuos ex re aliena; quare, omissis aliis acceptionibus, de quibus Covarr. *lib.* 3. *var. cap.* 7. Molina *tom.* 2. *disp* 381. Rosignol. *contr.* 4. *prænot.* 12.

2. Census bene definitur Jus percipiendi annuam pensionem ex re aliena utili, & fructifera, vel ea persona alterius. Dicitur *Jus percipiendi*, quia licet aliquando ipsa pensio dicatur census, proprie tamen census non est ipsa pensio, sed jus percipiendi pensionem, ea re alterius; & inde, qui per aliquem contractum vendit censum, non dicitur vendere pensionem, aut fructus annuos, sed jus percipiendi talem pensionem, & fructus, & qui emit censum, tale jus emit. Dicitur *ex re aliena*, quia census super re propria non constituitur, neque super re aliena sterili, & non fructifera. Dicitur *vel ex persona alterius*, quia quis potest se obligare ad annuam pensionem solvendam ex labore, opere, & industria propriæ personæ. Contractus censualis est species quædam emptionis, & venditionis, quia, ut plurimum, census, seu annui reditus emptione acquiruntur, quamvis jus exigendi censum oriri etiam possit ex testamento, vel contractu gratuito. Porro ille, qui, accepta pecunia, rem suam supponit censui, & contrahit obligationem quotannis solvendi pensionem, dicitur censuarius; qui vero, soluta pecunia, jus illud acquirit, dicitur censualista.

3. Census multipliciter dividitur, scilicet in *reservativum*, & *consignativum*; in *realem*, & *personalem*; in *perpetuum*, & *temporalem*, seu *vitalitium*. Census reservativus dicitur, quando quis rem suam pleno jure, id est quoad dominium directum, & utile transfert in alium, donando, legando, vendendo, aut permutando, reservata sibi annua pensione ex tali re sibi solvenda; hunc censum reservativum esse licitum constat ex *l. ult. C. de rerum permutat.* nec non exemplo Josephi Patriarchæ, qui terras prius dominio Pharaonis acquisitas, reddidit Ægyptiis sub annuo censu Pharaoni præstando, *Gen.* 47. De hoc censu non loquuntur Pontifices in suis Constitutionibus, neque de illo procedunt conditiones ibidem requisitæ: differt ab Emphyteusi per hoc, quod in emphyteusi transfertur tantum dominium utile, retento directo; in censu vero transfertur utrumque dominium utile, & directum, retento jure percipiendi annuam pensionem, & quia in emphyteusi, si non solvatur pensio intra biennium, si fuerit Ecclesiæ, vel intra triennium si fuerit Laici, dominium utile cadit in commissum, & ipso jure redit ad dominium directum; quod non contingit in censu reservativo, nisi fuerit tale pactum appositum: tum quia Emphyteuta non potest vendere rem, non admonito Domino directo, cui ex pretio debet solvere laudemium, quæ solet esse quinquagesima pars; ad neutrum autem tenetur debitor census: in dubio, an contractus sit emphyteuticus, vel censualis, reputandus erit censualis, quamvis esset factus cum Ecclesia, & hoc ad effectum fugiendi pœnam caducitatis, quæ est in emphyteusi, & quia in dubio favendum est possessori, qualis est ille, qui pensionem solvit. Ita Covarr. *lib* 3. *var. c.* 7. Molina *disp.* 381. *n.* 6. Salas *de censibus dub.* 35. quos sequitur Lugus *disp.* 27. *num.* 3.

4. Consignativus est, quando quis super suis bonis, quorum dominium directum, & utile retinet, vel etiam super persona sua consignat alteri jus pensionis annuæ; potest autem talis census constitui, & imponi donatione, venditione, permutatione, vel alio simili contractu: census consignativus subdividitur in realem, & personalem: realis fundatur super re ipsa, scilicet domo, agro, vinea, aut alia fructifera, ex qua solvi debet pensio; adhæret tali rei, quam etiam comitatur, ad quemcumque possessorem transeat, donec redimatur: personalis fundatur in persona, quæ remanet obligata ad solvendam pensionem ea suo labore, & industria, absque obligatione alterius rei, quamvis pro majori securitate nonnumquam supponatur fundus aliquis hypothecæ, ex quo desumatur pensio, casu, quo persona non solvat; & dici etiam solet mixtus ex reali, & personali.

5. Ex parte materiæ dividitur census in *fructuarium*, & *pecuniarium*. Fructuarius est, quando pro annua pensione solvitur pars fructuum, tanta quantitas frumenti, vini, aut olei: pecuniarius est, quando pensio solvitur in pecunia, & uterque potest esse certus, quando solvitur certa, & determinata pars fructuum, aut pecuniæ vel incertus, quando scilicet pensio non est certa, sed variatur, ut si solvenda sit tertia, vel quarta pars fructuum, quæ potest esse major, vel minor, juxta diversas annorum fertilitates, aut sterilitates. Ratione temporis dividitur in *perpetuum*, & *temporalem*; perpetuus semper durat, & potest esse redimibilis, aut irredimibilis; sed irredimibilis damnatur in *Constit. S. Pii V*, ut infra dicemus. Temporalis potest esse ad tempus determinatum, puta ad 30. vel 50. annos, vel indeterminatum, puta ad vitam unius, vel duorum, & dicitur *vitalitius*.

D U B I U M II.

An Census realis sit licitus.

6. DE censu reali reservativo non potest esse difficultas, quod non sit licitus, cum liberum sit unicuique rem propriam alteri concedere, & donare, reservata sibi pensione ex tali re percipienda, seu reservato sibi jure recipiendi aliquos fructus annuatim ex tali re: de consignativo plures ex Juristis negarunt, esse licitos, sed volebant esse usurarios, utpote, qui non distinguuntur a puro mutuo. Sic Innocent. & Joan. Andr. Cap. *in Civit. de usur.* Salic. *in auchen. ad hæc Cod. de usur.* Henric. *quolib.* 2. *quæst.* 25. & *quolib.* 1. *quæst.* 38. & *quolib.* 8. *quæst.* 24. contrarium aliis communiter sentientibus, cum quibus

7. Resp. censum consignativum realem, sive perpetuum, sive temporalem, etiam vitalitium, non esse usurarium, sed licitum; sic enim habetur ex *Extravag.*

Marti-

Martini V. & Calixt. III. quæ estant inter communes tit. de empt. & vendit. ubi ex professo definitur, hujusmodi contractus censuales, seu census emptos *esse licitos, jurique conformes, & vendentes eosdem, ad ipsorum solutionem censuum, & redituum, juxta dictorum contractuum tenores efficaciter teneri*. Nec obstat, utrum census de novo constituatur, vel iterum antiquus confirmetur, cum dicti Pontifices absque distinctione loquantur, nec discrimen faciant inter novos, & veteres census. Ratio est, quia usura non committitur, nisi in mutuo, at in census non datur mutuum, sed vera emptio, & venditio, quæ sunt contractus jure naturæ liciti, si justo pretio fiant; nam censuarius vendit censualistæ sub certa pecunia jus percipiendi aliquos fructus ex suo agro, aut prædio, quod quidem jus percipiendi annuos fructus, seu reditus ex agro alieno est pretio æstimabile, ac proinde vendibile. Adde, quod census est veluti pars quædam ususfructus, nam continet jus percipiendi partem aliquam annuorum fructuum, & sic potest vendi, & ab alio comparari, soluta pecunia, non minus quam donatione, aut titulo legati, ut docent Lugus *disput.* 27. *numer.* 10. Salas *de censib. dub.* 2. Palaus *disp.* 6. *punct.* 10. Rosignol. *prænot.* 12. & alii communiter.

8. Dices: *sub contractu census palliari mutuum virtuale, ac proinde usura, dum accipitur aliquid ultra sortem, siquidem dantur nunc centum, ut singulis annis reddantur quinque, quod in re idem est, ac mutuare centum cum lucro perpetuo, salvo capitali; si enim quis mutuaret centum cum pacto, ut sibi reddantur quinque singulis annis, donec solvatur, seu reddatur integrum capitale, vere esset usurarius; sed hoc intervenit in contractu census, ubi dantur centum, ut sibi singulis annis reddantur quinque, donec solvatur integrum capitale; ergo contractus census est usurarius, & continet mutuum palliatum*. Sed contra dico, censum multum differre a mutuo, quia in censu datur vera emptio, & venditio; emitur enim, & venditur jus percipiendi annuam pensionem, ex re alterius, quod quidem est pretio æstimabile, ac proinde vendibile justo pretio, quod non intervenit in mutuo, quod absque emptione jus gratis conceditur: certe, si emas agrum alterius cum pacto redimendi in illius favorem, potes, absque usura, percipere fructus ex agro sic empto, & integrum capitale, quando postea redimitur; ergo etiam poteris, absque usura, percipere fructus ex agro, salvo capitali, quando emis jus tales fructus percipiendi, quod contingit in contractu censuali, qui proinde remanet licitus, & immunis ab usura.

9. Ut contractus census sit licitus, ex natura rei, seu ex natura talis contractus, nonnullæ requiruntur conditiones. Prima est, ut adsit intentio emendi, & vendendi, quia contrahentes non possunt habere verum, & sincerum animum constituendi censum, nisi habeant intentionem emendi, & vendendi jus ad fructus percipiendos, in quo consistit natura census; si enim eorum intentio solum esset mutuare pecuniam, & ita exigere lucrum, veram committerent usuram: procedit de censu consignativo, qui emptione, & venditione acquiritur; nam census reservativus etiam donatione, & legato potest acquiri. Ita Bonacina *disp.* 3. *quæst.* 4. *num.* 5. Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 18. *num.* 898. & apud ipsum Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 3.

10. Secunda conditio est justum pretium, quod quidem ex natura rei requiritur in quocumque contractu emptionis, & venditionis; justum autem pretium censetur illud, quod vel lege, vel legitima consuetudine taxatum est, vel saltem quod est proborum, & prudentum virorum arbitrio approbatum, ut fusius explicabitur infra, cum de censu vitalitio.

11. Tertia, ut census constituatur super re fructifera, ut est ager, domus, & hujusmodi; cum enim census sit jus percipiendi fructus ex re aliena, hæc debet esse fructifera, & quæ saltem tot fructus annuos reddat, quot sufficiunt ad pensionem census solvendam; cum autem hæc sit conditio essentialis, sequitur, quod, pereunte fundo, seu re censui subjecta sine culpa censuarii ex parte, aut ex toto, pereat etiam census pro rata, juxta commensurationem ex toto, aut ex parte; nam, pereunte re, pereunt etiam fructus. Cencius *de censib. par.* 3. *c.* 1. *qu.* 1. *art.* 1. *n.* 16. Rebell. *lib.* 10. *quæst.* 6. *n.* 1. Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 18. *num.* 900. Malderus *tr.* 5. *cap.* 5. *dub.* 4. *n.* 3. Si res censui subjecta reddatur sterilis, in perpetuum cessat census; si vero ratione sterilitatis, aut infortunii non faciat fructus sufficientes ad servandam integram pensionem, minuenda erit per pensionis, nisi abundantia annorum præcedentium, & subsequentium talem sterilitatem compenset, ut habet Antonius a Spiritu Sancto *loc. cit.*

12. Quarta conditio est, ut qui censum imponit sit dominus absolutus fundi, super quod censum imponit, illiusque liberam habeat administrationem, cum nemo alteri dare possit, quod non habet, nec onus reale possit imponere, & constituere super re aliena, ut cum Baldo, & Cravetta tradit Rosignol. *prænot.* 17. ubi rem totam fuse explicat. Hinc sequitur: Pupillum sine Tutoris auctoritate non posse censum imponere super suis bonis, cum illorum non habeat liberam administrationem, Rosignol. *n.* 13. & constat ex dictis supra *cap.* 6. *dub.* 6. ubi vidimus qua ratione pupilli, & minores possint contrahere. Nec maritus potest censum imponere super fundo dotali sine uxoris consensu, si sit census perpetuus; si enim sit temporalis, durante matrimonio, poterit censum imponere, quia, durante matrimonio, fructus rei dotalis pertinent ad maritum, & sic poterit vendere jus suum ad illos percipiendos. ita Rodoan. *de reb. Eccles. non alienand. quæst.* 17. *num.* 20. Nec Clericus super fundo Beneficii, nec Regulares super possessionibus Conventus, non servatis debitis sollemnitatibus, nec Emphyteuta, Feudatarius, aut Fideicommissarius super fundi subjectis Emphyteusi, Feudo, aut Fideicommisso. Ita Rosignol. *cit. prænot.* 17. *a num.* 3. ubi rem totam explicat. Nec potest novus census constitui super fundo jam altera obligato, nisi sit capax secundi census, & fructus afferat pro solvendis pensionibus utriusque census, & accedat consensus illius, qui primo loco habebat jus exigendi censum; potest tamen census ab uno emptus alteri vendi, quia hic potest jus suum in alterum transferre. Ita Bonacina *quæst.* 4. *n.* 9.

„ *Recole plura alia, quæ maxima perspicuitate exposita hac de re loco cit. Synod. Diœces. invenies sub num.* 4. *hisce verbis:*

„ IV. Non solum de Montium Pietatis, sed etiam
„ de emptionis censualium redituum justitia plerique
„ dubitarunt: omnem siquidem censum esse larvatam
„ usuram, putarunt Henric. *quodlib.* 1. *q.* 39. *& quodlib.*
„ 8. *q.* 24. & Salicet. *in Auth. Ex lege, Cod. de usuris*,
„ quibus adhæsit Hottomannus *lib.* 2. *observat. cap.* 15.
„ quamvis hic non tam indagandæ, & stabiliendæ veritatis studio, quam Apostolica decreta, statim alle-
„ ganda, insectandi prurito, ductus videatur. Sed distin-
„ guendum est inter censum realem, & personalem.
„ Censum realem, qui jus est percipiendi annuam pen-
„ sionem ex prædio, aliove fundo fructifero, absque ul-
„ la usuræ labe constitui, vendi, & emi posse, decla-
„ rarunt Martinus V. *in Extravag.* 1. *de empt. & vendit.*
„ *inter commun.* Calistus III. *in Extravag.* 2. *eod. tit.* &
„ S. Pius V. in sua Constitutione incipiente: *Cum onus*,
„ edita 14. Kalendas Februarii 1568. modo ea serventur
„ conditiones in præfatis Constitutionibus præscriptæ,
„ quas singulatim enumerat, & explicat Navarrus *in*
„ *comment. de usuris, num.* 45. *& seq.* Sicuti enim po-
„ test quis emere rei alicujus usumfructum, remanente
„ dominio recto penes venditorem, ita potest emere jus
„ percipiendi partem fructuum ex alieno fundo, eorum-
„ que loco potest venditor se obligare ad solvendam
„ emptori singulis annis certam pecuniæ summam, illo-
„ rum fructuum æstimationi respondentem. Hoc autem,
„ & non aliud fieri per contractum census realis, in quo
„ omnia impleantur, quæ fieri voluit S. Pius V. illum
„ perpendenti evidenter apparet. Controversia tamen
„ adhuc hodie remanet, an licitus, vel potius fœnera-
„ titius sit census personalis. Constituitur hic census,
„ non super re aliqua fructifera, sed super persona ven-
„ ditoris, qui obligationem sibi, vel suis etiam here-
„ dibus imponit certam pensionem solvendi emptori ex
„ industria, arte, & labore suo; qui quidem census
„ non transit in realem, quamvis pro ejus securitate
„ quandoque detur hypotheca, non perit census, si-
„ cuti contingit, cum perit fundus, in quo est consti-
„ tutus census realis, sed adhuc remanet obligata per-
„ sona. Jam vero ejusmodi censum, solo spectato jure
„ naturæ, ab usuræ reatu absolvunt Sotus *lib.* 6. *de just.*
„ *qu.* 5. *art.* 1. *conclus.* 4. Covarruvias *lib.* 3. *variar. cap.* 7.
„ *num.* 5. *vers. Ego sane*. Azorius *Instit. part.* 3. *lib.* 10.
„ *cap.* 5. *qu.* 1. Lessius *lib. de just. cap.* 22. *n.* 18. Reiffen-
„ stuel *ad tit. de usur. num.* 157. Continuator Prælectio-
„ num Honorati Tournely *part.* 2. *de contract. cap.* 6.
„ aliique non pauci. Illum ex adverso merum esse mu-
„ tuum censûs veste obtectum ad occultandam usuram,
„ contendunt Navarrus *cit. comment. de usur. num.* 81.
„ Molina *de just. tract.* 2. *disp.* 387. *num.* 7. Gutierrez *lib.*
„ 2. *practicar. quæst.* 177. *num.* 7. Cardinalis de Lugo *de*
„ *just. & jur. disput.* 27. *sect.* 2. *num.* 25. Fachin. *lib.* 2.
„ *controv. cap.* 44. aliique magni nominis Doctores:
„ quoniam (inquiunt) ejusmodi censu personali non
„ emitur jus ad percipiendam annuam pensionem, sicu-
„ ti in reali, sed venditur ipsa pensio: quemadmodum
„ enim is, qui, accepto pretio, se obligat ad dandum
„ equum, re ipsa vendit equum, & non merum jus ad
„ equum: ita qui, accepta certa pecuniæ summa, se,
„ suamque personam obligat ad solvendam quotannis

„ cer-

certam pensionem, dicitur vendere ipsam pensionem. Quamobrem censum personalem ementi, aurum ex auro per se, & immediate nasceretur, in quo tota consistit usurarii contractus nequitia; sicuti dicitur *in Can. Sicut, 8. vers. Interdum, dist. 47.* Magis autem prædictis Auctoribus usuræ labe fœdatus videtur census personalis utrinque redimibilis, qui, ablato verborum cortice, aliud esse non deprehenditur, quam purum putum mutuum. Et profecto, si, teste Fagnano *in Cap. in Civitate, nu. 16. de censuris*, fere omnes Canonistæ melioris notæ periculosam fatentur emptionem census realis ad certum tempus; & idcirco Innocentius omnibus Fidelibus consulendum ait, ut ab hujusmodi contractu abstineant; addit que præterea Conradus, hortandos esse Magistratus, ut illum prohibeant: eo magis deterrendi sunt Fideles a contrahendis censibus personalibus utrinque redimibilibus, qui certe majorem præseferunt usuræ speciem, quam census reales ad certum tempus.

V. Sed superfluum est, censum personalem novis argumentis insectari, quem jam proscripsit S. Pius V. in laudata Constitutione *Cum onus*, ubi ad census honestatem, inter ceteras conditiones, hanc quoque requirit, ut census constituatur in re fructifera, non qualicumque, sed immobili, certa, ac nominatim designatur. Quapropter etiam Auctores, qui censum personalem, ejus natura inspecta, ab usuræ suspicione vindicant, ingenue tamen fatentur, eum licite fieri non posse, ubi præfata Pii V. Constitutio est recepta; quod tamen in Gallis, Belgio, & Germania non contigisse, affirmant Lessius *cit. cap. 22. nu. 22.* Haunoldus *de just. tract. 10. num. 316.* Pirhing. *ad tit. de usur. num. 83.* Vviestner *ibid. num. 81.* Verum, quamquam nos sciamus, eumdem Summum Pontificem, supplicante Catholico Rege Philippo II. indulsisse Hispanis, ne ad suæ Constitutionis, quoad eas conditiones, quæ juris naturalis, aut divini non sunt, exactam observationem adstringerentur, sicuti narrant Gutierrez *cit. quæst. 177. in fin.* & Felicianus de Solis *lib. 1. de censib. cap. 7. numer. 2.* Nec dubitemus, ab eadem obligatione potuisse, contrario usu, seu legitime præscripta consuetudine, ceteras eximi nationes; vehementer tamen suspicamur, in censu mere personali, præsertim utrinque redimibili, eas desiderare conditiones, quas non solum Pontificia Constitutio, verum etiam ipsum jus naturale, & divinum exposcunt, ne sit larvatus contractus mutui, & propterea coram Deo usurarius.

VI. Sed, quoniam nulla hactenus hac de re ab Apostolica Sede prolata est sententia, non decet, ut Episcopus in sua Synodo censum personalem declarat ex natura sua usurarium: sed, si præsit Diœcesi, ubi prædicta viget S. Pii V. Constitutio, urgebit ejusdem observationem, curabitque pro viribus, ne personales census in eam clanculum inducantur: Si vero Diœcesim gubernet, in qua Piana Constitutio non est moribus recepta, serio Fideles monebit, atque hortabitur, ut a censibus personalibus abstineant, eo quod, etiam sola spectata eorumdem indole, usuræ periculo, & suspicione non vacent.

DUBIUM III.

De conditionibus requisitis Jure Pontificio.

13. AD evitandas fraudes, & usuras, quæ facile palliari possunt sub nomine census, Summi Pontifices nonnullas conditiones statuerunt observandas in creatione censuum, præsertim Martinus V. & Calixtus III. quorum Constitutiones per extensum affert Rosignol. *contr. 4. prænot. 20.* in quibus octo conditiones statuuntur, quas ampliavit, & clarius expressit Sanctus Pontifex Pius V. in Bulla edita Anno 1569. quæ incipit: *Cum onus Apostolicæ servitutis*, ubi statuit sexdecim conditiones servandas. Hanc Constitutionem non obligare, nec necessario observandam esse in locis, in quibus non est recepta, plures asserunt, sed immerito, cum sit lex universalis pro omnibus constituta, ut constat ex verbis expressis in Bulla: *Volumus autem, quod præfeat in Cancellaria, & in acie Campi Floræ publicetur, & inter Constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribatur.* Ratio etiam est, quia Summus Pontifex potestatem habet suis legibus obligandi omnes Christifideles in his, quæ spectant ad salutem animarum; sed hæc lex respicit spiritualem Fidelium salutem, cum tendat ad præcavendas usuras, ut constat ex fine ejusdem Bullæ, qui fuit *animarum saluti consulere, piarum mentium petitionibus satisfacere, gravi morbo, lethiferoque veneno salutari antidoto mederi.* Nec obstat, si dicas, *non esse ab omnibus fidelibus receptam, & observatam, quia ejus obligatio non pendet a Fidelium receptione, sed ex potestate Pontificis volentis omnes fideles obligare, ut constat ex verbis ejusdem Bullæ supra relatis.* De illius non usu, vel contrario usu in materia censuum neminem dicere, aut allegare posse, respondit Sacra Congregatio apud Nicolium *lib. 3. lucub. Crest. tit. 24. num. 29.* quia, tamquam declaratoria Juris naturalis, & Divini, est ubique servanda. Rosignol. *prænot. 19. a n. 5.* quare cum Bulla S. Pii V. & conditiones in ea contentæ sint ubique observandæ pro validitate censuum, convenit eas in particulari explicare; proinde sit

§. I.

Explicatur prima conditio in Bulla requisita.

14. PRima conditio necessaria pro valida creatione censuum, ita in Bulla exprimitur: *Hac nostra Constitutione statuimus, censum, seu annuum reditum creari, constituive nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur; de sui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit.* Per hanc clausulam excluditur, & prohibetur census personalis, id est fundatus super persona, quia persona non est res immobilis, nec pro immobili habetur: *An vero talis census personalis sit prohibitus jure naturali; an solum jure positivo per hanc Constitutionem S. Pii V. adeo ut præscindendo ab illa sit illicitus*, variant Doctores. Plures affirmant, jure naturali talem censum esse licitum, & prohibitum solum jure positivo. Ratio est, quia ibi non intervenit mutuum, & usura, sed vera emptio, & venditio; venditur siquidem, & emitur jus exigendi quotannis determinatam pensionem ex lucris, & emolumentis provenientibus ex labore, artificio, & industria alicujus personæ; sicut in censu reali venditur, & emitur jus exigendi pensionem ex fundo reali fructifero, quod quidem jus licite vendi, & emi potest, si præscindas a Constit. S. Pii V. sicut enim absque venditione potest quis se obligare ad annuam pensionem solvendam, & potest etiam ad id obligare ex Lege, & Statuto Principis, ut quando imponuntur tributa, & decimæ personales, cap. *Apostolicæ*, cap. *Pastoralis de decimis*: ita potest ad id se obligare per venditionem; & ita tenent Conrad. Joan. Medin. Lessius, Layman, Salas, & alii, quos affert, & sequitur Palaus *disp. 6. punct. 11. n. 2.* Antonius a Spiritu Sancto *disp. 18. nu. 893.* & alios referens Malderus *cap. 5. dub. 8.*

15. Hæc Sententia, quamvis possit esse speculative probabilis, in praxi tamen est valde periculosa, cum facilis sit transitus in purum mutuum palliatum sub nomine census; quisquis enim mutuator, lucrum quærens, dicere poterit, se emere a mutuatario jus accipiendi quotannis sex, donec centum mutuo data reddantur. Deinde, quia in censu reali, ubi intervenit vera emptio, & venditio, periculum stat apud emptorem, &, pereunte fundo, aut si reddatur perpetuo sterile, & infœcundum, census cessat, nec amplius solvuntur pensiones. At in censu personali perpetuo, periculum stat apud venditorem, qui si moriatur, aut ratione infirmitatis, senectutis, vel simili alia ratione non possit amplius suis laboribus aliquid acquirere, non proinde cessat census, sed adhuc solvuntur pensiones, donec capitale restituatur; ergo non est verus census realis, sed purum mutuum palliatum sub nomine census personalis, ut proinde merito S. Pontifex Pius V. illum damnaverit, vel tamquam usurarium, vel saltem propter usurarum præsumptionem, quæ etiam secundum legem naturæ monentem, ab omni specie mali esse abstinendum, cavenda est. Hunc censum personalem tamquam usurarium, & jure naturæ prohibitum damnant Navarr. *Comment. de Usuris nu. 81.* Molina *disp. 2. de just. disp. 387.* Covarr. *3. variar. cap. 7. num. 5.* Cencius, Innocent. Conrad. Rebellus, quos affert, & sequitur Rosignol. *contr. 4. prænot. 13.* ubi fuse probat, esse contractum usurarium, & contraria solvit.

16. Excluduntur omnia bona mobilia, quantumvis pretiosa, super quibus nequit constitui census; potest tamen constitui in juribus, & redditibus perpetuis æqualibus, vel majoribus, quam sit census, qui denuo constituitur, puta in jure Gabellarum, aliisque perpetuis sitis in aliqua Civitate, Oppido, Sylva, Piscatione, Macello, & similibus, quæ inter immobilia ex communi omnium sententia computantur, dummodo sint perpetua; nam, si sint redimibilia, non censentur immobilia, sed potius computantur inter semoventia, cum facile moveri, & abrogari possint; unde super illis nequit constitui census perpetuus, nisi addita obligatione præstita per venditorem, quod in casu francationis, & redemptionis, tenestur rem fructiferam æquivalentem emere, quæ remaneat pro fundamento census hypothecata. Ita Navarr. Joan. Medina, Valentia, Rebellus, Molina, Salas, quos affert, & sequitur Palaus *disp. 6. punct. 16.* sequitur Rosignol. *prænot. 21. sect. 1. n. 7.*

17. *An vero possit unus census super alio constitui*, negat Rosignol. *loc. cit. num. 2.* quia secundus census non

habet

habet proprietatem, super qua fundetur; non enim fundari potest super fundo, super quo fuit constitutus primus census; nam venditor secundi, cum non sit dominus illius fundi, non potest illum titulo hypothecæ subjicere secundo censui, quod non valet de aliis redditibus perpetuis, quæ super aliquo fundo constituuntur. Sed alii Doctores communiter ajunt, unum censum posse constitui super alio æquali, vel majori, quia nimirum primus census cum inter immobilia computetur sufficit pro fundamento alterius census, addita solita clausula, quod in casu francationis, & redemptionis teneatur venditor, vel alium censum constituere, vel rem fructiferam emere, sine qua clausula census redimibilis non computatur inter immobilia, cum facile cessare possit. Nec dicas, *etiam domus, aut sylva potest igne consumi, aut alio casu perire, & tamen in illis potest constitui census absque obligatione venditoris substituendi aliam rem fructiferam, casu quo domus pereat; ergo nec debet apponi talis obligatio venditori secundi census*. Contra enim est, quia primus census potest perire per se, donatione, aut francatione; domus autem non potest perire, nisi casu fortuito, de quo non est habenda ratio, proinde in illo, non in isto ponenda est obligatio, ut cum Sal. tenet Pal.

18. Res censui subjecta, non solum debet esse immobilis, vel habita pro immobili, sed etiam debet esse *ex natura sua fructifera*, quæ saltem tot fructus reddat, quot, detractis expensis, sufficiunt ad pensionem census solvendam, ut supra dixi *num.* 11. & constat ex dispositione Pontificis; & inde super fundo sterili, & infructifero non potest census constitui. Dixi, *detractis expensis necessariis pro laboribus, aliisque requisitis ad eosdem fructus colligendos*; nam fructus censentur ii, qui supersunt, detractis expensis. Bonac. *qu.* 4. *punct. unic. numer.* 19. Rebellus *qu.* 6. *numer.* 4. & late Rosignol. *prænot.* 21. *sect.* 2. *num.* 10. Fructus debent esse sufficientes ad pensionem solvendam, sive sint fructus naturales, ut vinum, oleum, frumentum, sive civiles, cujusmodi sunt pensiones domorum, molendinorum, &c. de quibus jura non distinguunt. Molina *disp.* 389. Salas *dub.* 7. *num.* 8. & *dub.* 34. *n.* 1. quos affert, & sequitur Bonacina *loc. cit.*

19. Pro taxanda quantitate census imponendi, non debet considerari quantitas pretii, quo fundus fuit emptus, aut æstimatur, sed quantitas fructuum, quos singulis annis affert, vel afferre solet. Fieri enim potest, ut fundus emptus, vel æstimatus mille aureis vix afferat pro fructu viginti aureos, ut patet in domibus, & redditibus oppidorum, qui sæpe non ascendunt ad duo, vel tria pro centum, in quo casu super illo fundo collocari non poterit, nisi census viginti, vel triginta aureorum, quia majores fructus non affert, ut cum Azor. & Covarr. notat Filliuc. *tr.* 35. *par.* 2. *cap.* 3. & tenet Bonac. *num.* 20. *circa finem.*

20. Res censibus subjecta non solum debet esse immobilis, & fructifera, sed etiam *certis finibus designata*; unde non potest census generaliter constitui super omnibus bonis præsentibus, & futuris, sed debet designari res certa, ut domus, vinea, ager. Voluit enim Pontifex excludere censum, & obligationem personalem, quæ facile potest adesse; nam, pereuntibus omnibus bonis præsentibus, adhuc remaneret obligata persona pro bonis futuris, & acquirendis, ac proinde census esset personalis, cum hypotheca super omnia bona. Sic Lessius *cap.* 22. *dub.* 12. & Molina *disp.* 389. qui addit, neque posse constitui censum super aliqua re designata, & super ceteris rebus etiam futuris, quoniam tunc census non periret, pereunte illa re determinata, & sic non esset realis, sed personalis, ac proinde illicitus: ita etiam Navar. *comment. de usuris nu.* 129. & 130. docens *n.* 85. hic excludi omnes census personales, & etiam mixtos, sive hypothecam habeant, sive non, quia obligatur implicite persona: ita etiam Rosignol. *prænot.* 21. *sect.* 3. *n.* 20.

22. Non tamen repugnat validitati census, si constituatur super re aliqua determinata, & designata, qua pereunte, pereat census, & addatur generalis obligatio super omnia bona, non quidem pro fundamento census, sed pro majori securitate solvendi pensiones, quousque durat fundus, super quo census est constitutus. Non enim hoc repugnat ex natura contractus, cum videamus in aliis contractibus apponi obligationem, & assecurationem super omnia bona, nec ex vi Constitutionis S. Pii V. qui solum expresse prohibet, ne census constituatur super re incerta, certisque finibus non designata, non autem prohibet additionem contractus assecurationis pensionum solvendarum. Ita Rosignol. *loc. cit.* & Palaus *pun.* 15. *num.* 5.

21. Nec item refert, an census constituatur in una tantum, vel pluribus rebus, modo unaquæque sit immobilis, fructifera, & suis finibus designata, quia Pontifex solum voluit excludere censum personalem, & res incertas, non autem plures certas, & determinatas; & ita fuisse decisum in Rota Romana *in una Rom. census coram Sacrato* 14. *Januarii* 1602. refert Rosignol. *n.* 23. ita etiam cum Molina, & Navarro tenet Salas *dub.* 7. *n.* 10. Nec statim inferas, *hac ratione censum constitui posse super omnia bona venditoris; si enim potest constitui super tres res immobiles, constitui etiam poterit super quatuor, sex, & super omnibus, quod videtur contra mentem Pontificis*. Sed contra dico, censum non posse constitui generaliter super omnia bona indeterminata, & suis finibus non designata; bene tamen, si nominatim exprimantur, & suis finibus determinentur, ut expresse tenet Rosignol. *supra n.* 24.

23. Hic nota cum Joanne Clericato in decis. Miscell. *decis.* 73. *n.* 8. in constituendis censibus non esse necessariam individualem specificationem fundi, & demonstrationem confinium fundi, super quo census imponitur, in puncto tenuit Rota *p.* 4. *recent. decis.* 536. *n.* 3. ubi præter alios Doctores canonizavit doctrinam Menochii *in consil.* 287. *n.* 8. & *seq.* advertentis, quod demonstratio expressa fundi tribus modis fieri potest. Uno in genere, dicendo: constituo censum in omnibus fundis meis. Altero in specie, dicendo: constituo censum super fundis meis in villa N. existentibus, ac in tali contrata. Tertio individualiter eos exprimendo, ac demonstrando, puta super tot fundis existentibus in tali loco, nominando eorum confines. Ex his tribus modis, secundus, ac tertius satis est ad censum constituendum rite, ac recte, etiam in rigore Constitutionis S. Pii V. ac pluries determinavit Rota, ac præcipue *decis.* 93. *n.* 6. & *decis.* 99. *n.* 1. inter impressas apud Cencium post ejus Tractatum de censibus, & advertit Belcraminus in addit. ad Gregor. XV. *decis.* 355. ita scribens: *& quod valeat census impositus super quibusdam tornaturis unius prædii multo majoris quantitatis, etiamsi non fuerit expressum, a quo latere dicti prædii sint dictæ tornaturæ; dummodo ex signis, & demonstrationibus constare possit, super quibus tornaturis dicti prædii fuerit facta impositio, teste Rota dict. decis.* 93. *&c.* Ita Joannes Clericatus advertens, quod *tornatura* est vox Bononiensis, significans certam mensuram terræ.

§. II.

De secunda conditione Bullæ.

24. Secunda conditio est, ut non valeat census, *nisi vere fiat in pecunia numerata, præsentibus Testibus, ac Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius recepto, justoque pretio*. Per hanc particulam requiritur, quod integrum pretium solvatur, numerata pecunia coram Testibus, & Notario in ipsa celebratione contractus; unde non sufficit, si pretium, aut pars pretii solvatur ante constitutionem instrumenti, ut tradit Molina *disp.* 390. *n.* 2. & 3. Salas *dub.* 8. *num.* 10. Bonac. *q.* 4. *n.* 21. Nec satis est, si compensentur debita in pretium, vel si censuarius fateatur sibi pretium esse solutum. Nec item sufficit, si loco pecuniæ tradatur res aliqua æquivalens, ut torques aurea, gemma, vel quod simile: nam licet a Juristis sæpe doceatur, nomine pecuniæ venire rem quamlibet, quæ potest esse pretium, ut probat Avendar. *de censib. c.* 37. *n.* 13. per *l. pecuniæ ff. de verb. signific.* & *l. penult. C. de constit. pecun.* & alii apud Gabriel. a S. Vincent. *de just. disp.* 19. *quæst.* 2. §. 6. *num.* 50. tamen in materia censuum, nomine *pecuniæ* post Bullam S. Pii V. venit pecunia proprie talis, ut tenent Doctores communiter.

25. Nec sufficit, quod in actu celebrationis contractus, & instrumenti solvatur censuario pecunia, & integrum pretium, si statim ex pacto inter ipsos inito Censuarius illud totum, vel partem restituat Censualistæ, compensandum per quid aliud, nam id fit in fraudem legis, nec censetur pretium solutum, quod statim redditur, & recuperatur, *l. qui sic solvit ff. de solutionib.* sic Bonacina *n.* 21. & cum Dicastillo tenet Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 18. *n.* 908. Idem dicendum, si emptor census non habens pecuniam, mutuo eam accipit a censuario, ut eam ipsi tradat in celebratione contractus; nam hoc videtur fieri in fraudem, ad simulandum contractum, estque mutuum simulatum; secus si antecedenter præcessit verum, & non simulatum mutuum, nam tunc contractus est validus, ut *ibid.* tenent Bonacina, Ant. a Spiritu S.

26. Quod si Titius, qui debet centum Cajo eidem vendat censum valentem centum cum numeratione, & solutione pecuniæ in ipsa celebratione contractus, sed cum onere, & obligatione, ut eamdem pecuniam statim restituat Cajo in extinctionem debiti contractus, videtur contra formam Bullæ, ac proinde non subsistens, ut cum Virginio, Azorio, & Lugo tenet Rosign. *prænot.* 21. *sect.* 4. *n.* 37. & Bonacina *n.* 21. quia est in fraudem legis

requi-

requirentis pretii traditionem; non videtur autem vera traditio, & solutio quando adest obligatio eam statim restituendi, per *leg. Qui sic solvit ff. de solut.* Si tamen venditio sincere fiat sine fraude, contractus non erit illicitus; nam de facto Titius, sicut potest vendere censum uni tertio pro solvendo debito, quod habet cum Cajo, quamvis eidem statim solvat acceptam pecuniam in extinctionem debiti, ita poterit, seclusa fraude, eumdem censum vendere Cajo, pro extinguendo debito, quod habet cum ipso, prout tenent Navarr. *de Usuris n.* 88. *& n.* 121. Molina *disp.* 390. & cum Dicastillo Antonius a Spiritu Sancto *n.* 909.

27. Dubium est: *an lex Pontificis requirentis pecuniam præsentem, & numeratam in constitutione census, obliget non solum in foro externo, de quo non est dubium, sed etiam in foro conscientiæ, adeo ut non possit constitui census, nisi in pecunia numerata, non vero in mercibus, aut debitis antecedenter contractis.* Rosignol. *sect.* 4. *n.* 38. citans Lugum *disp.* 27. *sect.* 5. *n.* 80. *&* 82. Rodericum 1. *de redit. q.* 12. *num.* 3. & Sarmiento *select. cap.* 1. *nu.* 39. dicit, dispositionem Pontificis obligare in foro externo, non autem in foro conscientiæ, in quo, cessante fraude, dolo, & injustitia pretii, sustinetur census constitutus sine pecunia numerata, sed in alia re tradita ad æqualitatem loco pecuniæ, vel in pecunia credita, vel partim credita, partim soluta. Ratio est, quia hæc lex fuit lata ad vitandas fraudes, quæ in constitutione censuum intercedere solent, affirmantibus quandoque censuariis, pecunias recepisse, & ratione illarum se obligare ad census solutionem, cum revera non receperint, vel non in tanta quantitate; & sic, cessante omnino fraude, & injustitia, cessabit obligatio legis, non quidem pro foro externo, pro quo urget præsumptio fraudis, sed pro foro conscientiæ, ubi cessat præsumptio, quod late prosequitur *ibid.* Rosignol.

28. Verum, stante Constitutione S. Pii V. dicendum est, & in praxi tenendum, non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ necessariam esse pecuniam numeratam coram testibus, & Notario ad licitam, & invalidam constitutionem census. Ratio est, quia Pontifex expresse requirit pecuniam numeratam coram testibus, & Notario tempore contractus non solum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ, cum expresse velit, contractum aliter celebratum esse nullum in utroque foro, ut constat ex illis verbis: *Hac igitur nostra constitutione statuimus, censum, seu annuum redditum creari, constituive nullo modo posse,* &c. quæ negatio *nullo modo* omnem census creationem, tam in foro interno, quam externo aliter factam penitus excludit, etiamsi nulla intercesserit fraus, aut injustitia; quæ lex, cum de se sit sancta, & justa ad salutem animarum conducens, ad evitandas scilicet plures fraudes, & usuras, quæ in constitutione censuum solent palliari, obligat in conscientia sub peccato mortali, etiamsi non deficiat aliqua conditio juris naturalis.

29. Dices: *Lex fundata in præsumptione fraudis non obligat in conscientia, quando præsumptio veritati non conformatur, quando scilicet nulla intercedit fraus, aut injustitia; sed lex Pontificis prohibens censum aliter celebrari, quam in pecunia numerata coram testibus, & Notario in actu celebrationis instrumenti, fundatur in præsumptione fraudis, & injustitiæ; ergo non obligat in conscientia, si deficiat fraus, & injustitia, ac proinde valebit census aliter constitutus ex pecunia alio titulo debita censuario, vel tradendo pretium in mercibus, si nulla intercedat fraus, & injustitia.* Sed contra dico legem non fundari in præsumptione fraudis facti alicujus in particulari, sed in periculo morali fraudum, usurarum, & deceptionum, quæ ut plurimum intervenire solent, pro quibus vitandis Pontifex condidit legem aliam universalem annullantem absolute, ipso facto contractum aliter factum, ut diximus *in tract. de legibus cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 65. & ita tenent Molina *disp.* 890. Antonius Gomez *de consib. condit.* 4. *n.* 12. Palaus *punct.* 16. *n.* 8. Filliuc. *tract.* 35. *part.* 2. *cap.* 3. *n.* 315. & alios referens Salas *de censib. dub.* 6. *n.* 5. *& dub.* 8. *n.* 11.

30. Sine pecunia numerata sustinetur census creatus ex credito dotali, in hoc enim sollemnitatem numerationis remittit ipse S. Pontifex Pius V. in Bulla declaratoria constitutionis circa censum, ubi dicitur: *Postremo in dotium assignandarum casu, censuum creationem, & constitutionem prædictam respectu actualis numerationis coram Notario, & testibus faciendæ, locum non habere.* Cenc. *de cens. q.* 48. *n.* 13. Urceol. *de transact. qu.* 41. *nu.* 6. & Rota coram Peutinger *decis.* 247. *n.* 6.

31. Sustinetur etiam census sine actuali numeratione pecuniæ, quando in celebratione contractus coram Notario, & testibus traditur schedula bancharia, in qua mensa bancaria se facit debitricem; nam æquivalet actuali numerationi, prout habetur in dicta Constitut. declaratoria *§. denique*; non tamen sufficit traditio ordinis, seu mandati ad exigendum ab aliqua mensa bancharia, quia vel potest non adesse pecunia mandantis, vel potest ab eo præventive exigi, sicque istud mandatum ad exigendum non æquivalet numerationi, prout sæpe declaravit Rota *coram Priol. decis.* 9. *num.* 10. & in Neapolitana *Census* 20. *Aprilis* 1693. *Coram Hervavult apud Card. de Luca de Usur. Camb. & Cens. dec.* 21. *num.* 8. *& dec.* 22. *num.* 1. Duard. *de cens. §.* 1. *quæst.* 2. *num.* 233. & alios referens Rosignol. *supra num.* 44. ubi alias Rotæ decisiones affert.

32. *An vero sustineatur sine pecunia numerata census constitutus ex Decreto Judicis in bona debitoris, correspondens ipsius debito in favorem creditoris?* Affirmat Rosignol. *sect.* 4. *num.* 32. & apud ipsum Navarr. Molina, Salas, & Lugus, quia Pontifex solum loquitur in Bulla de censibus emptione, & venditione, mutuoque partium consensu constitutis, non vero de censibus, qui constitui possunt ex Decreto Judicis obligantis creditori bona debitoris quoad usumfructum, quamdiu ei debitum non solvatur, quod est constituere censum in bonis venditoris; cum census nihil aliud sit, quam jus acquisitum in aliquo bono immobili fructifero, & certis finibus designato ad fructus ejusdem, seu ad pensiones correspondentes eisdem fructibus. Sed contra dico, hanc obligationem in bona debitoris factam ex Decreto Judicis sustineri in compensationem lucri cessantis, vel damni emergentis, si ex mora debitoris damnum aliquod emergat creditori, vel lucrum cesset, quod certe prius probari debet, non vero in ratione census, qui ex Decreto Pontificis constitui non potest, nisi numerata pecunia coram Notario, & Testibus. Ita Palaus *pun.* 16. *n.* 8.

§. III.

De tertia, & quarta conditione Bullæ.

33. TErtia conditio in Bulla requisita ad validitatem contractus sic se habet: *Solutiones, quas vulgo anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus*; per quam particulam Pontifex prohibet, ne venditor census cogatur solvere pensiones anticipatas, sed solum pro rata temporis elapsi, quod quidem est conforme Juri naturali dictanti, non esse solvendum id, quod nondum debetur; pensiones autem ante decursum tempus non debentur: quare, qui censum emit, non potest tempore contractus, dum numerat pecuniam, & pretium census, ex eo detrahere pensionem primi anni per modum anticipatæ solutionis, quæ, ut dixi, solum est solvenda in fine anni, nec, elapsa aliqua parte temporis, potest amplius exigere, quam pensionem illi tempori correspondentem, seu ad ratam temporis decursi; secus venditor indebite gravaretur, dum cogitur solvere integram pensionem pro pretio non integre recepto, & pensionem correspondentem illi parti pretii, quod non recepit, quod esse injustum, & contra naturam contractus ostendit Rosign. *sect.* 5. *num.* 50. Pro tempore solvendæ pensionis standum est conventioni, vel consuetudini loci; alicubi enim usu receptum est, ut pars census solvatur in fine semestris, & altera pars in fine anni, & alibi tota solvitur in fine anni: quare standum est conventioni, aut consuetudini, ut notat Bonacina *n.* 25. & Rosignol. distinguendo de pensionibus fructuariis, & pecuniariis *n.* 51.

34. Quamvis Pontifex asserat, non esse solvendas pensiones anticipatas, hoc tamen est in favorem venditoris, qui non potest ad id cogi, nec id potest in pactum deduci; si tamen venditor census sponte velit pensiones anticipate solvere, potest hoc facere, si velit, dummodo anticipata solutio non deducatur in pactum, ut docet Bonacina *nu.* 25. Salas *dub.* 9. Palaus *pun.* 16. *n.* 9. Rosignol. *n.* 52. quamvis alii velint, hoc non esse admittendum, cum utrumque prohibeat Pontifex dicens; *solutiones, quas vulgo anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus*, quod quidem videtur textui magis conforme; certe pensiones anticipatæ, si forte solutæ sint ex præcedenti pacto, restituendæ sunt, cum sint indebite solutæ, & acceptæ, ut cum aliis tradit Bonacina.

35. Quarta conditio Bullæ sic se habet: *Conventiones directe, aut indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.* At quia casus fortuitus, ut bene notat Rosign. *sect.* 6. *n.* 55. potest esse, vel circa fructus annuos, qui ex aeris inclementia, irruente bello, vel subita tempestate possunt omnino perire, aut minorari; vel potest esse quoad fundum censui subjectum, qui ex alluvione fluminis prope decurrentis potest absumi; & si res censita sit domus, aut molendinum, potest incendio comburi, aut alio inopinato accidente destrui; censent nonnulli, per hanc conditionem Pontificem prohibere dumtaxat pacta, & conventiones obligantem venditorem

ad

ad solutionem pensionis, quamvis fortuito res censita pereat, non vero prohibere pacta, & conventiones obligantes venditorem ad solvendam pensionem, quamvis casu fortuito pereant fructus; & ratio est, quia Pontifex solum prohibet pacta, ad quæ alias venditor ex natura contractus non tenetur; sed venditor solum circa rem censitam non tenetur de casu fortuito; ergo solum prohibet pacta versantia circa rem censitam, non vero circa fructus, qui si hoc anno casu fortuito pereant, adhuc pensio solvi debet, si collectio fructuum in futurum speretur. Ita Scaccis *de Commer. & Camb. §. 1. q. 1. n. 176. ver. & hoc procedit.* Cenc. *de cens. cap. 1. part. 2. q. 3. art. 3. a n. 3.* Idem tenet Bonacina *q. 4. n. 27.*

36. Alii volunt, prohiberi pacta obligantia ad solvendam pensionem, quando fructus ob casum fortuitum non colliguntur, quia in contractu census venduntur soli fructus, quorum periculum debet esse penes emptorem, qui proinde non potest obligare venditorem ad solvendos illos fructus, si casu fortuito pereant, cum unaquæque res domino suo perire debeat. Verum probabilius est, prohiberi quæcumque pacta, tam circa rem censitam, quam circa fructus ejusdem rei, quia in censu nec venditur res censita, nec fructus, sed jus percipiendi fructus ex tali fundo, ac proinde non potest obligari venditor ad solvendam pensionem, si res censita, sive fructus casu fortuito pereant, ut notat Lessius *cap. 22. n. 82.* & Molina *disp. 390. claus. 4.*

37. Inde nullum, & irritum est pactum, quo emptor census obligat venditorem ad solvendos fructus, & pensionem, etiamsi casu fortuito res censita pereat, vel omnino sterilis, & infructifera reddatur, quia esset ipsi imponere onus indebitum, ad quod non tenetur ex natura contractus; quare si res censita pereat in totum, vel in partem, debet proportionaliter, & ad ratam perire census. Similiter si ex toto, vel ex parte reddatur omnino infructifera, & sterilis, cessat ad ratam obligatio solvendi pensionem; secus si uno, vel altero, vel aliquibus annis fructus non ferat, nam tunc non cessat obligatio solvendi pensionem, quæ ex abundantia præcedentium & subsequentium annorum compensatur, ut diximus *dub. præced.*

38. Non est tamen prohibitum per hanc clausulam emptori census, ut experientia ipsa docet, petere fidejussorem, & assecurationem census empti, tum ad securitatem venditionis, tum solutionis, quia hoc non est onus indebitum, nec repugnans naturæ contractus; nam emptor jus habet ad sic consulendum suæ indemnitati in casu evictionis, vel si res censita fuisset anteriori censui subjecta, ut cum Navar. Azor. & aliis tenet Rosignol. *supra num. 59.* non tamen sequitur, quod venditor obligari possit per pactum assecurationis, hypothecam, aut fidejussores, ad solvendum censum, quamvis casu fortuito res censita pereat; tenetur quidem venditor census ad præstandam cautionem de illius evictione, non tamen de solvendis fructibus, si casu fortuito sine culpa venditoris pereat. Rosignol. *ibid. numer. 57.* qui *num. 58.* admittit, emptorem posse exigere fidejussores, & pignora ad securitatem pensionis suo tempore solvendæ, si venditor census reddatur impotens, vel morosus ad solvendum, quia hoc non repugnat naturæ contractus, & per hæc media potest emptor suæ indemnitati consulere.

§. IV.

Explicantur sex conditiones sequentes.

39. QUinto prohibet S. Pontifex *pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam, quia volumus,* inquit Pontifex, *rem ipsam semper, & libere, & sine solutione laudemii, seu quinquagesimæ, alteriusve quantitatis, vel rei, tam inter vivos, quam in ultima voluntate alienari.* Ratio est, quia talis obligatio est pretio æstimabilis, & indebita, ad quam venditor nullo modo tenetur; cum enim sit dominus rei censitæ, potest illam cuicumque etiam potentiori vendere, donare, aut permutare absque obligatione laudemii, alteriusve pensionis solvendæ; quod quidem laudemium requiritur in alienatione rei emphyteuticæ, non autem rei censui subjectæ, quæ cum sit sub dominio censuarii, tam quoad dominium utile, quam directum, libere potest eam alienare, dummodo transeat ad tertium possessorem cum eadem obligatione solvendæ pensionis, in quo conveniunt Doctores communiter. Salas *nu. 11.* Palaus *num. 14.* Rosignol. *num. 63.*

40. Sexto ait Pontifex: *Ubi autem res vendenda sit, volumus, dominum census aliis omnibus præferri, eique denuntiari conditiones, quibus vendenda sit, & per mensem expectari.* Inde Censuarius volens rem subjectam censui vendere, debet prius admonere censualistam, num ipse velit eam emere eodem pretio, aliisque conditionibus ab alio exhibitis, & per mensem expectare. Ratio est, quia potest esse valde incommodum censualistæ ob varias causas exigendi cum difficultate pensionem a secundo censuario, qui rem censitam emit, & in quem transit onus solvendi censum. Quod si venditio facta fuerit, inscio, & irrequisito censualista, jus & actionem habet iste non solum in secundum possessorem, sed etiam in venditorem, & ejus heredes, quos poterit in judicio convenire, & ab illis exigere pensiones juxta Virginium *part. 1. num. 53.* & Azorium *cap. 12. quæsito 2.* quos sequitur Bonacina *n. 39.* Antonius a Spiritu S. *nu. 917.* licet oppositum sentiat Covarr. *lib. 3. var. cap. 7. n. 22.* Poterit etiam rem, ipso irrequisito, venditam repetere, quia cum habeat jus prælationis, non potuit ipsi præjudicari per contractum initum contra formam juris, absque ipsius consensu. Molina *disp. 372. num. 6.* Bonacina, & Antonius a Spiritu Sancto *loc. cit.*

41. Facta interpellatione, seu admonito censualista, si iste nolit emere, liberum erit domino fundi illud vendere cuicumque sibi bene viso, vel secundum totum, vel secundum partes, cum non videatur major ratio, cur possit rem totam vendere, & alienare, non vero quoad partem, retenta sibi alia parte, aut dividendo pluribus illam vendere; cum enim sit absolute dominus illius, de illa potest libere disponere, dividere, & alienare, prout maluerit, translato in emptores onere solvendi pensionem, &, illis non solventibus, non tenetur ipse venditor solvere; nam censuarius, & dominus jure suo utens juste rem vendidit, & in alium transtulit onus solvendi. Quod si cum majori forte difficultate censualista pensiones exigat a secundo emptore, hoc sibi imputare debebit; quod cum potuerit requisitus, noluerit rem emere, sed libere consenserit in venditionem, ut cum Azorio tradit Ant. a Spiritu S. *num. 916.* idem habet Rosignol. *num. 65.*

45. Dubium solum est: *An, divisa inter plures re censita, singuli acquirentes remaneant in solidum obligati pro tota pensione solvenda?*

Resp. negative, sed quemlibet teneri solum ad partem pro rata fundi acquisiti, quia sicut tota res censita transit cum toto onere, ita pars solum transit cum parte oneris; & sicut, pereunte parte rei censitæ, non perit, nec remanet totus census, sed perit proportionaliter quoad partem deperditam, altera parte remanente, ita, divisa in partes re censita, dividitur proportionaliter census, & jus ad annuas pensiones, adeo ut singuli acquirentes non teneantur ad totum censum, sed ad partem pro rata fundi acquisiti. Nec obstare potest gravamen censualistæ, qui cogitur annuas pensiones exigere a pluribus; nam hoc sibi imputare debet, qui monitus, & requisitus noluit rem censitam emere, & sibi acquirere: si autem census fuisset venditus, eo non admonito, tunc jus haberet censum exigendi a venditore, qui non potuit ipsi præjudicare. Bonacina *num. 39.* Covarr. Alvarus, Valascus, Rebel. Salas, & alii, quos affert, & sequitur Rosignol. *praenot. 21. sect. 7. n. 67.*

43. Septima conditio est, ne fiat pactum, quo venditor census incidat in aliquam pœnam ob moram non solutæ pensionis, ut in pœnam commissi, seu amissionis rei censuariæ, aut ad interesse lucri cessantis, aut salariorum, & aliarum expensarum, ibi: *Pacta continentia, morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria, seu expensas medio juramento Creditoris liquidandas, aut rem censui subjectam, seu aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus eodem contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita sint, & nulla.*

44. Jure naturali, Divino, & positivo tenetur censuarius solvere damnum lucri cessantis, quod ex culpabili mora solvendi pensionem tempore debito evenit censualistæ, cum jure naturæ quisque solvere teneatur damnum proximo injuste illatum, cujusmodi est illud, quod patitur censualista ob non solutam sibi culpabiliter pensionem, nec tale damnum lucri cessantis jure naturæ debitum exclusit Pontifex per illam clausulam. Noluit tamen illud in pactum deduci in celebratione contractus censuarii, ad tollendam occasionem damni, & injuriæ, qua olim opprimebantur censuarii non solventes termino præfixo, ut notat Bonacina *n. 38.*

45. Per hanc conditionem non prohibetur, sed tacite permittitur pactum de interesse damni emergentis, quod proinde potest apponi in contractu census, ut docent Molina *disput. 390. claus. 6. num. 10.* Salas *dub. 11. num. 1.* Bonacina *num. 38.* Rebellus, Salonius, Azorius, quos affert, & sequitur Rosignol. *sect. 8. num. 85.* & inde, si ob non solutam sibi pensionem censualista triticum, aut merces necessarias carius emerit, aut vilius vendiderit, poterit a principio convenire de illius damni compensatione, quia ex una parte hoc jure naturali est debitum, & solvendum tam in foro conscientiæ, quam

in

in foro externo, & ex alia parte hoc non prohibetur a Jure; & sic poterit tale pactum apponi. Prohibuit Pontifex apponi pactum lucri cessantis, non sic damni emergentis, quia illud versatur circa rem acquirendam, circa quam facile committi potest usura, & injusticia: hoc autem versatur circa rem jam acquisitam, circa quam difficilius committitur usura, & injustitia, ut habet Cencius *de cens. part. 2. cap. 1. quæst. 3. art. 5.* cum Navarr. Rosignol. *n. 83. verb. si autem*, & alii plures.

45. Hanc conditionem non esse intelligendam de lucro cessante intrinseco, quod per se provenit ex non soluta pensione tempore statuto, ut si debitor solvere debebat triticum tempore, quo valebat duos aureos, & tantis erat a Creditore vendendum, docet cum Rebello Molina *disp. 390. claus. 6.* & Salas *dub. 11.* nam hoc lucrum cessans coincidit cum damno emergente, quod etiam sine pacto solvendum est, ut habetur ex *l. si sterilis §. per venditionem ff. de actionib. empti*, sed extrinseco, quod quis acquirere poterat sua industria per negociationem pecuniæ, seu transportationem tritici ad alium locum, si solutio census tempore debito facta fuisset. Hoc lucrum cessans est illud, quod in Bulla prohibetur deduci in pactum; & Rosignol. *n. 85.* cum Cencio, Feliciano, & Salonio dicit, tantum prohiberi pactum de aliquo persolvendo, tamquam interesse lucri cessantis propter moram censuarii, sive lucrum illud cessaverit, sive non, & item pactum, quo convenitur de quantitate incerta, liquidanda solo juramento creditoris.

47. Nec item prohibentur per hanc clausulam expensæ necessario faciendæ in exigendis pensionibus ob culpabilem moram venditoris non solutis, aut in sustinenda lite pro defensione census venditi, nam istæ per se insunt contractui censuali, nec possunt a Pontifice reprobari, ut habet Palaus *num. 15.* & Rosignol. *n. 84.* Non tamen potest apponi pactum, quod expensæ pro scriptura, & rogitu instrumenti faciendæ pertineant ad venditorem census, vel quod ad eumdem pertineant expensæ in asportandis annuis pensionibus ad domum emptoris, quia hæc non per se insunt contractui census, ut docet Rosignol. *num. 84.*

48. Pactum amittendi rem censitam, aut illius partem, si non solvatur pensio tempore debito, reprobatur a Pontifice: quod quidem intelligi debet de censu consignativo, quod pecunia emitur, de quo solum loquitur Bulla, non de reservativo; unde si quis traderet alteri fundum, reservata sibi pensione cum pacto, quod possit repetere fundum datum, si per triennium pensio non solvatur, nihil ageret contra Bullam, quæ solum loquitur de censu consignativo, quod pecunia emitur. Octavo ait Pontifex: *Immo & censum augeri, & novum creari super eadem re, vel alia in favorem ejusdem* (scilicet emptoris) *aut persona per eum suppositæ pro censibus temporis, vel præteriti, vel futuri, omnino prohibemus.* Per has particulas non prohibetur augeri censum, aut novum creari super eodem, vel alio fundo capaci, si nova numeretur pecunia coram Notario, & testibus, sed solum prohibetur ex pensionibus decursis, & non solutis, vel in futurum decurrendis censum augeri, aut novum creari, quod esset contra superius dicta in secunda conditione, per quam requiritur, ut totum pretium solvatur tempore constitutionis census, & quod nullum debitum accipiatur in solutione totius pretii, vel partis ejus, census autem crearetur ex pensionibus decursis, & non solutis, aut decurrendis, non fieret numerata pecunia.

49. Ex pensionibus in futurum decurrendis augeri censum, aut novum creari etiam jure naturæ prohibetur, cum illæ nondum sint debitæ; ex pensionibus autem jam decursis, & nondum solutis, quamvis jure naturæ non sit prohibitum augeri censum, aut novum creari, ut cum Azorio, Salonio, Salas, & Bonacina tenet Rosignol. *sect. 9. n. 88.* Rationabiliter tamen prohibetur jure positivo, ne censuarius censibus censuum opprimatur, & in paupertatem redigatur; & inde casu, quod sit licitum jure naturæ, permitti non debet, ne via aperiatur ad illicitum. Non tamen repugnant ex pensionibus decursis, & vere solutis sine fraude, & dolo, censum augeri, aut novum creari, quia ad fieret numerata pecunia, & servatis aliis conditionibus necessariis, ut cum Navar. Lessio, & Azorio tenet Bonacina *q. 4. n. 39.* Salas *dub. 13. vers. 8. Conditio*, & Rosignol. *n. 90.*

50. Nono inquit Pontifex; *sicut etiam annullamus pacta continentia, solutiones onerum ad eum spectare, ad quem aliàs de jure, & ex natura contractus non spectarent.* Unde si jure statutum sit, ut emptor census Gabellam solvat, aut aliud onus subeat, non poterit in venditorem transferre, aut e contra, ut cum Navar. Lessio, & Molina notat Palaus *punct. 16. n. 18.* & Salas *dub. 11. vers. Nova est*, si onus, & gabella sit imposita super fundo censito, & fructibus ex eo percipiendis, illius solutio de jure spectat ad venditorem census, apud quem stat dominium fundi, ut habet Bonacina *n. 30.* si vero imponatur super ipso contractu census, tunc solutio spectat ad emptorem, qui non potest per pactum ad illius solutionem obligare venditorem, cum ad ipsum de jure non spectet, ac proinde non sustinetur, stante Bulla Pontificis. Ita Rosignol. *n. 93.*

51. Decimo ait Pontifex; *Postremo census omnes in futurum creandos, re in totum, vel in parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire.* Per hanc clausulam sequitur, quod, pereunte re subjecta censui, vel si reddatur infructuosa, & sterilis in totum, vel in partem, debeat proportionaliter perire census secundum totum, vel secundum partem; nam cum hujusmodi census sit realis, & rei censitæ annexus, illa pereunte, perit etiam census illi annexus, qui nihil aliud est, quam jus percipiendi fructus, vel pensiones ex tali re fructifera alterius; unde censualista non potest amplius prætendere pensiones, nec pecuniam datam pro emptione talis census.

52. Tunc autem dicitur perire, & infructuosa reddi, quando absolute facta est impotens ad ferendos fructus, vel in perpetuum, vel ad plures, & plures annos; ut si res, & domus censita comburatur, & destruatur, vinea a flumine vicino devastetur, & occupetur; Molendinum vi fluminis absorbeatur: secus si res censita uno, vel altero anno ob tempestatem, grandines, aut aliud infortunium fructus non afferret, vel etiam per aliquot annos, dummodo in futurum sit potens reddere fructus, quia tunc non dicitur facta sterilis, & infructifera, ut cum aliis tenet Bonacina *n. 27.* & alios referens Rosignol. *n. 101.* & alios referens Cencius *p. 3. cap. 1. q. 2. num. 9.*

53. Si res censita pereat, vel infructuosa reddatur quoad partem, minuitur etiam, & destruitur census secundum partem, dummodo pars, quæ remanet non sit amplius apta ferre fructus sufficientes pro adæquandis pensionibus annuis talis census; nam si pars, quæ remanet sit apta ferre fructus sufficientes, pensio non minuitur, sed integre solvenda est, quia omnes partes in solidum veniunt obligatæ. Lessius *l. 2. cap. 22. n. 88.* Cencius *de cens. p. 3. c. 1. q. 1. art. 2. n. 3.* Rosignol. *sect. 11. n. 98.* & Rota *in una Romana Census 30. Octobr. 1602. coram Card. Melino* teste Duardo *de Cens. §. 5. q. 2. n. 1.*

54. Dices: *si census dividatur inter plures heredes, pensio non est solvenda, nisi proportionaliter a singulis, etiamsi quilibet habeat partem sufficientem pro tota pensione, juxta dicta supra §. 4. n. 42. ergo etiam, pereunte parte rei censitæ, non debet tota obligatio remanere in alia parte, sed debet proportionaliter diminui.* Sed contra disparitas est, quia in primo casu tota res censita adhuc integra perseverat, licet divisa inter plures, & ex tota illa habetur tota pensio, quamvis partialiter soluta a singulis acquirentibus; in secundo casu res censita non remanet tota, & integra, ut ex illa solvi possit tota pensio; &, cum remaneat pars sufficiens, ex illa solvi debet tota pensio, cum omnes partes in solidum sint obligatæ. Ita Rosignol. *n. 68.*

55. Si res subjecta censui post destructionem reparetur, Domus, seu Molendinum combustum reædificetur, nec census reviviscit, nec obligatio iterum solvendi pensiones, si nimirum domus erat totaliter destructa, quamvis in eodem loco, & ex eadem materia reædificetur, arg. *l. quid tamen vers. non tantum ff. quibus modis ususfructus amittatur*, ibi: *si demolitis ædibus, testator alias novas restituerit*; & infra: *nam si domus etiam ex iisdem cæmentis, lignisque fuerit restituta, extinguitur ususfructus.* Ratio est, quia non est amplius eadem numero, sed alia domus, & aliud molendinum; nam mutata remanet forma, per quam constituitur talis in individuo; secus si per partes solum fuerit successive reparata, nam remanet eadem domus, & idem molendinum, in quo census erat constitutus. Ita Molina *disp. 394. n. 3.* Navar. *comment. de usur. n. 118.* Salas *dub. 22. & dub. 26.* Bonacina *n. 28.* Rosignol. *n. 99.*

56. Quod si Domus combusta, Molendinum dirutum sit, seu res censita reddatur sterilis, & infructifera ex culpa censuarii, Bonacina *n. 27.* cum Bartol. Medina tenet, censum non perire, ne censuarius ex sua iniquitate commodum reportet cum damno censualistæ; sed alii melius dicunt, censum omnino perire, quia, pereunte fundo, perit etiam quod illi adhærebat. Sed censuarius teneretur ad omne damnum, & interesse, quod evenit censualistæ, cui proinde debet solvere omnes præcedentes pensiones. Si censum transferre, & constituere in alia re immobili, & æque bona, & fructifera. Ita Salas *dub. 11. num. 3.* Lessius *cap. 22. num. 88.* Palaus *n. 20.* & cum Navarr. & Rebello admittit etiam Bonacina *loco cit.*

§. V.

§. V.

Explicatur undecima conditio Bullæ.

57. UNdecima conditio: *Volumus etiam, posse pro eodem pretio extingui, non obstante etiam longissimi temporis, ac immemorabilis, immo centum, & plurium annorum præscriptione, non obstantibus aliquibus pactis directe, vel indirecte talem facultatem auferentibus, quibuscumque verbis, aut clausulis concepta sint.* Per hanc clausulam statuitur, censum post hanc Bullam creatum, posse redimi quocumque tempore, & eodem pretio, quo fuit emptus, non obstante quacumque etiam longissimi temporis præscriptione, per quam non potest restringi facultas redimendi censum pro eodem pretio, quo fuit emptus; & inde non potest apponi pactum, ut si censuarius intra certum tempus, puta triginta, vel quadraginta annorum non redimat censum, maneat irredimibilis, ut cum Salonio, & Regio. notat Bonac. *n.* 40.

58. Per hanc clausulam non prohiberi a Pontifice census perpetuos irredimibiles, si majori pretio emantur, quam æstimetur census ad nutum venditoris redimibilis, tenent Navar. *de usur.* *n.* 98. Molina *disp.* 385. & 391. *claus.* 9. Palaus *n.* 24. Salonius, Lessius, & alii, quos sequitur Bonac. *n.* 40. Ratio est, quia in creatione census perpetui numquam periculum fuit usuræ, sicut in censu redimibili, nec de illis loquuntur Martinus V. & Calixtus III. in suis Extravag. ac proinde ad illos non debet extendi dispositio S. Pii V. qui solum videtur præscripsisse formam erigendi census, de quibus loquuntur Martinus V. & Calixtus III. Deinde sicut licitum est emere fundum in perpetuum, ita etiam licitum videtur emere censum in perpetuum, justo interveniente pretio, tum quia potest institui census perpetuus reservativus; ergo emi etiam potest justo pretio census perpetuus. Hæc sententia, quamvis sit probabilis, probabilior tamen, ac tutior videtur sententia opposita; nam Pontifex universaliter statuit, omnes census in futurum creandos, pro eodem pretio extingui posse, & omnia pacta in contrarium annullat, ac proinde annullat conventiones, & pacta, quibus census perpetui irredimibiles constituuntur. Ita Rebellus *lib.* 10. *qu.* 7. Virginius *part.* 2. *de cens.* *n.* 37. Salas *dub.* 40. Azor. *cap.* 17. *qu.* 1. eamdemque approbat Navarr. *n.* 98. spectato rigore Bullæ.

59. Ad fundamentum oppositum satis constat, Pontificem velle omnes census, etiam justo pretio emptos, posse semper redimi eodem pretio. Nec valet paritas de emptione fundi, quia per contractum emptionis dominium directum, & utile transfertur in emptorem, qui pleno jure semper remanet dominus absolutus rei emptæ. Similiter in censu reservativo res transfertur in alterum, quoad dominium directum, & utile regulariter titulo donationis, reservata sibi annua pensione super eadem re: & locum frequenter habet in beneficiis Ecclesiasticis, quæ aliquando concedi solent cum onere certæ pensionis annuæ, vel ad certum tempus, vel ad perpetuum. In emptione vero census consignativi, de quo loquitur Bulla, non transfertur dominium, nec directum, nec utile in emptorem, sed utrumque remanet apud venditorem, qui proinde debet esse liber ad liberandum fundum sibi proprium ab onere superimposito.

60. *An vero possit apponi pactum, quod census non redimatur per partes, sed totum simul, variant Doctores.* Plures affirmant, quia tale pactum non videtur improbatum in Bulla S. Pii V. & est consentaneum naturæ talis contractus, ut censuarius, qui totum pretium simul accepit in venditione census, debeat illum extinguere, totum simul pretium reddendo; secus grave præjudicium fieret censualistæ, si pretium minutatim, & per partes deberet accipere, quia non posset ita facile novum censum, aut fundum fructiferum emere. Adde, quod in ceteris emptionibus cum pacto retrovendendi, venditor jus non habet redimendi per partes; ergo nec in redditione census id fieri potest, nisi de consensu censualistæ. Ita Molina *disp.* 395. qui non solum tenet, in pactum posse deduci, ut totus census simul redimatur; sed addit, emptorem non teneri permittere redemptionem per partes. Salas *dub.* 31. & *dub.* 56. Ant. a Spiritu S. *disp.* 18. *nu.* 922. Rebellus, Sotus, Reginaldus, & alii, quos affert, & sequitur Bonac. *qu.* 4. *punct. unic. num.* 40. *vers. Sed contraria sententia.*

61. Secunda sententia negat, tale pactum apponi posse, sed ait, liberum esse venditori censum redimere, etiam invito censualista; per partes majores, puta per medietatem, tertiam, vel quartam partem, non autem per minores, seu minutissimas, propter grave præjudicium venditoris. Ratio est, quia hoc pactum videtur reprobari a S. Pio V. qui licet expresse non dixerit, censum extingui posse per partes, & pro rata, hoc tamen facile deducitur; nam conjungit hanc clausulam cum præcedenti in eadem periodo: *Census omnes in futurum creandos, re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui, &c.* & sic videtur, quod debeat eodem modo intelligi, adeo ut sicut, pereunte re censita secundum partem, census secundum partem extinguitur, sic pro rata restitutionis pecuniæ census extingui debeat. Illa enim particula, *sed etiam*, in dispositionibus apposita, importat eamdem dispositionem in jure quoad subsequentia, quæ respicit, quam important antecedentia, cum quibus illa connectit, ut citatis juribus, ostendit Rosign. *contr.* 4. *praeamb.* 21. *sect.* 11. *nu.* 105. ubi citat Boccacium, Felicianum de Solis, Ludovicum Lopez, & Navar. *de usur.* *n.* 95. *gloss.* 12. Ita etiam tenent Gutier. *pract. lib.* 2. *q.* 274. Avendan. *de cens. cap.* 107. *n.* 8. Palaus *pun.* 16. *n.* 32.

62. Ad fundamentum oppositum dicendum est, in Bulla S. Pii V. tale pactum improbari, saltem implicite. Qui vendit censum, totum pretium simul accipit, quia obligatur ad totam pensionem solvendam, nec obligari potest ad totam, nisi recipiat totum pretium proportionatum eidem censui, ne gravetur super id, quod recipit: in redemptionem autem per restitutionem partis pretii, minuitur proportionaliter onus, & obligatio solvendi pensionem, in quo nullum detrimentum sequitur emptori. Non valet paritas de aliis contractibus cum pacto retrovendendi, in quibus venditor jus non habet redimendi per partes, quia in illis dominium rei venditæ, tam utile, quam directum, transfertur in emptorem, qui, cum sit dominus fundi, potest nolle retrovendere per partes, sed totum simul. At in contractu census, dominium directum, & utile fundi remanet apud venditorem, cum obligatione solvendi pensionem, a qua potest se liberare vel in totum, vel in partem, restituendo totum, aut partem pretii accepti.

63. Census non debet necessario extingui, numerata pecunia coram Notario, & Testibus, quia hoc requiritur a Pontifice in constitutione census, non in extinctione; unde extinctio fieri potest pecunia debita, etiam invito domino, aut aliis mercibus, vel quacumque alia specie æstimata, de consensu tamen ipsius domini; nam in contractu emptionis, & venditionis pretium solvi potest de consensu partium in qualibet specie æstimata, *l. pretii*, & ibi Gloss. *C. de rescind. vendit. l.* 2. & ibi Gloss. *ff. de contrah. empt.* nam quod datur in compensationem rei emptæ, illius pretium dicitur. Rosign. *supra n.* 222. Molina *disp.* 394. *n.* 7. Salas *dub.* 19. Ant. a Spiritu S. *n.* 922. & alios referens Bonac. *n.* 40.

64. Nec item extinctio fieri necessario debet eadem pecunia, qua fuit venditus, sed extingui potest in alia quacumque, servato pretio, & pecuniæ valore, non quem habebat tempore contractus, sed tempore distractus; nam extinctio census, est novus contractus, qui debet regulari secundum valorem pecuniæ tempore novi contractus, non antiqui, seu prioris. *An vero possit apponi pactum, ut non redimatur, nisi in eadem specie monetæ?*

Resp. hoc fieri posse, si certum sit, quod præsens æstimatio monetæ non erit augenda, nec minuenda, vel æquale sit dubium augmenti, & decrementi; vel si emptor pecuniam suam erat servaturus in tempus majoris augmenti, & censum emit in gratiam venditoris, tunc enim non imponit gravamen, quod non possit imponere: sicut enim hoc gravamen imponi potest in mutuo, ne mutuator damnum patiatur, ita videtur apponi posse in censu; secus si probabilius erat, pretium monetæ fore augendum, ut suo loco diximus de Mutuo *cap.* 3. *dub.* 9. *nu.* 108. & *seq.* & in præsenti cum Lessio, & Salas tenet Bonac. *n.* 35.

65. Queres: *An qui habet censum passivum, pro quo solvit quinque pro centum, fingere possit, se velle illum redimere, quamvis nec voluntatem, nec pecuniam habeat ad redimendum, ut metu redemptionis faciendæ inducat censualistam ad minuendam pensionem, & contentus sit recipere quatuor, vel tria pro centum?*

Resp. negative, quia sic fingendo per dolum, & fraudem extorquet consensum censualistæ ad pensiones minuendas; unde peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem; nam dolus dans caussam contractui, irritat contractum; sed in isto casu dolus daret caussam contractui diminutionis census, fingendo redemptionem, quam nec vult, nec facere potest defectu voluntatis, & pecuniæ necessariæ; ergo talis diminutio per dolum extorta, est illicita, & invalida, & sic tenetur ad restitutionem, & rescissionem contractus; non quia non habeat jus redimendi, sed quia non vult, nec proxime potest redimere, ac proinde dolose agit, & peccat, cum obligatione restituendi, & rescindendi contractum. Ita Lugus *disp.* 22. *n.* 271. quem sequitur Tamb. *cap.* 6. §. 9. *n.* 2.

§. VI.

§. VI.

Explicantur aliæ conditiones Bullæ.

66. Duodecima conditio sic se habet: *Cum vero traditione pretii redditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denuntiari ei, cui pretium dandum erit, & post denuntiationem intra annum etiam ab invito pretium repeti posse, & ubi pretium nec volens intra bimestre solvat, neque ab invito intra annum exigatur; volumus nihilominus, quandocumque redditum extingui posse, prævia tamen semper denuntiatione, de qua supra, & non obstantibus his, de quibus supra. Idque observari mandamus, etiam quod pluries, ac pluries denuntiatum fuisset, neque umquam effectus sortitus esset.* Inde censuarius, qui censum extinguere vult, debet per duos menses antecedenter admonere censitorem de tali extinctione facienda, ut interim sibi consulere possit, & invenire aliam occasionem fructiferam implicandi, si vult, pecuniam sibi reddendam; quæ quidem admonitio judicialiter facienda est ad hoc, ut vim habeat, prout tradunt Duardus *de cens.* §. 6. *q.* 2. *n.* 1. Cencius *p.* 3. *c.* 1. *q.* 3. *art.* 1. *n.* 25. & *art.* 9. *n.* 5. & 20. consentit Rosignol. *n.* 106. quamvis sufficiat admonitio extrajudicialis de consensu partium, & toto eo tempore teneatur censuarius perseverare in censu, ita volente censitore, & solvere pensionem illi tempori correspondentem. Et licet Molina *disp.* 391. *claus.* 10. *n.* 2. dicat, censuarium non teneri per duos menses perseverare in censu post factam denuntiationem, oppositum tamen est probabilius; nam hæc dispositio videtur facta in favorem censualistæ, ut interim quærat, & deliberet, quid facturus sit de illa pecunia; ad quid enim teneretur censuarius denuntiare per duos menses ante redemptionem, si non teneretur expectare bimestre, ita volente censualista. Ita Salas *dub.* 12. *n.* 5. & cum Rebello, Bonacina *n.* 40.

67. Si transactis duobus mensibus, & censuarius amplius redimere nollet, licitum est censualistæ intra annum repetere pretium ab illo, licet invito; quod si censuarius intra bimestre pretium non restituat, nec ab invito intra annum censualista illud exigat, non poterit amplius exigere ab invito. Censuarius tamen adhuc poterit redimere, præmissa nova denuntiatione, quamvis sæpius denuntiaverit, & non redemerit, & post novam denuntiationem poterit etiam censualista intra annum denuo pretium repetere ab invito non solvente intra bimestre, prout patet ex contextu, ut tenent communiter Doctores.

68. Decimatertia conditio ita se habet: *Pacta etiam continentia pretium census extra casum prædictum ab invito, aut ob pœnam, aut ob aliam caussam repeti posse omnino prohibemus.* Per hanc clausulam prohibet Pontifex pactum quodcumque de repetendo pretio, invito venditore, sive in pœnam; sive ob aliam quamcumque caussam, adeo ut censuarius numquam possit cogi ad redimendum censum, nisi in casu prædicto, quo post denuntiationem factam, transacto bimestri, censum non redemit; tunc enim intra annum potest invitus cogi a censitore ad redimendum: ex quo patet, extra prædictum casum ex parte censitoris censum semper esse irredimibilem, ex parte vero censuarii semper esse redimibilem, ut cum Molina, Rebello, & Salas notat Bonacina *n.* 41.

69. *An vero pactum de retrovendendo positum in favorem emptoris, ut scilicet censuarius illum redimere teneatur, quandocumque voluerit emptor, sit prohibitum jure naturali*, valde dubium est, cum jure naturæ illud non repugnare asserat Rosignol. *n.* 114. illud tamen prohibuit Pontifex tamquam alienum a contractu censuali, & ad palliandas usuras accommodatum: nam, posito tali pacto, potius videtur mutuum, de cujus natura est, ut pretium datum repeti possit: certe si tradas alicui pecuniam, vel rem aliam usu consumptibilem, reservata tibi facultate illam revocandi ad libitum, non est nisi mutuum, & si aliquid recipis supra sortem, committis usuram; sed emere censum ad libitum ementis redimibilem, perinde est, ac si tradas pecuniam pro aliquo tempore cum obligatione solvendi aliquid supra sortem: ergo talis census resolvitur in purum mutuum palliatum sub nomine census, & si recipias pensiones non computandas in sortem principalem, committis usuram, ut cum Soto, Tapia, Prado, Trullench, & Villalobos tradit Andreas a Matre Dei *c.* 4. *punct.* 2. *n.* 41.

70. Decimoquarto ait Pontifex: *Contractus sub alia forma posthac celebrandos fœneratitios judicamus, & ita illis prætterea non obstantibus, quidquid vel expresse, vel tacite contra hæc nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, a Fisco volumus posse vendicari.* Inde habes, contractus omnes sub alia forma celebrandos, non servatis conditionibus in Bulla præscriptis, irritos, & usurarios declarari a Pontifice: nam sub his conditionibus præscripsit, formam hujus contractus, qua non servata, deficit contractus, cum forma sit illa, quæ dat esse rei.

71. *An vero assignatæ conditiones requirantur dumtaxat in foro externo, vel etiam in foro conscientiæ, ne contractus sit irritus, & usurarius in tali foro*, non omnes Doctores conveniunt. Plures enim affirmant, pro foro conscientiæ non omnes assignatas conditiones esse necessarias, sed illas dumtaxat, quæ sunt de jure naturæ, seu spectant ad naturam, & essentiam contractus, non quæ sunt juris humani, licet, illis deficientibus, contractus præsumatur usurarius in foro externo. Ratio illorum est, quia talis forma a jure præscripta solum inventa est ad tollendas, & impediendas fraudes; ergo, illis deficientibus, non erit contractus invalidus, nec usurarius in foro conscientiæ, in quo non habet locum præsumptio, quæ cedere debet veritati; Molina *disp.* 392. Salas *dub.* 12. *n.* 7. Ant. a Spiritu S. *n.* 925. Rosignol. *prænot.* 21. *sect.* 22. *n.* 128. Navar. Lessius, & alii relati a Bonacina *n.* 43. Addit Molina, quod contractus, cum non sit usurarius jure naturæ, sed solum juris dispositione, posse contrahentes ante sententiam Judicis perseverare in contractu, retinere, & accipere pensiones non computandas in sortem, eo quod lex non obligat ad sustinendam pœnam ante sententiam declaratoriam.

72. Verum dicendum est, assignatas conditiones observandas esse non solum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ, adeo ut, illis non servatis, irritus, & nullus sit contractus. Ratio est, quia Pontifex in hac sua Constitutione præcipit, illas conditiones esse observandas, & contractus aliter celebratos contra formam ibi præscriptam, non solum pro foro externo fœneratitios judicavit, sed omnino irritos, & nullos esse declaravit. Et cum sit lex de se sancta, & justa ad salutem animarum conducens, ad vitandas scilicet usuras, & fraudes, obligat in conscientia sub peccato mortali, quamvis non deficiat aliqua conditio juris naturalis, ut diximus *supra* §. 2. *n.* 27. Cum autem contractus sit nullus, & irritus etiam pro foro conscientiæ, recipi nequeunt pensiones, nec retineri, quamvis Fisco ante sententiam Judicis non debeant adjudicari. Ita Palaus *disp.* 5. *punct.* 21. *n.* 27. Andreas a Matre Dei *punct.* 3. *n.* 31. dicens, hanc Constitutionem esse præceptivam, & obligare in foro conscientiæ. Bonacina *n.* 43. qui tamen non existimat improbabilem sententiam Doctorum asserentium, contractum validum esse in foro conscientiæ propter gravissimorum Doctorum auctoritatem, & rationes ab illis allatas.

73. Postremo ait Pontifex: *Hanc autem salutiferam sanctionem, nedum in censu noviter creando, verumetiam in creato quocumque tempore alienando, modo post publicationem Constitutionis creatus sit, perpetuo & in omnibus servari volumus. Declarantes pretium semel constitutum numquam posse ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, neque quoad ullumo contrahentes minui, vel augeri, & licet legem ipsam ad contractus jam celebratos non extendamus, illos tamen omnes, in quo sub alia forma pervenerant census, hortamur in Domino, ut singulos contractus censuræ bonorum Religiosorum subjiciant, & animarum saluti consulant. Non obstantibus, &c.*

74. Hinc sequitur primo, quod census jam constitutus, si transmittatur ad alios possessores, debeat transmitti cum iisdem conditionibus, ac si primo constitueretur; quod intelligi debet de transmissione facta per emptionem, & venditionem, vel alium contractum onerosum, non vero si fit per contractum gratuitum donationis, legati, hereditatis, ut cum Molina *disp.* 392. & Navar. *n.* 98. tenet Rosignol. *n.* 120. & Palaus *n.* 28.

75. Sequitur secundo, censum jam constitutum non posse majori pretio vendi, nec minori emi, ac fuerit primo constitutus, non obstante quacumque varietate rerum, & temporum, vel alia circumstantia, ob quam solent pretia rerum variari; voluit enim Pontifex consulere indemnitati cum vendentis, tum ementis, dum vetuit, ne majori, vel minori pretio vendatur, quam constitutus est. Molina *disp.* 392. *Claus.* 14. Palaus *n.* 29. & in terminis Bullæ Pianæ tenet etiam Rosignol. *n.* 122. licet attento solo jure naturæ asserat, variari posse pretium census, etiam jam constituti. Variari per epiekejam poterit, si progressu temporis census evadat periculosus, & difficilis exactionis, nam ratione periculi, & difficultatis in recuperandis pensionibus minoris census æstimari debet, ut cum Molina, Rebello, & aliis tenet Palaus *n.* 30.

76. Sequitur 3. obligationem hujus constitutionis non extendi ad contractus celebratos ante dictam constitutionem, cum proprium sit legis formam tradere futuris, non præteritis, & ideo solum hortatur, ut contractus, non servata dicta forma, celebrati, censuræ Religiosorum subjiciantur, ut sic animarum saluti consulatur, & lites non excitentur.

DUBIUM IV.

De Censu vitalitio, seu temporali.

77. Census vitalitius dicitur ille, qui constituitur ad vitam unius, vel plurium personarum, estque duplex, *realis*, & *personalis*. Realis est ille, qui constituitur, & fundatur super re certa immobili, & fructifera, & suis finibus designata, juxta superius dicta de censu reali, quando quis, data pecunia, emit jus recipiendi ex tali fundo fructus, & pensiones quolibet anno, sua vita durante; ita tamen, ut, ipso moriente, cesset obligatio solvendi amplius pensiones, aut capitale, quod libere, & integre manet apud venditorem. Personalis non fundatur super re aliqua certa, & fructifera, sed super persona, quæ principaliter remanet obligata ad solvendas singulis annis pensiones illi, qui, data pecunia, censum emit, ejus naturali vita durante, absque ulla designatione fundi cum sola generali hypotheca super omnia bona venditoris, non quasi in illis fundetur census, qui principaliter fundatur super persona, sed pro securitate solvendi fideliter singulis annis conventas pensiones.

78. Census iste vitalitius ab Henrico Gandaven. *quodlib.* 11. *q.* 39. damnatur tamquam usurarius, ab aliis non satis laudatur, eo quod præbeat ansam captandæ mortis ei, cujus vita census finitur, ut quis citius liberetur ab obligatione solvendi pensiones, ut contigisse Pico Mirandulano viro eruditissimo refert Surdus *de aliment. tit.* 9. *quæst.* 11. *in fine*; sed magis communiter admittitur tamquam licitus, tum jure naturali, tum jure Civili, & Ecclesiastico, sive sit realis, sive personalis, ut præ aliis tenet Salas *de Censib. dub.* 5. ubi affert 38. Auctores eum approbantes: item etiam Cencius *part.* 1. *de censib. c.* 1. *quæst.* 4. *art.* 3. ubi innumeros refert, censum vitalitium, etiam personalem approbantes, cum quibus

79. Resp. censum vitalitium quolibet ex his modis celebratum licitum esse, & validum, quibusdam servatis conditionibus, ut late probat D. Thomas *opusc.* 73. *de Usur. p.* 1. *c.* 9. Ratio est, quia jus ad percipiendas aliquas pensiones interim, dum aliquis vivit, id est toto tempore vitæ suæ, justo pretio potest æstimari, & vendi. Sic in *Clement.* 1. *de reb. Eccles. non alien.* permittitur Prælato, cogente necessitate, vel utilitate Monasterii vendere annuum reditum, alicujus possessionis ad vitam alicujus, quod est censum vitalitium constituere, & passim ususfructus ad vitam usufructuarii æstimatur, & venditur; ergo etiam licitum est vendere, & emere annuum reditum pecuniarium ad vitam alicujus, quod est censum vitalitium constituere. Palaus *disp.* 6. *punct.* 13. Rosignol. *prænot.* 14. & aliis allatis, Salas *dub.* 5.

80. Probatur specialiter de censu vitalitio personali, quia justitia hujus contractus non consistit in emptione juris alicujus ad pensiones, & fructus aliquos percipiendos ex fundo reali fructifero, vel ex industria, & labore, & artificio hominis operantis, sed consistit in contractu sortis, in quo specialiter contrahentes se exponunt periculo lucri, & damni; ut autem sit validus talis contractus sortis requiritur, & sufficit, quod inter contrahentes adsit æquale periculum lucri, & damni; sed hoc periculum de facto datur in censu vitalitio personali propter incertitudinem mortis, quæ citius, aut tardius potest evenire; & sic licitus, & validus est talis contractus, seu census vitalitius; etiam personalis. ita etiam tenet Rosignol. *prænot.* 14. *n.* 8. qui tamen negat, hujusmodi contractum esse proprie censum, sed dicit esse mutuum adjuncto alio contractu innominato sortis, seu aleæ.

81. Census iste constitui, & vendi potest, duraturus tam ad vitam emptoris, quam venditoris. Et quidem duraturus ad vitam venditoris, quod sit licitus, nulla est controversia apud Doctores, ut fatetur Paulus Comitolus *in respon. moral. lib.* 3. *q.* 25. *n.* 4. De constituto ad vitam emptoris tribuit occasionem dubitandi, quia inde potest oriri desiderium, & ansa captandæ mortis ipsius emptoris, quod jura maxime abhorrent, *l. stipulatio hoc modo concepta ff. de verbor. oblig. C. dispendia, & C. ne captanda ext. de concess. preben.* Verum Doctores magis communiter relati a Salas, & Cencio *loc. cit.* tamquam licitum illum admittunt, quia dubius, & incertus est finis illius durationis. Nec dici potest illicitus, quia inde potest insurgere votum captandæ mortis alienæ, nam etiam filius potest desiderare mortem patris, ut citius succedat in hereditate, proprietarius mortem usufructuarii, & fideicommissarius mortem heredis gravati, & tamen successio Filiorum a legibus non improbatur, nec constitutio ususfructus, aut fideicommissi, quia hoc per accidens contingit, non ex natura contractus, ut proinde de illo non debeat haberi ratio, nec validari contractus, ut ponderat Rosignol. *n.* 8.

82. Dices, hujusmodi censum damnari in Bulla S. Pii V. requirentis pro forma substantiali census, ut *nullo alio modo constitui, crearive possit, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, & quæ certis finibus designata sit*, cujusmodi non est persona, super qua proinde creari, constituive non potest census vitalitius. Sed contra dico, censum vitalitium personalem non esse comprehensum sub illis censibus, qui in præfata Bulla jubentur, non in persona, sed in re fructifera fundari, eo quod hujus census vitalitii justitia non fundatur in emptione fructuum, vel alterius rei, sed in periculo æquali contrahentium, cum sit contractus sortium, de quo non loquitur S. Pius V. Ita Rosignol. *l. c.* Tambur. *c.* 2. §. 2. *n.* 4. Lopez *c.* 55. *de censu vitalitio concl.* 3. Filliuc. *tr.* 35. *p.* 2. *c.* 1. Salas *dub.* 5. *n.* 263. Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 12. *n.* 2. Bonacina *n.* 18.

83. Pro constituendo justo pretio census vitalitii, sive realis, sive personalis nonnullæ regulæ solent assignari, quas referunt Covarr. *var. resol. l.* 3. *c.* 9. *n.* 7. & Jo. Baptista Lupus *de usuris comment.* 2. §. 1. *num.* 82. sed nulla melior, & tutior assignari potest, quando pretium non est taxatum a Principe, si enim sit taxatum, illud observandum est, quam communis hominum æstimatio, & locorum consuetudo, attentis circumstantiis loci, temporis, ætatis, & complexionis ejus, ad cujus vitam census emitur; nam minoris valet census, si ematur ad vitam senis, & valetudinarii, quam si ematur ad vitam juvenis robusti, & sani; nam minus valet, quo mors ejus, ad cujus vitam emitur, citius timeri probabiliter potest; inde census decem, vel duodecim aureorum, attenta infirmitate, & senectute illius, ad cujus vitam emitur, juste æstimatur, & venditur centum aureis ad rationem decem, vel duodecim pro quolibet centenario; attenta vero fortitudine, sanitate, & juventute, juste emitur centum sexaginta ad rationem sex, vel septem pro quolibet centenario; ut fuse tradit Rosignol. *n.* 10.

84. Nonnulli assignant hanc regulam, ut videatur quantum moraliter vivere possit ille, ad cujus vitam census emitur, deinde sumatur media pars illorum annorum, tunc pretium census ita debet constitui, ut adæquet pensiones totius medietatis illorum annorum: puta si ille sit quadragenarius, & censeatur posse pervenire ad sexagesimum annum suæ vitæ, si tradat centum aureos ad constituendum censum vitalitium, poterit exigere decem singulis annis, quia pensiones decem annorum adæquant totam summam datam pro emptione illius census. Hoc modo servatur æqualitas contrahentium, cum uterque subeat sortem lucrandi, & perdendi, cum possit vivere ultra decem annos, & ad illos non pervenire. Ita cum Molina *disput.* 388. *n.* 6. tradit Bonacina *n.* 18. sed Lugus *disp.* 27. *n.* 39. dicit, hanc esse regulam fallacem, & in ea non sistendum, quare non erit recedendum a regula superius tradita.

85. Pretium, seu pecunia, quæ erogatur in emptione census vitalitii, perpetuo vendenti acquiritur, nec umquam ab eo invito repeti potest, &, mortuo emptore census, extinguitur capitale, & cessat obligatio alterius pensiones solvendi; nam si ex pacto sors, seu capitale aliquando esset restituendum emptori, contractus esset omnino illicitus, & resolveretur in purum mutuum. Ita Felician. *de censib. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 19. Roderic. *de annuis redditib. lib.* 1. *q.* 5. *n.* 5. Cencius *p.* 1. *c.* 1. *q.* 4. *art.* 3. *n.* 26. Rota *post illum tract. decis.* 9. *n.* 12. Molina *disp.* 388. *n.* 6.

86. Census temporalis constitui potest ad certum annorum numerum, puta ad decem viginti, vel triginta annos, vel ad incertum, & indeterminatum, ut plurimum ad vitam emptoris, vel venditoris, vel ad alium terminum incertum, & indefinitum; uterque cessat, & finitur, vel per mortem censualistæ, si sit vitalitius, vel transacto tempore per contrahentes præfinito, sorte ipsa non restituta; si enim fiat pactum, ut elapso termino præfixo, sors principalis sit restituenda, erit contractus illicitus, & usurarius, cum interim accipiantur pensiones, donec pretium capitale fuerit solutum. Dubium est: *An contractus sit licitus, quando pensiones speratæ, & exigendæ superant, ac excedunt sortem principalem. Procedit de censu temporali reali; nam personalis est illicitus, sicut illicitus est personalis perpetuus.*

87. Resp. censum realem temporalem esse licitum, quamvis pensiones speratæ excedant sortem principalem. Ratio est, quia sicut juste, & licite potest emi ususfructus alicujus rei, quamvis pensiones speratæ, seu fructus colligendi excedant pretium per emptorem solutum. *L. necessariæ §. cum usumfructum ff. de peric. & com. rei vend.* & ex *Clement.* 1. *de reb. Eccles. non alien.* ergo etiam licite potest emi census temporalis ad certum, vel incertum annorum numerum, quia per censum non emitur nisi jus reale ad fructus, seu ad usumfructum rei emptæ. Nec obstat, quod pensiones speratæ possint excedere sortem principalem, quia hoc est incertum, & plu-

& pluribus subest periculis. Certe si est licitum emere minori pretio, quam sint pensiones speratæ censum vitalitium, & perpetuum, item licitum erit emere ad certum tempus, alioquin plus valeret temporalis, quam perpetuus. Alias rationes affert Salas *dub.* 4. *n.* 4. & 5. & Rosignol. *supra n.* 8.

CAPUT VI.

De Emphytheusi.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex sit Emphyteusis.

Emphyteusis græce idem est, ac latine *melioratio*, *insitio*, aut *plantatio*, quia ab initio non nisi sterilia, & inculta dabantur in emphyteusim, eo fine, ut accipientium labore, & industria per implantationem, seminationem, & culturam fructuosa, & meliora redderentur. Cœpit primitus hic contractus in publicis, & sterilibus fundis, & agris, qui defectu colonorum remanebant steriles, inculti, & sine fructu, & sic dabantur in emphyteusim sub onere alicujus pensionis; postea vero publicum exemplum secuti sunt etiam homines privati, ut notat Azorius 3. *p. l.* 10. *c.* 1. *q.* 3. quin etiam usus obtinuit, ut etiam agri fertiles darentur in emphyteusim ad exemplum prædictorum. Porro ille, qui rem in emphyteusim concedit, dicitur dominus directus, & ille, qui accipit, dominus utilis, seu emphyteuta, vel emphyteuticarius nominatur. His præmissis, quoad nomen

2. Resp. Emphyteusis bene definitur concessio rei immobilis cum translatione dominii utilis, retento directo, sub onere certæ pensionis domino proprietaris solvendæ, idque vel in perpetuum, vel ad tempus, non minus tamen decennio, secus esset contractus simplicis locationis, non emphyteusis: estque contractus nominatus, & habet in se magnam utilitatem. *L.* 1. *C. de jure emphyt.* ibi: *justum esse validumque contractum*; idque admittunt omnes, tum antiquiores, tum recentiores Jurisperiti, teste Julio Claro *l.* 5. §. *emphyteus.* *n.* 2. Dicitur *concessio rei immobilis*, id est contractus, quo res immobilis alteri conceditur, quæ particula stat loco generis, & per illam convenit cum aliis contractibus, a quibus differt per alias particulas sequentes. Differt emphyteusis a feudo potissimum in eo, quod illa est cum onere pensionis, istud cum onere personalis obsequii; & quia forte ad personalia obsequia soli masculi censentur idonei, ideo feudum, nisi aliud exprimatur, censetur dari pro solis masculis descendentibus: emphyteusis indifferenter pro masculis, & feminis, ut etiam diximus supra *tr.* 1. *c.* 2. *dub.* 2. *n.* 8.

3. Differt emphyteusis ab usufructu, quod iste in rebus etiam mobilibus reperiri potest; non sic emphyteusis, quæ solum conceditur in rebus immobilibus, agro, vinea, prædio, domo. Ususfructus finitur morte usufructuarii, emphyteusis autem non extinguitur morte emphyteutæ, nam dari potest in perpetuum, vel ad tertiam, vel quartam generationem, & transit etiam ad feminas, quæ sub tali nomine comprehenduntur. Differt a locatione, & venditione, quia non solum res immobilis, sed etiam res mobilis vendi, & locari potest. Deinde, quia in locatione non transfertur dominium, sed tantum usus rei, & in venditione transfertur utrumque dominium directum, & utile: in emphyteusi vero transfertur dominium utile, retento directo, per quod etiam differt a mutuo, donatione, & aliis contractibus, per quos non solum usus, sed etiam proprietas transfertur, nullo retento jure in re tradita apud tradentem.

4. Dividitur primo emphyteusis in ecclesiasticam, & communem, seu laicalem; illa constituitur in bonis Ecclesiæ, quorum dominium directum remanet penes Ecclesiam, cujus nomine veniunt etiam Monasteria, Hospitalia, Collegia, & alia loca pia: laicalis vero constituitur in bonis, quæ non sunt ecclesiastica, quorum dominium, & proprietas ad laicum, vel laicalem potestatem pertinet; in illa servantur leges Ecclesiæ, non vero Civiles, nisi a Pontifice sint approbatæ; & inde si Ecclesia ab emphyteusi excludat illegitimos, non debent admitti, quamvis lex civilis illos non excludat, ut cum Ludovico Molina *disp.* 446. tradit Rosignol. *contr.* 4. *prænot.* 2. *n.* 7. Quod si emphyteusis ecclesiastica concedatur laico, quoad solvenda tributa, & vectigalia, tenetur stare legibus sæcularibus, nec poterit gaudere exemptione Ecclesiæ, quia dominium utile rei ecclesiasticæ, ex quo translatum est in personam laicalem, factum est laicale, & sic sequitur dispositionem legis laicalis. Nec obstat, quod principale trahit ad se minus principale, ad hoc, ut dominium utile, quod est minus principale, spectare debeat ad Forum Ecclesiasticum, ad quod spectat dominium directum. Contra enim dico, id verificari, quando utrumque est indistinctum, & unum non potest separari ab alio; secus quando illa duo sunt distincta, & separabilia, ut cum Molina notat Rosignol. *n.* 3. ex quo infert, quod si controversia oriatur circa dominium utile translatum in laicos, debeat actio intentari coram Judice laico, si Ecclesiasticus sit actor, quia caussa sequitur forum rei, & quia dominium utile pertinet ad potestatem laicam.

5. Utraque dividitur in *temporalem*, & *perpetuam*. Perpetua, quæ etiam dicitur *hereditaria*, est illa, quæ conceditur absque temporis præfinitione, ita quod jus emphyteuticum transeat ad heredes in perpetuum, qui inviti privari non possunt, nisi ex caussis infra enumerandis. Temporalis est, quæ conceditur ad certum dumtaxat tempus, ad unam, duas, vel tres generationes, vel familiam. Alia est hereditaria simpliciter, quæ concedi solet pro omnibus heredibus, quamvis extraneis, talisque censetur, quando absolute detur alicui, & ejus heredibus; nam nomine heredum veniunt etiam extranei, si instituantur, ut habet Molina *disp.* 469. Alia est hereditaria mixta, quæ conceditur pro aliquibus heredibus, sed non pro omnibus. Alia dicitur familiaria, quæ conceditur solum pro iis, qui sunt de familia, quamvis non sint heredes, juxta pactum in investitura, ut cum Rebello, Molina, & Valasco tenet Bonacina *q.* 8. *n.* 7. Alia est nova, quæ scilicet primo instituitur, alia est vetus, & antiqua, quæ non primo statuitur, sed jam ante fuit instituta, quamvis forte nunc innovetur investitura pro successoribus, ut *ibidem* habet Bonacina.

DUBIUM II.

De conditionibus requisitis ad Emphyteusim.

6. Plures solent conditiones requiri pro diversitate locorum, & provinciarum, secundum consuetudines, statuta, & leges municipales, quæ sunt in illis locis observandæ, ut ostendit Lessius *l.* 2. *c.* 24. *n.* 42. sicut etiam observari debent conventiones, & pacta contrahentium, qui huic contractui dant legem magis, quam ulli alteri, ut cum Bassæo *verb. Emphyteusis n.* 3. & Dicastillo *disp.* 1. *n.* 24. notat Ant. a Spiritu S. *tr.* 10. *disp.* 21. *n.* 1023. Nunc loquimur de conditionibus de jure communi requisitis, ultra ea, quæ diximus in explicatione definitionis.

7. Ad valorem emphyteusis de jure communi, primo requiritur scriptura, sine qua contractus remanet nullus, & irritus, ut ait Glossa *in l.* 1. *verb. Alienationis*, *C. de jure emphyt.* ubi expresse dicitur, firma esse, & custodiri deberi eam, quæ in emphyteusi *inter contrahentes*, *scriptura interveniente* conventa sunt; ergo quæ sine *interveniente scriptura* in hoc contractu fiunt, firma non sunt; nam *contractus, qui in scriptis fieri placuit, ante scripturæ expeditionem validus non sit*, *l. si contractus* 17. *C. de fide instrum.* Et ita de communi testatur Julius Clarus *l.* 4. *Sent.* §. *Emphyteusis q.* 4. Alvar. Valascus *de jure emphyt. q.* 7. & alii, quos refert, & sequitur Palaus *q.* 10. *punct.* 3. inde inferens, finitam emphyteusim, non esse censendam renovatam, ex eo, quod dominus permiserit emphyteutæ prædia emphyteutica, sicut antea, possidere, quia ubi necessaria est scriptura, non potest sola taciturnitate firmari. Sic tradunt Jason. Alexand. Craveta, & alii allati e Palao *n.* 2.

8. Necessitatem scripturæ in emphyteusi ecclesiastica omnes facile admittunt. De emphyteusi communi, & laicali plures negant, scripturam esse de substantia, sed ad summum pertinere ad probationem, quatenus non sit admittenda probatio ejusdem contractus per testes, vel alia media; nisi confirmetur scriptura. Quamvis hoc videatur verum, ex consuetudine tamen præscripta obtentum videtur, ut ait Rosignol. *prænot.* 5. *n.* 1. ut sine illa & contractus subsistat, & per alia media de jure sufficienter probetur. Et inde, si emphyteuta forte scripturam amisit sine culpa, & dolo, illam probare poterit per testes deponentes, contractum fuisse celebratum, interveniente instrumento scripturæ, ut fusius tradunt Palaus *punct.* 4. & Rosignol. *prænot.* 5.

9. Secundo requiritur, quod contractus fiat de rebus immobilibus, & alienari non prohibitis, quia, ut dixi supra *num.* 1. emphyteusis ab initio fuit instituta, ut bona inculta, & sterilia per culturam efficerentur fertilia, & fœcunda, quamvis nunc talis contractus fiat etiam de rebus jam fœcundis. Bona ecclesiastica non possunt in emphyteusim a Prælato concedi, nisi ex legitima caussa, & cum sollemnitate a jure præscripta, quia sine

tali solemnitate non possunt alienari, ut constat ex Extrav. *Ambitiosæ de rebus Ecclesiæ non alienandis*, qua sancitum est, bona Ecclesiæ alienari non posse, nec locari ultra triennium, nisi forte solita sint tradi in emphyteusim, quia nimirum a principio, cum licentia Papæ, & servatis aliis sollemnitatibus jam fuerint data in emphyteusim, & non amplius fuerint Ecclesiæ incorporata; tunc enim tradi possunt sine nova sollemnitate, cum hæc non sit nova alienatio, sed continuatio præcedentis. Servandæ tamen sunt conditiones primi contractus, ut si erat pro descendentibus tantum, non potest tradi pro extraneis; & si erat ad unam, vel alteram generationem non potest ad plures extendi. Molina *disp.* 369. & cum Dicastillo Ant. a Spiritu S. *disp.* 21. *num.* 1043. Sed de hoc iterum redibit sermo, cum agemus de rebus Ecclesiasticis non alienandis.

20. Tertio requiritur, ut quis habeat dominium cum libera rerum suarum administratione, ad hoc ut illas dare possit in emphyteusim, cum ista sit species quædam alienationis, quam facere non potest, qui non habet liberam rerum suarum administrationem. Azor. *p.* 3. *lib.* 10. *cap.* 2. *q.* 2. Filliuc. Bonacina, & alii communiter; & inde Pupilli, & Minores sub Tutoribus, & Curatoribus constituti emphyteusim concedere non possunt, cum non habeant liberam bonorum suorum administrationem; nec Tutores, & Curatores id facere possunt sine decreto, & auctoritate Judicis, vel nisi Pater in testamento, vel codicillis id fieri præcepisset; siquidem Tutor, & Curator non habet jus alienandi, sed tantum administrandi, *l.* 1. *ff. de rebus eorum, qui sub tutela*. Nec item possunt Minores, & Pupilli rem ad ipsos redeuntem, finita emphyteusi, dare iterum in emphyteusim absque consensu Tutorum, & Curatorum. Item pariter dicendum de prodigo, & furioso, & universaliter de illis, quibus bonorum suorum administratio interdicta est, *l. is cui ff. de act. & oblig.* Prohibentur etiam Procuratores, qui tantum habent generale mandatum administrandi, quia non possunt alienare, cum pro alienatione requiratur speciale mandatum, ut colligitur ex *l. magis ff. de rebus eorum, qui sub tutela*, & cum aliis tradit Azor. supra *q.* 4.

21. Requiritur etiam ad validitatem hujus contractus, ut dominium directum semper permaneat apud concedentem, & nullo umquam tempore possit emphyteuta illud præscribere; nam ad præscribendum requiritur, ut quis possideat nomine proprio, emphyteuta vero non possidet nomine proprio, quoad dominium directum, quod semper remanet apud concedentem, ut cum Sylvestro, & Lessio tenet Bonacina *punct.* 3. *n.* 5.

DUBIUM III.

De jure, & obligatione Emphyteutæ.

22. Tenetur in primis emphyteuta perfecte servare pacta in concessione, & acquisitione specialiter conventa, prout habetur *l.* 2. *C. de jure emphyt.* ibi: *In emphyteutico contractu sancimus, siquidem aliquæ pactiones in emphyteuticis instrumentis sunt conscriptæ, easdem & in omnibus aliis observari*; nam contractus *ex conventione legem accipere dignoscuntur*. *Regula* 85. *Juris in* 6. & inde pro dignoscendis obligationibus, semper recurrendum ad instrumentum scriptum, quod in concessione emphyteusis stipulatum est. Quare si ipsi data est in emphyteusim res sterilis, & inculta ad meliorandam, & fructiferam reddendam, tenetur id præstare, nec satisfacit suæ obligationi eam conservando in eo statu, in quo accepit, quia hic contractus meliorationem significat, & in eum finem conceditur, ut cum aliis tradit Palaus *punct.* 5.

23. Quod si res data in emphyteusim non indigeat melioratione, vel quia jam culta, & frugifera, vel quia est infrugifera, ut est domus, tunc conservanda est in ea bonitate, in qua accepit; & si usu quotidiano, casu, aut sua, vel servorum culpa deterior evadat, eam tenetur suis sumptibus restaurare, & in pristinam bonitatem restituere, ut ex communi Doctorum tenet Molina *disp.* 456. & clare constat *l.* 1. *C. de jure emphyt.* in quo differt hic contractus a locatione, ubi conductor non tenetur propriis expensis rem conductam absque sua culpa usu quotidiano deteriorem factam, reparare, cum non habeat illius dominium, & si de facto reparationem faciat, poterit a locatore expensas prætendere, ut infra dicemus, cum de locatione.

24. Deinde tenetur singulis annis solvere proprietario certam pensionem in recognitionem dominii directi, vel etiam in compensationem dominii utilis, lucri, & fructuum ex re emphyteutica perceptorum, seu percipiendorum, quæ pensio, seu canon solvi potest in pecunia vel fructibus, juxta conventionem factam inter contrahentes: quæ pensio, si imponatur dumtaxat in recognitionem dominii directi, solet esse modica; si autem sit imposita in compensationem dominii utilis, potest esse major, aut minor, juxta proportionem fructuum, qui ex re data in emphyteusim percipiuntur, dummodo sit minor annuis fructibus, secus vix distingueretur a locatione, prout docent Molina *disp.* 451. *n.* 2. Azor. *l.* 10. *c.* 7. *q.* 1. Alvar. Valasc. *de emphyt.* *q.* 1. *n.* 8. Non desunt tamen alii, quos sequitur Rosignol. *prænot.* 6. *num.* 14. qui velint, pensionem imponi posse adæquantem dominium utile in emphyteutam translati, detractis expensis, & valore laboris in colligendis fructibus impensi. Tempus solvendi pensionem illud est, quod aut per contractum, aut per consuetudinem determinatum est. Regulariter solvi solet in fine anni a die celebrati contractus, & sic successive de anno in annum usquedum durat emphyteusis.

25. Cessat obligatio solvendi pensionem, & annuum canonem, si res emphyteutica tota pereat sine dolo, & culpa ipsius emphyteutæ, ut si domus tota sit combusta, si fundus alluvione totus abreptus, si prædium ab hostibus occupatum est, sine ulla spe recuperationis: constat ex *l.* 1. *C. de jure emph.* & ex Instit. *de Locata §. adeo*. Ratio est, quia talis pensio, & canon solvitur in recognitionem directi domini; & inde si non amplius extat, vel ad alium transit dominium, cessat obligatio solvendi pensionem priori domino; nam, destructo fundo, cessat jus super illo constitutum. Si tamen pereat tantum secundum partem, tunc emphyteuta, secundum rigorem juris, solvere tenetur totam, & integram pensionem, si exigua sit, & in modica quantitate consistat, quia adest fundamentum recognoscendi dominum directum; solvitur enim pensio modica potius in recognitionem dominii directi, quam in compensationem fructuum; tum quia sicut incrementum rei emphyteuticæ cedit emphyteutæ, ut si aliquid per alluvionem addatur, ita etiam illi cedit damnum sterilitatis; unde extant versiculi apud Clarum *q.* 8.

Si perit tota, non solvit emphyteuta,
Sed si pro parte, nulla se liberat arte.

Et ita tenent Julius Clarus *cit.* *q.* 8. Valasc. Rebell. Az. quos affert, & sequitur Bonacina *disp.* 3. *q.* 8. *num.* 18. Rosignol. *prænot.* 9. & docet Panor. in cap. *Potuit de locato*, dicens, solvendam esse pensionem, quantumcumque pars rei remanserit, etiamsi fuerit modica, seu minor pensione: ita etiam Glossa in dict. cap. *Potuit*, ubi, relata sententia opposita asserente, quod si perierit fundus emphyteuticus ultra medietatem, non tenetur emphyteuta solvere integram pensionem, subdit, *alii dicunt, & melius, quod totam pensionem solvere debet, adhærentes litteræ illius legis, ubi dicitur, ex qua non re ipsa penitus substantia lædatur*, *Instit. locato §. adeo in fine*, nisi forte adeo parva, & modica sit pars, quæ remanet, ut pro nihilo reputetur.

26. Dixi, *si exigua sit pensio, & in modica quantitate consistat*; nam si pensio sit magna, non tantum in recognitionem dominii directi, sed in compensationem dominii utilis, & intuitu fructuum, si non ex rigore juris, ex naturali tamen æquitate minuenda erit pensio, ne quis ex tali contractu sufferat gravius incommodum, quam sentiat commodum: unde si pars, quæ remanet, sit insufficiens pensioni solvendæ, diminuenda erit, ut docent Alvarus Valascus *q.* 17. *num.* 9. Gregor. Lopez, & Rebell. relati a Palao *punct.* 7. *num.* 3. dicentes, debere partem illam remanentem sufficientem esse pensioni solvendæ, alioquin diminuendam esse pensionem. Consentit Palaus, & Rosignol. attenta naturali æquitate, non vero rigore juris, secundum quem tota pensio esset solvenda, sive pars, quæ remanet sit sufficiens, sive non.

27. *An vero diminuenda sit pensio, si ob sterilitatem, incursionem hostium, grandines, aut aliud infortunium aliquo tempore fructus non colliguntur ex re emphyteutica.* Conveniunt omnes, minuendam non esse, quando pensio est modica in recognitionem dominii directi, quod adhuc durat; maxime, quia sterilitas unius anni abundantia aliorum compensari potest. Si vero pensio fructibus correspondet, tunc plures affirmant, minuendam esse proportionaliter pensionem, sumpta paritate a locatione, cui in hoc puncto emphyteusis assimilatur, in qua conductor pensionem integram solvere non tenetur, sed pro rata minuere potest, si ob sterilitatem, aut aliud infortunium aliquo anno fructus non percipit ex re conducta. Jason in *l.* 1. *C. de Jure emphyteut.* n. 20. Jul. Clarus *n.* 7. Nav. *in man. cap.* 57. *n.* 190. Valasc. *q.* 27. *a num.* 7. Lessius *l.* 2. *cap.* 24. *n.* 49. Hoc tamen non est facile admittendum, nam fructus rei pertinent ad eum, ad quem spectat dominium utile, & sic ad eumdem spectare debet periculum, & infortunium eorumdem fructuum: nec valet paritas de locatione, cum in ista habeatur sola consideratio fructuum, sine translatione dominii, ac proinde minuenda est pensio, si fructus non colligantur; in emphyteusi vero cum transferatur dominium utile, ad illum spectare

deber

debet periculum fructuum, ad quem spectat dominium utile, & hoc ex rigore Juris, ut ait Palaus dicens, ob hoc non esse recedendum ex dispositione legis, bene tamen ex naturali æquitate, & honestate, ut etiam tenet Rosignol. *prænot.9. n.5.* & Gloss. in cit. cap. *potuit de locat.*

18. Si res emphyteutica tota pereat sine tua culpa, cessat obligatio solvendi pensionem, nec istam teneris tuis expensis reparare, sed eo ipso cessat emphyteusis. Quod si a domino proprietario iterum reficiatur, domus combusta iterum reædificetur, & vinea, quæ ex alluvione perierat, iterum in pristinum statum restituatur, non teneris contractum continuare, nec consurgit obligatio solvendi pensionem, quia per rei destructionem cessavit emphyteusis, ut ait Sylvester *verb. emphyteusis*, & Az. *c.6. q.1.* quando autem refecta est, non dicitur eadem res, sed alia, propter mutationem formæ, quæ constituitur talis in individuo, ut habetur *l. Julian. §. si quis ff. ad exhibendum*, & cum Alvar. Valasco tenet Rosignol. *prænot. 9. n 2.* poterit tamen ex mutuo contrahentium consensu iterum dari in emphyteusim, & tunc erit obligatio solvendi pensionem, alias non.

DUBIUM IV.

De Caussis, ob quas Emphyteuta incidit in commissum.

19. TRes præcipue in Jure assignantur caussæ, ob quas Emphyteuta incidit in commissum, id est committit culpam, ob quam emphyteusi privari potest. Prima est, si conventas pensiones, & Canones statuto tempore non solvat. Secunda, si dolo, vel culpa emphyteutæ res emphyteutica notabiliter deterioratur. Tertia, si irrequisito domino emphyteusim alteri vendat, cum iste debeat omnibus aliis præferri.

20. Quoad primam caussam, si emphyteusis laica sit, & per triennium cesset a solutione, incidit in commissum, id est committit culpam, ob quam emphyteusi privari potest, *l. 2. C. de Jure emphyt.* Si vero sit Ecclesiastica, si per biennium a solutione cesset, cap. *fin. de locato*, ibi: *emphyteuta quoque secus præsumenda, vel cessando in solutione Canonis per biennium (nisi celeri satisfactione postmodum sibi consulere statuisset) juste potuisset expelli*; & inde emphyteuta Ecclesiasticus potest celeri satisfactione purgare moram, & excusare pœnam caducitatis, ut constat ex cit. Textu, & tradunt Doctores communiter. Quænam autem dicatur celeris satisfactio, seu quantum tempus concedatur ad purgandam moram, incertum est. Gloss. *verbo celeri* varias adducit responsiones, quas, vel non admittit, vel objicit. Alii assignant spatium decem dierum, eo quod hoc tempus in Jure modicum dicatur, *l. promissor 21. §. si fine ff. de constit. Pecun.* ibi: *modicum tempus statuendum est, non minus decem dierum*; sed verius id arbitrio Judicis relinquendum est, ut habet Gloss. *l.c. verbo celeri*, qui attenta qualitate rei, & personarum, tempus prolongabit, aut restringet, ita ut diviti minus tempus concedatur, quam pauperi, ut cum Jasone, Bartolo, & aliis notavit Palaus *punct. 11. n. 1.*

21. Hoc beneficium purgandi moram celeri satisfactione, de rigore Juris conceditur tantum in emphyteusi Ecclesiastica, non vero in laicali, & communi, in qua qui per triennium cessavit a solutione Canonis, statim incidit in caducitatem, posita tamen declaratione domini directi revocantis emphyteusim, & volentis, eam sibi applicari, ut, pluribus relatis, docent Covar. *lib. 3. var. resol. c. 17. n. 4.* Clarus *q.8. n. 15.* Molina *disput. 453. n.6.* Rebell. *l.13. q. 10. num. 3.* Palaus *punct. 11. num. 4.* Bonacina *num. 7.* Ratio esse potest, quia ubi dies, & pœna obligationi est adjecta, mora purgari non potest, nec quando pœna ipso jure imponitur, *l. qui ob rem ff. de Condict. indebiti*, *l. si is, cui de legat. 2.* potius autem conceditur hoc beneficium in emphyteusi Ecclesiastica, quam laicali, quia in illa, qui per biennium non solvit incidit in commissum, in ista vero conceditur triennium, & sic merito in illa conceditur hoc beneficium, non in ista. Dixi, *de rigore Juris*, quia ex æquitate plures admittunt hoc beneficium, etiam in emphyteusi laicali. Clarus *loc. cit. num. 15. ad finem*, Sarmient. *lib. 3. select. interpretat. cap. 5.* Bald. in *l. si pacta, quo pœnam C. de pactis*, & Jason *arg. l. si servum 91. §. sequitur 3. ff. de verb. oblig.* ubi expresse statuitur, quod ille, qui est in mora solvendi, moram possit ex æquitate purgare: *Æquitas autem est præferenda rigori Juris*, ut habetur *ib.*

22. Hanc pœnam caducitatis, qui non solvit pensionem per biennium, si emphyteusis est Ecclesiastica, & per triennium, si est laicalis, incurrit statim ipso jure, eaque privari potest, *non obstante, quod ei, ut Canonem solveret, non extitit nuntiatum, cum in hoc casu dies statuta interpellet pro domino*, ut habetur cap. *fin. hoc tit.* nulla expectata Sententia Judicis, sed declaratione solum domini directi declarantis, se velle emphyteusim non solventi ademptam esse, & eam volentis sibi applicari, quia, declaratione nondum secuta, potuit ille continuare in illius possessione; siquidem, ut bene cum aliis advertit Julius Clarus, pœna caducitatis locum non habet nisi domino volente, & voluntatem suam declarante: quare ipso tacente, & non reclamante poterit emphyteuta continuare in sua possessione, & perceptione fructuum absque obligatione illos restituendi; nam, licet non solvendo tempore debito, ipso jure cadat in commissum, hoc tamen intelligitur conditionate, *si dominus velit*, & sic locum non habet quousque purificetur conditio, & dominus suam voluntatem declaret, cum in illius favorem talis pœna sit introducta, ut cum communi Doctorum tenet Bonacina *q. 8. p. 2. n. 8.* & habetur ex *l. 2. C. de Jure emphyt.* ubi expresse dicitur; *cadat a jure suo, si dominus velit*, & inde privatio non inducitur quousque dominus exprimat, se velle: facta autem declaratione, statim cadit in commissum, & privari potest, etiam non expectata Judicis Sententia, ut cum Alexandro *consil. 6. l. 3.* Decio *consil. 146.* Guttier. Molina, & Rebello docet Palaus *punct. 8. n. 4.* sequitur Rosignol. *prænot. 7. n. 10.*

23. Nec obstat, sæpe necessariam esse declarationem Judicis, quando super caducitate contendunt emphiteuta, & dominus directus, affirmante isto incidisse in commissum, illo negante; non obstat, inquam, quia Sententia Judicis in tali casu non imponit pœnam caducitatis, sed tantum, librando fundamenta utriusque partis, declarat, emphyteutam incidisse in commissum, & a domino expelli posse. Ad tollendas rixas, jurgia, scandala, & litigiorum radices actualis expulsio fieri non debet sine auctoritate Judicis, maxime quia nemo debet esse Judex in caussa propria, & ita observari in praxi ex quadam æquitate, ac consuetudine introducta, notat Rosignol. *prænot. 7. n. 10.* & tenet Bonacina *n. 9.*

24. Plures tamen dantur causæ, ob quas emphyteuta pœnam caducitatis non incurrit. Prima, si cessat a solutione, quia dominus ex alia causa tantumdem ipsi debet, tunc enim Canonem retinet titulo compensationis, quæ habet vim solutionis. Navar. *cap. 17. num. 193.* Abbas *in c. Bona fides n. 12. de deposito*, Molina *disp. 453. n. 10.* Secunda, si emphyteuta Canonem offert, & per dominum stat quominus non recipiatur. Glos. in *l. 2. vers. secundum legem Cod. de Jure Emphyt.* Molina *loc. cit. n. 9.* cum enim ipse non sit in mora, loco, & tempore Canonem offerendo, par non est, ut pœnam caducitatis patiatur, dummodo realiter, & non nudis verbis offerat, prout cum aliis tenet Julius Clarus *loc. c.* cum juxta illud tritum, *Ubi opus est facto, non sufficiunt verba.* Multo minus cadit, si pensionem non solum obtulit, verum etiam deposuit, ut notat Bonacina *num. 12.* quamvis illam deponere non teneatur, ut ostendit Rosignol. *n. 15.*

25. Tertia est, causa quæcumque justa, ob quam non solvens tempore debito liberatur a culpa; nam tunc liberatur etiam a pœna caducitatis, quæ cum sit pœna gravis, non nisi ob gravem culpam incurritur; unde si ob paupertatem, seu gravem necessitatem solvere omittat, excusandus erit, ut cum Rebello *p. 2. l. 13. q. 8. n. 7.* tenet Palaus *punct. 8. n. 8.* Similiter si ob sterilitatem, vel aliud infortunium fructus non colligantur, non incurrit pœnam caducitatis, cum secundum opinionem probabilem solvere non teneatur, ex dictis supra *numer.*

26. Quarta est ignorantia facti, quando heres succedens ignorat, rem esse emphyteuticam. Valasc. *q. 38. num. 53.* Julius Clarus *q. 8. num. 9.* Rebell. *q. 8. num. 1.* Palaus *n. 8.* Ignorantia Juris, qua sciens, rem esse emphyteuticam, ignorat tamen se propterea debere solvere annuum censum, quamvis in foro conscientiæ aliquando excuset, non sic in foro externo, ubi illa non præsumitur: ex æquitate tamen ipsi conceditur restitutio in integrum, quamvis sit major 25. annis, ut asserunt *cit. DD.* ex regula generali, *si qua mihi justa caussa l. 1. ff. ex quibus caussis majores.*

27. *An vero, quando plures sunt heredes, si unus non solvit, reliquis solventibus, incidant omnes in commissum, ita ut res revertatur ad dominum directum?*

Resp. Affirmative Glos. *in l. communi dividunda, c. 2. verb. confundetur ff. de communi dividundo*, quam Glos. omnes sequuntur, ut sequitur afflict. *decis. 153. n. 4.* Ripa *in l. 4. §. Cato num. 44. ff. de verb. obligat.* Julius Clarus *l. 4. Sentent. quæst. 8. num. 13.* Molina *disp. 453.* Rosignol. *prænot. 7. num. 11.* Bonacina *num. 14.* & alii communiter. Ratio est, quia omnes heredes in solidum repræsentant personam defuncti, nec dominus directus debet divisim agere, inquirendo, an unus solverit, alter non; & an res secundum se indivisa fuerit, vel non fuerit inter plures divisa, aliter damnum

pateretur dominus indirectus, & multæ res emphyteuticæ ad nihilum reducerentur. Idem valet, quando aliquis accepit rem in emphyteusim pro se, Filiis, & Nepotibus; uno enim deficiente a solutione, omnes cadunt in commissum, & rem amittunt. Clarus alios referens *q.* 8. §. *sed hic quæro*.

28. Limitatur, quando dominus directus facultatem concessisset, ut res dividatur inter plures heredes, & partialem obligationem ad ratam ab unoquoque acceptaret, quia tunc cederet juri suo, & singulos eximeret ab obligatione aliorum. Remedium pro vitanda caducitate proponit Bonacina *n.* 24. quando res adhuc est indivisa, dicens, quod unus potest integram pensionem solvere, deinde agere contra eum, qui non solvit, & ab eo repetere portionem pro ipso solutam, cum non teneatur gratis pro eo solvere. Simili modo dicendum est, emphyteutam solventem partem dumtaxat pensionis, non totam, cadere in commissum non tantum quoad partem, sed quoad totum, nisi pars non soluta, esset ita modica, ut non mereretur tantam pœnam. Rosignol. *num.* 13.

29. Quæres: *An dominus sibi præjudicet, acceptando pensionem ab emphyteuta post incursam caducitatem, & censeatur illam remisisse?*

Resp. non sibi præjudicare, si post factam expulsionem emphyteutæ, recipiat pensiones correspondentes tempori præterito ante caducitatem. Ante expulsionem sibi præjudicat, si recipiat pensiones decursas post moram contractam, & incursam caducitatem, quia videtur per actum contrarium renuntiasse juri suo, sicut affirmatur de appellante ad Superiorem, si compareat coram Judice inferiori super concernentibus ipsam appellationem, cap. *sollicitudinem de appellationibus*, etiamsi forte aliquam protestationem præmisit, quæ, cum sit contraria facto, non est attendenda; si recipiat pensionem debitam, & correspondentem tempori præterito ante caducitatem non sibi præjudicat, si hac faciat cum protestatione, quod *nullo modo intendit sibi præjudicare*. Si vero nullam præmittat protestationem, sed simpliciter recipiat pensionem correspondentem tempori præterito ante caducitatem, tunc dubium est, an intelligatur remisisse. Negat Bonacina *n.* 15. sequitur Rosignol. *n.* 14. quia in dubio non præsumitur quis velle renuntiare juri suo, nisi aliter colligatur ex circumstantiis, vel praxi, cap. *super hoc de renuntiatione*: alii sentiunt oppositam, quia cum dominus facile possit emphyteutam expellere, si non expellit, nec protestetur; sed pensionem recipiat, videtur caducitatem condonare, & ita de communi Sententia docet Gigas *de pens. q.* 73. a. 3. Utrumque probabiliter dicitur, sed non est recedendum a prima sententia, quam defendit etiam Palaus *punct.* 12. *n.* 6.

D U B I U M V.

De aliis Caussis, ob quas incidit in commissum.

30. SEcunda caussa, ob quam emphyteuta incidit in commissum, & expelli potest, est, quando rem emphyteuticam seu culpa lata, vel levi, de levissima non tenetur, notabiliter deteriorem reddit in substantia, arbores fructiferas excidendo, sylvas extirpando, vineam devastando, &c. Textus expressus habetur in *Authen. Qui rem C. de Sacrosanct. Eccles.* ibi: *Qui rem in emphyteusim acceptam fecerit deteriorem, &c. hac lege repelli potest, at tamen id, in quo rem læsit, resarciat*, & sic ultra pœnam expulsionis, tenetur etiam damnum illatum resarcire, & quamvis Textus expresse loquatur solum de emphyteusi Ecclesiastica, tamen communiter intelligitur etiam de laicali, & communi, ob paritatem rationis; quia nimirum emphyteuta sive Ecclesiasticus, sive laicalis rem accepit ad meliorandum, & sic conveniens est, ut ea privetur, si notabiliter deteriorem reddat contra finem concessionis, & institutionis. Julius Clarus *q.* 26. Molina *disp.* 457. Rosignol. *prænot.* 7. *n.* 47. Sylvester. Lessius, Reginald. & alii, quos affert, & sequitur Bonacina *n.* 23.

31. Intelligitur de notabili, non de modica deterioratione, ob quam non est privandus, *arg. l. scio* 4. *ff. de in integr. rest.* in dubio, an detrimentum sit notabile, seu leve, arbitrio Judicis decidendum erit. Detrimentum debet esse in substantia, & proprietate, non in fructibus ejusdem, quia cum horum emphyteuta sit dominus, libere potest de illis disponere, illos curare, & colligere, vel illos relinquere, & non percipere, dummodo per hoc fundus notabiliter non deterioretur. Rosignol. & alii Doctores *supra cit.* Per notabilem deteriorationem emphyteuta pœnam caducitatis incurrit ante Sententiam Judicis, dummodo dominus suam declaret voluntatem, quamvis ad executionem auctoritas Judicis sit necessaria, ut supra diximus *n.* 22. de non solvente Canonem tempore debito.

32. Hinc sequitur, emphyteutam obligatum esse sumptus necessarios facere, ne res emphiteutica deterioretur: sed conservetur in eo statu, quo fuit accepta, ut diximus supra *n.* 12. & tenet Molina *disp.* 457. An vero incidat in commissum qui in emphyteusim olivetum accepit in perpetuum, aut ad plures vitas, si, irrequisito domino, olivas præscindat, & loco illarum vineas plantet, quæ secundum communem hominum æstimationem utiliores sunt; negat Alvar. Valasc. *consult.* 50. quia illa non est alienatio, neque deterioratio, aut destructio, sed in melius commutatio. Verum dicendum est, incidere in commissum, quia per illam præcisionem destruitur res emphyteutica, & perit emphyteusis; quod deinde loco illius aliud subrogetur, non sequitur, quod emphyteusis antiqua non perierit, sicut perierit, si, destructa domo, quæ in illa erat, loco illius vinea plantaretur, sequitur solum, quod nova fieri possit emphyteusis, quam dominus directus facere non tenetur. Ita Julius Clarus *l.* 4. *Sent. §. emphyt. q.* 26. Molina *disp.* 456. *in fine*, & aliis allatis Rosignol. *contract.* 5. *disquisit.* 2. §. 5.

33. Tertia conditio, ob quam emphyteuta cadit in commissum, & expelli potest, est, quando rem emphyteuticam, seu melioramenta in ea facta vendit, irrequisito domino proprietario, & non servatis aliis Juris conditionibus, ut habetur ex *l.* 3. *c. Jure emphyt.* & ex cap. *Potuit de locato*, & de communi Doctorum tradit Lessius *l.* 2. *c.* 24. *dub.* 9. *n.* 52. Clarus *q.* 13. §. 1. Azor. *p.* 3. *l.* 10. *c.* 8. *q.* 1. Rosignol. *prænot.* 7. *n.* 31. & intelligitur de venditione perfecta cum actuali rei traditione; nam si res sit quidem vendita, sed non actualiter tradita, non incurrit emphyteuta pœnam caducitatis, quia ante traditionem secutam res nondum dicitur perfecte alienata, cum dominium adhuc maneat penes alienantem, *l. alienatum* 67. *ff. de verb. signif.* ibi: *alienatum non proprie dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet*. Imola in dict. cap. *Potuit num.* 49. *in fin. de locato*. Clarus *q.* 13. *num.* 3. Lessius supra *n.* 53.

34. Facta venditione cum actuali traditione, statim emphyteuta incurrit pœnam caducitatis, etiamsi dicat a *salvo jure, & assensu domini directi*, quia talis protestatio est contraria facto. Jason. *in* 2. *lect. rubr. ff. soluto matrim. n* 25. Clarus *supra n.* 5. Molina *disp.* 459. *n.* 8. aliique communiter. Aliqui excusant a caducitate, si protestatio fieret verbis geminatis, dicendo: *Salvo assensu domini directi, nec aliter, nec alio modo*, quia talis geminata protestatio aliquid operatur, etiamsi sit secuta realis traditio. Bald. loquens de vassall. *cap.* 1. §. *fin. n.* 5. & approbat Clarus §. *Item quæro*, in casu, quo res esset facilis recuperationis, & parva: secus si sit magna, & difficilis recuperationis, in hoc sensu intelligi potest Pater Rosignol. *prænot.* 7. *n.* 35. emphyteutam liberari a caducitate, si rem vendat, & tradat cum expressa conditione, *ut si proprietarius voluerit eodem pretio illam redimere*, teneatur illi eam restituere, vel etiam tradat sub conditione, *si propeitarius consenserit*.

35. Emphyteuta liberatur a pœna caducitatis, si investitura, seu concessione emphyteusis fuerit expresse concessum, quod libere possit vendere, & alienare, vel si emphyteusis concessa sit illi pro se, & pro aliis quibuscumque dederit; nam ex tali clausula sequi videtur, non esse necessarium consensum domini in venditione, & alienatione, cum sufficienter sit expressus per d. clausulam, ut habet Clarus *q.* 13. §. *Ulterius quæro*. Liberatur item, si dominus a novo emphyteuta, cui facta est alienatio sine suo consensu, pensionem accipiat; nam tunc censetur consentire, & approbare alienationem factam, & remittere pœnam caducitatis.

36. *An vero emphyteuta liberetur a pœna caducitatis, si, facta, & completa venditione cum rei venditæ traditione, eamdem postea eodem, vel diverso pretio recuperet.*

Resp. negative *arg. l. Quidam* 10. & *l. Rogo* 21. *ff. de fideicom. libert.* quia per talem venditionem jus est acquisitum domino directo, & per hoc, quod emphyteutam pœniteat, & rem venditam recuperet, non sequitur, quod non fuerit perfecte alienata, ac proinde non sit incursus in pœnam caducitatis, quæ imposita est contra quemcumque perfecte alienantem, irrequisito domino, ut pluribus relatis, tenet Clarus *q.* 13. §. *sed quid* sequitur Gattier. *q. pract. q.* 115. *num.* 6. Sylvester *verb. emphyteusis*, *q.* 5. Rosignol. *n.* 36. dicens, hoc esse verum, etiamsi res vendita fuerit cum pacto retrovenditionis, cum per hoc non tollatur, quod alienatio non fuerit perfecta, cum Rebello, & Dicastill. tenet Antonius a Spiritu S. *disp.* 21. *num.* 1045. Palaus *punct.* 13. *num.* 11.

37. Potest emphyteuta vendere tum rem emphyteuticam, tum melioramenta facta in illa, si observat conditiones positas in c. *Potuit de locato*, & in *l. fin. C. de Jure*

emphy-

emphyteut. quarum prima est, ut prius domino directo significet, quod illam vendere velit, & quantum pretium ab aliis offeratur, quo facto, si dominus directus licentiam dederit, vel dixerit, se nolle emere, vendere poterit; si autem emere voluerit pretio ab aliis oblato, omnibus aliis præferendus est; si autem taceat, nec se determinet, expectare debet ipsius resolutionem per duos menses, quibus transactis, si dominus emere noluerit, vel non se determinaverit, liberum erit emphyteutæ aliis vendere, dummodo non sint ex illis, quibus a Jure prohibitum est vendere emphyteusim, ut habetur cit. cap. *Potuit emphyteuta (Ecclesia primitus requisita, eique nunciato, quantum sibi ab aliis offertur, si nolle se emere dixerit, vel a denunciationis tempore duorum mensium spatium fuit elapsum) Meliorationes, & Jus sibi competens aliis vendere, qui ab emptione hujusmodi minime prohibentur*, quod idem habetur *l. fin. C. de Jure emphyteut.*

38. Personæ prohibitæ emphyteusim acquirere, seu quibus non est licitum illam vendere, specificantur a Glos. communiter recepta in d. cap. *Potuit*, & sunt omnes illi, qui legitime conveniri possunt, ut pensionem solvant, vel ut meliorem reddant rem emphyteuticam, ut sunt potentes, qui ratione potentiæ difficile possunt conveniri, & ab eis pensio annua, vel alia præstatio debita difficile potest haberi. Clarus §. *emphyteusis q. 22.* dicens, hanc esse vulgarem, & notissimam regulam, quia nimirum tali venditione deterior fieret conditio domini directi. Eadem ratione prohibentur accipere Clerici, mulieres, & pauperes ob eorum impotentiam: prohibentur etiam Curiales, & milites, quia isti prohibentur conducere prædia rustica, *l. Milites, & l. Curiales C. hoc tit.* cum enim sint militiæ, vel curiæ obligati, non possunt facile conveniri, nec agere id, ad quod emphyteusis est data, seu instituta, & sic non potest illam accipere. Universaliter omnis illa persona, per quam deterior redditur conditio domini, intelligitur prohibita, sive sit deterior ob potentiam emptoris, sive ob paupertatem, sive quia est persona privilegiata, ut habet Jason. in *l. 2. C. de Jure emphyt. a n. 90.* Intellige semper, nisi dominus consentiat, quia, illo volente, & consentiente, etiam privilegiatis vendi poterit emphyteusis.

39. Prohibitum pariter est vendere Ecclesiis, Monasteriis, Civitati, & Communitatibus; nam per talem venditionem deterior redderetur conditio domini directi, siquidem Ecclesia non moritur, & bona aliquando acquisita alienare non potest, unde rarius dominus poterit habere laudemium mutatione emphyteusis, quæ raro, vel numquam contingeret. Civitas pariter, & Communitas numquam finitur, & sic illis venditio fieri non potest, nisi domino volente, & consentiente, quia sicut ipse potest Ecclesiæ donare, ita concedere potest, ut illi emphyteusis vendatur. Poterit illi dari ad duas, vel tres generationes alicujus ex Civitate nominandi, ut tenent Filliuc. *tom. 2. tract. 36. c. 7. n. 124.* Limita nisi emphyteuta vendere volens non sit Ecclesia, vel alia persona æque potens aut pauper, quia tunc non fieret deterior conditio domini, ut per se patet.

40. Non est prohibitum emphyteutæ sine consensu domini directi Jus suum emphyteuticum una simul cum melioramentis ab eo factis exponere venditioni, & de pretio cum aliis tractare, ut sic domino nuntiare possit pretium ab aliis oblatum, an velit ipse tali pretio emere, juxta allegata Jura, quod præstare non potest, nisi jus suum, & melioramenta venditioni exponat, ut notat Rosignol. *prænot. 7. n. 31.*

41. Nec item prohibitum est emphyteutæ rem emphyteuticam quoad dominium utile una simul cum melioramentis alio titulo, quam venditionis, alienare; unde potest illam alteri donare, legare, hypothecare, & in dotem dare, non requisito domino, nec facta eidem denuntiatione. Gloss. *in l. fin. vers. aliis vendere C. de Jure emphyteutic*, quam sequuntur communiter Doctores Julius Clarus *q. 25.* Abbas *in c. fin. hoc tit. n. 9.* Molina *disp. 461. circa fin.* Rebell. *lib. 13. q. 5.* Lessius *l. 2. c. 24. n. 54.* & alios referens Bonacina *q. 8. p. 2. n. 24.* Ratio est, quia in *cit. l. 3. Cod. de Jure emphyteut.* & cap. *Potuit de locato*, sola venditio videtur prohibita, non requisito domino, nec illi facta denuntiatione, cum de illa solum fiat mentio, nec de aliis Jura loquantur; potius autem fieri debet talis denuntiatio in venditione, quam in donatione, aut legato, quia in venditione conceditur emphyteusis pretium offerenti, & cum illud offerri possit a domino directo, ideo volunt Jura, quod aliis omnibus præferatur, & sic illi facienda est denuntiatio, ut deliberare possit, an velit eodem pretio emere; quæ ratio non militat, quando jus emphyteuticum gratis, & sine pretio transfertur per donationem, & legatum; non enim dominus prætendere potest, ut sibi gratis concedatur, sicut prætendere potest, ut eodem pretio sibi vendatur, ut habent cit. D. D.

42. Quamvis autem, quis possit, irrequisito domino, donare, & legare, non tamen potest donatarium, seu legatarium investire, seu in possessionem mittere; secus incurreret pœnam caducitatis, cum talis possessio capienda sit a domino, qui prius inquirere potest, an sit persona idonea, & ad solvendam sibi pensionem apta, quæ sibi etiam solvere debet laudemium. Nec tenetur dominus donatarium, vel legatarium in emphyteutam accipere, nisi sit de personis non prohibitis, & sit persona idonea ad solvendum, ut habet Text. *in d. l. fin. in verb. necessitatem*: ibi; *ad personas non prohibitas, sed concessas, & idoneas ad solvendum.* Ecclesiis, & locis piis, quamvis prohibitum sit vendere emphyteusim, non tamen est prohibitum illis donare, aut legare, sed tunc Ecclesia tenetur intra annum eam vendere, & transferre in personam laicam, ne deterior fiat conditio domini directi. Jason. *in lib. 2. Cod. de Jure emphyt. n. 91.* citans Speculatorem.

43. Non potest emphyteuta emphyteusim locare ad longum tempus, quia locatio ad longum tempus est illius alienatio. Clarus *loc. cit. n. 19.* Alexand. *consil. 119. circa finem lib. 3.* Molina *disp. 461.* bene tamen locare potest ad modicum tempus, quia locatio ad modicum tempus non est alienatio, juxta cit. Doctores, & alios, quos affert, & sequitur Palaus *punct. 14. num. 3. & 4.* longum tempus est decennium, *l. super longi 11. C. de præscr. longi temp.* Potest etiam, irrequisito domino, illam hypothecare, & oppignorare; quia per hoc dominus directus non præjudicatur; nam per hypothecam, & pignus non transfertur dominium, sed manet in bonis debitoris, *l. Pignus 8. de pign. act.* ut, pluribus allatis, tenet Palaus *supra n. 1.* Potest etiam cum alio permutare, quia permutatio plerumque fieri solet propter affectionem, vel particularem commoditatem, quam emphyteuta habere non potest a domino, cui proinde nulla fit injuria, si, eo irrequisito, res permutetur. Clarus *q. 17.* Silvest. *verbo Emphyteusis q. 17.* Molina *disp. 461.* Lessius *lib. 2. cap. 24. dub. 9. num. 54.* Si autem permutatio fieret cum alia re, quam æque bene dari potest a domino directo, iste erit præferendus; cum, ceteris paribus, semper præferri debeat.

44. Quæres: *utrum emphyteuta cedere possit emphyteusi quoties voluerit, & sic se liberare, renuente domino?*

Resp. negative, nam jus expellendi emphyteutam introductum, est in favorem proprietarii, cui competit actio personalis contra emphyteutam, qui cum sit personaliter obligatus ad pensionem, *l. 1. & 2. C. de Jure emphyt.* eam solvere tenetur, quamvis rem dimittat; & inde si emphiteusis facta sit deterior, & velit illam dimittere, eam dimittendo adhuc obligatur ad pensionem, quia actiones personales sunt affixæ nostris ossibus, *l. Quis ergo ff. de peculio*, ita cum Sylvestro, & aliis tenet Bonacina *n. 17.* Nec obstat, quod libere acceptaverit emphyteusim, nam ipsam semel libere acceptando, non est amplius liber ad eam dimittendam, renuente domino, in quo sensu verificatur illud *Quod a principio est voluntatis, ex post facto est necessitatis, l. sicut C. de actionib. & obligat.*

D U B I U M VI.

De Obligatione solvendi Laudemium.

45. IN principio hujus contractus, quando scilicet res aliqua primo conceditur in emphyteusim de rigore Juris nihil omnino tenetur emphyteuta solvere pro ingressu, sed dumtaxat tenetur singulis annis conventas pensiones solvere, ut ex communi Sententia Doctorum tradit Abbas *in cap. Potuit n. 6. in fin. de locato*, sequitur Bart. *in l. mihi, & Titio post num. 4. ff. de verb. obligat.* Cynus *in d. l. 1.* Jason. *n. 4.* Paris. *consil. 77. n. 13. lib. 3.* quos sequitur Clarus *q. 3.* Sylvester, Covarr. Molina, quos sequitur Rosignol. *contr. 4. prænot. 31. n. 2.* addens, ex conventione aliquid solvi posse sine injustitia, & sine læsione contractus pro ingressu.

46. Successive deinde, quando res emphyteutica transit ad alium emphyteutam per venditionem, donationem, permutationem, legatum, constitutionem dotis, aut locationem ad longum tempus, id est ad decem annos, a secundo emphyteuta solvendum est laudemium domino directo pro investitura, & immissione in possessionem, quam accipit a domino directo, ad quem dumtaxat spectat Investituram concedere, quæ est quid pretio æstimabile. Sic habetur ex *l. 3. C. de Jure emphyt.* ita tenent Jason. *in l. 2. C. de Jure emphyt. n. 33. & seq.* Lessius *lib. 2. cap. 24. num. 57.* Molina *disp. 459. num. 21.* Bonacina *num. 25.* Rosignol. *prænot. 4. num. 1.* De Jure communi Laudemium est quinquagesima pars pretii, quo res emphyteutica æstimatur, ex *d. l. 3. de Jure emph.* ex consuetudine tamen videtur esse trigesima pars, ut

ait Sylvester *verb. Emphyteusis q. 21. n. 28.* potest item esse major, aut minor, juxta conventionem partium, ut cum Rebello tenet Rosignol. *loc. cit.*

47. Hæc autem pars, sive quinquagesima; sive trigesima solvenda pro laudemio, non est computanda secundum valorem, quam habebat res, quando primo data est in emphyteusim, sed secundum valorem, quem habet, quando transit ad novum emphyteutam, ex *cit. l. ult. C. de Jure emphyt.* ibi: *Quinquagesimam partem pretii, vel æstimationis loci, qui transfertur, accipere liceat domino*; unde si illa fuerit meliorata a melioramentis, etiam sumendum est pretium laudemii, seu a re tota simul cum melioramentis, quæ adhærent fundo, ut cum aliis tenet Rosignol. Cur autem pro hac nova investitura, seu immissione solvetur laudemium, & non pro prima, quando primo res data est emphyteutæ, rationem affert Rosignol. quia per contractum initum cum primo emphyteuta tenetur dominus proprietatis ex vi ejusdem contractus possessionem, & immissionem concedere, non sic tenetur, quando ab uno in alium transfertur dominium utile, ac proinde pro nova investitura potest petere, & recipere laudemium.

48. Plures casus assignantur, in quibus de jure communi laudemium non est persolvendum domino directo, nec ipsius consensus requirendus. Primus est, quando, morto emphyteuta, dominium utile transfertur in alium jure hereditariæ successionis. Sylvest. *verb. Emphyteusis q. 21.* Molina *disp. 461. n. 8.* Alvar. Valasc. *de Jure emphyteut. q. 18. n. 28.* Rosignol. *n. 5.* Bonacina *n. 27.* nam tunc emphyteusis sine nova investitura transit ad heredes necessarios, aut legitime succedentes, qui auctoritate propria adeunt hereditatem, ac proinde non tenentur laudemium solvere, ad differentiam heredis extranei, qui ab intestato non succedit, & sic indiget nova investitura, & immissione. Gloss. & Doctores in *l. fin. C. de Jure emphyt.* & cum Sylvestro, & Bonacina tenet Rosignol. *supra*.

49. Idem dicendum est, quando plures heredes titulo hereditario succedentes inter se dividunt emphyteusim, quia omnes videntur inclusi in illa prima investitura, ut proinde opus non habeant præstatione laudemii dominum recognoscere. Quin etiam ante divisionem unus poterit, irrequisito domino, & absque præstatione laudemii, vendere, & cedere alteri coheredi partem sibi respondentem; secus si alienet extraneo, vel post factam divisionem, ut cum Molina *disp. 460. n. 7.* tenet Bonacina *n. 27.*

50. Secundus est, quando dominium utile transfertur ex necessitate dotandi filiam, quando scilicet pater nihil aliud habens, quam bonum emphyteuticum, illud tradit filiæ in dotem; nam parens necessario filiam dotare debet, laudemium autem solvendum est pro alienatione voluntaria, non necessaria, qualis est illa dotandi filiam in casu posito, quod pater nullum aliud habeat bonum. Rosignol. *n. 10.* Bonacina *n. 27.* siquidem necessitas legem non habet.

51. Tertius, quando res emphyteutica redit ad priorem emphyteutam, dissoluto contractu celebrato cum pacto retrovenditionis; siquidem iste non est novus contractus, nec nova venditio, sed rescissio prioris contractus, & sic non est necessarium laudemium. Nec item, quando ante traditionem venditio emphyteusis iterum rescinditur; nam laudemium datur propter investituram, quæ non habet locum, quando præcedens contractus rescinditur. Secus dicendum, si prior contractus non rescindatur, sed alter de novo celebretur, ut si venditor novo, & distincto contractu rem legitime alienatam iterum redimat; nam tunc requiritur laudemium, ut cum Molina *disput. 459.* tenet Bonacina *supra*, & Rosignol. *numer. 7.*

52. Extra hos casus laudemium regulariter solvendum est, etiamsi non petatur, ea ratione, qua solvi debent alia debita, etiamsi non petantur; nam laudemium, posita venditione, & alienatione rei emphyteuticæ, debetur, nisi constet de voluntate domini illud remittentis, ut ex communi DD. tradit Bonacina *n. 28.* Quod si dominus proprietarius moriens legato uni relinquat proprietatem, & alteri usumfructum, laudemium solvendum esse illi, cui relictus est ususfructus, tenent communiter Doctores: nam laudemium est quidam usus, & fructus proprietatis, qui spectat ad usufructuarium. Oppositum tenet Rosignol. *n. 13.* dicens, pertinere ad proprietarium; nam illi solvendum est de rigore laudemium, ad quem spectat facere investituram, & immittere in possessionem; hoc autem spectat ad dominum proprietatis, non usufructus. Idem habet Ant. a Spiritu S. *disp. 21. sect. 10. n. 1052.* dicens, laudemium semper solvendum esse habenti proprietatem, nisi aliter ferat consuetudo, ut habet Rebellus *l. 3. q. 6. n. 2.* sed non est recedendum a sententia communi, quia licet ad proprietarium spectet concedere investituram, non tamen ad eum spectat laudemium, sicut nec spectant fructus proprietatis, quamvis illius habeat dominium.

53. Obligatio solvendi laudemium non est personalis, sed realis, & sic sequitur res alienatas, & cum eisdem transit ad successorem. *An vero solvi debeat laudemium ab extraneo successore, quando ex primo contractu concessum est emphyteutæ, ut jus emphyteuticum transferre possit in quemcumque voluerit?*

Resp. Affirmative, quia successor extraneus non est heres, qui in jure vocatur *suus*, qui solum eximitur ab hac obligatione. Nec obstat concessa facultas transferendi in quemcumque voluerit, quia intelligitur, sine præjudicio solvendi laudemium, ea ratione, qua solvere tenetur emptor, etiamsi de licentia domini rem emphyteuticam emit, cum uterque debeat recipere investituram, propter quam solvitur laudemium. Sic Rosignol. *disq. 2. §. 5.*

DUBIUM VII.

De successione in emphyteusi.

54. Cum emphyteusis multiplex sit, seu multipliciter dividatur, juxta superius dicta *dubio* 1. quando agitur de successione, consideranda semper est investitura, seu instrumentum concessionis, & quibus clausulis fuit concessa, quia sic constare poterit, an illa sit perpetua, hereditaria, vel temporalis, & quinam succedere debeat. Et quidem si fuit concessa simpliciter, nulla facta mentione temporis, vel personarum, ad quas transeat; puta si dicat: *Concedo tibi hoc prædium in emphyteusim*, censetur esse perpetua, quia in dubio emphyteusis judicanda est perpetua, nisi aliter ex instrumento constet, ut habet Julius Clarus *q. 28. n. 1.* & sic dicendum est, transire ad omnes heredes, etiam extraneos, si emphyteusis sit laici; nam si est Ecclesiastica, sic absolute concessa non transit, nisi ad filios, & filias, eorumque nepotes, ut notat Clarus *ib.*

55. Si autem sit concessa in perpetuum, addita clausula *Pro te, & tuis heredibus*, tunc certum est transire ad heredes, etiam extraneos, qui etiam veniunt nomine heredum, & hoc verificari tam de emphyteusi laicali, quam Ecclesiastica, si concedatur cum tali clausula: *Pro te, & tuis heredibus*, docent Clarus, alios referens, *cit. q. 28. n. 6. & 7.* Covar. *l. 2. var. resol. n. 5* Molina *disp. 469. n. 3.* quamvis de emphyteusi Ecclesiastica nonnulli relati a Claro *cit. q. n. 6.* sentiant, non transire ad extraneos, nisi sit expresse concessa pro heredibus, & *quibus dederit*, vel pro omnibus heredibus, aut sub alia æquivalente verborum forma, ut habet Rebell. *l. 13. q. 14. n. 1.* quem sequitur Ant. a Spiritu S. *disp. 21. num. 1073.* *An deinde nomine filiorum veniant solum legitimi, vel etiam naturales, & legitimati, sive a Principe, sive per subsequens matrimonium, vel etiam feminæ sint?*

56. Resp. 1. Filii naturales, & illegitimi succedere possunt in emphyteusi sæculari, eadem ratione, qua succedere possunt in alia bona defuncti, non sic tamen in emphyteusi Ecclesiastica. Ratio primæ partis est, quia in jure nulla reperitur prohibitio, seu dispositio magis excludens illegitimos a successione in emphyteusi, quam in aliis bonis defuncti, ac proinde possunt eodem modo succedere, nisi in concessione emphyteusis sint specialiter exclusi. Quomodo autem, & quando in aliis bonis succedere possint, & succedant, spectat ad materiam de testamentis, & successionibus ab intestato.

57. Ratio secundæ partis est, quia filios naturales, & illegitimos, tamquam conceptos ex actu peccaminoso, maxime abhorret Ecclesia, & exosos habet, & sic non est præsumendum, generalibus verbis illos comprehendere voluisse, maxime, quia, si de hoc fuisset interrogata, illos exclusisset. Baldus *in l. generaliter §. cum autem n. 1. C. de institut. & subst.* Clarus *q. 30.* Jason. *in l. 2. de Jure emphyt.* Molina *disp. 485. n. 7.* Idem dicendum est de legitimatis a Principe sæculari, qui non succedunt in emphyteusi Ecclesiastica, circa quam Princeps sæcularis non habet potestatem: bene tamen succedunt legitimati per subsequens matrimonium, quia isti ob favorem matrimonii æquiparantur legitimis in omnibus, & per omnia, ut constat ex cap. *Tanta vis*, *Qui filii sint legitimi*, ibi: *Tanta est vis matrimonii, ut, qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur*, & sic purgatur inhabilitas, & pœna, unde utroque Jure Civili, & Canonico admittuntur ad successionem in emphyteusi etiam Ecclesiastica, ut docent communiter Doctores.

58. Ex quo infertur, filium natum ex matrimonio valido in foro Ecclesiæ, sed nullum ob occultum impedimentum, saltem ex parte unius Conjugis bona fide contrahentis, inter legitimos numerari, quia in Jure Canonico tale matrimonium justum, & legitimum reputatur, c. 2.

Qui

Qui filii sint legitimi, ibi: *Filii eorum (qui bona fide nuliter contraxerunt) non debent exinde sustinere jacturam, cum parentes eorum publice, & sine contradictione Ecclesiæ inter se contraxisse noscantur. Ideoque sancimus, ut filii eorum, quos ante divortium habuerant, & concepti fuerant ante latam Sententiam, habeantur legitimi, & quod in bona paterna hereditario Jure succedant, & de parentum facultatibus nutriantur*: & ita tenent Barbosa *in c. cum inter, Qui filii sint legitimi nu.* 17. Sanchez *de matrim. lib.* 5. *disp.* 3. *n.* 13. aliique communiter.

59. Resp. 2. in emphyteusi, sive sæculari, sive Ecclesiastica, quæ transit ad quoscumque heredes, succedere feminas æque ac masculos; nam nomine heredum veniunt etiam feminæ, quæ proinde succedere possunt in emphyteusi, §. *emphyteusim in Auth. de non alien. reb. Eccl.* Dubium solum est, quando accipiens emphyteusim stipulatus fuit pro se, & filiis suis, nam tunc plures asserunt, nomine filiorum non venire feminas, ac proinde solos filios masculos esse admittendos, non feminas, quia in contractibus, & stipulationibus, quæ sunt stricti Juris, interpretatio stricte facienda est; nomine autem filiorum proprie non comprehenduntur filiæ, sed tantum per extensionem, ut tenent plures relati a Palao *disp.* 10. *pun.* 8. §. 4. *n.* 10. Communior tamen Sententia docet, emphyteusim concessam pro se, & filiis, extendi etiam ad feminas, quæ capaces sunt succedere in emphyteusi. Ratio est, quia nomine masculino etiam feminæ comprehenduntur, *l. maximum vitium C. de lib. præterit. l. si quis ita* 16. *in prin. ff. de Testament. tutel.* ubi pro generali doctrina dicitur, filiorum appellatione & filiæ continentur; unde falsum est, vere, & rigorose nomine filiorum non venire etiam feminas: & ita tenent Clarus *qu.* 32. *n.* 2. Covarr. *var. resol. lib.* 2. *cap.* 18. Alvar. Valasc. *de Jure Emphyt. qu.* 41. *nu.* 3. Molina *disp.* 574. *n.* 10. Palaus *loc. cit. n.* 12. & alios referens Rosignol. *prænot.* 8. *n.* 12.

60. Quod si emphyteusis concessa sit pro se, & filiis masculis, tunc certum est, feminas esse exclusas. An vero admittatur nepos masculus filius filiæ, variant Doctores, sed probabilius est, esse admittendum, quia nepos descendit a primo instituente, & habet qualitates requisitas, cum sit masculus. Nec obstat, quod mater sit incapax, in casu quo vocantur solum masculi, nam mater excluditur, quia femina; nepos autem admittitur, quia masculus, nec succedit jure materno, sed jure proprio, tamquam descendens a primo instituente. Idem valet, si concessio sit pro se, & descendentibus masculis; nam, deficientibus masculis per sexum virilem, possunt admitti masculi descendentes ex femina, cum & ipsi habeant qualitates requisitas, ut cum Fragoso tenet Ant. a Spiritu S. *disp.* 21. *n.* 1093.

61. Resp. 3. Si emphyteuta profiteatur Religionem in Monasterio capaci bonorum stabilium, succedit Monasterium in emphyteusi, sicut in alia bona stabilia; sed debet intra annum, saltem post mortem Religiosi vendere emphyteusim, vel alio modo alienare, ne proprietarius perpetuo privetur spe recipiendi laudemium. Ita Clarus *q.* 37. Mol. *disp.* 482. *n.* 3. Layman *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 15. Anton. a Spir. S. *n.* 1077. Si emphyteusis non est hereditaria, sed familiaris, aut transiens tantum ad descendentes, Monasterium non succedit, nisi in fructibus, & utilitate, vivente Religioso in Monasterio, quo mortuo, transit ad successores, ad quos de jure spectat, seu ad illos, qui sunt vocati, ad quos etjam transit statim ac Religiosus est professus, si Monasterium sit incapax bonorum stabilium; nam professio hæc morti æquiparatur, ut cum Molina, Fragoso, & Dicast. tenet Anton. a Spir. S. *n.* 1076. Rosignol. *n.* 21.

62. Quæres: *An Pater possit emphyteusim alicui ex filiis prælegare, aut donare cum exclusione aliorum?*

Resp. hoc facere posse, si emphyteusis sit hereditaria, quæ scilicet transferri possit etiam ad extraneos, quia potest de illa disponere sicut de aliis bonis, salvo jure domini directi; unde sicut potest rem aliquam uni potius, quam alteri relinquere, ita etiam potest dictam emphyteusim uni potius, quam alteri applicare, dummodo reliquis filiis relinquat suam legitimam portionem. Si vero emphyteusis non sit hereditaria, sed familiaris, quam pater acquisivit pro se, & filiis suis; tunc videtur, patrem non posse disponere uni filio, relictis aliis, quia in concessione omnes filii sunt vocati, & omnes pro æquali parte succedere debent, ut ex communi sententia docet Alex. *cons.* 106. *n.* 8. & *cons.* 127. *lib.* 4. & alios referens Clarus *q.* 16. §. *his præmissis*, qui tamen limitat in emphyteusi nova, in qua primo acquirens de consensu domini directi potest alicui præ aliis prælegare, aut donare, quia illam acquirendo pro se, & filiis suis, non intendit sibi ligare manus, quin de tali jure emphyteutico suis impensis acquisito non possit vivens pro libito disponere. Ita etiam tenet Rosignol. *prænot.* 8. *n.* 20.

DUBIUM VIII.

Ad quem spectent Melioramenta facta in re Emphyteutica, finita Emphyteusi.

63. CErtum est, melioramenta, saltem quoad dominium utile, pertinere ad emphyteutam toto tempore, quo durat emphyteusis, adeo ut iis frui possit, & ex iis fructus colligere, sicut a reliquo fundo. Certum etiam est, ad eumdem pertinere, & fructus recipere posse ex augmento, si quod per alluvionem fiat fundo emphyteutico, ut tenet Julius Clarus §. *emphyteusis q.* 41. *n.* 1. arg. *ex l. Item si fundi* 9. §. *Vicinus* 4. *ff. de Usufr. & quemadmodum*, & nos etiam cum Lugo, & Rosignol. diximus supra *tr.* 1. *c.* 4. *n.* 51. cum enim detrimentum, si quod contingit, pertineat ad emphyteutam, ita ad eumdem pertinere debet incrementum; nam *secundum naturam est, commoda cujuscumque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda l.* 10. *ff. de Reg. Jur.* nisi forte incrementum esset valde patens, & contradistinctum a primo fundo, quia tunc dominium directum, & utile spectaret ad dominium proprietatis.

64. Difficultas est de melioramentis factis in re emphyteutica, *ad quem scilicet pertineant, finita emphyteusi, quæ quidem finiri, & terminari potest tripliciter.* Primo ob culpam emphyteutæ canonem non solventis, vel alienantis, inconsulto domino directo, qui propter hoc cadit in commissum, juxta superius dicta. Secundo finitur absque culpa, lapsu temporis, puta si fuit data ad tempus determinatum triginta, vel quadraginta annorum. Tertio finitur per extinctionem generationis emphyteutæ, ut si esset data ad tertiam, vel quartam generationem. Et quidem si emphyteusis terminetur ob culpam emphyteutæ; tunc sententia communis docet, illum amittere dominium utile, & omnia melioramenta facta, & rem totam pleno jure ad proprietarium devolvi, ut habetur ex *l.* 2. *C. de Jure emphyt.* ut dicitur: domino *licere illum a prædiis emphyteuticariis repellere: nulla ei in posterum allegatione nomine meliorationis, vel eorum, quæ emponemata dicuntur opponenda.* Consonat jus Canon. 10. *q.* 2. *Can. Hoc jus*, §. *perpetua*; ibi: *Qui rem hujusmodi conductam, vel in emphyteusim acceptam fecerit deteriorem, aut canonem per biennium non solverit, repelli potest, tamen solvat totius temporis, scilicet elapsi, pensionem, & id, in quo læsit resarciat, non repetiturus, si quid* impenderit nomine *meliorationis*. Ita Rebell. *q.* 2. *n.* 12. Less. & alii, quos sequitur Bonac. *n.* 22. Non desunt tamen DD. asserentes, allatos Textos esse intelligendos de melioramentis ordinariis, quæ ex natura contractus facere debet emphyteuta, non de extraordinariis, & indebitis, quorum æstimationem dicunt restituendam esse a proprietario. Molina *disp.* 455. Alvar. Valasc. *q.* 25. *n.* 3. Fachin. *lib.* 7. *controv.* 90. Quando autem emphyteusis finitur sine culpa,

65. Resp. 1. Melioramenta facta in re emphyteutica ex vi contractus, aut conventionis, finita emphyteusi, spectant ad dominum proprietatis, sive ex culpa, sive sine culpa finiatur. Colligitur ex *l.* 2. *C. de Jure emphyteut.* ibi: *In emphyteuticis contractis sancimus, si quidem aliquæ pactiones in emphyteuticis instrumentis sint conscriptæ, easdem & in omnibus aliis observari.* Siquidem ex Regul. 85. juris in 6. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, & inde si conventum fuerit in celebratione contractus, quod emphyteuta teneatur has, & illas meliorationes facere, puta domum ædificare, vineam plantare, arbores inserere, rem sterilem, & incultam frugiferam reddere, non poterit, finita emphyteusi, illarum æstimationem prætendere, sed plenarie spectant ad dominum. Nec etiam prætendere potest expensas factas pro conservatione, & melioratione fundi, pro reficiendis aggeribus, mundando puteo, tectis reparandis; stabulo pro pecoribus, aut horreis pro frumento similiter reparandis, quia ad hoc tenetur ex vi contractus, & cogi potest ad illas faciendas, si forte omitterat. ita Jason. *in l.* 1. *C. de Jure emphyteut.* Molina *disp.* 456. & 463. Alvar. Valasc. *qu.* 26. *num.* 1. Rosignol. *prænot.* 9. *a num.* 2. Bonacina *num.* 22.

66. Resp. 2. Meliorationes non necessariæ factæ in re emphyteutica, si sunt nobiles, & alicujus valoris, spectant ad emphyteutam, vel ejus heredes; unde, emphyteusi finita sine culpa, si adhuc extant, debet dominus proprietarius illarum valorem restituere, sive factæ sint annuente, sive reluctante proprietario, ut bene ponderat Rosignol. supra *n.* 5. *a paritate* Ususfructuarii, qui repetit melioramenta a se facta in re, cujus erat usufructuarius, *arg. l. eum, ad quem C. de Usufructu*, ibi: *Si quid ultra quam impendi debeat, erogatum potes docere, sollemniter reposces.* Nec obstat repugnantia proprietarii inhibentis, ne quid de novo ædificet, & protestantis, se non soluturum, si meliorationes non debitas faciat,

quia,

quia, facto contractu sine ullis limitatione, non est amplius in potestate alterius ex contrahentibus ea immutare, quæ consequuntur ad substantiam ejusdem contractus, ex natura ipsius; ex vi autem contractus sequitur, quod emphyteuta possit meliorationes utiles facere.

67. Nec valet eadem ratio de negotiorum gestore, qui non potest prætendere expensas factas contra voluntatem domini, quia tunc dominus prohibere potest, ne expensas faciat, non autem prohibere potest emphyteutam, ne meliorationes utiles faciat, nisi hoc expresse cautum sit in ipsa celebratione contractus, aut excessivæ meliorationes fiant in fraudem post contestatam litem, ne proprietarius pauper, impotens eas solvere, cogatur cessare a prosecutione litis; nam dolus, & fraus non debet auctori suo prodesse. Vide Rosignol. *loc. cit.* ubi advertit, pro æstimandis hujusmodi meliorامentis non esse considerandum tempus, quo facta sunt, sed esse consideranda secundum valorem, quem habet tempore, quo restituenda est emphyteusis.

68. Terminata emphyteusi sine culpa, potest emphyteuta, vel ejus heredes petere renovationem, & confirmationem in ipsorum personam, & omnibus aliis præferri, ut ea communi sententia docet Roman. *consil.* 33. *nu.* 5. Decius *consil.* 318. *post n.* 3. Gratus *consil.* 86. *post n.* 7. *lib.* 1. Alex. *consil.* 80. *n.* 11. *dub.* 1. Jason. *consil.* 24. *col.* 2. aliique permulti, quos sequitur Clarus *q.* 43. §. 1. Idemque petere possunt ipsius descendentes, & alii proximiores non descendentes, si fuerint agnati, ut cum Decio *consil.* 131. docet Clarus *loc. cit.* §. *& hæc quidem*, sequitur Azor. 3. *p. lib.* 12. *cap.* 13. *q.* 2. & Filliuc. *cap.* 8. *num.* 156. Hoc procedere etiam in emphyteusi Ecclesiastica docent Decius *d. cons.* 131. & Gozad. *cons.* 86. *num.* 28. sed hoc non ita certum; Clarus *loc. cit. sed quæro.*

69. Quod si, finita emphyteusi, dominus directus vellet rem emphyteuticam sibi retinere, & nemini amplius dare, Decius *d. cons.* 131. *post num.* 3. *vers. secundo non obstet*, docet, illum posse compelli, & cogi ad dictam emphyteusim confirmandam, & concedendam; sed oppositum docet Abbas in *cap. Bonæ* 2. *n.* 28. sequitur Clarus, & Azor. *d. cap.* 13. *qu. ult.* Finita emphyteusi, si descendentes, & propinqui taceant per annum integrum, nec confirmationem petant, dominus directus non tenetur amplius dictam confirmationem concedere; nam illi habent tantum unum annum ad petendum, quo elapso, amittunt omne jus. Roman. *consil.* 22. *num.* 6. & ea communi docet Gozadin. *consil.* 71. *num.* 2. Clarus *qu.* 43. §. *quæres in d. cap.* 13. multo minus possunt reclamare, si emphyteusis jam fuit alteri concessa, cum res non sit amplius integra, sibique imputare debent propinqui, quod non petierint antequam alteri concederetur. Clarus cum aliis *q.* 43. §. *sed pone* Azor. §. *sed quid.*

DUBIUM IX.

De Livello, & Feudo.

70. Livellus, seu contractus livellarius, aut libellarius, vix distinguitur ab emphyteusi, seu feudo, adeo ut pro eodem sæpe sumantur absque ulla differentia quoad effectum. Magis communiter distingui solet per hoc, quod livellus sit contractus subfeudalis, vel subemphyteuticus, quo quis rem acceptam in emphyteusim, vel feudum alteri tradit pro pensione sibi quoque solvenda. Potest enim res emphyteutica, vel feudalis alteri tradi in emphyteusim, aut locari, & etiam vendi, salvo jure domini directi, & servatis aliis conditionibus supra relatis de emphyteusi. Ita Julius Clarus, Lessius, Rebell. Azorius, Molina, quos affert, & sequitur Bonac. *disp.* 3. *qu.* 8. *pun.* 1. *num.* 6. sequitur Tambur. *lib.* 9. *tr.* 6. *cap.* 7. & cum Dicastillo Ant. a Spiritu S. *disp.* 21. *num.* 1018.

71. Ab aliis distinguitur per hoc, quod emphyteusis vere, & proprie dicatur, quando traditur res sterilis, ut ad culturam redigatur, & restauretur, ut quando traditur fundus buschivus, vel domus diruta. Libellus vero quando traditur res jam fructifera, in bona structura, & cultura posita. Item distinguitur, quia in emphyteusi pensio solet esse minima, in recognitionem dumtaxat domini directi; in livello vero pensio solet esse major, proportionata, & correspondens fructibus, qui ex tali fundo percipiuntur. Verum quia diximus, ab initio fuisse quidem solitum villa solum, & sterilia in emphyteusim tradi sub modica pensione in recognitionem dumtaxat domini directi, cum obligatione illa reducendi ad culturam, & meliorem statum; sed quia successive factum est, ut etiam prædia fertilia, & jam culta, seu fructuosa darentur in emphyteusim, sub pensione proportionata, & correspondente fructibus illius fundi, sequitur, quod emphyteusis, & livellus non distinguantur quoad effectum, unde ea, quæ supra dicta sunt de emphyteusi, sunt pariter dicenda de livello.

72. Feudum, quod secundum nominis etymologiam dicitur a fidelitate, vel fide, quam vassallus domino jurare, & præstare tenetur, bene definitur: *Concessio rei immobilis, cum translatione dominii utilis; retento directo sub onere fidelitatis, & obsequii personalis exhibendi.* Differt ab emphyteusi in eo potissimum, quod emphyteusis conceditur cum onere certæ pensionis domino proprietatis solvendæ: feudum vero cum onere personalis obsequii, cujusmodi est associare Principem ad bellum, convenire ad publica comitia, & alia hujusmodi, quando pro illis a domino interpellatur: quod si etiam pensio addatur, degenerat a puro feudo, & participat de emphyteusi.

73. Aliæ etiam assignantur differentiæ; quod infeudans retineat jus cognoscendi de caussa inter vassallos, seu feudatarios: quod feudatarius possit pro libito a se abdicare feudum, quia datum est in ejus utilitatem, quod non convenit emphyteutæ, qui hoc facere non potest, invito domino, quod emphyteuta debeat solvere pensionem non requisitus, quia *dies terminus interpellat pro domino*; non sic Feudatarius, qui non tenetur exhibere servitutem, nisi requisitus ab Infeudante; quod femina non succedat in feudo, nisi specialiter exprimatur, quia non potest exhibere servitium personale, maxime in bello: bene tamen succedat in emphyteusi, quia potest exhibere pensionem realem; de quibus videri potest Lug. *disp.* 29. *n.* 98.

74. Ex tradita definitione colligitur, quatuor conditiones necessarias esse ad contractum feudi. Primo requiritur, quod dominium directum perseveret apud priorem dominum, translato dominio utili in vassallum, seu feudatarium. Secundo requiritur, quod feudum constituatur in re immobili, ut Civitate, Oppido, Castro. Tertio, quod vassalus non alienet feudum sine consensu domini directi, ad quem spectat mittere in possessionem, & dare investituram, & alienando cadit a feudo. Quarto, ut vassallus præstet juramentum fidelitatis, & præstet obsequium, & servitium personale, sive in bello, sive alibi, si exigatur; secus incidit in caducitatem. Alia, quæ essent dicenda, sive de feudo, sive de emphyteusi, pendent a forma, sub qua traditur investitura, & videri possunt apud Clarum §. *emphyteusis* a *q.* 28. Azorium *par.* 3. *lib.* 10. *cap.* 16. Fragosum *par.* 3. *lib.* 8. *disp.* 16. *per totam*, & alios Jurisperitos.

CAPUT VII.

De Locato, & Conducto,

DUBIUM I.

Quod sit Locatio, & Conductio, & quænam locari, & conduci possint.

Resp. locatio bene definitur *Contractus, quo persona, vel res aliqua ad usum, vel fructum pretio conceditur.* Dicitur *contractus* loco generis; per hoc enim convenit cum emptione, mutuo, & aliis contractibus. Dicitur, *quo persona, seu res conceditur*, quia non solum res quælibet, sive mobilis, sive immobilis locari potest, sed etiam personæ, seu opera, & labores personarum locantur, & conducuntur. Sic famuli, seu famulæ se, suasque operas locant dominis, & ab his conducuntur; similiter artifices, & operarii se, suasque operas locant, & ab aliis conducuntur. Dicitur *ad usum, vel fructum*, quia res quædam locantur solum ad usum, ut domus, equus, servus, quorum fructus, non est alius, quam ipsorum usus; quædam vero ad fructus ex eis percipiendos, ut ager, vinea, pascua, jura, reditus. Dicitur *pretio*, id est pecunia, seu re alia pecunia æstimabili, ad distinctionem precarii, & commodati, in quibus non intervenit pretium, sed sunt contractus pure gratuiti, qui scilicet gratis celebrantur sine pretio.

2. Conductio vero est contractus, quo persona, vel res ad usum, vel fructum pretio comparatur, suntque unus, & idem contractus; nam sicut emptio, & venditio sunt unus, & idem contractus, ita similiter locatio, & conductio sunt unus, & idem contractus sub diverso tamen personarum respectu; nam respectu personæ, quæ accipit mercedem pro usu, vel fructu rei traditæ, dicitur *locatio*, & persona dicitur *Locator*; respectu vero personæ, quæ mercedem solvit pro usu, vel fructu rei traditæ, dicitur *conductio*, & persona solvens dicitur *Conductor*: specialiter autem, qui prædium urbanum, vel domum conducit, vocatur *Inquilinus*, *l. sed addes* 19. §. 4. & 5. *ff. hoc tit.* Conductor autem prædii rustici vocatur *Colonus*, *l. rei pignoris* 37. *ff. de acquir. possess.* Si vectigalia conducit, dicitur *Publicanus*, in quo conveniunt Doctores communiter. Solumque dissidium

ctione est: an pretium in locatione necessario consistere debeat in pecunia numerata, vel loco pecuniæ res alia dari possit, quod luse tractat, allegatis juribus Rosignol. *controv. 10. prænot.* 2. sed dici potest, in locatione proprie, & rigorose sumpta requiri pecuniam numeratam, ut concludit Rosign. *n.* 3. non vero si minus proprie, & large sumatur; nam de facto oves, & vaccæ, ea lege locantur, ut conductor singulis annis loco pecuniæ certam quantitatem lanæ, vel calei domino præbeat.

3. Resp. 2. Omnia, quæ vendi, & emi possunt, etiam possunt locari, & conduci, quia non plus requiritur ad locandum, quam ad vendendum, ut tenent communiter Doctores in *l.* 1. *ff. locati*, nisi adsit specialis prohibitio, ut est in *l. unica Cod. de studiis liberalib. Urbis Romæ, l.* 1. *de studio litterarum, & l.* 1. *ff. soluto matrimonio*, ubi prohibetur, ne domus vicina habitationi alicujus Magistri litterarum locari possit fabro, aut alteri Magistro, ne eorum voces confundantur in docendo, quamvis hoc non videatur amplius in usu, nisi reclamet Magister, ut notat Bonac. *disp.* 3. *qu.* 7. *pun.* 1. *An vero Doctor possit expellere fabrum commorantem prope scholam, & lectiones impedientem strepitu*, respondet Bartol. in *l. soluto matrimonio* posse expellere, si Doctor prævenit fabrum in habitatione; secus si faber prævenit Doctorem, nisi forte non possit ille in alio loco commodiori scholam aperire, nam tunc potest eum expellere: hoc tamen remittendum est arbitrio Judicis, qui, consideratis circumstantiis personarum, & locorum, præcipere poterit, quod videbitur magis expediens, ut ibidem tenet Bartol. in dubio prævalet jus Doctoris, ob publicam utilitatem. Prohibentur etiam locari servitutes prædiales, seu reales, ut sunt viæ, & subjectiones prædiorum; quamvis vendi possint, *l. locare* 44. *ff. hoc tit.* ibi: *locare servitutem nemo potest*, quia locatio fit tantum ad tempus, servitus vero perpetuo durat.

4. Aliqua locari possunt, quæ tamen vendi prohibentur, ut sunt bona pupilli, vel minoris, ut bona dotalia, quæ a viro, tutore, vel curatore locari possunt, sed non vendi. Vassallus rem feudalem, emphyteuta, & rem emphyteuticam valide, & licite locare potest, non tamen vendere. Item conductor potest rem a se conductam alteri locare, seu sublocare, nisi aliter conventum sit, & locatio fiat æque idoneo, & sine damno domini, *l. Nemo C. de locat.* ibi: *Nemo prohibetur, rem quam conduxit, alteri locare, si aliud non convenit.* Tulchus *to.* 5. *concl.* 413. & alios referens Bonac. *pun.* 1. *n.* 4. inde inferens, conductorem non posse domum a se conductam meretricibus, vel similibus postea sublocare in damnum, & opprobrium sui primi locatoris. Ita etiam Reginal. Azor. Molina, & alii relati a Bonacina.

5. Res Ecclesiæ immobiles absque juris sollemnitate locari nequeunt ultra triennium, Extrav. *Ambitiosæ de Reb. Eccl. non alienand.* hoc tamen triennium debet esse utile; unde si fundus alternis tantum annis fructum afferat, ad sexennium absque ulla juris sollemnitate valide, ac licite locari potest, nam annus in locatione non taxatur ex simplici decursu temporis, sed ex decursu cum proventu fructuum, ut cum Fillluc. tenet Ant. a Spiritu S. *tr.* 1*u. disp.* 20. *num.* 974. Covarr. *lib.* 2. *var. resol. c.* 16. *n.* 6. Pignatell. *to.* 4. *consult.* 223. ubi plures affert decisiones Rotæ approbantes locationem factam ad novennium absque juris sollemnitate, quia locabantur res Ecclesiæ immobiles singulis triennis solummodo fructum afferentes. Quod si fundus in anno duplicem, aut plures afferat fructus, hoc per accidens est, nec per hoc debet coarctari triennium, a jure concessum, sicut extenditur, quando solum alternis annis fructum affert; nam Pontifex concedit tres annos utiles ad locationem; quod autem in illis plures, aut pauciores fructus colligantur, non curat Pontifex, sed solum intendit, quod ad longius tempus fundi Ecclesiæ non locentur, ut notat Ant. a Spiritu S. *loc. cit.*

6. *An vero locatio fundi Ecclesiastici facta sine sollemnitate ultra triennium, puta ad novennium, & ultra, sit nulla & invalida tota, vel subsistat quoad primum triennium, juxta Regul.* 37. *juris* 6. *utile per inutile non debet vitiari.* Dico, totam esse invalidam si facta est una tantum indivisibilis locatio pro toto illo tempore, vel etiam si facta est ad triennium, cum obligatione tamen illam successive renovandi ad secundum, tertium, & ulterum triennium, adeo ut Prælatus negare non possit renovationem locationis, quia hoc modo fieret contra Extrav. *Ambitiosæ*, ubi habetur, quod aliter, ac præscribitur, facta alienatio, & conductio nullius omnino sint roboris, ac momenti; fieret autem aliter, ac præscribitur, si locator obligaretur ad prosequendam locationem ultra triennium: nec valet allata Regul. *juris in* 6. Siquidem utile per inutile non debet vitiari, quando unum ab altero separari potest, secus si non posset separari, ut contingeret, quando locator obligatur locationem continuare ultra triennium. Valet tamen locatio, si modo ordinario fiat per triennium, absque obligatione illam continuandi ultra triennium, quamvis ultra triennium, libere tamen, locationis continuationem permittat locator, tunc enim validam esse locationem omnes fatentur, & quotidiana constat experientia. Ita docent Gutierez *Canon. q. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 13. Covarr. *var. resol. lib.* 2. *c.* 16. *n.* 5. Navarr. *de alienat. rerum Eccles. n.* 21., aliique communiter.

7. Illa, quæ usu consumuntur, ut vinum, oleum, pecunia, & similia, quamvis locari possint ad pompam, ostentationem, & pignus, perseverante dominio apud locatorem, non tamen locari possunt quoad usum, quia usu consumuntur, & illarum usus non distinguitur a dominio, quod in locatione perseverare debet apud locantem: colligitur ex *l. sed mihi videtur §. ult. ff. commodati*, ubi dicitur, *non potest commodari id, quod usu consumitur*. Et quamvis aliquando locetur domus una cum omnibus supellectilibus, & rebus consumptibilibus, ut vino, oleo, pecunia, &c. tamen dictæ res, cum non possint eædem restitui, non dicuntur locatæ, sed venditæ, aut permutatæ. Ita Bart. *in l. sicut certo §. nunc videndum ff. commodati*, & *l. cum fundo ff. locato.* Azor. 3. *p. lib.* 8. *c.* 4. Fillluc. *to.* 2. *tr.* 26. *c.* 1. *n.* 12. & 13. Eadem ratione solvitur casus adductus a Diana *par.* 1. *de contr. resol.* 89. *An Pharmacopola possit per aliquot annos, statuto pretio, locare suam officinam cum vasis, & medicamentis, cum pacto, ut, transacto tempore locationis, conductor teneatur reddere officinam integram cum prædictis vasis, & similibus medicamentis?* Dicendum enim est, officinam, & vasa posse locari, non vero medicamenta, quæ tunc censetur vendita, vel permutata. Et ita cum Lugo tenet etiam Tambur. *lib.* 9. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 1.

8. Resp. 3. omnes illi, qui possunt emere, & vendere, possunt etiam locare, & conducere, nisi specialiter prohibeantur; nam isti magnam habent inter se convenientiam, nisi quod in venditione transfertur in ementem dominium rei venditæ: in locatione vero transfertur in conductorem solummodo usus rei locatæ, remanente dominio apud locantem, *l. non solet* 39. *ff. hoc titulo*, ibi; *Non solet locatio dominium mutare.* Dixi, *nisi specialiter prohibeantur*, ut de jure prohibentur Milites, & Curiales conducere prædia ad colendum, *l. Curiales*, *l. Milites C. de locato*, ubi etiam irritus declaratur contractus ab iis initus, *ne per curas, & negotia prædii conducti ab obligationibus officii sui distrahantur*; conducere tamen possunt domum ad habitandum, & stabulum ad equos nutriendos, & conservandos. Prohibentur etiam Clerici, & Monachi alienarum possessionum, & secularium rerum conductores esse, lucri caussa, *Can.* 1. *Can.* 21. *q.* 3. & c. 1. *Ne Clerici, vel Monachi de vita, & honest. Cleric.* Possunt tamen succedere conductori, & etiam conducere ex necessitate. Azor. *par.* 3. *lib.* 8. *c.* 3. *qu.* 7. Fillluc. *tr.* 36. *c.* 1. *n.* 7. Bonacina *pun.* 1. *n.* 9.

9. Si duo socii habeant domum, vel fundum communem, & unus vult in eo habitare, alter vero vult locare, præferri debet ille, qui vult habitare. Glois. in *l. Sabinus ff. de communi dividendo.* Si unus locare velit, & alter nolit, vel unus locare ad unum usum, & alter ad alterum, vel unus locare velit personæ honestæ, & alter inhonestæ; tunc contractus illius prævalere debet, qui habet majus jus in domum, seu majorem partem, vel locaret personæ honestæ, quamvis persona inhonesta majorem pensionem offerat; nam, ceteris paribus, majus jus, vel persona honesta prævalere debet. Si non sit major conditio unius, quam alterius, mittendæ sunt sortes, vel recurrendum ad Judicem pro concordia, ut cum Hectore Felicio, & aliis tenet Bonac. *n.* 6. & late singulas partes explicando Rosignol. *contr.* 10. *prænot.* 11. *n.* 20.

10. Quod si de facto unus rem, seu domum communem locet, altero, nec aliis dissentientibus, prævalet locatio facta, si alii dissentiant sine justa causa: sic habetur *l. cum & hæc distinctio §. cum fundum ff. locati*, quia nimirum quilibet velle debet, quod alteri prodest, & sibi non nocet; secus censeretur irrationabiliter invitus: socio tamen, aut sociis, non consentientibus, deberetur pars pensionis, quia illa pars adhuc est fructus rei suæ. Bonacina *pun.* 1. *numer.* 7. Fillluccius *cap.* 1. *qu.* 16.

DUBIUM II.

De Obligationibus Locatoris.

11. LOcator plures habet obligationes, & primo tenetur rem locatam juxta modum, & tempus per locationem conventam tradere conductori, ut juxta modum, & tempus conventum ea uti possit. Sic habetur *l. ex conducto*, *l. si in legem ff. locati*; *l. excepto ff. de act. empt.* Idque postulat contractus celebratus, & obligatio inde consurgens, qua tenetur adimplere contractum secundum omnem modum, quo contraxit; unde tenetur

ad

ad refundendum pretium, & intereſſe, ſi per locatorem ſteterit, quominus conductor ejus poſſit re conducta ſecundum modum, & tempus conventum; vel ſi non ſuſtulerit impedimentum ab aliis poſitum, ſi tale impedimentum tollere poteſt. *L. ex conducto 15. §.8. de locato, & l. ſi fundus 33. ad finem ff. eod. tit.* ibi: *Nam ſi colonus tuus frui re a te, aut ab eo prohibetur, quem tu prohibere ne id faciat, poſſis, tantum ei præſtabis, quantum ejus interfuerit frui.* Si autem impedimentum tolli a te non poſſit, teneris ſolum ad pretium pro rata temporis, quo frui non potuit, non autem ad intereſſe, ut habetur in *d. l.* & habet Roſign. *prænot.* 15. *n.* 2. *& prænot.* 16. *nu.* 1.

12. Secundo tenetur tradere rem locatam ſine vitio uſum impediente, teneturque ad damna, ſi, non monito conductore, rem vitioſam locavit, puta vaſa vitioſa, & inepta ad uſum, ad quem quia ea conducit, & propterea oleum, aut vinum eſt effuſum, vel emarcuit. Item, ſi locavit equum aſſuetum ſeſe in aquam dimittere, ad merces transferendas, tenetur enim ad reſtitutionem damni, quod inde paſſus eſt conductor non admonitus de vitio equi, & ſic de omni re vitioſa, ex qua proximo damnum evenire poteſt, *L. ſed addes §. ſi quis locati*, & cum Rebell. Navar. & Sylv. tradit Bonac. *pun.* 2. *n.* 3. & 4. modo intercesserit culpa locatoria lata, vel levis, de qua tenetur locator, non de leviſſima: ſi tamen bona fide locavit ignorans defectum, & eam videndam exhibuit conductori, non tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti, tenetur tamen de pretio locationis detrahere quantum minus res eſt utilis conductori. Navar. *cap.* 17. *n.* 196. & Bonacina *loc. cit.*

13. Tertio tenetur locator ad omnes expenſas neceſſarias, vel utiles, quas fecit conductor in domo reparanda, ſi minatur ruinam; ſicut pro villa, ſtabulo, puteo, domo, & ſartatecta conſervandis; & item ad expenſas utiles ultra conductionis tempus duraturas. *L. ſed adde §. ſi inquilinus, l. dominus §. 1. ff. hoc tit.* ibi: *Si in conducto fundo* (vel alia re locata) *conductor ſua opera aliquid neceſſario, vel utiliter auxerit, vel ædificaverit, vel inſtituerit, cum id non conveniſſet; ad recipiendo ea, quæ impendit, ex conducto cum domino fundo experiri poteſt, l. Colonus ff. eod. tit.* Ratio eſt, *quia qui ſentit commodum, par eſt, ut ſentiat onus*. Regul. juris 55. *in* 6. ſed locator ſentit commodum ex melioramento, & expenſis a conductore factis, & ſic par eſt, ut illarum ſentiat onus; dummodo conductor non promiſerit, eas facturum propriis expenſis. Lugus *diſp.* 29. *n.* 67. Bonacina *pun.* 2. *n.* 8. Trull. *lib.* 7. *Decal. cap.* 23. *dub.* 3. Roſignol. *prænot.* 15. *num.* 4.

14. Hoc intelligitur de expenſis utilibus, non valde magnis, & gravibus, ſed moderatis, ultra tempus conductionis duraturis, quia, ut bene advertit Bonacina, expenſas factas a conductore ad ſui uſum, & temporale commodum, non tenetur locator reſtituere; nec item expenſas valde magnas, & graves, ſolum utiles, ſed non neceſſarias, inſcio locatore, factas, quia iniquum videtur, ut locator cogatur invitus ſolvere expenſas voluptuoſas, & non neceſſarias factas ab inquilino ſine conſenſu domini, eas tamen poterit inquilinus auferre, ſi ſeparari poſſint abſque detrimento rei locatæ. Bonac. *l. c.* Molina *diſp.* 496. Trull. *ſupra n.* 5. Roſign. *præn.* 15. *n.* 6. & apud ipſum Alvarus Valaſcus.

15. Quod ſi locator expenſas neceſſarias, vel utiliter factas, moderata tamen, & ultra tempus locationis duraturas, refundere recuſat, poteſt conductor rem locatam retinere, eaque tamdiu uti quoadusque fuerit a locatore ſatisfactum, *l.* 5. *princ. ff. de impenſis in rem dot.* & jus illas exigendi tranſmittitur etiam ad ſucceſſores, ſive ſuos, ſive extraneos, conductoris: ut autem poſſit mercedem retinere titulo compenſationis expenſarum, quas fecit in re locata, neceſſe eſt, quod talia melioramenta ſint clara, & liquida; ſecus, data fidejuſſione per locatorem de reficiendo in cauſſa liquidationis, poteſt conductorem expellere, & petere integram conſecutionem mercedis, ut, allatis juribus, & Doctoribus, docet Roſign. *d. præn.* 15. *n.* 5. quia illa melioramenta, ſive neceſſaria, ſive tantum utilia moderate facta, & ultra tempus locationis duratura, cedunt in utilitatem rei locatæ, & locantis, & ſic debent ab illo compenſari. *L. Colonus in princ. ff. locati.* Vide Roſignol. *l. c.*

16. Onera, & tributa impoſita pro fundo rei locatæ ſolvere tenetur ipſe locator, niſi aliter conventum ſit, ſeu ferat conſuetudo loci, ut clare conſtat ex *l. Ædiles curules ff. de via publica*, ibi: *conſtruat vias publicas unuſquiſque ſecundum propriam domum, & aquæductus purget, qui ſub dio ſunt, id eſt cælo libero, & conſtruat ita, ut non prohibeatur vehiculum tranſire. Quicumque autem mercede habitant, ſi non conſtruat dominus, ipſi conſtruentes computent diſpendium in mercedem.* Ad onera vero impoſita pro fructibus tenetur conductor, qui eos percipit, & ſentit commodum, & conſtat ex *l.* 1. *C. de annon. & trib. lib.* 10. ibi: *annonas autem ſolvere debet, qui poſſeſſiones tenet, & fructus percipit.* Laym. *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 4. Bonac. *pun.* 2. *n.* 7. & alios referens Roſignol. *n.* 8.

17. Quæres: *An locator fundi fructiferi teneatur remittere penſionem, quando ob ſupervenientem ſterilitatem, aut alium caſum fortuitum abſque ulla culpa conductoris, puta ob grandines, nives, inundantiam aquarum, vermes, & hoſtilem incurſionem ſegetes, & alios fructus devaſtantem, conductor non percipit fructus ex tali fundo locato?*

Reſp. in tali caſu locatorem teneri remittere penſionem, & quidem totam, ſi conductor nullos omnino percipit fructus, vel pro parte, & rata, ſi paucos, & exiguos colligit, niſi aliter ſit conventum, ut clare conſtat ex *cap.* 3. *de locato, & conducto*, ubi Gregor. IX. ait: *Propter ſterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei, ſine culpa coloni, ſeu caſu fortuito contingentem, colonis Eccleſiæ tuæ pro rata eſt penſionis remiſſio facienda, niſi cum ubertate præcedentis, vel ſubſequentis anni valeat ſterilitas compenſari.* Conſtat etiam ex *l. ſi merces §. vis major. ff. locati*: item *l. ex conducto* 15. *§.* 2. *ff. eod. tit.* & eſſe communem opinionem docet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 16. Bonac. *pun.* 3. *n.* 13. Roſignol. *prænot.* 6. *num.* 1. Ratio eſſe poteſt, quia in locatione rei fructiferæ penſio datur in compenſationem fructuum percipiendorum; & ſic ratio, & æquitas poſtulat, ut ſi nulli, vel pauci percipiantur fructus, penſio ex toto, vel ex parte pro rata, juxta proportionem damni remittatur, in quo, ut dixi, conveniunt Doctores communiter.

18. Limitatur hæc generalis doctrina: Primo, quando aliter conventum eſt inter locatorem, & conductorem, quatenus iſte ſuſcepit in ſe omne periculum, & ſe obligavit ſolvere penſionem, non obſtante quocumque caſu fortuito perceptionem fructuum impediente, *l. ſi quis fundum ff. locati*, & aliis juribus relatis a Gomez *to.* 2. *var. cap.* 3. *n.* 18. quia tunc ceſſit juri ſuo, quod utique facere potuit, ſed tunc non videntur comprehenſi caſus omnino inſoliti; & extraordinarii, ac in tali regione numquam auditi, qui nec excogitari potuerunt, ut habet Molina *diſp.* 495. *num.* 20. Gomez *num.* 18. Roſignol. *prænot.* 6. *nu.* 2. Ut autem caſus dicatur penitus inſolitus, & non comprehenſus in generali contractu, non ſufficit, quod a multo tempore non contigerit, ſed debet eſſe talis, ut numquam contigerit, vel non extet memoria contigiſſe, ut proinde de illo nec cogitari, nec dubitari potuerit, ſecus eſſet comprehenſus in pacto, & conventione inter locatorem, & conductorem facta.

19. Secundo limitatur in colono partiario, cujus penſio conſiſtit in dimidia, vel tertia parte fructuum, quia ſicut ſtat pro eo lucrum, ita etiam ſtare debet, & damnum, *leg. ſi merces* 25. *§.* 6. *ff. locati*, ubi etiam redditur ratio, *quia partiarius colonus quaſi ſocietatis jure damnum, & lucrum cum domino fundi partitur.* Tertio limitatur, quando damnum eſt ſterilitate, aut caſu fortuito proveniens eſt modicum, *d. l. ſi merces §. vis major ff. locati*, quia *modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur*. Quarto, quando ſterilitas eſt conſueta, vel oritur ex vitio rei locatæ, & cognito a conductore. Bartol. ex *l. ex conducto §. ſi vis tempeſtatis ff. locati*, nam ſibi imputare debet colonus, quod ſciens, aut ſcire debens rem talem conduxit cum manifeſto periculo; unde bene infert Azor. 3. *p. lib.* 8. *c.* 10. *qu.* 2. colonum non poſſe prætendere remiſſionem mercedis ob fructus non perceptos, qui agrum conduxit juxta fluvium ſæpe exundantem, aut ubi ſolet eſſe hoſtium incurſus, ut etiam habet Roſignol. *num.* 4. Quinto limitatur, ſi damnum proveniat ex culpa ipſius conductoris, quia tunc damnum debet ſibi imputare, non aliis. Roſignol. & alii communiter.

20. Sexto limitatur, quando fructus jam fuerunt ſeparati a ſolo, quia tunc damnum imputatur conductori, non locatori, quia ad hujuſmodi caſum jura non attendunt, cum illum non exprimant, & fructus jam collecti pleno jure tranſeunt in conductorem, cui proinde pereunt, ut habet Roſign. *n.* 4. & Navarr. *in man. c.* 17. *n.* 187. *circa finem* dicens, *quamvis ad id non teneatur eo ſolo, quod fructus jam percepti damnificentur, ſurripiantur, aut pereant, quia id ſterilitas dici non poteſt, l. damnum C. de locat.* Septimo, quando ſterilitas unius anni ſufficienter compenſatur ex abundantia anni præcedentis, vel ſubſequentis, *d. cap.* 3. *de locato, & conducto*, ibi: *Niſi præcedentis, vel ſubſequentis anni ubertate compenſetur.* Quod ſi ob præſentis anni ſterilitatem locator mercedem ex toto, vel ex parte remiſit, poterit illam repetere, ſi anno ſequenti, vel ſecundo, aut tertio ubertate damnum illatum compenſetur, ut clare conſtat in *cit. l. ex conducto §. Papinianus ff. locati*, ubi habetur a *Papinianus ait: ſi uno anno remiſſionem quis colono dederit ob ſterilitatem, deinde ſequentibus annis contingit ubertas, nihil obeſſe domino remiſſionem, ſed integram penſionem etiam ejus anni, quo remiſit exigendam.*

21. Quæ-

21. Quænam autem sterilitas dicenda sit magna, & sufficiens ad faciendam remissionem pensionis, variant Doctores, ut notat Abbas in cap. *Propter, hoc tit. num.* 12. *&* 13. Relictis aliis modis, dico, sterilitatem tunc esse magnam, quando, deducto semine, & aliis expensis, colonus non colligit tot fructus, quot adæquent mediam partem pensionis annuæ præstandæ, & tunc pensio solvenda erit ad ratam; nam sicut in contractu emptionis, & venditionis, si quis ultra dimidium deceptus non fuerit, nulla ei competit actio; ita etiam conductor, si damnum, seu sterilitatem ultra dimidium passus non sit, nulla ei debetur compensatio, quia non censetur magna, & sufficiens ad remissionem: in hoc etiam attendenda erit locorum consuetudo, & secundum illam remissio erit regulanda. Ita Abbas *l. c.* Azor. *l.* 5. *cap.* 10. *qu.* 1. Lessius *cap.* 24. *num.* 3. & alios referens Rosignol. *num.* 3.

22. *An vero augenda sit pensio propter ubertatem, sicuti fit remissio propter sterilitatem?*

Resp. non esse augendam pensionem, quando major ubertas, & fertilitas provenit ex speciali diligentia ipsius conductoris, quia diligentius, & exactius colit agrum, ne sua industria sit sibi damnosa, nec quando provenit ex sola clementia cæli, & aeris; secus si contingat ex casu omnino fortuito, ut si conductor ex molendino sibi locato communiter recipiebat quinquaginta, nunc autem, quia alia molendina sunt destructa, percipit centum ex magno concursu; nam tunc potest augeri pensio juxta ratam, nam sicut æquitas naturalis postulat, ut minuatur pensio in casu magnæ sterilitatis, ita etiam debet augeri in casu magnæ fertilitatis. Ita Panormit. in cit. cap. *propter sterilitatem*. Sylvester *verb. locatio qu.* 14. Navarr. *in man. cap.* 17. *nu.* 191. Less. *num.* 21. Molina, Filliuc. Reginald. & alii, quos sequitur Rosignol. *prænot.* 6. *num.* 5. Hæc omnia procedunt de jure Cæsareo; sed in praxi videnda, & observanda erit locorum consuetudo.

DUBIUM III.

An, & quatenus Locator expellere possit Conductorem ante finitum tempus locationis.

23. CErtum est, finito tempore locationis, licite posse locatorem expellere conductorem, remque alteri locare, quamvis conductor in re conducta persistere velit æquali pretio, nisi extent specialia privilegia, vel statuta locorum, quia, elapso tempore, intelligitur contractus dissolutus, & novum ineundum per mutuum utriusque contrahentis consensum, saltem tacitum. In duplici casu ex dispositione juris permissum est conductori cum eisdem conditionibus ab aliis oblatis in re conducta perseverare. Primus est in conductione prædiorum fiscalium, ex dispositione juris in *l. Congruit C. de locato prædior. Civ. lib.* 10. ibi: *Congruit æquitate, ut veteres possessores fundorum publicorum novis conductoribus præferantur, si facta per alios augmenta suscipiant*. Secundus est in scholastico conductore domus, qui pro eadem pensione, & cum iisdem conditionibus aliis præferendus est in locatione, juxta Textum in *c.* 1. *de locato*, ut cum Ognate tradit Rosignol. *prænot.* 18. *n.* 2. ubi tamen addit, hoc non videri amplius in usu.

24. Ex tacito consensu censetur prorogata locatio, quando locator sciens, & cognoscens tempus locationis esse finitum, permittit conductorem retinere rem sibi locatam, ut habetur ex *l. Item quæritur §. qui impleto ff. locati*, ibi: *Qui impleto tempore conductionis remansit in conductione, non solum reconduxisse videbitur, sed etiam pignora videbuntur durare obligata*. Item *l. Qui ad certum tempus conducit, finito quoque tempore colonus est; intelligitur enim dominus cum patitur colonum in fundo esse, ex integro locare, & hujusmodi contractus neque verba, neque scripturam, utique desiderant, sed solo consensu convalescunt*. Censetur etiam tacite prorogata locatio, quando locator certo tempore ante finitam locationem conductorem non admonuit, ut, elapso locationis tempore, rem locatam dimittat, in quo standum est locorum consuetudini pro tali tempore statuendo.

25. Censetur autem prorogata locatio, vel ad annum, si res locata sit prædium rusticum, vel quoadusque alter ex contrahentibus velit a conductione recedere, si res conducta sit domus, *l. Item quæritur §. qui impleto ff. locati*, ibi: *Quod autem diximus taciturnitate utriusque partis Colonum reconduxisse videri, ita accipiendum est, ut in eodem anno, quo tacuerunt, videatur eandem locationem renovasse, non etiam in sequentibus annis*; quia nimirum locatio in prædiis rusticis fit in ordine ad fructus, qui regulariter non habentur nisi per annum, & sic ad illud tempus videtur renovata locatio. Quod si prædium rusticum non fructificet, nisi de triennio in triennium, locatio dicenda erit prorogata ad triennium, quia non nisi tali tempore percipiuntur fructus: quæ ratio non militat de prædio urbano, seu de domo, quæ fructificat de die in diem, & ad ratam temporis uniformem, ac proinde in illa locatio videtur tacite prorogata quoadusque alter ex contrahentibus velit a conductione recedere, nisi forte domus in loco semel tantum in anno soleat locari, tum tunc & ipsa censetur locata ad annum, cum medio tempore non facile sit conductorem invenire; censetur autem locatio prorogata cum iisdem conditionibus, & pactis primæ conductionis. Mol. *disp.* 498. Gomez *lib.* 2. *var. c.* 3. *n.* 17. Bonac. Rebell & alii, cum ex Juristis, tum ex Theologis, quos affert, & sequitur Rosignol. *contr. tu. prænot.* 18. *n.* 6. *& seqq.* His præmissis

26. Resp. Locator non potest, invito conductore, rem locatam repetere, nisi finito locationis tempore. Ratio est, quia non potest resilire a contractu, invito conductore, qui per contractum locationis jus acquisivit ad certum usque tempus, ut habet Bonac. *q.* 7. *pun.* 2. *n.* 8. Excipiuntur quatuor casus relati a Gregor. IX. in cap. *Propter sterilitatem, de locato, & conducto §. verum*, in quibus licitum est locatori rem locatam repetere, & conductorem expellere, ibi: *verum, invito inquilino, domum inhabitare, vel reficere poteris, si necessitas (quæ tamen non imminebat locationis tempore) id exposcat, remissa sibi pro residuo temporis pensione; qui etiam inde rationabiliter amovetur, si perverse ibi fuerit conversatus, vel cum canonem per biennium non solvisset, si sibi satisfactioni celeri non providit*. Idem habetur ex *l. Æde, quam Cod. de locato*, & tenent Abbas *in cit. cap. Propter*. Molina *disp.* 499. Bonac. *supra n.* 8. Rosignol. *prænot.* 19. *n.* 1. & alii communiter.

27. Primus casus est, quando ex necessitate superveniente, quæ tempore locationis non erat, indiget domo locata pro sui habitatione, *d. l. Æde cit.* ut si inopinate corruat, vel comburatur domus, quam locator inhabitat, nec aliam commode potest invenire; vel si uxorem ducat, & ob majorem familiam ampliori indigeat domo: aut, si ubi habitat, ob appropinquantes hostes, amplius manere non possit, aut alia urgente caussa inde discedere debeat. Si autem tempore locationis jam præsens erat asserta necessitas, aut prudenter poterat prævideri, non potest conductorem invitum expellere, sibique debet imputare, quod domum sibi necessariam locaverit. Molina *disp.* 499. *nu.* 6. Rosignol. *prænot.* 19. *n.* 9. Idem valet, quando necessitati potest aliter provideri, quia tunc locator non dicitur habere veram necessitatem. Rosignol. *num.* 10. qui *num.* 12. addit, posse locatorem expellere, quamvis in celebratione contractus sub juramento promiserit, non expellere ante præfinitum tempus, quia illa promissio sub juramento non intelligitur extendi ad casus in jure exceptos, quando illorum non fuit expressio facta, quod etiam concedit Bonacina *qu.* 7. *pun.* 2. *n.* 12. quando locator in celebratione contractus non intellexit cedere juri suo. Quod diximus de necessitate superveniente locatori, intelligitur etiam de patre, matre, & filiis locatoris; nam si isti indigent re locata, præferri debent conductori, ut bene observat Baldus *in d. l. Æde C. hoc tit. n.* 11. illius autem dispositio valet solum de domibus, de quibus jura loquuntur, nec debet extendi ad fundos, & prædia rustica, ut notant Bonacina *num.* 12. & alios referens Rosignol. *num.* 15. & in eo casu, quo locator ob suam, suorumque necessitatem conductorem a domo locata expellit, tenetur remittere pensionem pro rata temporis. Cap. *Propter hoc tit.* ibi: *Remissa pro residuo temporis pensione*, Bonacina *loc. cit.* Molina *disp.* 499. Ognate, Gomez, & alii, quos affert, & sequitur Rosignol. *num.* 15.

28. Secundus casus est, quando domus indiget reparatione, qua non indigebat tempore locationis, nec reparatio fieri potest, nisi conductor expellatur, ut clare constat ex *cit. juribus*; & tam in isto casu, quam in præcedenti debet locator pro rata temporis pensionem remittere, vel saltem providere conductori de alia domo æque commoda. Facta reparatione, locator tenetur permittere, ut inquilinus redeat ad pristinam conductionem pro tempore, pro quo conduxit. Bonacina *num.* 13. Rosignol. *num.* 21.

29. Tertius casus est, quando res conducta saltem ad quinquennium locata fuit, & per biennium pensionem non solverit. Cap. *Propter hoc cit.* ibi: *Si canonem per biennium non solverit*. Biennium requisitum ad expellendum intelligitur, quando locatio facta est ad longum tempus, puta ad decem annos, vel saltem ad quinque. Si enim ad minus tempus facta sit, & tempore constituto conductor non solvit, statim expelli potest, nisi celeriter satisfecerit, ut in cit. cap. *Propter*, juncta Glossa, & *dict. l. Æde*; nam frangenti fidem, fides servanda non est, *Regul. Juris* 75. nisi aliter conventum sit; sed tunc conductor invitus a locatore remo-

tus

tus solvere non tenetur pensionem respondentem tempori futuro à die expulsionis, cum domo non utatur, sed tantum tempori præterito. Ita Navar. *c.* 17. *n.* 193. & alios referens Bonacina *num.* 8.

30. Quartus casus est, si conductor re conducta abutatur, sive damnum inferendo, & deteriorem reddendo, sive infames meretrices, lenones, aut fures introducendo, aut alia illicita cum viciniæ scandalo, aut domus diffamatione ibidem exercendo; Navarr. *cap.* 17. *n.* 194. Molina *disp.* 499. *num.* 14. Bonac. *pun.* 2. *n.* 11. Rosignol. *numer.* 23. Hic casus, sicut & præcedens, habet locum non solum in ædibus, & prædiis urbanis, sed etiam in prædiis rusticis; & conductor tenetur ad omnia damna, quæ inde locatori obveniunt; unde tenetur ad pensionem futuram solvendam locatori, si ob malum usum, & diffamationem non possit domum aliis locare; at si possit æque bene illam locare, quia statim aliam inquilinum invenit, tenetur conductor solum reparare damna illata in re locata. Molina, Bonacina, Rosignol. & alii. Quod si res locata sit ecclesiastica, observari debet id, quod statuitur Auth. *qui rem C. de Sacr. Eccles.* idest, *ut solvat totius temporis pensionem, & in quo rem læsit, resarciat, non petiturus si quid impendit nomine meliorationis.*

31. *An vero in allatis casibus locator possit auctoritate propria conductorem expellere ante tempus conventum?* Censeo, implorandum esse officium Judicis, quamvis Molina, & alii probabile putent, auctoritate propria posse conductorem expellere.

32. Hic quæri solet: *an licitum sit locare domum meretrici, vel ad alium turpem usum?* sed responsio patet ex dictis circa *quartum præceptum Decalogi cap.* 7. *de scandalo*, ubi *n.* 55. diximus, id esse licitum, quia locare domum de se, & intrinsece non est malum, estque nimis remotum a peccato, & locator utitur jure suo, solumque limitatur, quando ex una parte illam potest æque bene aliis locare, & ex alia parte ratione situs, aut alterius circumstantiæ, aptior esset ad turpem negotiationem exercendam, quia negando talem locationem nullum incommodum, aut jacturam sentit, & plura peccata vitantur, quæ ratione situs, & commoditatis in tali domo committerentur. Ultra Auctores ibidem a nobis adductos, videri potest Rosign. *in præsenti controv.* 10. *disquis.* 2. §. 15. & 16. ubi addit, non posse domum locari meretrici, si ex negatione domus prudenter credatur alibi honestius victura, aut scandalum honestis vicinis oriturum. Addit, licitum esse majori pretio domum locare meretrici, quia majus pretium exactum pro domo potius retardat a meretricio, quam ad illud invitet; & quia domus ea habitatione meretricis vilescit, & consequenter postea minoris locanda est, ratione cujus damni illi pluris locari potest. Citat Silvium, Salas, Sanch. Azor. Vasq. & alios. Ita etiam Diana *par.* 5. *tr.* 7. *res.* 27.

DUBIUM IV.

De obligationibus conductoris.

33. Quatuor præcipue sunt obligationes conductoris. Primo enim tenetur non uti re conducta, nisi ad eum usum, ad quem conduxit, *l. Qui jumenta* 40. *ff. de furtis*, & *l. Qui pignore eod. tit.* quia tenetur stare contractui, nisi forsan rationabiliter præsumeret, locatorem non fore invitum. Covarr. 3. *var. res. cap.* 15. *n.* 8. Rosignol. *prænot.* 15. *n.* 10. Bonac. *pun.* 3. *num.* 1. secus tenetur ad omnia damna, si per talem usum a locatore non concessum res fuerit deperdita, vel deteriorata; ex quo bene inferunt Rosignol. & Bonac. eum, qui equum conduxit ad equitandum, si eo utatur ad vehenda pondera, vel si eum conduxit ad iter Romam versus, eo utatur versus Mediolanum, teneri ad restitutionem, & damna, si forte in itinere pereat, vel deterioretur, quia peccavit contra justitiam cum damno locatoris.

34. Secundo non potest conductor absque justa, & rationabili caussa rem conductam dimittere ante finitum tempus conductionis, & dimittendo tenetur integram pensionem solvere. *L. Dominus* 55. §. *qui contra legem ff. locati*, ubi dicitur, *qui contra legem conductionis fundum* (idem est de aliis rebus locatis) *ante tempus sine justa, & probabili caussa deseruerit, ad solvendas totius temporis pensiones ex conducto conveniri potest.* Potest autem rem conductam dimittere, nondum elapso tempore conductionis, si adsit rationabilis caussa, ob quam uti non possit re conducta, ut si domus ruinam minetur, vel ex parte corruit sine culpa conductoris: si pestis, vel hostiles incursiones timeantur; tunc enim domum conductam deserens, non tenetur ad pensionem, nisi pro rata temporis. Bonac. Rosignol. & alii.

35. Tertio, transacto tempore locationis, tenetur conductor rem eamdem integram, & non deterioratam reddere locatori; unde, si culpa lata, vel levi conductoris pereat; vel deterior fiat, tenetur de damno, non tamen tenetur de culpa levissima, vel de casu fortuito, quia contractus fuit in gratiam, & commodum utriusque contrahentis, nec tenetur majorem diligentiam adhibere ad rem conductam conservandam, quam alii conductores communiter adhibeant. Quamvis autem non teneatur conductor de culpa levissima, vel casu fortuito vi contractus locationis, & conductionis, nisi aliter conventum sit. Tenetur tamen, si fuit transgressor alterius pacti præcedentis, dantis caussam casui fortuito, ut si intercessit pactum, quod nullo modo ignis afferatur in loco, seu re conducta, si intulit ignem, & casu fortuito domus, seu res conducta comburatur, tenetur de damno, non ratione casûs fortuiti, sed quia fuit transgressor pacti prohibentis introductionem ignis, ut habetur ex *l. videamus* §. *si hoc* §. *locati*, & in *d. l.* §. *ult.*

36. Quarto, tenetur conductor conventam pensionem solvere locatori tempore per contractum definito, aut juxta consuetudinem loci. Ubi autem non adest talis consuetudo, nec tempus solutionis a contrahentibus fuit determinatum, solutio fieri debet in fine temporis concessi, seu locationis, quia tunc solvenda est pensio, quando quis jam habuit totum usum rei; nam tunc contractus est completus ex parte locatoris, tradentis usum rei pro tali tempore, & sic debet compleri ex parte conductoris solutione pensionis. Arg. *l. Julianus* §. *offerri ff. de action. empt.* ubi dicitur, locatorem non posse exigere pensionem, nisi postquam adimplevit contractum ex parte sua; & inde si locatio, & conductio fiat ad annum, ad sex menses, ad mensem, in fine hujus temporis solvenda est pensio, quia contractus jam completus est ex parte locatoris. Quod, si res conducta est fructifera, ut sunt agri, & prædia, pensio solvenda est in fine anni, seu quando fructus colliguntur; nam pensio imponitur, & solvitur propter fructus, & intuitu eorum, & sic pro tempore eorumdem fructuum collectorum erit persolvenda. Molina *disp.* 497. Bonacina *qu.* 7. *pun.* 3. *numer.* 5. & pluribus citatis, tenet Rosignol. *prænot.* 15. *num.* 9.

37. Quod si locatio, & conductio fiat ad novem, vel pluros annos, quamvis nonnulli apud Bonac. *l. c.* dicant, pensionem solvendam esse in fine temporis, quia hoc tacite videtur actum inter contrahentes, quando non fuit præfixus terminus ad solvendum, & locator sibi debet adscribere, & imputare si aliter non convenit. Melius tamen dicendum est, solutionem esse faciendam in fine cujuslibet anni, nam locatio plurium annorum æquivalet pluribus locationibus, ut docet Molina *cit. disp.* 497. & cum eo Tambur. *lib.* 9. *tr.* 4. *c.* 4. §. 2. addens *num.* 3. quod quando conductor per chirographa ostendit, se pensionem solvisse tribus ultimis annis, præsumendum est se solvisse ceteris antecedentibus, nisi contrarium probetur, *l. Quicumque, Cod. de Apochis public.* vel nisi conductor certus sit, se non solvisse; nam tunc tenetur in conscientia solvere, sicut etiam solvere tenetur, quando est dubium, an vere solverit, nam locator est in possessione crediti, ut cum Menochio, & Mascardo tenet *ibid.* Tambur. juxta regulam universalem de illo, qui dubitat, se restitutionem fecisse. Circa locum, ubi solvenda sit pensio, dico, standum esse conventioni, aut locorum consuetudini, illisque deficientibus, solvendam esse in loco, ubi facta est consuetudo, ut tenet Tambur. §. 3.

38. *An vero conductor teneatur solvere pensionem, si ob aliquod impedimentum superveniens uti non potest re conducta?*

Resp. solvendam esse pensionem, si tale impedimentum superveniat caussa, vel occasione conductoris, qui sibi imputare debet, si re conducta uti non possit. Non enim æquitas patitur, ut locator damnum patiatur ob culpam ipsius conductoris, qui sicut non tenetur solvere, quando impedimentum provenit ex parte locatoris, ita solvere debet si non ex parte locatoris, sed ex parte ipsius conductoris supervenit impedimentum. Ita Bonacina *qu.* 7. *pun.* 3. *num.* 6. Lessius *lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 8. Rebell. *par.* 2. *lib.* 14. *qu.* 14. & est communis aliorum. Et inde, si conductor suorum negotiorum caussa alio pergat, & interim domum non inhabitat, vel si dignitatem consecutus, aut ob matrimonii contractum ampliori, & majori egeat domo, & sic primam relinquat, tenetur integram solvere pensionem, nisi forte dominus æque bene, & æquali pretio domum statim altero locaverit, quia tunc sicut dominus nullum damnum patitur, ita non tenetur conductor ei solvere pensionem; quod si locavit majori pretio, non tenetur excessum reddere primo conductori, qui domum relinquendo cessit juri suo, ut docet Tambur. *supra nu.* 16.

39. Si autem impedimentum non proveniat ex culpa conductoris, sed casu fortuito, puta quia domus corruit, seu incendio periit; si a domo ob pestem supervenientem,

tem, aut propter hostiles incursiones, aut quia vexatur a spiritibus, discedere cogatur, non tenetur pensionem solvere pro tempore, quo domum inhabitare nequit; & ratio est, quia non præsumendus est conductor, se voluisse in illis casibus obligare, qui non obveniunt ex sua culpa. Contractus autem non obligat ultra voluntatem, & intentionem contrahentium. Idem etiam decernitur *l. habitatores 27. §. 1. ff. locati, l. si fundus 33. l. perinde 34. l. & hac 35. ff. eod.* Et ita cum Navar. Gomez, Molina, Rebell. & aliis tenet Bonacina supra *loc. cit.* prout etiam diximus supra.

40. Quæres 1. *An successor teneatur stare locationi, seu conductioni factæ a suo prædecessore?*

Resp. successor universalis, qui titulo hereditario succedit, tenetur stare locationi, vel conductioni factæ a suo prædecessore; non sic vero successor particularis, qui titulo donationis, emptionis, vel legati succedit in re locata, seu conducta. Ratio primæ partis est, quia successor universalis repræsentat personam sui prædecessoris, & succedit in ipsius jura, & onera realia, & præstare tenetur id, quod prædecessor præstare tenebatur, ac proinde tenetur stare locationi, & conductioni factæ a suo prædecessore usque ad tempus præfinitum, ut clare constat ex *l. via veritatis, C. de locato*, juncta *l. sed addes 19. §. 9. ff. eod. tit.* ubi heredes defuncti jubentur solvere mercedem servo conducto a domino defuncto. Constat etiam ex *l. veteris Juris de contrah. & committend. stipulat.* ubi universaliter dicitur: *Generaliter sancimus, omnem stipulationem, sive in dando, sive in accipiendo inveniatur, & ad heredes, & contra heredes transmittit*; unde sequitur, heredem defuncti locatoris non posse augere pensionem, nec conductorem expellere ante tempus præfinitum: sicut etiam heredes conductoris tenentur ad ea omnia præstanda, ad quæ vi conductionis tenebatur conductor, nisi forte locatio, & conductio sit facta usque ad beneplacitum, quia tunc morte locatoris expirat beneplacitum, & per consequens locatio. *L. 4. ff. locati*, & cap. *si gratiose, de rescript. in 6.* Et ita tenent Molina *disp.489. n.4.* Gomez *lib.2. var. resol. c.3. n.7.* Covar. *2. var. c. 15.* Azor. *3. par. lib. 8. c. 6. q. 1.* Bonacina *pun. ult. n. 2.*

41. Ratio secundæ partis est, quia successor particularis non repræsentat personam locatoris, nec ipsius obligationes suscipit; unde non tenetur stare ipsius locationi, sed potest expellere conductorem, nisi aliter fuerit antecedenter statutum, & expresse, seu tacite conventum. Conductor similiter potest recedere, quando res transit ad successorem particularem, quia nullam cum illo contraxit obligationem, nec repræsentat personam defuncti. Poterit tamen conductor expulsus a successore particulari agere contra locatorem, ut sibi damnum resarciat. *L. Emptorem, Cod. de locato, & l. si merces, §. qui fundum, ff. locato*, Gomez *l. c. nu. 9.* Molina *disp. 490.* Azor. *l. c. qu. 2.* Colonus, qui jam seminavit agrum, expelli non potest ab emptore, seu successore particulari, nisi collectis fructibus, ne intempestive cum alterius damno finiatur locatio. Ita cum Sylvest. Tab. & aliis tenet Bonacina *q. 7. pun. ult. n. 6.*

42. Quæres 2. *An Prælatus, & Superior Ecclesiasticus, seu Beneficiatus stare teneatur locationi factæ a suo prædecessore?*

Resp. Superiorem Ecclesiasticum, seu Beneficiatum non teneri stare locationi factæ a suo prædecessore de bonis, & reditibus Ecclesiasticis pertinentibus ad suam sustentationem, quæ non Ecclesiæ, sed suo nomine fuit facta. Ratio est, quia successor non dicitur heres universalis, & locatio non fuit facta a Beneficiario nomine Ecclesiæ, sed nomine proprio, & de re, de qua non poterat pacisci, nisi pro tempore, quo ipse retinebat beneficium, ac proinde talis locatio expirat morte locantis, cum ex eo tunc fructus pertineant ad successorem, cui reservari debent. Ita Molina *disp. 492. num.5.* Covarr. *lib. 2. var. resol. cap. 15. nu. 6.* Tuschus *tom. 5. concl.* 419. & alios referens Bonac. *n. 10.*

43. Prælatus tamen successor stare tenetur locationi antecedenter factæ nomine ipsius Ecclesiæ de rebus non pertinentibus ad ipsum Prælatum, sed ad ipsam Ecclesiam, Hospitale, seu Monasterium. Ratio est, quia Prælatus est legitimus administrator bonorum Ecclesiæ, Hospitalis, seu Monasterii, ac proinde ipsius locatio ita se habet, ac locatio bonorum facta a tutore, vel curatore nomine pupilli, seu minoris, quæ perseverat in successore, ut cum Molina, Mancica, & Rebello tenet Bonacina *num. 10.* addens, Ecclesiæ competere jus restitutionis in integrum, si læsa inveniatur. Rosignol. *prænot. 13. num. 17.*

44. Uxor, mortuo marito, vel soluto matrimonio, non tenetur stare locationi fundi dotalis factæ a marito, durante matrimonio, sed posse conductorem expellere, quia maritus nomine suo, non vero nomine uxoris fecit locationem, dum ipse plenam habebat administrationem, unde erat quasi usufructuarius, cujus morte expirat locatio. Tenetur tamen stare locationi factæ a marito de bonis paraphernalibus, quia talis locatio censetur facta a marito nomine uxoris, tamquam ab administratore, & procuratore. Bonacina *num. 8.* Molina *disp. 492.* Anton. Gomez *2. var. resol. cap. 3. num. 8. concl. 2.* Rosignol. *prænot. 13. n. 16.*

DUBIUM V.

De conductione famulorum, aliorumque officialium, de justo ipsorum stipendio.

45. CErtum est, non solum locari posse res, & jura realia, sed etiam personas, & obsequia personalia, cum & ista sint digna stipendio, & mercede, cum dignus sit operarius mercede sua; quare videndum est in præsenti, quam obligationem habeant, qui operas, & labores suos alteri locant, ut sunt servi, famuli, artifices, officiales, operarii, & custodes, & vicissim, quam obligationem habeant domini erga operarios conductos.

46. Resp. 1. famuli, & operarii conducti ad aliquod opus, & obsequium præstandum, tenentur ex justitia tale opus, & obsequium præstare fideliter, cum propter hoc mercedem, & stipendium recipiant; & inde si injustum opus omittant, vel negligenter agant, non possunt mercedem recipere, & acceptam restituere tenentur pro rata laboris, & operis omissi, vel negligenter peracti, quia non habent titulum recipiendi, seu retinendi stipendium. Tenentur etiam ad omnia damna, quæ ex ipsorum culpa lata, aut levi, non tamen levissima, domino, seu conductori obveniunt, quia, ut diximus supra, conductores, & locatores tenentur invicem de lata, & levi culpa, non de levissima, quoniam locatio, & conductio sunt contractus in bonum utriusque. Navarr. *in Manual. c. 17. n. 197.* Azor. *3.p. lib. 8. cap. 13. qu. 7.* Rosignol. *prænot. 9. numer. 16.* aliique communiter.

47. Quod si servus se obligavit servire gratis, nullam recipiendo mercedem, aut tantum victum, & vestitum: *an teneatur, & ipse domino de culpa lata, & levi, sicut alii stipendio conducti?* Negat Rosignol. *prænot. 9. num. 16.* dicens, teneri tantum de dolo, & culpa lata, quia contractus videtur factus tantum in gratiam domini; sed verius dicendum est, teneri etiam de culpa levi, quia eo ipso quod famulatum offert, obligat etiam se ad fidelitatem, & diligentiam domino præstandam, prout decet famulum fidelem, & conductum, maxime quia titulo mercedis spem habet consequendi aliquod officium, seu beneficium ex benevolentia, & amicitia, & multoties ipse victus, & vestitus æquivalet mercedi, ut proinde semper mercedem adesse videatur, ut bene ponderat Azor. *3. p. lib. 8. cap. 13. qu. 7.*

48. Famuli, quibus specialiter commissa est cura domus, & bonorum domini, tenentur ea fideliter custodire sub obligatione restitutionis, si ex ipsorum culpa lata, aut levi pereant, vel si non impediant furta, vel a domesticis, vel ab extraneis facta, quia ad id tenentur ex justitia, & ex officio sibi commisso. Si vero illis specialiter cura commissa non est, peccant contra justitiam, non impediendo furta extraneorum; secus si non impediant furta domesticorum, licet graviter peccent contra caritatem, ut cum Rosignol. Reginaldo, G.Hurt. Tamb. & aliis diximus circa *4. Decalogi præceptum, c. 2. dub. 4. num. 43.* & constat ex dictis supra *tr. 2. de restit. cap. 3. dub. 5. n. 43.*

49. Si famulus ante constitutum tempus sine caussa discedat a servitio domini (idem valet de quocumque locante operas suas, si ante finitum tempus locationis absque legitima caussa discedat) asserunt nonnulli, illum perdere totam mercedem, seu nullam mercedem ei deberi, eo quod debito famulatu dominum fraudat, & quia hoc maxime interest Reipublicæ, ne famuli pro libito servitia dominorum contra locationis tempus deserant, ut docet Azor. *par. 3. lib. 8. cap. 13. qu. 6.* Hoc verificari de foro externo, & judiciali docent Diana *part. 3. tr. 3. res. 15.* Facundez *lib. 4. in Decal. c. 15. num. 15.* & Bassæus *verb. famuli num. 6.* At verum est, attento jure naturæ, & in foro conscientiæ illi dandam esse mercedem ad ratam temporis, quo servivit, nisi magnum damnum resultaret domino ex illo discessu, tunc enim posset sibi retinere salarium titulo compensationis. Bonac. *disp. 3. qu. 7. pun. 4. n. 11.* Lugus *disp. 29. sect. 3. num. 56.* Rebell. *par. 2. lib. 14. qu. 13. num. 18.*

50. Resp. 2. dominus tenetur ex justitia debito tempore solvere salarium conventum famulis, & aliis operariis conductis, quia dignus est operarius mercede sua; unde gravissime peccat cum obligatione restituendi, si justum stipendium denegat famulis, & operariis; nam

domi-

domini, & servi habent obligationem correlativam, & ad invicem tenentur de culpa lata, & levi; unde sicut servi peccant cum obligatione restituendi, si negant, aut subtrahunt famulatum: ita domini peccant graviter cum obligatione restituendi, si famulis, & operariis conductis denegant justum stipendium. Si dominus sine justa caussa famulum, seu operarium ad certum tempus, puta ad annum conductum expellat, nondum completo tempore, tenetur ei solvere integrum salarium, seu mercedem, quia tunc per famulum non stat, quin toto integro anno serviat, & operas suas præstet, nisi forte famulus servetur indemnis, & nullum damnum patiatur, quia statim operam suam aliis locavit, æquali pretio, vel alia occupatione compensavit sibi totum illud lucrum, vel nisi famulus caussam dederit expulsioni, ut cum Bonacina, Lugo, & Villal. diximus in 4. *Decal. præcept. cap. 2. nu. 31.* Hoc idem late tradit Rosignol. *prænot. 9. num. 5.*

51. Conf. ex generali doctrina tradita *dub. præced. num. 38.* ubi diximus, solvendam esse pensionem a conductore, quando uti non potuit re conducta propter impedimentum, & caussam supervenientem ex parte ipsius conductoris, qui sibi imputare debet, si re conducta uti non possit. Non enim æquitas patitur, ut locator damnum patiatur ob culpam ipsius conductoris, qui sicut non tenetur solvere, quando impedimentum provenit ex parte locatoris, ita solvere debet, si non ex parte locatoris, sed ex parte ipsius conductoris superveniat impedimentum, quod etiam constat *argum. l. Qui operas 41. ff. locati*, ibi: *Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non steterit, quo minus operas præstaret.* Idem habetur ex *l. sed addes §. ult. ff. eod. tit.*

52. Hinc sequitur, famulo infirmo non teneri dominum solvere salarium pro tempore infirmitatis, nisi aliter inter ipsos conventum sit, aut loci consuetudo aliter postulet; nam tunc standum esset consuetudini, & conventioni. Ratio est, quia per famulum stat, licet sine sua culpa, quominus operas suas non præstet, ob quas præstandas salario conductus est; ea ratione, qua conductor domus, seu equi non tenetur solvere mercedem pro tempore, quo, ob defectum locatoris, usum non habet domus, vel equi conducti, ut cum Azorio, Diana, Layman & Leandro diximus *in quarto præcepto Decalogi cap. 2. num. 35.* ubi diximus, non valere paritatem de Clerico ægrotante, cui decernuntur distributiones beneficii, *in cap. 1. de Cleric. ægrot.* quia id congrue determinavit Ecclesia, ne alii ab Ecclesiastico ministerio deterreantur, quod non valet de famulo ægrotante, nisi aliter conventum sit, aut consuetudo postulet, aut nisi infirmitas sit brevis, quia si modico tantum tempore, puta ad aliquos dies ægrotaret, saltem ex æquitate non esset aliquid illi de salario detrahendum, quando famulus est ad annum, vel ad longum tempus conductus; quod non valet de operariis diurnis, quibus ægrotantibus detrahitur salarium pro rata temporis, ut patet in praxi ubique receptum.

53. Famuli, seu famulæ, idem valet de aliis operariis diurnis, non possunt aliquid surripere de bonis domini, nec sibi occulte compensare, si conventum stipendium sibi non videatur suo labori, & obsequiis præstitis adæquatum; & oppositum reprobatur ab Innoc. XI. damnante illam propositionem, quæ est in ordine 73. *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt*, quod certe scandalosum est, & viam aperit innumeris furtis, dum facile quisque persuadere sibi potest, laborem præstitum dignum esse majori salario. Ratio est, quia stipendium justum, & debitum non consistit in indivisibili, sed habet latitudinem pretii supremi, medii, & infimi, ut proinde non patiatur injuriam, nec possit uti compensatione famulus, si paciscatur de pretio justo infimo, sicut nec patitur injuriam dominus, si cum famulo paciscatur de pretio justo supremo. Si vero certe, & evidenter constet, salarium ex justitia famulis debitum esse minus justo, possunt sibi facere compensationem, servatis regulis justæ compensationis, prout docent Bonacina *qu. 7. pun. 4. n. 3.* Molina *disp. 506.* Navarr. *in man. cap. 17. n. 172.* & alii communiter.

54. Plura de servis, & eorum salario diximus *in 4. præcepto c. 2. dub. 3. & 4.* quæ ibi possunt videri. Hic solum addendum est, justum famulorum salarium esse illud, quod inter partes conventum est, seu quod ex locorum consuetudine aliis famulis eodem ministerio occupatis tradi solet, seu quod idem est, quando non desunt alii multi, qui libenter inservirent pro eodem stipendio; nam res tanti valet, quanti communiter æstimatur, prout tradunt Mol. *disp. 505.* Bonac. *supra nu. 9.* Lugus *disp. 29. sect. 3.* & Rosignol. *prænot. 9. n. 11.*

55. Dare debet dominus famulis stipendium justum, saltem infimum intra latitudinem justi pretii, quamvis ex æquitate dare debeat pretium medium; quod si famulus sponte, & libere se offerat pro minori stipendio, vel solo victu, & vestitu contentus, standum erit conventioni, nec tenetur dominus ex justitia aliquid ulterius tradere. Debet autem solvere stipendium tempore debito, & in re conventa, ut in pecunia, & non in panno, esculentis, aut aliis mercibus contra voluntatem famuli. Si enim pannum tradat, vel quid simile, quo non indiget famulus, si illud vendat viliori pretio, tenetur dominus ad restitutionem, quanto minoris famulus vendidit: siquidem tradere debet famulo, quantum convenit; sed in dato casu non censetur tantum tradere, cum famulus cogatur viliori pretio vendere, quod accepit, ut cum Vasquez tradit Bonacina *supra num. 13.* Idemque tenet Navarr. *cap. 17. num. 108.* dicens, quod hoc meminisse deberent Confessarii, & admonere Concionatores in eis terris, in quibus Duces, & Ministri Regnio solvunt stipendia militibus in pannis, quibus illi non indigent, quosque longe viliori pretio statim vendere coguntur.

C A P U T VIII.

De Commodato, Deposito, & Precario.

D U B I U M I.

Quid sit Commodatum, & requisita ad illud.

COmmodatum inde dictum, *quasi utentis commodo datum*, bene definitur, quod sit *alicujus rei ad aliquem specialem, & determinatum usum gratuita facta concessio.* Sic Gloss. *cap. unic. de commodato, versus commodatum.* Sumitur autem in præsenti non pro ipsa re commodata, sed pro contractu, quo res alicui gratis conceditur ad certum, & determinatum usum, prout est contractus, convenit cum ceteris aliis contractibus, a quibus distinguitur per alias particulas. Dicitur *rei alicujus*, sive deinde sit res immobilis, ut domus, vinea, pratum; sive etiam mobilis, ut equus, vestis, & vasa; sive alia res quæcumque, dummodo non sit ex illis, quæ usu consumuntur, nam ista mutuo conceduntur, sed non commodantur, cum non possint eadem restitui, ut pecuniæ, vinum, oleum, & hujusmodi, nisi dentur, & concedantur ad pompam, scilicet ad ostendendam abundantiam pecuniarum; nam ad hunc usum possunt commodari. Molina, Tuschus, & alii, quos affert, & sequitur Rosignol. *contr. 9. qu. prænot. 1.*

2. Dicitur *gratuita facta concessio*, per quas particulas commodatum differt a locatione, & emphyteusi, & aliis contractibus, in quibus conceditur usus alicujus rei non gratis, sed ob stipendium, & mercedem. Gratuitum enim commodatum esse debet, prout habetur *§. item 15. Inst. quibus modis contrahitur obligatio.* Dicitur *ad usum*, per quam particulam differt a pignore, & deposito, quorum non conceditur usus; nam si creditor pignoris, aut depositarius pignore, seu deposito utatur, invito domino, dicitur furtum committere, *§. furtum autem, Instit. de obligationib. quæ ex delicto, &c.* Differt etiam per hanc particulam a mutuo, in quo non solum usus, sed etiam dominium rei mutuatæ transfertur in mutuatarium: in commodato vero transfertur tantummodo usus, remanente dominio apud commodantem. Differt etiam a donatione, per quam transfertur dominium in donatarium.

3. Dicitur *ad aliquem specialem usum*, quia commodatarius uti non potest re commodata ad quemcumque usum, sed tantum ad illum, ad quem est concessa, *l. in commodato §. sicut ff. commodat.* ibi: *Modum commodati, finemque præscribere, ejus est, qui beneficium tribuit.* Differt etiam a precario, quod non datur ad certum, & determinatum usum, nec etiam ad certum tempus, sed ad beneplacitum concedentis, seu donec iste precarium revocaverit. Commodatum vero conceditur ad certum, & determinatum usum, & ad certum, & determinatum tempus expresse, vel tacite appositum, quæ omnia certa sunt apud Doctores, & videri potest Rosignol. *contract. 9. prænot. 2.*

4. Commodatarius plures habet obligationes. Primo enim uti non potest re commodata, nisi ad eum usum, ad quem conceditur, & pro tempore concesso, unde peccat mortaliter, si, invito domino, re utitur ad usum non concessum, vel diutius, quam sit concessum, ut docet Molina *disp. 298. num. 6. & 295. numer. 7.* Azor. *par. 3. lib. 7. cap. 5. & cap. 9.* aliique communiter & tenetur actione furti, *l. si ut certo §. Nunc videndum in fin. hoc tit.* ibi: *Quinimmo, & qui aliter re commodata utitur non solum commodati, verum*

furti

furti quoque tenetur. Durante usu, vel tempore concesso, res commodata repeti non potest contra voluntatem commodatarii, & cum ejus damno, quia jus habet ad usum, & tempus sibi concessum, & inde commodans tenetur restituere damnum, quod ob id paritur commodatarius, nisi forte commodans sit passurus ipse simile damnum; tunc enim potest repetere contra voluntatem commodatarii, & cum ipsius damno; nam quilibet sibi magis, quam alteri obligatur, cap. *si cum liceт* 23. *q.* 5. nec commodans censetur voluisse commodare cum proprio detrimento. Molina *disp.* 294. *n.* 2. Lessius *c.* 27. *dub.* 5. *numer.* 18. *lib.* 7. *cap.* 8. *de commodato*, Lugua *disp.* 32. *nu.* 11. Limitatur, nisi forte commodator prævideric suam indigentiam, & adhuc voluit commodare, nam tunc cessit juri suo, & sibi imputare debet, si damnum patiatur, ut cum Molina, & Reginaldo tenet Bonacina *qu.* 15. *punct. ante*. Lugua *supra*, & Tambur. *lib.* 4. *tr.* 7. *cap.* 6. *num.* 13. & 14. & sic non potest ante tempus commodatum repetere, & repetendo injuste agit, & tenetur ad restitutionem, quod adeo verum est, ut nec post mortem concedentis possit commodatum revocari.

5. Secundo tenetur commodatarius, finito tempore, pro quo res fuit commodata, illam eamdem restituere in specie, ut loquuntur Juristæ, vel in individuo, ut dicunt Theologi, cum per hoc commodatum distinguatur a mutuo, ut supra diximus; tenetur autem illam restituere integram, & sua culpa non deterioratam. Si enim ex dolo, vel culpa sua deteriorem reddat, tenetur damnum compensare, *l. sed mihi* §. *si reddita ff. commodato*. Expensæ ordinariæ faciendæ in re commodata spectant ad commodatarium; nam cujus est commodum, ipsius est incommodum, *l. in rebus* §. *possunt hoc tit.* Unde, qui accipit equum commodato, tenetur illum alere, ferreis laminis ad pedes adaptandis prospicere, ac munire, aliaque similia facere, ut cum Regin. Garz. & aliis docet Bonac. *disp.* 3. *q.* 15. *n.* 4.

6. Qui scienter rem vitiosam alteri commodavit, unde ei damnum evenit, tenetur damnum illud resarcire. Qui scienter vasa vitiosa commodavit, si infusum ibi vinum, vel oleum, corruptum, effusumque est, condemnandus eo nomine est, ut habetur *l. in rebus* §. *Item qui, ff. commodati*. Similiter, quando servus alteri commodatus furtum fecit, tenetur damnum restituere, cum sciens talem esse servum, ignoranti commodavit, *l. si servus ff. eod.* Si autem ignoravit defectum, ob ignorantiam excusatur, ut in simili diximus capit. præcedenti *dub.* 2. *n.* 12.

7. Hic dicendum esset ex quanam culpa teneatur commodatarius, si res commodata pereat; sed commodius dicetur inferius *dub.* 4. præter ea, quæ jam diximus supra *tract.* 2. *de restit. cap.* 5. *dub.* 4. & 6.

D U B I U M II.

De deposito, & pertinentibus ad ipsum.

8. Depositum aliquando sumitur pro re depositata, sicut etiam commodatum sumitur aliquando pro re alteri commodata, & hoc modo *depositum est, quod custodiendum alicui datum est*, ut habetur ex *l.* 1. §. 2. *ff. depositi*, & aliquando sumitur pro contractu depositi, & hoc modo est contractus, quo aliquid alteri gratis custodiendum datur, ut illud integrum restituat. Ponitur *contractus* loco generis, & convenit cum aliis contractibus, a quibus distinguitur per alias particulas. Dicitur, *quo aliquid, &c.* quia de ratione depositi est, ut res tantum custodiatur, unde non transfertur dominium, nec ususfructus, & hac ratione distinguitur a mutuo, in quo transfertur dominium, & a commodato, in quo transfertur usus. Distinguitur a pignore, quia pignus datur ad cautionem creditoris, depositum vero traditur ad solam rei custodiam, ut cum communi Doctorum tradit Bonacina *qu.* 13. *pun.* 1.

9. Dicitur *gratis, ut illud integrum restituat*, quia depositum regulariter fit gratia solius deponentis, & nulla mercede data, vel promissa; si enim pro custodia rei merces, seu pretium datur, non est amplius formaliter depositum, sed transit in contractum locationis, & conductionis; siquidem depositarius, stipendium recipiens, accipiendo pretium censetur operam suam ad rem custodiendam alteri locasse, ut habetur cit. *l.* 1. §. *vestimenta ff. depositi*. Sic habet Rosignol. *contr.* 9. *prænot.* 8. sicut transit in commodatum, quando deponens facultatem concedit depositario, ut re depositata libere uti possit, ut habetur *l.* 1. §. *si quis servum ff. depositi*.

10. Depositum quamvis multipliciter dividi possit, ut videre est apud Rosignol. *controv.* 9. *prænot.* 8. specialiter tamen dividitur in depositum *judiciale*, & *privatum*. Depositum judiciale, quod alio nomine dicitur *Sequestrum*, tunc est, quando res in judicio controversa apud aliquem tertium deponitur, ipsique committitur custodienda, ut, lite finita, victori restituatur, & hoc fieri solet ex Decreto Judicis: vel quando Creditor recusat accipere pecuniam a debitore, tunc pecunia deponitur, & liberatur ex decreto Judicis, *l. licet ff. depositi*. Depositum privatum dicitur, quando fit privata partium auctoritate, vel quando apud aliquem fide dignum res custodienda deponitur. Azor. *lib.* 7. *c.* 2. *de Deposito*, Molina, & Reginald. quos sequitur Bonac. *qu.* 13. *pun.* 1. *num.* 6. Depositum privatum potest esse voluntarium, quando, nulla cogente necessitate, quis rem suam alteri custodiendam tradit; vel necessarium, quando fit, urgente necessitate, puta ratione incendii, ruinæ, tumultus publici, aut naufragii. Depositi seu sequestri naturam, & conditiones explicat Rosignol. *prænot.* 8. *num.* 7. sed illarum notitia non spectat ad Theologiam moralem.

11. Depositarius tenetur fideliter custodire rem depositam, sicut rem propriam, eaque uti non potest sine expresso, vel tacito consensu deponentis, eaque utendo censetur committere furtum, ut constat ex *l. si sacculum ff. depositi*, ibi: *Si Sacculum, vel argentum signatum deposuera, & is penes quem depositum fuit, me invito contrectaverit, & depositi, & furti actio mihi in eum competet*. Idem habetur §. *furtum Instit. de obligat. quæ ex delicto*, ibi: *sive creditor pignore, sive is, apud quem res deposita est, ea re utatur = furtum committit*, quia nimirum depositum datur ad custodiam, non ad usum, cum per hoc depositum distinguatur a commodato; & inde, si illo utatur, contrectat rem alienam, invito domino, & censetur furtum committere, prout Lessius, Covarr. Angelus, & alii, quos sequitur Rosignol. *contract.* 9. *prænot.* 12. *numer.* 2. Garzias, Azor. Rebell. Reginald. Molina, quos sequitur Bonacina *quæst.* 13. *punct.* 1. addentes cum Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 63. *artic.* 6. depositarium teneri ad restitutionem valoris usus, quia res qualibet domino fructificat, sicut domino perit, quando nimirum rei depositæ usus est pretio æstimabilis.

12. In duplici casu depositarius excusatur a peccato, si deposito utatur: primo si hoc faciat ex præsumpta voluntate domini, quæ rationabiliter præsumi potest, quando ex tali usu nullum sequitur damnum deponenti, & utilitas aliqua depositario, ex regula generali, quod tibi non nocet, & alteri prodest de facili concedendum, & hac ratione solvitur casus propositus a Molina de nauclero, qui cum in navi veheret suas, & aliorum amicorum capsas sacchato plenas, in quadam insula vendidit suas capsas, sed quia hæ in fundo erant navis, unde difficulter extrahi poterant, dedit emptori illas alienas, quæ supereminebant, animoque applicuit amicis suas æqualis omnino bonitatis, & pretii: postea vero, capta navi a piratis, quæsitum fuit; an capsæ illæ captæ a piratis nauclero perierint, an amicis, & respondit Molina *disp.* 523. *num.* 6. amicis periisse, siquidem naucletus ex præsumpta, & rationabili amicorum voluntate suas capsas commutavit cum capsis ipsorum, & sic capsæ, quæ perierunt, stante commutatione facta, non erant amplius naucleri, sed amicorum, & sic illis, tanquam illarum dominis perierunt. Ita cum Molina tenent Lugua *disp.* 33. *de Just.* *n.* 5. Tamb. *lib.* 9. *de contr.* *tr.* 7. *c.* 5. §. 4. *nu.* 2. & late Rosignol. *contr.* 9. *disquis.* 2. §. 7.

13. Secundo depositarius uti potest deposito, quando dominus expresse, vel saltem tacite concessit talem usum, sed tunc ille contractus non remanet amplius sub pura ratione depositi: sed si res deposita sit usu consumptibilis transit in mutuum, si vero non sit consumptibilis transit in commodatum, quia depositum, ut depositum, est solum ad custodiendum, non ad usum, ut cum Navarro bene advertit Rosignol. *prænot.* 12. *num* 3. Mutat autem naturam depositi, & fit mutuum, seu commodatum, quando depositarius incipit eo uti; transit etiam in locatum, si dominus pretium exigat pro usu rei: sic alios referens Bonac. *qu.* 13. *pun.* 1. *n.* 3.

14. Tacite censetur concessus usus rei a deponente, quando alterius custodiæ committitur pecunia numerata non clausa, nec obsignata, nec illius usus interdictus; tunc enim depositarius ea uti poterit, si certus sit, quod tempore solutionis, & restitutionis paratam habebit similem pecuniam, qua possit satisfacere, nam dominus nullum patitur incommodum, sed potius sentit commodum, quia cum per talem usum translatum sit dominium in depositarium, res stat ipsius periculo, adeo ut ipsi pereat, si forte perire contingat. Secus dicendum est, quando traditur custodienda pecunia sacculo clausa, vel in arca clausa, vel sigillo munita, *l.* 5. *si Sacculum ff. depositi*, & tunc depositarius ea uti non potest, quia cum sigillata, & clausa custodienda tradatur, censetur usus ipsius interdictus, ut

cum Molina, Lessio, Reginaldo, & aliis tradit Bonacina *num.* 4.

15. Hinc si depositarius pecunia, quæ non clausa, nec obsignata sibi custodienda fuit tradita, utatur, & negotietur, faceret suum, & juste retinere posset lucrum ex tali negotiatione receptum, tamquam fructum suæ industriæ, absque ullo damno deponentis, quod verum est, etiamsi usus pecuniæ illi fuisset expresse prohibitus, quia non desinit esse fructus industriæ; si tamen depositarius certus moraliter erat, quod tempore solutionis paratam habebit pecuniam æqualis quantitatis, bonitatis, & valoris, secus teneretur ad interesse, & damna. Ita cum Facundez, & Layman, Tambur. *supra num.* 5.

16. *An vero peccet mortaliter depositarius, si pecunia, vel alia re utatur, invito domino sine ipsius præjudicio, & detrimento?* Dico, non peccare mortaliter contra justitiam, quia gravitas peccati contra justitiam æstimatur ex damno, quod in proposito nullum est, ut suppono, sed peccare mortaliter, aut venialiter juxta mensuram rationabilis involuntarii domini, cui facit injuriam, pecunia utendo contra ipsius voluntatem, quamvis nullum sequatur damnum, ut tradit Tambur. *supra num.* 6. & cum aliis Palaus *tr.* 22. *disp.* 3. *p.* 3.

17. Poterit etiam depositarius sibi retinere incrementum, quod fecit pecunia, si medio illo tempore, quo illam retinuit, crevit in valore, quando deposita fuit nec clausa, nec obsignata, nec tradita sub conditione, ut eadem numero restituatur, sed cum tacita, vel expressa facultate illa utendi, quia tunc depositum transit in mutuum, quando illo utitur depositarius, qui proinde illius dominium acquirit, ipsique crescit, vel decrescit, & tenetur de casu fortuito; unde sufficit, quod pecuniam reddat secundum valorem, quem habebat tempore, quo factum est depositum: secus dicendum, si pecunia fuit depositata in sacculo clausa, vel sigillata, vel cum expressa conditione, ut ea non utatur, vel certe si illa depositarius non fuit usus, sed eadem numero perseverat, nam tunc incrementum, vel decrementum spectat ad deponentem, apud quem perseverat dominium rei depositæ, cuique perit, si casu fortuito pereat, ut cum Azor. Reginal. & aliis tradit Bonac. *pun.* 1. *nu.* 4. Tambur. *supra c.* 5. §. 3. *n.* 2. Trull. *lib.* 8. *c.* 25. *dub.* 1. *n.* 4. Vide quæ diximus supra *c.* 3. *de mutuo, dub.* 9.

18. Tenetur depositarius absque mora depositum restituere reposcenti, ut constat ex cap. *bona fides, de deposito*, & aliis Juribus relatis a Rosignol. *contr.* 9. *prænot.* 15. *a num.* 10. Nec retardari potest restitutio depositi ex eo quod factum fuerit pro tota vita deponentis, vel pro aliquo determinato tempore, quod nondum advenerit; siquidem deponens potest revocare pro libito, etiam ante mortem, & ante tempus determinatum, *L.* 1. §. *si sic deposuera ff. depositi*, ibi: *si sic deposuero apud te, ut post mortem tuam reddas, & tecum, & cum herede tuo possum depositi agere, possum enim mutare voluntatem, & ante mortem tuam depositum repetere.* Ratio est, quia depositum ex natura sua est ad nutum deponentis revocabile, & tempus illud præfixum est ad obligandum depositarium ad custodiam, non vero deponentem ad non repetendum.

19. Nec item retardari potest titulo compensationis alicujus debiti, seu crediti prætensi a depositario contra deponentem, ut constat ex *l. si quis, vel pecunias C. depositi*, & *l. ult. C. de compensationib.* nam depositor rem suam fidei depositarii committit, ut eam diligenter, fideliterque custodiat, donec revocetur, talemque custodiam depositarius in se suscipit, unde agit contra fidem, si repetenti non reddat rem sic depositam: sed titulo compensationis retineat: hoc tamen puto verificari pro foro externo, & altera parte contradicente; nam pro foro conscientiæ, quando debitum est certum, nec alia ratione consequi potest, non video, cur depositarius non possit uti compensatione, & rem depositam retinere, donec ipsi satisfiat. Ita Layman *lib.* 3. *tr.* 1. *cap.* 9. *num.* 10.

20. Nonnullæ assignatur caussæ, ob quas non est statim facienda restitutio depositi. Prima est, quando talis restitutio vergit in damnum spirituale, seu temporale deponentis, vel alterius, ut si furiosus gladium repetat ad occidendum se, vel alium; tunc enim neganda est restitutio. Canon. *Ne quis arbitretur* §. *Duo sunt* 22. *qu.* 2. Secunda, quando bona deponentis ob aliquod crimen sunt publicata, seu confiscata, nam tunc non deponenti, sed fisco sunt restituenda, ob Juris, & legum dispositionem, non sic tamen spectato Jure naturali, & gentium, *l. Bonaeruna fides* §. 1. *ff. deposit.* Tertia si concurrat fur, qui deposuit, & dominus; tunc enim non furi, sed domino debet restitui, *cit. l. Bona fides* §. *natris. ff. depositi*; secus dicendum, si domino non comparente, solus fur depositum reposcat. Quarta si per furem res deposita sit apud verum dominum, qui agnoscens, rem esse suam, potest illam retinere, & non reddere furi, quæ omnia sunt certa apud Doctores.

DUBIUM III.

Ex qua culpa restituere teneatur Commodatarius, & Depositarius, si res commodata, vel deposita pereat.

21. Solutio præsentis difficultatis potest sufficienter colligi ex dictis supra *tr.* 2. *de restitut. dub.* 3. *& seqq.* ubi diximus, culpam aliam esse theologicam, quam considerant Theologi, estque peccatum mortale, aut veniale: alteram juridicam, seu civilem, quam considerant Jurisperiti, estque omissio diligentiæ, ex qua sequitur alteri damnum, & potest esse triplex, lata, levis, & levissima, ut *ibid.* diximus *n.* 18. Facile autem contingere potest, quod hujusmodi culpa juridica, seu civilis, sit homini involuntaria, & careat omni peccato coram Deo. Si ex naturali oblivione librum tibi commodatum in loco publico reliquisti, unde fuit deperditum, & sublatum, culpam juridicam commisisti, sed non theologicam, quia ob naturalem inadvertentiam, & oblivionem excusaris a peccato coram Deo.

22. Resp. 1. stando intra limites juris naturalis, nemo ex contractu, sive in officio constitutus, tenetur in foro conscientiæ restituere damnum secutum ex sua culpa, nisi hæc sit culpa lata, quæ sit peccatum mortale. Ratio est, quia jure naturali majorem diligentiam quis adhibere non tenetur in custodia rei depositæ, commodatæ, locatæ, seu conductæ, quam in re propria, & quam ipse dominus adhibuisset, si apud ipsum mansisset. Si ergo fuit hæc diligentia adhibita, & nihilominus res periit, casu fortuito, & sine culpa periisse dicendum est, adeoque sine obligatione restituendi, quæ solum consurgit ex culpa, nisi forte aliter conventum sit inter partes; nam si pactum intercessit de præstando damno quomodocumque res pereat, tenebitur quis etiam de casu fortuito, nam tunc periculum rei in se suscepit, & se obligavit ad quodcumque damnum resarciendum; vel nisi fuerit in mora culpabili restituendi, ut habetur ex cap. *unic. de commodato*, ibi: *Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur, licet casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari*; ubi, ut vides, non tenetur de casu fortuito, quando non fuit caussa culpabilis, ut eveniret talis casus fortuitus, vel nisi fuisset in mora restituendi, nam mora sua cuilibet est nociva, *Regul.* 25. *Juris in* 6. nisi forte eodem modo apud dominum res fuisset peritura, quia tunc cessat obligatio restituendi, ut patet ex alibi dictis, cum non sit caussa damni. Sic Bonac. Lugua, Lessius, & alii adducti *loco cit.*

23. Resp. 2. attento jure positivo humano, quando contractus celebratur in utilitatem solius accipientis, tenetur iste ad restitutionem damni secuti ex sua culpa levi, & levissima, ut constat ex cap. *unic. de commodato*, & *l. contractus ff. de Regul. Juris*. Si vero contractus cedat in utilitatem solius deponentis, tunc accipiens tenetur solum de dolo, & culpa lata, non de levi, & levissima. Si autem contractus cedat in utilitatem utriusque, uterque tenetur de dolo, culpa lata, & levi, non vero de levissima, *arg. l. si ut certo*, §. *nunc videndum ff. commodati*, & aliis juribus passim relatis a Doctoribus.

24. Inde commodatarius communiter tenetur etiam de culpa levissima, quia commodatum communiter cedit in commodum, & utilitatem solius accipientis; e contra vero depositarius ordinarie tenetur solum de dolo, & culpa lata, cum depositum fiat in gratiam solius deponentis. *L.* 1. *Cod. Depositi*, ibi: *qui depositum accepit, dolum solum, & latam culpam præstare debuit*, nisi pretium accipiat pro custodia, quia tunc tenetur etiam de culpa levi; nam contractus cedit in utilitatem utriusque, quæ omnia fusius explicata sunt a nobis supra *tr.* 2. *de restit. c.* 1. *dub.* 7.

25. Sartores, molitores, & similes artifices, quibus datur res polienda, permutanda, vel reficienda, sicut etiam nautæ, aurigæ, caupones, & similes, apud quos res deponitur, tenentur ex culpa levi, cum etiam in ipsorum commodum fiat tale depositum. *L.* 1. *ff. depositi*, ubi etiam dicitur, nautas, stabularios, & caupones teneri ex culpa levissima, quia ad custodiam rei depositæ tenentur etiam ex officio. Ad hoc tamen requiritur, ut res ipsis tradatur custodienda; secus si dictis res non fuerit specialiter consignata, idque ob multitudinem accedentium, & recedentium, quorum fidem, & factum ipsi præstare nolunt; & ita servatur in praxi, ut etiam docet Lessius *lib.* 2. *cap.* 27. *n.* 10. Tambur. *lib.* 9. *tr.* 7. *cap.* 5. §. 1. & 2. Sylvester *verb. Nauta qu.* 1.

26. Dif-

26. Difficultas potissima est: *An leges obligantes ad restitutionem damni dati ex culpa levi, seu levissima, obligent in conscientia ante sententiam Judicis, adeo ut qui damnum hoc modo dedit, teneatur in conscientia restituere, nulla expectata sententia Judicis? Loco cit. de restit. dub. 7. n. 53.* Diximus, duas esse sententias: alteram asserentem, dari hujusmodi obligationem, quia dictæ leges præcipiunt id, quod naturali æquitati est consentaneum circa rem alienam; unde talis obligatio non est simplex pœna, sed id, ad quod quis ex naturali jure tenetur, quæ quidem sententia est valde probabilis, tum propter rationem, tum propter auctoritatem Doctorum.

27. Altera sententia, quæ est communior, & probabilior, negat adesse hujusmodi obligationem ante sententiam Judicis, udeoque neminem teneri in foro conscientiæ restituere damnum datum ex culpa levi, seu levissima, sed solum ex culpa lata, quæ sit peccatum mortale, nisi aliter conventum sit inter partes. Ratio est, quia, attento solum jure naturali, nemo tenetur majorem diligentiam præstare in custodia rei alienæ, quam præstet in custodia rei propriæ, & quam dominus ipse adhibuisset, si apud eum mansisset. Et ita tenent Diana, Filliuc. Lug. Hurt. Sotus, & alii a nobis relati *de restit. n. 55.* Ita etiam Anton. a Spir. S. *tr. 10. disp. 14. de deposito n. 545.* quia pœna gravis non est imponenda, nisi propter culpam gravem. Tambur. *lib. 8. Decal. tr. 3. cap. 5. §. 1. n. 5.* Rebellus *par. 2. lib. 16. qu. unic. a num. 5.* & alii apud ipsos.

28. Si dubium sit, an depositum, vel commodatum perierit culpa depositarii, vel commodatarii, in foro conscientiæ non tenetur ad restitutionem, quia in dubio melior est conditio possidentis, nec delictum præsumitur, nisi probetur; in foro tamen externo, si res depositarii remaneant salvæ, & incolumes, præsumitur de dolo. *Arg. cap. 2. de deposito*, ibi: *Bona fides abesse præsumitur, si, rebus suis salvis existentibus, depositas amisit. L. quod Nerva ff. depositi; & l. si ut certo §. nunc videndum ff. commodati.* Pal. *tr. 32. p. 8. n. 1.* Ant. a Spir. S. *l. c. n. 547.* Quod intelligi debet, nisi depositarius probet, depositum casu periisse, vel non potuisse simul cum rebus suis, imminente incendio, naufragio, vel alio periculo salvari, nam tunc cessat præsumptio doli.

29. Quæres: *An depositarius, vel commodatarius teneatur potius salvare res depositas, vel commodatas, quam proprias, si proprias, & depositas salvare non potest?*

Resp. si res propriæ sint pretiosiores, vel æque pretiosæ, quam depositæ, seu commodatæ, potest res suas aliis præferre, si omnes salvare non possit; nam quilibet magis tenetur diligere se, quam alium, sicque, ceteris paribus, potius res suas, quam alienas salvare potest. Si autem res propriæ sint viliores, seu minus pretiosæ, depositarius potest etiam tunc potius salvare res suas; commodatarius vero potius alienas, ut late diximus *in tr. de restitut. dub. 7. n. 30.*

30. Si depositum factum sit apud Clericum, seu Rectorem Ecclesiæ, seu Monachum, aut etiam Abbatem, & illorum culpa pereat, Ecclesia, vel Monasterium non tenetur detrimentum pati, dummodo res illa deposita non fuerit conversa in utilitatem ipsius Ecclesiæ, vel Monasterii, quia ex Clerici, seu Rectoris delicto Ecclesia damnum sentire non debet, nec ex delicto Monachi, seu Abbatis Monasterium debet sentire incommodum, ut decisum habetur cap. *Delictum, de Regul. Jur. in 6.* & cap. *si Episcopum 16. qu. 6.* ubi dicitur; *delictum personæ non est in damnum Ecclesiæ convertendum*: tum quia depositum, seu commodatum censetur esse factum personæ Clerici, vel Prælati, non Ecclesiæ, ut ibidem loquitur Textus, nisi depositum factum sit cum consensu Capituli, vel Conventus, vel conversum sit in utilitatem Ecclesiæ, quia tunc obligatur Ecclesia, vel Monasterium ad instar aliorum depositariorum.

31. Quæres: *An deponens res suas apud alterum, habeat jus prælationis, adeo ut præferri debeat ceteris creditoribus?*

Resp. præferri creditoribus chirographariis, sive personalibus, etiamsi deposuerit pecuniam, & illius usum concesserit depositario. *L. si hominem §. quoties ff. depositi*, ibi: *Quoties foro cedunt nummularii: solet primo loco ratio haberi depositariorum, hoc est eorum, qui depositas pecunias habuerint penes eosdem nummularios*; ubi Glossa: *Prius satisfaciat Titio, qui est plus privilegiatus*; & hoc si pure erat depositor, quia deposuit, hoc est, si ratione depositi non recipiat usuras; si enim eas recipiat, videtur renuntiare privilegio sibi a jure concesso, *dict. l. si hominem*, ibi: *quas non fænore apud nummularios, vel cum nummulariis, aut per ipsos exercebant.* Rursus dummodo eorum, qui postea usuras acceperunt, ratio non habeatur, quasi renuntiaverint deposito; inter autem hujusmodi deponentes nullo ordo datur, nec unus alteri præferri debet, sed omnes simul admittuntur æque primo, ut habetur *dict. l. si hominem*, ibi: *Item, quæritur, utrum ordo spectetur eorum, qui deposuerunt: an vero simul omnium depositariorum habeatur ratio? Et constat simul admittendos; hoc enim rescripta principali significatur.* Præferri tamen debet, si alicujus res deposita reperiatur adhuc existens. Ita Rosignol. *controv. 9. disquisit. 2. §. 10.* Azorius, Reginal. Molina, quos sequitur Bonac. *disp. 3. qu. 13. par. 3. n. 6.*

DUBIUM IV.

De Precario, quid illud sit.

32. PRecarium definitur ab Ulpiano *l. 1. ff. de Precario*, hoc modo: *Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur*, id est permittit, seu non revocat, *quod genus liberalitatis ex jure gentium descendit.* Idem habetur cap. 3. *de precario*: *Precarium utendum conceditur, quamdiu patitur, qui concessit: solvitur quoque obitu ejus, cui concessum est, non etiam concedentis.* Differt a mutuo, & venditione, quod in istis transfertur dominium, non sic in precario. Differt a deposito, quod depositum ordinarie fit in favorem deponentis, & conceditur solum ad custodiam; precarium conceditur ad usum, & est in favorem accipientis. Differt a commodato, maxime in hoc, quod commodatum fit ad certum tempus, vel ad certum usum, nec revocari potest ante tempus, vel usum, pro quo fuit concessum. Precarium vero potest quocumque tempore revocari; non enim datur ad certum usum, nec pro aliquo determinato tempore, sed quamdiu concedens permiserit, seu non revocaverit, ut patet ex definitione superius tradita. Dummodo tamen non statim revocetur sine cogente necessitate, ne frustra, & illusorie videatur concessum, ac beneficium alicui præstitum ipsi damnosum existat. *L. in commodato §. sicut autem in fine ff. commodati.* Abbas *cap. ult. de precario*, Sylvester verb. *Precarium*, Navar. *cap. 17. n. 161.*

33. Precarium dari potest in omnibus rebus, in quibus dari potest commodatum, id est in re mobili, in se movente, & in re immobili, ac in juribus, ac servitutibus, tam urbanis, quam rusticis, ut habet Filliuc. *to. 2. tr. 34. c. 9. nu. 196.* ex Hostie. *in sum. tit. de precario §. in quibus.* Gloss. cap. *ult. de precario.* Easdem habet obligationes, quas habet commodatum; solum differt in hoc, quod qui precario rem accipit, tenetur tantum de dolo, & culpa lata, quæ dolo æquiparatur, si rem perire contingat, non vero ex culpa levi, vel levissima. *L. Quæsitum est §. cum quoque ff. de precario, & l. Contractus ff. de Regul. Juris.* Qui autem accipit commodatum, quod fit tantum gratia recipientis, tenetur de levi, & levissima culpa, ut diximus *dub. præced.* Ratio disparitatis est, quia precarium pendet ex libera voluntate concedentis, qui potest illum revocare quandocumque voluerit; non sic commodatum, quod non potest revocari ante completum usum, sive tempus determinatum. Filliuc. *supra n. 200.*

34. Tres conditiones sunt de substantia precarii. Prima, ut adsit mutuus consensus dantis, & accipientis. Secunda est traditio rei, cum hic contractus traditione perficiatur. Tertia, ut ille, qui dedit precarium, semper possit illud repetere pro libito, nisi caritas aliud postulet, ut in casu, quo reddi non possit sine gravissimo detrimento illius, qui precarium accepit. Et inde fieri non potest pactum, ut tradens precarium illud repetere non possit, nisi post certum tempus, cum hoc sit contra naturam precarii, & consequenter est invalidum. *L. cum precarium ff. de precario*, cum Reginal. Mol. & aliis tradit Bonac. *q. 14. n. 4.* & Filliuc. *n. 198.*

35. Tribus modis finitur precarium. Primo per revocationem concedentis, ex *l. 1. & 2. ff. de precario.* Secundo per mortem illius, cui concessum est, quia est beneficium personale ipsi precanti concessum, unde non transit ad heredes; nam beneficium personale sequitur personam, & extinguitur cum persona, juxta *Regul. 7. Juris in 6.* non autem extinguitur morte concedentis, ut constat ex cap. *ult. hoc tit. solvitur quoque*, precarium, *obitu ejus, cui concessum est, non etiam concedentis*, quia censetur concessum sub illa conditione, donec dominus revocaverit, nec censetur revocatum per mortem concedentis, & sic durat, donec ab illius herede revocetur, aut nisi concessum fuerit a defuncto ad suum beneplacitum, seu quamdiu voluerit; nam cum mortui non sit voluntas, finitur ejus morte, *l. 4. ff. locati*, cap. *si gratiose de rescriptis lib. 6.* Tertio finitur precarium per venditionem precarii factam a domino. Bonac. *qu. 14. num. 15.* Molina, Reginaldus, Rebellus, & alii apud Bonacinam.

CAPUT IX.

De Pignore, & Hypotheca.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex sit Pignus, & Hypotheca.

Pignus aliquando sumitur pro re ipsa, quæ datur in pignus ob securitatem crediti, & aliquando pro ipso contractu, seu conventione, qua res alteri ob securitatem datur, vel obligatur, ut in simili diximus *supra de Commodato, & Deposito*. In præsenti sumitur pro ipso contractu, & bene definitur: Pignus *est contractus, quo res alteri traditur, vel obligatur ad securitatem crediti, ut possit inde satisfactionem habere, si aliunde ei non fuerit satisfactum*, quæ definitio, in re est communis, & convenit etiam hypothecæ, quæ sæpe confunditur cum pignore; solamque differt in hoc, quod pignus sit circa res mobiles, hypotheca vero circa res immobiles, quæ obligantur creditori: quamvis etiam mobilia possint hypothecari, & immobilia oppignorari, ut bene advertit Lugus *disp.* 23. *num.* 23. Alia differentia est, quod pignus semper est res aliqua determinata, quæ creditori actualiter traditur pro securitate, donec ei debitum fuerit solutum; hypotheca vero est, quando res actualiter non traditur creditori, sed solum obligatur, unde solet consistere in re immobili, quæ in manibus creditoris tradi non potest, ut habetur ex *l. si rem §. 2. de pignorat. act.* ibi: *Proprie pignus dicimus, quod ad creditorem transit; hypothecam cum non transit, nec possessio ad creditorem.* Ceterum quoad effectum pro eodem sumuntur, & quod de uno dicitur, valet etiam proportionaliter de altero. In utroque casu dominium rei remanet apud eum, qui pignus dedit, vel hypothecam, per quod distinguitur a re censui subjecta, cujus dominium utile transfertur in censuarium, ut notat Lugus *disp. 27. de Just. num.* 20.

2. Pignus, prout comprehendit hypothecam, dividitur in *conventionale*, *prætorium*, & *judiciale*. *Conventionale* est, quod sola partium conventione fit. *Prætorium* est, quando Judicis mandato ante sententiam definitivam, ob contumaciam, vel absentiam debitoris, quis mittitur in possessionem, seu tentionem illius rei; nam per eam immissionem jus acquirit in rem illam, & res illa sortitur rationem pignoris prætorii. *Judiciale* vero est, quando unus contendentium decreto Judicis mittitur in possessionem in bona debitoris jam condemnati, in executione sententiæ jam latæ, ut satisfiat. Molina *disp.* 528. Layman *lib. 3. tr. 4. cap. 30. nu.* 2. Rosignol. *contract. II. prænot.* 2. aliique communiter, quamvis nonnulli afferant, omne pignus auctoritate Judicis constitutum vocari prætorium, sive constituatur ante sententiam definitivam, sive post, prout colligitur ex *l. Non est mirum 26. ff. pignorat. act.* ex Negusantio Rotæ Auditore *in tr. de pignor. p. 3. membro* 1.

3. Hypotheca alia est generalis, quando omnia bona in genere, & universaliter alteri in securitatem obligantur, per quam hypothecam omnia bona, tam mobilia, quam immobilia, tam præsentia, quam futura obligata manent creditori, quamvis in contractu pignorationis de omnibus explicitam mentionem non faciat, sed præcise dicat; *obligo omnia bona mea*, ut habetur ex *l. fin. C. Quæ res pignori*, ibi: *super generali hypotheca illud quoque ad conservandam contrahentium voluntatem sancimus, ut si res suas supponere debitor dixerit, non adjecto tam præsentes, quam futuras, jus tamen generalis hypothecæ etiam ad futuras res producatur.* Alia specialis, quando una, vel plures res mobiles, vel immobiles in specie, aut in individuo alteri in securitatem debiti obligantur. Generalis non impedit, quominus bona hypotheca vendantur, quia pretium succedit in locum rei venditæ, particularis vero semper afficit rem, quæ remanet obligata apud quemcumque possessorem perveniat, donec debitum fuerit solutum, vel obligatio condonata. Molina *disp.* 528. *nu.* 14. & 15. Reginald. *lib.* 25. *n.* 582. Less. Azor. Vasq. quos sequitur Bonac. *disp. 3. qu. 10. pun. 2. n.* 2.

4. Insuper hypotheca alia est expressa, quæ scilicet ex expressa partium conventione celebretur, quando quis alteri omnia, vel aliqua sua bona in securitatem obligat, & alia tacita, quæ absque expressa hominum conventione, ex Juris dispositione involvitur in alio contractu. Hujus autem hypothecæ tacitæ varia exempla in Jure reperiuntur. Primo enim uxor pro securitate dotis allatæ tacitam hypothecam habet in omnibus bonis mariti, *l. unic. cap. de rei uxor. act. §. ut plenius*, & cap. *ex litteris 5. de pignor.* ibi: *Bona viri mulieri sunt pro dote tacite obligata, & cum suo onere transierunt ad quemlibet possessorem.* Idque verum est, etiamsi maritus ob patratum delictum deberet privari bonis; quia propter mariti maleficium uxor indotata remanere non debet, ex *cit. cap. 5. de pignor.* & ob maritorum culpam, uxorem inquietari leges vetant *l. 2. Cod. Ne uxor pro marito*.

5. Similiter bona mariti tacite remanent hypothecata uxori, etiam pro securitate bonorum paraphernalium, quæ maritus illius administrat, ut ex communi probat Covarr. *lib. 1. var. resol. cap. 7. nu. 7.* & ex *l. ubi ad hoc Cod. de jure dotium*. Remanent etiam obligata bona mariti pro rebus acceptis ex donatione propter nuptias ei factas, & pro incremento dotis. Authent. *de æqual. dot. §. his consequens*, & pro arrhis, quas maritus accepit. Azor. *part. 3. lib. 7. cap.* 3. Similiter bona uxoris remanent tacite hypothecata marito pro dote promissa sibi præstanda, *l. 1. C. de Rei uxor. act.* ibi: *Damus ex utroque latere hypothecam, sive ex parte mariti, pro restitutione dotis, sive ex parte mulieris pro ipsa dote præstanda.* Ita Rosignol. *contr. II. prænot.* 5. ubi fuse explicat hanc tacitam hypothecam pro dote.

6. Secundo bona Tutoris, & Curatoris tacita manent hypothecata pro bonis Pupilli, & Minoris respective, *l. ult. ff. in quibus caussis tacite contrahatur pignus*, *l. si mater C. eod. tit. & l. pro Officio C. de administ. Tut. vel Curat.* ibi: *Pro Officio administrationis Tutoris, vel Curatoris, bona, si debitores existant, tamquam Pignoris titulo obligata, Minores sibi vendicare minime prohibentur.* Tertio bona Prælati, & Administratoris Ecclesiæ tacite manent obligata ipsi Ecclesiæ ratione Administrationis factæ, cum Ecclesia gaudeat privilegio Minoris, & Pupilli. Idem valet de bonis Administrantium res Civitatum, quæ remanent obligata pro tali administratione, cum Civitas & ipsa gaudeat privilegio Minoris.

7. Quarto bona contrahentis cum Fisco, vel ab eo aliquid conducentis, sicut etiam bona officialium, & administratorum. Quinto bona defuncti pro legatis ab eo relictis. Sexto Pupillus hypothecam habet in rebus emptis ipsius pecuniis. Septimo qui mutuo dat pecuniam pro reficiendo ædificio tacitam in illo habet hypothecam, quam etiam habet in illis rebus, pro quibus emendis, vel conservandis mutuas dedit pecunias. Idem venditor in re vendita, quoadusque pretium sit plene solutum, & locator in omnibus rebus a conductore in domum, vel prædium illatis, & invectis, non solum pro pensione, sed etiam pro deterioratione rei locatæ, ut decisum habetur *l. 2. ff. in quibus caussis pignus*: ibi: *Non solum pro pensionibus, sed & si deteriorem fecerit habitationem culpa sua inquilinus, invecta, & illata pignori erunt obligata.* Hoc tamen non valet de prædiis rusticis, in quibus fructus, qui nascuntur ex tali prædio, obligantur pro pensione solvenda, quæ, & similia late tractat, adductis Juribus, & rationibus, Rosign. *contract. 11. prænot. 4. per totam*, quæ a nobis consulto omittuntur, quia non spectant ad Theologiam moralem, sed ad Jurisperitos.

DUBIUM II.

Quænam possint hypothecari, & in Pignus dari.

8. Resp. ea omnia possunt hypothecari, & in pignus dari, quæ libere vendi possunt, sive res sint mobiles, sive immobiles; corporales, sive incorporales, ut sunt census, jura, nomina debitorum: non solum res, quæ existunt, sed etiam quæ futuræ sperantur, ut fructus pendentes, pecorum foetus, partus ancillarum, *l. & quæ non sunt ff. de pignor.* Item usufructus; servitutes rusticorum, & ea omnia, quæ in nostris bonis sunt, Molina *disp.* 529. Lessius *lib. 2. cap.* 28. Antonius a Spiritu Sancto *tr. 10. disp. 24. num.* 1306. Bonacina, & alii communiter. Ratio est, quia minus est pignori tradi, quam vendi, nam per venditionem transfertur dominium rei venditæ, non vero rei, quæ pignori traditur: hoc etiam clare constat *l. sic, & quod 9. ff. hoc tit.* ibi: *Quod emptionem, venditionemque recipit, etiam pignorationem recipere potest.*

9. E contra vero res illæ prohibentur oppignorari, & in pignus dari, quæ vendi, & alienari non possunt, cum oppignoratio sit species quædam alienationis late sumptæ, ut habetur cap. *Nulli de reb. Eccles. alienandis, vel non*, ibi: *Nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ suæ, sive agrum, sive rusticum mancipium, neque specialis hypothecæ titulo obligare*: tum quia oppignoratio est veluti via, & dispositio ad venditionem; nam pignus datur Creditori, ut, si debitor fuerit in mora solvendi, illud vendere, & ex eo sibi satisfacere possit, ut ex *Tit. ff. de distract. pignorum*, & per oppignorationem acquiritur creditori jus in re, quamvis dominium rei remaneat apud debitorem. Molina *disp.* 530. Lessius *lib. 2. cap. 28. dub. 3.* Bonac. *q. 10. pun.* 1.

10. Unde res Sacræ, Ecclesiæ, Cœmeterium, Sepulcrum pignori dari non possunt, nec aliæ res Sacræ, quæ

vendi,

vendi, & alienari prohibentur sine sollemnitate, & facultate Sedis Apostolicæ, nec res publicæ, & publicis usibus destinatæ, *l. Sancimus C. de Sacr. Eccl.* & *l. 1. Quæ res pign. obligari non possunt*, & *l. si monumento C. eod. tit.* Quamvis autem bona Ecclesiæ alienari prohibita, non possint per specialem hypothecam obligari, possunt tamen pro Ecclesiæ necessitate, in ordine ad alios contractus a Jure permissos obligari per hypothecam generalem, etiam absque Juris sollemnitate, sed absque traditione, quia in *cit. cap. Nulli* cum sola hypotheca specialis prohibeatur, ibi: *Neque specialis hypothecæ titulo obligare*; videtur permissa hypotheca generalis, ut tradunt Azor. *p. 3. l. 7. q. 4.* Mol. *disp. 466. n. 1.* Layman *lib. 3. tr. 4. cap. 10. n. 2.* Covarr. *var. resol. c. 16. n. 7.* Rosign. *contr. 11. pranot. 2. n. 6.* sed de hac latius *Cap. ult.* ubi sermo erit de Reb. Eccles. non alienand.

„ *Si quid cupis ulterius hac de re, te adire non pigeat Notificationem, quæ habetur sub num. 2. Tom. 4. in Editione vero latina sub num. 49. in qua perelegantia eruditione hæc leguntur:*

„ 1. Summi Pontificis jussu die 5. Martii, anno nuper elapso litteras evulgavimus, quibus hortati sumus Rectores Ecclesiarum, Locorum Piorum, Sæcularium, ac Regularium hujus Diœcesis, ut argentea vasa superflua ad monetariam officinam deferrent, & ea pariter, quæ pro solvendo ære alieno distrahenda necessario viderentur; illisque tot *loca Montium* oblata fuerunt, quæ pretium eorumdem vasorum adæquarent.

„ 2. Res tamen non ita feliciter contigit, sed spem fefellit eventus, quod tamen nullam nobis attulit molestiam. Illud quidem animum nostrum magnopere commovet, quod argentea Templorum vasa, tum superflua, tum necessaria, ex quibus honestus fructus comparari poterat, in *Monte Pietatis* libere deponuntur; ubi numerata pecunia, solvendæque usuræ debitis temporibus conditione interposita, eadem vasa excipiuntur, ac retinentur, iis etiam legibus neglectis, quæ forent observandæ.

„ 3. In statuto ejusdem Montis cap. 11. præcipitur, ne in pignora accipiantur, quæ furti suspicionem præseferant; illique reddantur, qui certis documentis eadem pignora ad se pertinere ostendat, modo tamen integram pecuniam restituat, quam Montis Præsides furi persolverint, & reliquis expensis satisfecerit. Præsides ipsi die 28. Novembris anno 1680. sapienter decreverunt, ne Montis administri pro pignore res sacras, vel benedictas caperent, inter quas Calices, Patenas, Ostensoria, Pyxides, Casulas, Tunicellas, & Pluviales adnumeraverunt.

„ 4. Jam quidem suspicamur hoc Decretum non semel violatum. Nam invisentes quasdam Ecclesias, nonnullos deesse Calices advertimus, quos Monti Pietatis datos pignori deprehendimus. Insuper querimonias sæpius ad Nos detulerunt, qui Parochiam aliquam consecuti sunt, aut Beneficium in publico Sacello erectum, Calices nempe Montis Pietatis traditos fuisse pignori ab iis, qui antea Parochiam, aut Beneficium obtinuerunt. Immo nuper illud accidit, quod in totam Urbem late manavit, cum eidem Monti pignori data sunt Candelabra, Sacra Vasa, Thuribulum, & Pedum Abbatiale ob fraudem illius, qui hæc omnia vel commodata acceperat, vel ut reficeret, vel ut ipsa expoliret. Tunc rationem, qua id evenerit, perscrutari voluimus, responsumque nobis fuit, sacram ejusmodi supellectilem nonnisi fractam in pignus accipi consuevisse. Itaque ruptionem, ac detrimentum ejusdem supellectilis Nos ipsi intueri vehementer expetivimus, fraudemque in eo implicatam apertissime cognovimus. Nam Thuribulum fractum appellabant, cujus pars superior ab inferiori distracta fuerat; cum qua prius per catenulas jungebatur: fractam pariter acerram judicabant, cui globulus argenteus in medio solum deerat. Cum nobis hæc admirationem afferrent, accepimus, parum difficultatis, ac religionis inesse, dum hæc argentea supellex in pignus recipitur, si numeratam pecuniam re ipsa pretio suo coæquarent, & constitutum fœnus solveretur ab iis, qui hæc argentea pignora ad Montem Pietatis afferebant.

„ 5. Si cognita, perspectaque essent, quæ a jure civili, & sacro præscribuntur, aut si legum ignari, atque imperiti a Sapientibus consilium peterent, numquam tam prava exempla contigissent. In primis certum plerumque est Caji responsum *L. sed quoad res ff. de pignoribus: Quod emptionem, venditionemque recipit, etiam pignorationem potest recipere*; & e contrario sapienter quoque tradit Martianus *L. Pupillus §. eam rem ff. quæ res pignori &c. Eam rem, quam quis emere non potest, quia commercium ejus non est, jure pignoris accipere non potest, ut Divus Pius Se-* (*turnino rescripsit*. Itaque supellex Ecclesiæ vendi nequit, nisi legitima caussa interveniat, & Summi Pontificis consensus, cum de supellectili valde pretiosa res agitur, aut saltem Episcopi facultas cum legitima caussa, & Summi Pontificis, si opus fuerit, vel Episcopi saltem approbatio intercesserit.

„ 6. In quarto Concilio Constantinopolitano, quod octavum locum inter generalia obtinet, ac potissimum Can. 25. *ex collect. P. Labbe tom. 8. pag. 1134.* sic præcipitur: *Apostolicos, & Paternos Canones renovans Sancta hæc universalis Synodus definivit, neminem prorsus Episcopum vendere, vel utcumque alienare Cimelia, & Vasa Sacrata*. Cimeliorum autem nomine, pretiosam supellectilem intelligi ex Pontificali ostenditur in vita Vitaliani Pontific. *Sed & Vasa Sacrata, vel Cimelia Sanctarum Dei Ecclesiarum tollentes*. Du-Cangius quoque in celebri Glossario ad verbum *Cimelia, & Cimilia* advertit, a venditione ad pignus rem transferri: (*cap. 1. de pignorib.*) *Nullus Presbyter præsumat Calicem, vel Patenam, vel Vestimentum Sacerdotale, aut Librum Ecclesiasticum tabernario, vel negotiatori, aut cuilibet laico, vel feminæ in vadium dare*. Hoc loco pro *Vadio*, quod sane idem est, ac *Vadimonium*, pignora intelliguntur, uti declarat sapienter Hoffmannus *in Lexico universali ad verbum Vadium*.

„ 7. Jus tamen Pontificium justam ob caussam supellectilem vendi, ac pignori dari permittit *allato Canone 15. Concil. Constantinopolitani: Excepta caussa illius ab antiquis Canonibus ordinata*. Capite autem primo de pignoribus hæc habentur: *Nisi justissima necessitate urgente*. Hinc absque ulla facultate pretiosa Ecclesiæ supellex vendi poterat, ac pignorari, ut egeni alerentur, vel ut captivi pristinam sibi libertatem compararent, *in Canone Aurum 12. q. 2. &c.* Attamen, cum prava sagacitas hominum hæc sanctissima instituta labefactaret, & cum ipsa experientia compertum esset, justam ejusmodi caussam temere, & inconsulto dijudicari pro alienanda, aut pignori tradenda Ecclesiæ supellectili, Paulus II. *in Decretali quæ incipit*, Ambitiosæ. *Extravag. communib. de rebus Ecclesiæ non alienandis*, id fieri in posterum prohibuit, nisi prius legitima caussa per Sedem Apostolicam probaretur: *Pretiosa mobilia Deo dicata &c.* Ac paullo post: *Omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticarum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, &c.*

„ 8. Cum vero Regulares aliqui peculiaribus Ordinis sui privilegiis adducti sine Pontificis auctoritate supellectilem a se pignorari, vendique posse contenderent, Urbanus VIII. die 7. Septembris 1625. consilio Sacræ Congregationis Concilii, quæcumque abrogavit privilegia, ac suo Decreto illos etiam Regularium Ordines nominavit, qui expresse nominandi sunt, ut Decretis subjiciant: *Omnium rerum* (de bonis agitur omnium Regularium, qui in Europa versantur) *& bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur &c. absque ipsius Congregationis licentia in scriptis, & gratis concedenda*. Cum Nos ipsi Secretarii munus gereremus ejusdem Sacræ Congregationis Concilii, Patres Reformati ex Familia S. Francisci citra Montes questi sunt varias a Syndicis suis fraudes committi, cum vendi, aut alienari deberent bona sibi relicta ex *dispositione Juris*, ideoque sine Apostolicæ Sedis facultate, uti Fagnanus expendit *cap. Nulli n. 27. & 28. de rebus Ecclesiæ non alienandis*. Quamobrem die 18. Martii anno 1719. petitum fuit; *An, & quale temperamentum sit capiendum in casu*; & Sac. Congr. his verbis respondit: *Quoad mobilia Ecclesiæ incorporata, esse necessarium beneplacitum Apostolicum; quo vero ad omnes alias res, non posse Syndicos procedere ad venditionem, nisi prævia edictorum affixione, ut venditio fiat majori oblatori.*

„ 9. Allatum Decretum Urbani VIII. plures commemorant, ac præsertim Donatus *in praxi rerum Regularium to. 1. tr. 14. q. 2.* insertumque est Constitutionibus, ac Decretis Pontificum, quæ jussu Clementis XI. anno 1716. in unum congesta, ac promulgata Romæ fuerunt, ut Regulares ea facilius ante oculos haberent, quæ pro recta Ordinum administratione a Seda Apostolica sancita gravissime sunt. Ex his omnibus aperte constat, neque alienari, neque in pignus tradi posse pretiosam supellectilem Ecclesiarum Sæcularium, ac Regularium, Sodalitatum, & cujuslibet Loci Pii; nempe argentea, vel aurea vasa, Calices, Patenas, Ostensoria, Pyxides, Lampades, argentea Candelabra, Ampullas, consacrata Vasa, Aspersoria, Thuribula, quæ inter pretiosam supellectilem adnumerantur, ut apud *Donatum rerum Regular. to. 1. tr. 14. q. 54.* licet vasa, quæ consecrationem requirunt, nondum sacrata fuerint, vel aliqua ex

ipsa sacrari nunquam debeant. Nam illud potissimum alienationem eorumdem vasorum impedit, quod ipsa ad Ecclesiam, aut Pium Locum pertineant. Ita Azor, *in Instit. Moralib. par. 3. lib. 7. cap. 6. §. Quæres, an solum prohibeantur.* Constat, inquam, nihil ex his omnibus vendi, aut pignorari posse, nisi legitima caussa Pontificia auctoritate, judicioque probetur, aut facultas nostra prius obtenta fuerit, cum de rebus inferioris pretii agendum est. Quippe neque Pauli II. Decretum, quod incipit, *Ambitiosæ*, neque alia alia Canonica sanctio jus Episcoporum imminuit, quod ex Canone *Terrulas* 12. *qu.* 2. desumitur, Ita Fagnanus Sacræ Congregationis sententiis adductus testatur, *Cap. Nulli, n. 23. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Regulares, qui privilegio Canonis *Terrulas* uti volunt, eamdem a Nobis facultatem omnino petere debent, si illam a Sede Apostolica non obtinuerint, vel necessarium minime existiment ad Pontificem confugere, cum de tenui pretio res agatur. Id non semel a Sacris Congregationibus constitutum fuit. *Monacellus in Formular. Par. Ecclesiast. tom. 1. tit. 5. form. 15. num. 28.*

10. Qui violaverit Decretum Pauli II. quod modo commemoravimus: *Et tam qui alienat, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat.* Summus Pontifex tantum ab hac excommunicatione dissolvere reum potest, uti Tridentina Synodus *Sess.* 22. *cap.* 11. *de Reform.* decernit; quod etiam P. Thesaurus ostendit, *de pœnis Ecclesiast. par.* 2. *c.* 1. *not.* 1. Regulares autem, qui Decretum contemnunt Urbani VIII. non tantum obnoxii sunt pœnis, quæ a Paullo II. statuuntur, sed etiam suis muneribus *ipso facto* privantur, quod ex verbis ipsis Decreti clare deprehenditur.

11. Cum plurima, quæ Bononiæ contingisse diximus, Romæ pariter evenerint in deferendis ad Montem Pietatis sacris vasis, & pretiosa Ecclesiarum supellectili; magno studio experivimus, qua ratione compressis ejusmodi consultum fuerit. Accepimus igitur constitutum esse, ne Montis administri sacra vasa, aut supellectilem Ecclesiæ in pignus acciperent, sive integra forent, sive fracta, nisi facultas expressa Congregationis, quæ Sacræ Visitationis dicitur, in medium proferretur. Hoc admoniti exemplo, indicimus administris Montium Pietatis, cum in Urbe, tum in Diœcesi universa, ceterisque omnibus, qui ad recipienda pignora designati sunt, ne pecuniam commodent, ac ne in pignus capiant sacram supellectilem Ecclesiarum Secularium, aut Regularium, Sodalitatum, & Locorum Piorum absque facultate nostra, seu Vicarii nostri Generalis (si pretium supellectilis facultatem nostram nequaquam exsuperet) quæ scripto concedetur, postquam caussæ, & pignoris necessitas cognita fuerit, utrum scilicet Curatores Locorum Piorum id temere faciant, an rei familiaris angustiam sublevent, an vero pro Locorum eorumdem gravi necessitate, quæ nulla alia ratione depelli possit, juxta caput *Præfectatum*, *de Pignoribus*. Insuper, licet Sedis Apostolicæ facultas comparata fuerit, nihil sacri in pignus accipiatur, nisi prius Nos ipsi, aut Vicarius Generalis rem totam cognoverit, quod scripto obsignato constare debet; etenim cum Nobis Decreta Pontificia commendentur, ut executioni mandari queant *in forma commissaria*, ut ajunt, ideo perpendere debemus, an veritati consentaneæ sint caussæ, quæ Pontifici propositæ fuerunt. Item declaramus id omnino perficiendum esse, sive de vasis argenteis, sive de pretiosa supellectili res agatur, sive integra illa sint, sive perfracta, ita tamen, ut sacra supellex ad Pia Loca pertinens dignoscatur. Nihil etiam interest, an stemma incisum appareat, vel deletum fuerit; nam inter sacra vasa, & pretiosam Ecclesiarum supellectilem, & inter privatos civium apparatus tam magnum formæ discrimen interponitur, ut ipsa facile sine ullo stemmate distinguantur. Itaque notum facimus Montium administris, qui pignora ejusmodi capient absque facultate, quam exposuimus, ipsos excommunicationi subjici, quæ Summo Pontifici reservatur absolvenda, si nempe ea pignora accipiantur, quæ absque Sedis Apostolicæ facultate sumi nequeunt; si vero pignora fuerint inferioris pretii, quæ consensum nostrum necessario requirunt, eam excommunicationem subibunt, quæ a Nobis solum remitti potest. Illud autem certissimum erit, quæcumque sit pignorum conditio ac pretium, munere suo spoliandos, qui huic mandato non paruerint, sive in Civitate, sive in Diœcesi excipiendis pignoribus præpositi fuerint.

12. Satis perspectum habemus pietatis studium, quo Præsides Montis ejusmodi in Civitate, ac Diœcesi prædita sunt; hinc pro certo ducimus operam daturos, ne ipsorum ministri nostra hæc Decreta contemnant, quæ divino, humanoque juri innituntur. Nullam adhuc suspicionis caussam merito habuimus, ne aliquid furto, vel fraude comparatum Montis administri scienter pro pignore admiserint. Idem in posterum futurum confidimus, ac prope certum tenemus illorum probitate adducti, qui hoc munere nunc funguntur. Cum tamen anceps, dubiumque sit, quid diuturnitate temporis accidere possit, magnopere commendamus, ac probamus ea, quæ capite undecimo Statuti Montis Pietatis continentur, videlicet: *Præcipitur custodibus supellectilis, & capsæ, omnem curam, studiumque impendere, ne aliquid furto sublatum in pignus accipiant, cujus rei obsidet ipsorum animas ante supremum Dei Tribunal constituimus.* Eodem loco indicitur, ut cognito rei subreptæ domino, depositum pignus ipsi restituatur: *Postquam tamen pecuniam datam mutuam, expensas, & ministrorum stipendia Monti persolverit.* Verum præter hæc aliquid gravioris momenti a legibus decernitur, *L. In civilem C. de furtis*; nam qui aliquid furto ablatum in pignus consulto ceperit, licet Principis auctoritate in eo munere versetur, ad subeundam corporis pœnam damnatur, pignusque legitimo domino reddendum, qui vacuus, & immunis quacumque expensa judicatur. Quamvis autem pro statuenda corporis pœna, demonstrari debeat, furtivum pignus a ministro cognitum apertissime fuisse, tamen indicia, & conjecturæ sufficiunt, ut adigatur pignus abreptum domino restituere sine ullo ipsius commodo, vel impensa, quemadmodum Raynaldus ostendit *in observationibus criminalibus lib.* 2. *cap.* 14. *§.* 19. *a num.* 1. *ad num.* 20.

11. Res aliena, quamvis vendi possit, non tamen potest in pignus dari; nam, ut habetur *l.* 5. *C. si aliena res pignori*, per alium, rem alienam invito domino pignori obligari non posse, certissimum est: valet tamen pignus, si postea dominus ratam habuerit, & retrotrahitur ad tempus pignorationis factæ. Ratio cur res aliena vendi possit, sed non oppignorari, ea est, quia venditio afficit personam venditoris, qui de evictione tenetur; si enim res aliena evicta sit, emptor habet jus, & actionem in venditorem, ut reddat quidquid sua interest, id est pretium, & detrimentum, si aliquod passus est; pignus autem non afficit, nisi rem ipsam, quæ traditur creditori, ut ex ipsa sibi satisfaciat, si debitor non solverit; poterit tamen dari in pignus sub conditione: *si acquisiero: si facta fuerit mea. L. si fundus §. aliena ff. de pign.* ibi: *Aliena res utiliter potest obligari sub conditione, si debitoris facta fuerit.*

12. Creditor, qui a debitore pignus accepit, illud potest ob easdem caussas alteri oppignorare, ut habetur ex *l.* 1. *C. si pignus pignori datum*: ibi: *Etiam id, quod pignori oblatum est, a Creditore pignori obstringi posse jam dudum placuit*; possum enim pignori dare, & cedere jus, quod habeo in pignus alterius, sed non possum pignori tradere, nisi pro eadem quantitate pecuniæ, cum nemo possit majus jus in alium transferre, quam ipse habeat. Unde secunda oppignoratio statim desinit, si creditori primo fuerit satisfactum; cum enim nullum jus amplius habeam in pignus, non possum amplius ullum jus in alterum transferre circa pignus, *l. Grega.* 13. *§.* 2. *ff. hoc tit.* ibi: *Quod si dominus solverit pecuniam, pignus quoque perimitur*: tamen in illo casu secundo creditori competit actio adversus suum debitorem, vel ut debitum solvat, vel aliud tradat pignus. Ita Less. Molina, Rebell. quos sequitur Bonac. *qu.* 20. *p.* 1.

13. Instrumenta aratoria, aut boves, & alia animalia ad arandum destinata; vel servi aratores, & alia ad culturam destinata non possunt oppignorari, *l. executores C. quæ res pignori*, ibi: *Executores a quocumque Judice dati ad exigenda debita ea, quæ civiliter poscuntur, servos aratores, aut boves aratorios, aut instrumentum aratorium pignoris caussa de possessionibus non abstrahant, ne scilicet tributorum solutio retardetur.* Idem habetur *l. Pignorum, & l. Agricultores C. eod. tit.* an vero hoc sit amplius in usu, non est certum.

14 Res eadem uni oppignorata, non potest alteri, aut pluribus oppignorari, seu hypothecari, nisi in casu, quo res hypothecata sufficiens sit ad satisfaciendum omnibus; siquidem pignus ad hoc datur, ut ex ejus pretio creditor sit satisfactus in casu non solutionis, unde non potest pluribus hypothecari, si non sufficiat pro omnibus, aut nisi posteriores admoneantur de priori hypotheca; tunc enim volenti, & consentienti non fit injuria.

15. Quæres 2. *An creditor uti possit pignore in securitatem crediti accepto.*

Resp. negative, nisi adsit expressus, aut tacitus consensus domini, maxime si per talem usum damnum aliquod domino sequatur, quia nemo uti potest re aliena, invito domino, cum ipsius damno; secus si damnum non sequa-

sequatur, nec dominus censeatur invitus, ut quando pignus usu non consumitur, ut est vas argenteum, torques aurea, & libri, ne corrodantur a pulvere, seu tineis, ut cum Molina *disp.* 535. Navar. *in man. cap.*17. *n.* 203. Sylvester *verb. Pignus n.* 7. tenet Bonacina *supra n.* 7. Quod si usus pignoris sit pretio aestimabilis, debet creditor pignore utens valorem *usus* in sortem computare; secus committeret usuram, nisi praesumatur, dominum concessisse gratis, ut contingere potest in vase argenteo, & libris. Ratio est, quia fructus pignoris, debent in sortem computari, deductis expensis, ut mox dicam; sed talis usus est fructus pignoris, & pretio aestimabilis, ac proinde, si non computatur in sortem, deductis expensis, creditor usuram committeret recipiendo aliquid supra sortem pro dilatione solutionis. Ita cum aliis Bonacina *loco cit.*

16. Fructus, qui percipiuntur ex pignore fructifero, sunt sine dubio computandi in sortem, *l.* 1. *Cod. de pignorat. act.* ibi: *Ex pignore percepti fructus imputantur in debitum: qui si sufficiunt ad totum debitum solvitur actio, & redditur pignus: si debitum excedunt, qui supererunt redduntur.* Idem habetur cap. *cum contra hoc tit.* ibi; *cum secundum canonicas sanctiones fructus restitui, & in sortem debeant computari.* Ratio est, quia res quaelibet domino suo fructificat; dominus autem pignoris, est debitor, non creditor, qui percipiendo, & retinendo fructus, illos perciperet ex re aliena, & ex mutuo aliquid haberet supra sortem, in quo consistit usura, ut diximus supra *cap.* 3. *de mutuo, & usura dub.* 8. *num.* 96. ubi successive diximus, creditorem computare debere in sortem, non solum fructus perceptos, sed etiam quos dominus percepisset, & creditor ex culpa sua non percepit. Idem valet de fructibus perceptis a creditore, quos dominus non percepisset: excipiuntur tamen fructus percepti ex fundo feudali pignori tradito domino directo, & quos Gener percepit ex fundo sibi tradito a Socero pro dote promissa, & non soluta, qua ibidem sufficienter explicata sunt, ubi etiam diximus, an locum habeat pactum legis Commissoriae in pignoribus, quae hic non sunt repetenda.

17. Quares 2. *An, debitore statuto tempore non solvente, licitum sit creditori pignus acceptum vendere.*

Resp. pignus tradi posse cum pacto inter creditorem, & debitorem inito, ut licitum sit creditori pignus vendere, si intra tantum tempus pretium non fuerit solutum, & tunc tale pactum, utpote licitum, & validum, servandum est, tam circa modum, quam circa tempus venditionis, ac proinde, debitore non solvente debito tempore, creditor poterit pignus vendere, & sibi satisfacere, *l. si convenit* 4. *ff. de Pignor. & l. ult. Cod. de Jure domini impetrand.* nec in tali casu requiritur, quod praecedat monitio, seu quod debitor de venditione facienda moneatur, cum talis admonitio non sit deducta in pactum, ut suppono, & dies interpellet pro homine. Debet tsmen expectare usque ad ultimam horam, & quod totum tempus sit transactum. Azor. 3. *p. lib.*5. *qu.* 3. Reginald. *lib.* 25. *n.* 605. Tamb. *tr.* 7. *c.* 3. §. 6. *n.* 2. Anton. a Spir. Sancto *disp.* 24. *nu.* 1316. addens; quod, si debitor ipse vendere voluerit, & ad hoc petat pignus sibi ostendi, debet creditor consentire, accepta sufficienti cautione.

18. Quod si nullum fuit determinatum tempus de hujusmodi pignoris venditione facienda, non potest creditor vendere pignus, nisi prius praemissa monitione, & expectato tempore convenienti pro qualitate pignoris, & personarum. Molina *disp.*536. *n.*2. Lug. *disp.*32. *n.*37. Si vero non intercessit pactum de venditione facienda, & creditor pignus vendere vult, debet saltem praemittere unam monitionem, ut debitor solvat, & post illam per biennium expectare, quo elapso, si debitor non solvat, pignus vendi potest, praesente, vel sciente domino, *cit. l. ult. Cod. de Jure domini impetr.* ibi; *sin autem nulla pactio intercesserit, licentia dabitur foeneratori ex denunciatione, vel ex sententia judiciali post biennium, ex quo attestatio missa, vel sententia prolata est, numerandum, eam vendere.* Molina *n.*4. Lugus *n.*37. Anton. a Spir. Sancto *nu.* 1317. Biennium numerandum est a die factae monitionis, vel latae sententiae.

19. Si vero pactum intercessit, ut pignus non debeat vendi, tunc praemittendae sunt tres monitiones, dato intervallo temporis, saltem trium dierum inter unam, & aliam, vel Judicis arbitrio, & tunc licitum erit vendere pignus, *cit. l. si convenit ff. de pignor. act.* Alias antea vendendo tenetur actione furti, si non intercessit decretum Judicis, qui praecipere potest, ut statim pignus vendatur, transacto tempore assignato a creditore, & prius vendenda sunt, quae habent hypothecam specialem, & illis non sufficteotibus, ea deinde, quae habent hypothecam generalem, *l. quae specialiter Cod. de distract. pignor.* & creditor nec per se immediate, nec per interpositam personam potest pignus sibi acquirere, & emere, *l. & qui, Cod. de distr. pign.*

20. Leges hujusmodi obligare tantum pro foro externo, & non pro foro conscientiae, tenet Bonac. *disp.* 3. *qu.* 10. *pun.* 1. *num.* 9. dicens, pro foro conscientiae creditorem posse pignus vendere, non expectato biennio, praemissa solum trina monitione cum sufficienti intervallo inter unam, & aliam; nam pignus datur ad securitatem crediti, ut creditor sibi consulat, & indemnem servet; unde poterit pignus vendere, si, transacto tempore constituto, & praemissa trina monitione, debitor fuerit adhuc in mora solvendi, nisi expresse promiserit pignus non vendere, quia fides data in promissione esset servanda. Facta venditione, si pretium fuerit majus, quam creditum, illud plus restitui debet debitori, quia nullo titulo potest excessum sibi retinere, *l. ult. Cod. de Jure dotis.* Si autem fuerit minus, debet debitor residuum supplere: sequitur Rodriq. Reginal. & alii apud Bonacinam.

21. Quares: *An creditor vendens pignus teneatur de evictione.*

Resp negative, si pignus fuit venditum, servatis conditionibus supra a Jure statutis, licet teneatur cedere emptori jus, & actionem, quam adversus debitorem alias habuisset, *l. in creditore* 38. *ff. de evict. l.* 1. *&* 2. *Cod. creditorem evictionem pignoris non debere*; bene tamen tenetur, quando vendidit, non servatis conditionibus, quando nec ex pacto, nec ex lege, aut Judicis decreto vendere poterat; & ita tenent Lugus *disp.*32. *n.*42. Molina *disp.* 538. *n.* 28. quos sequitur Antonius a Spiritu Sancto *nu.* 1322. Cetera, quae de hypotheca quaeri possunt, potius spectant ad Jurisperitos, quam ad Theologum, & videri possunt apud Rosignol. *contr.* 12. ubi fuse rem hanc totam pertractat.

C A P U T X.

De Fidejussione, & Assecuratione.

D U B I U M I.

Quid, & quotuplex sit Fidejussio.

Resp. Fidejussio est alienae obligationis in se susceptio, qua quis se obligat ad eam implendam, si debitor principalis non solvat. Sumitur *arg. Instit. princip. de Fidejuss.* & *l. sicut* 65. *ff. tit. eod.* & in re est communis. Lessius, Bonacina, Filliuc. quos sequitur Rosignol. *contruct.* 12. *praenot.* 1. *num.* 2. Unde fidejussor dicitur ille, qui pro debito alieno fidem suam obligavit, ita ut, principali debitore non solvente, ipse teneatur satisfacere creditori. Est contractus stricti Juris, qui solo consensu perficitur; nam licet antiquitus fidejussio sollemni stipulatione per interrogationem unius, & responsionem alterius fieri consueverit, hodie tamen non est necessaria talis stipulatio, nec ad eam requiritur certa verborum forma, sed sufficit consensus quomodocumque exprimatur, sive oretenus, sive in scriptis; immo etiam per Epistolam inter absentes, dummodo mens sufficienter exprimatur, ut probat Rosignol. *supra num.* 8. ex *l. fidejubere ff. de fidejuss.* & *l. si remunerandi §. si passus ff. mandati §. si quid Instit. hoc tit.* Addit ex Molina *disp.* 539. *vers. illud est observandum*, ad contrahendam obligationem fidejussionis sufficere praesentiam, & reticentiam, & ex Ognate *tr.* 18. *disp.* 52. *sect.* 2. *num.* 29. quod antiquitus admittebatur in fidejussione stipulatio, non tamquam de substantia, sed tamquam de consuetudine ob facilem rei probationem. Non requiri stipulationem, nec certam verborum formam de Jure Canonico, & pro foro conscientiae docent Lefsioi *de Just. lib.* 2. *cap.* 28. *dub.* 1. Rebell. *lib.* 16. *qu. unic. de fidejuss. num.* 5. Bonacina *disp.* 3. *qu.* 9. *punct.* 1.

2. Quatuor conditiones requiruntur in hoc contractu. Prima est, ut hic contractus sit accessorius, supponens alium debitorem, & aliam obligationem praesentem, vel futuram, *Inst.* §. 1. *&* 3. potest enim contractum, sive praesentem, sive futurum sua fide, & obligatione certum reddere; nec officit, quod fidejussio praecedat, vel subsequatur principalem obligationem, sive deinde obligatio oriatur ex contractu, vel delicto, vel lege, vel Judicis sententia, aut alio capite: & inde non est proprie fidejussor, qui pro alio principaliter se obligat, nam obligatio fidejussoris est accessoria, & in defectum principalis. Unde etiam fidejussor non potest per se primo conveniri, sed prius excuti debet principalis, & videre, an sit solvendo nec ne: excusso principali, & cognito, quod non sit solvendo, tunc creditor poterit convenire fidejussorem, qui accessorie, & in defectum principalis se obligavit.

3. Secunda conditio est, ut fidejussor non plus obligetur, nec plus solvere teneatur, aut in alio loco, & tempore, ad quos principalis debitor non erat obligatus, *Instit.* §. 3. ibi: *Fidejussores ita obligari non possunt, ut plus debeant, quam debeat is, pro quo obligantur.* Et additur ratio; nam *eorum obligatio, est accessoria principalis obligationis, nec plus in accessione potest esse, quam in principali.* Idem habetur *l. græce §. illud commune ff. de fidejuss.* ibi: *illud commune est universis, qui pro aliis obligantur, quod, si fuerint in duriorem causam adhibiti, placuit etiam omnino non obligari*, id est pro toto debito. Ratio est, quia non subsistit obligatio fidejussoria, utpote accessoria, sine obligatione principali, & sic non potest esse major quoad quantitatem, quam fuerit obligatio principalis debitoris; quod valet etiam de loco, & tempore, adeo, ut non possit fidejussor obligari pro alio loco remotiori, & minus commodo, aut pro alio tempore minus opportuno, seu breviori, ad quod non tenebatur debitor principalis, propter rationem jam allatam, ut cum Less. Gom. Mol. & aliis tenet Rosign. *contr.* 12. *præn.* 3. *n.* 2.

4. Potest tamen fidejussor obligari majori vinculo, puta cum juramento, hypotheca, vel cum instrumento publico guarantigiæ, quod habeat executionem paratam, quamvis principalis debitor non sit stricte obligatus, argum. *l. quod enim ff. de fidejuss.* ubi principalis obligatur tantum naturaliter, fidejussor vero, & naturaliter, & civiliter, sicut etiam potest obligari ad pœnam, & ad interesse, si fuerit in mora solvendi, quamvis ad id principalis non se obligaverit. Layman *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 19. *num.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 28. *dub.* 1. *n.* 4. Rosign. *nu.* 6. & cum Molina, & Lugo, Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 16, *num.* 1272.

5. Tertia conditio est, quod non sit valida fidejussio, quando obligatio principalis, cui accedit, ex quacumque caussa est invalida, & nulla, *l. cum lex ff. hoc tit.* & ratio est, quia, cessante obligatione principali, cessat quoque accessoria. Quod si principalis habeat solam obligationem naturalem, potest fidejussor obligari non solum naturaliter, sed etiam civiliter, ut quando quis fidejubet pro minore, prodigo, furioso, & servo, qui solum naturaliter efficaciter obligantur. *L. Marcellus ff. de fidejuss.* & *l. quod enim ff. eod. tit.* & ratio est, quia fidejussor, cum sit sui juris, potest utramque obligationem subire, non sic principalis debitor, quando ex defectu potestatis, vel libertatis, vel juris permittentis, non potest civiliter obligari, quamvis possit naturaliter. Et inde, si naturaliter obligatus obligationem elidat, aliquo juris remedio, vel petendo restitutionem in integrum, non proinde fidejussor liberatur ab obligatione, sed potest civiliter conveniri, ut ostendit Gomez 2. *var. cap.* 17. *num.* 2. Molina *disp.* 539. *num.* 8. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 28. *dub.* 1. *numer.* 7. Si tamen pupillus, aut minor venderet rem immobilem, vel mobilem pretiosam sine decreto Judicis, & sine auctoritate tutoris, vel curatoris, tunc fidejussor ad nihil tenetur, quia ex parte pupilli, vel minoris nulla datur obligatio, sive civilis, sive naturalis, *l. 2. C. de fidejussor. minor.* uti alios referens tenet Rosignol. *num.* 2.

6. Quarta est, ut fidejussor non possit conveniri, nisi prius excusso principali, an sit solvendo, ut dixi *n.* 2. nisi forte fidejussor renuntiaverit privilegio sibi concesso, *Authen. præsente C. de Fidejussor.* vel clare constet, principalem non esse solvendo, vel longe abesse, & non habere bona in eodem Territorio, ex quibus possit haberi satisfactio; vel fidejussor conventus neget, se esse fidejussorem, quia tunc amittit hoc privilegium, ut prius conveniri debeat principalis, *l. si dubitetur §. 1. ff. hoc tit.* ut cum Tamb. & Lugo docet Antonius a Spir. Sancto *nu.* 1275. Nec obstat, quod fidejussor juramento se obligaverit, nam juramentum intelligendum est secundum naturam contractus, cui apponitur, nec ultra se extendit, nisi juxta intentionem jurantis, vel Juris dispositionem, & sic, non obstante juramento, poterit fidejussor opponere exceptionem præviæ excussionis, nisi tali privilegio renuntiaverit.

7. *An vero prius excutienda sint pignora, quam fidejussores, quando pro eadem obligatione, adsunt simul fidejussores, & pignora?* Dico, liberum esse creditori eligere, quod magis placuerit, ut habetur *l. creditori C. de fidejuss.* ibi: *creditori, qui pro eodem debito, & pignora, & fidejussorem accepit: licet, si malit, fidejussorem convenire in eam pecuniam, in qua se obligaverit.* Et *l. omissis Cod. eodem*, ibi: *Omissis quoque pignoribus fidejussorem a creditoribus utiliter conveniri explorati juris est*, quia nimirum utraque cautio pignoris, & fidejussionis respicit securitatem creditoris, cui utraque est oppignorata absque ullo ordine, ut una potiùs, quam altera debeat conveniri, & discuti. Si creditor satisfactionem recipiat a fidejussore, tenetur eidem tradere pignora, si requirantur, ex cit. *l. Creditori C. de fidejuss.* ibi: *Quod cum facit, debet jus pignoris in eum, id est* in fidejussorem *conventum, transferre*, ut cum Saliceto, Baldo, Ognate, & aliis tradit Rosignol. *contr.* 12. *prænot.* 8.

8. Resp. 2. Fidejussio multiplex, seu multipliciter dividitur; & primo dividitur in *judicialem*, & *extrajudicialem*. Illa est, quæ præbetur in judicio, vel ad sistendum reum, seu debitorem in judicium, cum opus fuerit, vel in carcerem, si sub fidejussione redeundi ad tempus liberetur, vel ad solvendum id, quod judicatum fuerit, debere reum solvere, *l. Græce §. post litem ff.* Molina *disp.* 539. *n.* 7. Rosign. *contr.* 12. *prænot.* 1. *n.* 9. Extrajudicialis est, quæ extra judicium inter privatos constituitur. Hic solum adverte, quod fidejussor pro reo, qui in pœnam capitis, vel aliam corporalem fuit condemnatus, si reus non compareat, vel fugiat absque culpa fidejussoris, non tenetur eamdem pœnam corporalem subire, unde non est capite plectendus, nec mutilandus, nec flagellandus, quia hæc sunt supplicia criminum, ad quæ non potuit fidejussor se obligare, cum non sit dominus suæ vitæ, & membrorum, sed obligatur tantum ad pœnam pecuniariam post sententiam Judicis. Clarus *lib.* 5. *sentent.* §. *fin. qu.* 46. *n.* 18. Lessius *supra dub.* 1. *n.* 41. Rosignol. *nu.* 14.

9. Secundo dividitur in *principalem*, & *accessoriam*. Principalis est, qua quis pro aliquo debitore principaliter se obligat, ita ut, tam ipse, quam debitor maneant æque primo obligati; & tunc Creditor poterit ad ejus libitum ab utroque suum creditum exigere. Secunda est, qua quis se obligat ad solvendum in defectum principalis; & tunc Creditor non potest a fidejussore debitum exigere, nisi prius excusso principali debitore, an sit solvendo, ut dictum est supra *nu.* 2.

10. Tertio dividitur in fidejussionem *plurium in solidum*, & fidejussionem *eorumdem ad ratam*, seu *pro virili*. Prima est, quando omnes fidejussores obligantur ad totum debitum solvendam ita, quod liberum sit creditori quemlibet illorum obligare ad solutionem totius debiti. Secunda quando non omnes obligantur pro toto debito, sed tantum ad ratam, seu pro parte conventi ita, ut singuli non possint conveniri pro toto debito, sed solum pro parte sibi contingente, pro qua se obligarunt, ut tenet Rosignol. *nu.* 17.

11. Quando plures obligantur in solidum pro eodem debito, si creditor conveniat unum ex illis, ut totum solvat, sicut facere potest per Textum ex §. *si plures* 4. *Instit. hoc tit. n.* 47. potest, qui sic convenitur excipere, ex Epist. D. Hadriani, & dicere, ut quilibet alius, seu singuli conveniantur pro sua parte, ut habetur cit. §. *si plures Inst. hoc tit.* ibi: *ex Epist. D. Hadriani compellitur creditor a singulis, qui modo solvendo sunt, litis contestatæ tempore, partes petere.* Idem habetur, *l. Fidejussor* 10. *C. hoc tit.* ibi; *is, qui cum altero fidejussit, non solus conveniatur, sed dividatur actio inter eos, qui solvendo sunt*: exceptio tamen facienda est ante sententiam definitivam, qua jubeatur solvere; hæc tamen exceptio non competit ei, qui sponte, vel compulsus per sententiam definitivam solvit, vel renuntiavit tali privilegio fidejubendo. Casu, quo unus totum debitum solvat, compellere potest alios confidejussores, ut sibi pro rata satisfaciant, & creditor ab uno satisfactus, tenetur ei cedere actionem, quam habebat in reliquos fidejussores, ut exigat ab illis partes, quas a singulis creditor poterat exigere, & renuens potest a Judice compelli ad hanc cessionem faciendam. Molina *disp* 544. Lessius *lib.* 2. *cap.* 28. *dub.* 3.

12. Hanc cessionem actionum fidejussor, qui totum debitum solvit, petere, & obtinere potest a creditore, non solum ante solutionem, aut tempore solutionis, vel immediate post illam, sed etiam ex intervallo, & quocumque tempore, ut docet Molina *disp.* 544. *nu.* 4. Rosignol. *prænot.* 6. *n.* 5. quia censetur solvisse ea intentione, & conditione, ut sibi a creditore cedantur actiones, quibus obtentis, potest, vel contra principalem debitorem, vel contra alios fidejussores agere, prout sibi magis libuerit, & prout facere poterat ipse creditor; si tamen actiones a creditore non petat, vel non obtineat, non potest contra alios procedere, cum alii sibi nullo titulo sint obligati.

DUBIUM II.

Quinam possint fidejubere.

13. RESp. omnes, qui habent bona, & illorum liberam administrationem, nec repelluntur a Jure, possunt fidejubere, & principaliter obligari; & ita pro regula universali tradunt Doctores communiter, ut cum Sylvestro, Lessio, Rebello, Gomez, & aliis tradit Rosignol. *prænot.* 4. *n.* 1. & colligitur ex *l. qui satisdare ff. de fidejuss.* *tit.* 3. *ff. eod.* qui non autem a Jure fidejubere specialiter prohibeantur, sunt sequentes. Primo repelluntur pauperes, pupilli minores, & filiifamilias

non

non habentes peculium castrense, vel quasi castrense. Minor ante vigesimum quintum annum, si pro aliquo fidejubeat, obligatur naturaliter, ut alibi diximus *c. 1. de contract. in generi dub.* 6. Potest tamen beneficio restitutionis in integrum obligationem elidere, quia semper presumitur læsus; pro Patre tamen incarcerato valide potest fidejubere, quia ad id tenetur. Lugus *disp.* 32. *n.* 14. Lessius *l.* 2. *c.* 28. *dub.* 2. *n.* 11. & cum Reginaldo, Tambur. & aliis Anton. a Spiritu S. n. 1276.

14. Mulier regulariter fidejubere non potest, nec etiam pro personis conjunctissimis, puta mater pro filio, *l. si cum* 3. *C. ad S. C. Vellejan*, nec filia pro parentibus, *l. si paternam* 8. *C. eod.* nec uxor pro marito, *l.* 1. *C. ne uxor pro marito*, & hoc propter facilitatem, & imbecillitatem, & imprudentiam mulierum. Potest tamen fidejubere cum instrumento publico, adhibitis tribus testibus cum eorum subscriptione, sine qua sollemnitate fidejussio præstita a muliere est statim irrita, & nulla, nec mulier ullo modo remanet obligata, nec civiliter, nec naturaliter absque ulla exceptione, *l. Antiqua §. fin. C. ad Sen. Consult. Vellejan.* Adhibita vero hac sollemnitate instrumenti publici cum subscriptione trium testium, valet fidejussio; sed ei competit exceptio *S. C. Vellejani*, per quam potest talem fidejussionem rescindere, ante executionem sententiæ, *cit. l. Antiquæ C. ad S. C. Vellejan.* & tunc nec civiliter, nec naturaliter, sed pro foro conscientiæ remanet amplius obligata. Lugus *disp.* 32. *n.* 21. Molina *disp.* 540. Ant. a Spiritu S. n. 1280. & alii communiter: & alias mulieres ex hoc privilegio nullam utilitatem haberent, si eo utentes in conscientia non essent tutæ.

15. Plures tamen dantur casus, in quibus mulier, si fidejubeat, uti non potest privilegio Vellejano. Primo, si accepto pretio, fidejubeat, sive ante, sive post. Secundo, si animo decipiendi fidejubeet, sciens se non teneri fidejussionem, *l.* 2. *§.* 3. *ff. ad S. C. Vellejan.* ibi: *decipientibus mulieribus Senatus Consultum auxilio non est, nam deceptis non decipientibus opitulatur.* Tertio si fidejubeat pro dote alterius. Quarto, si fidejubeat, & se obliget pro suo creditore, cui ipsa aliquid debet, & juxta debitum faciat fidejussionem. Quinto, si se obliget ad aliquid solvendum pro libertate alicujus servi. Sexto, si juramento confirmet fidejussionem, quia juramentum observandum est, quoties sine detrimento salutis observari potest: & quidem si mulier fidejubendo, & jurando conscia erat privilegii; tunc, sine dubio, stare tenetur promissioni, ut mox dicam.

16. Septimo, si mulier tali privilegio Vellejano libere renuntiaverit; nam quilibet renunciare potest privilegio in sui favorem concesso, *l. quod favore C. de legib.* & sic valida est fidejussio post renuntiationem facta. Nec dicas: *Privilegium* Vellejanum *esse specialiter concessum in bonum publicum, cui nullus renuntiare potest.* Contra enim dico, tale privilegium esse principaliter concessum in bonum mulierum, licet secundario redundet in bonum publicum, ac colligitur ex cap. *cum contingat* 28. *de jurejurando*, ubi similes renuntiationes mulierum juramento firmatæ, validæ, ac obligatoriæ declarantur, quod fieri non posset, si hoc privilegium esset in favorem publicum introductum. Valida ergo est talis renuntiatio juramento firmata, ut etiam diximus alibi *tr.* 7. *de Juramento, & Voto c.* 2. *n.* 36. Ita etiam docent Salonius, & alii relati a Bonacina *quæst.* 9. *punct.* 2. *§.* 2.

17. Ut autem firma, & valida sit talis renuntiatio mulieris, requiritur, ut prius certioretur de tali privilegio sibi competente; nam in qualibet renuntiatione requiritur prævia certioratio, & fieri debet *per Notarium* coram Megistratu, vel alio viro idoneo, vel saltem, quod juramento confirmetur, quia sicut privilegium concessum fuit mulieri, stante ipsius ætate, imbecillitate, ac facilitate ad fidejubendum, ita posset eadem facilitate induci ad cedendum tali privilegio, ut bene docet Donatz *q.* 13. *n.* 17. & sic non debet renuntiatio utcumque, & communi modo fieri. Sic Lessius, Molina, Reginaldus, quos sequitur Bonacina *l. c.* ubi etiam advertit, accipientem aliquid a muliere fidejubente teneri eidem restituere acceptam, quia, cum acceptio fuerit invalida, non est translatum dominium. Idem valet quando fidejussio fuit valida, sed mulier utitur beneficio Vellejano, ut habent cit. Doctores.

18. Clerici non possunt fidejubere in præjudicium Ecclesiæ, ut habetur *c.* 2. *de solut.* ibi; *Firmiter inhibemus, ne quis præsumat Ecclesiam sibi commissam pro alienis gravare debitis.* Ex consuetudine tamen id facere possunt pro sua Ecclesia, & pro aliis Clericis, ex suis bonis patrimonialibus, & fructibus Beneficiorum, quos faciunt suos, ita tamen, ut remaneat congrua. Cap. *Odoardus, de solut.* ut cum Filliuc. & Lessio tenet Anton. a Spiritu S. *disp.* 26. *n.* 1277. Pro Laicis non possunt fidejubere, at habet Fagnan. in cap. *Clerici* n. 13. *de postulat.* nisi in casu valde raro, id exigente necessitate, & pietate. Si tamen fidejubeant, valida est, ac in defectum debitoris principalis tenentur satisfacere de suis bonis patrimonialibus; nam *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem.* Non possunt tamen Clerici pro fidejussione facta Laicis coram Judice laico conveniri, as cum Trullench docet Ant. a Spiritu S. *loc. cit.*

19. Religiosus non potest fidejubere sine consensu Prælati, & majoris partis Capituli, quia nihil proprium possidet, nec disponere potest de rebus Monasterii, & si aliter factum fit, non teneatur Monasterium, nisi quatenus versum est in ejus utilitatem. Idem valet de Prælato, si fidejubeet sine Juris sollemnitate, & consensu Capituli, quia nec Prælatus, nec subditus Religiosus in particulari possidet aliquid proprium, de quo fidejubere possit, cum uterque sit adstrictus voto paupertatis. Prælatus titulo administrationis, quam habet, id facere potest raro, & in aliqua modica quantitate, attentis Monasterii, & Ecclesiæ redditibus. Ita DD. communiter; numquam tamen possunt supponere obligationi, & fidejussioni bona immobilia Monasterii, nec mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, sine sollemnitate Juris, præscripta in extravag. Pauli II. incipit *Ambitiosæ*, aliisque Decretis Sacræ Congregationis jussu Urbani VIII. editis, quoad Regulares elienare volentes bona immobilia, & mobilia pretiosa suarum Ecclesiarum, seu Monasteriorum.

20. Obligatio fidejussoris transit etiam ad ejus heredes, adeo ut isti eodem modo, & in eadem quantitate maneant obligati, prout erat ipse fidejussor, ut habetur *l. fidejuss.* 24. *C. de fidejuss.* ibi: *fidejussoris quidem heres exemplo fidejussoris tenetur.* Idem habetur *§.* 2. *Instit. hoc tit.* ibi; *fidejussor non tantum ipse obligatur, sed heredem relinquit obligatum*, & tenentur solvere, etiam ante sententiam Judicis, prout tenebatur ipse fidejussor, ut cum Rodriq. tenet Bonacina *p.* 1. *n.* 3.

21. Quæres: *An fidejussor possit pecuniam accipere pro fidejussione?*

Resp. affirmative, quia pro alio fidejubendo, suscipit in se & obligationem, quæ est pretio æstimabilis, quamvis nec periculum, nec laborem patiatur; nam pecunia recipitur pro obligatione solvendi pro debitore, quæ cum sit civilis, & foro externo subjecta, est utique pretio æstimabilis; & multo magis poterit pecuniam accipere, si debeat subire laborem, molestias, & periculum solvenda, &, attenta quantitate, & qualitate periculi, quod subire debet fidejubendo, at cum Navar. *cap.* 17. *num.* 183. Molina *disp.* 319. Rebello *l.* 16. *q. un. de fidejuss.* & aliis, tenet Bonacina *punct.* 1. *n.* 11. inferens, etiam Creditorem posse aliquid accipere a fidejussore volente se eximere ab obligatione fidejussionis, quia fidejussio est pretio æstimabilis, non solum ratione obligationis, sed etiam ratione periculi, cui Creditor se exponit amittendi creditum. Covar. 3. *var. c.* 2. *n.* 6. Azor. Molina, Rebell. & Bonacina *l. c.*

22. Quæres 2. *An fidejussor possit aliquando se liberare ab obligatione contracta fidejubendo?*

Resp. plures assignari casus, in quibus fidejussor petere potest liberationem, quam etiam debitor præstare tenetur: primo, quando debitor fuit in mora culpabili solvendi post elapsum tempus constitutum ad solvendum, *l. pro ea Cod. Mandati*, vel si solutionem multo tempore differet sine caussa: *l. Lucius Titius ff. mandati*: ibi: *si diu in solutione reus cessavit, aut certe bona sua dissipavit*, & hoc, ne continuam, & quasi perpetuum sit onus fidejussionis. Quanto autem tempore debitor cessare debeat a solutione, ut dicatur esse in mora solvendi; & fidejussor petere possit liberationem, non omnes conveniunt; nam alii statuunt biennium, alii decennium, alii aliud, ut videre est apud Molinam *disp.* 545. *n.* 8. sed congruentius hoc tempus taxandum est arbitrio Judicis, attentis qualitatibus debitoris, & fidejussoris, aliisque circumstantiis, prout cum Molina, & Ognate notat Rosignol. *contr.* 12. *prænot.* 9. *n.* 4. conformiter ad Textum in *d. l. Lucius Titius ff. Mandati*.

23. Secundo, quando debitor principalis incipit esse prodigus, & dissipare bona sua, *cit. l. Lucius Titius ff. Mandati*, ibi: *aut certe bona sua dissipavit*: idem habetur in *l. si pro ea C. eod.* Tertio, quando fidejussor fuit condemnatus, ut pro debitore solvat; tunc enim agere potest contra debitorem, ut eum servet indemnem, & liberet a fidejussione, *cit. l. Lucius ff. Mandati* juncta *l. fidejuss.* 45. *ff. hoc tit.* etiam antequam solvat, quia cum sententia paratam habeat executionem, perinde est, ac si jam solvisset. Quarto, quando inter debitorem, & fidejussorem graves, & capitales exortæ sunt inimicitiæ, si culpa debitoris, non tamen si culpa fidejussoris inimicitiæ sint exortæ, alias pro libito fidejussor posset se liberare a fidejussione, discordias excitando, & agitando litem injustam. Quinto, si fidejussor ex rationabili caus-

caussa, puta negotiationis, studiorum, vel ob declinandas graves inimicitias peregre proficisci debeat, ut eam Gregor. Lopez, Ognate, & aliis tradit Rosignol. *supra n.* 8. Liberatur etiam ab obligatione, quando ad certum tempus se obligavit, si eo elapso creditor prorogavit tempus debitori; siquidem obligatio non se extendit ultra partium conventionem: secus si sa obligavit indefinite, & sine limitatione temporis. Vide Molinam *disp.* 546. Azor. *p.* 3. *l.* 12. *c.* 22. *q.* 8. 9. & 13. Reginald. *l.* 25. *n.* 221. Lugum *disp.* 31. *n.* 20. & Rosignol. *punct.* 9.

D U B I U M III.

De Assecuratione, & ad eam spectantibus.

24. Assecuratio est contractus, quo quis ob pretium, vel aliud interesse, vel gratis suscipit in se periculum rei alienæ obligando se ad compensationem, si perierit, adeo ut teneatur ad compensationem totius, si tota res perierit, vel ad restitutionem partis, si solum perierit pars. Ita Lessius *l.* 2. *c.* 28. *dub.* 4. *n.* 24. Bonacina *disp.* 3. *q.* 9. *punct.* 3. Rosignol. *supra prænot.* 13. & reducitur ad contractum innominatum, *do, ut facias; seu facio, ut des*, id est suscipio in me periculum, ut des pecuniam, ut cum aliis tenent Rosignol. *n.* 7. & Bonacina *punct.* 3. *n.* 1. Quod si Molina *disp.* 507. *n.* 2. reduxit ad contractum emptionis, & venditionis, quo pro certo pretio venditur susceptio periculi, seu obligatio solvendi æstimationem rei, si pereat, hoc intelligendum est per quamdam analogiam, & similitudinem, non secundum proprietatem.

25. Ad justitiam hujus contractus requiruntur sequentes conditiones. Prima est, ut adsit æqualitas inter pretium datum assecuranti, & obligationem, quam assecurator in se suscipit, inspectis circumstantiis loci, temporis, personarum, & periculi, quo res, quæ assecuratur remanet exposita; quo enim majus est periculum, & res majoris est valoris, pretium debet esse majus, quam si periculum sit minus, & minor valor rei, quæ assecuratur; justum autem pretium censetur illud, quod lex taxavit, vel communis hominum æstimatio: si vero non sit taxatum, taxari debet, consideratis periculis, & quantitate, & qualitate rei. Sic in mercibus trajectitiis per mare majus esse solet pretium, quam in aliis, quæ negotiantur in terra, quia illæ majori sunt expositæ periculo: in mercibus terrestribus pro assecuratione communiter accipi solent quinque, vel sex pro centenario, ut asserit Azor. *p.* 3. *l.* 11. *c.* 18. *dub.* 10. & in quibusdam contractibus Mediolani accipi tantum duo, vel tria, observat Bonacina *q.* 9. *p.* 3. *n.* 3.

26. Secunda est, ut res, quæ assecuratur, vere sit exposita periculo, saltem quoad notitiam, quam de illo uterque contrahens habet; unde si petens assecurationem navis, certo, aut probabiliter sciat, eam periisse, vel eam esse mercibus vacuam, contractus est nullus; & tenetur restituere id, quod pro assecuratione navis, & mercium accepit, & omnia damna, quæ ob id assecurator accepit. Idem dicendum, si assecurator sciebat, rem jam ad portum, seu terminum pervenisse, nihil accipere potest, quamvis id sciverit arte Dæmonis, quia dolus dat caussam contractui: quod si notitia, quam uterque contrahens habet, non sit certa, sed conjecturalis, detrahendum erit de pretio, prout majores, aut minores sunt conjecturæ. Lessius *c.* 28. *dub.* 4. *n.* 24. Az. supra *dub.* 5. & 9. Rossignol. *prænot.* 13. *n.* 2. Bonacina *l. c.*

27. Quod si quis per Astrologiam, vel aliunde novit, tempestatem in mari non futuram, aut ex litteris amicorum accepit mare tutum esse, & liberum a latronibus, & piratis, non posse tantum pretium accipere, quam acciperet alter assecurator, qui hæc ignoraret, docet Bonacina, quia contractus assecurationis est contractus sortis, quo periculo perdendi, & lucrandi quis se exponit: at qui novit, nullum fore periculum, nulli periculo se exponit, unde non remanet validus contractus sortis, ob inæqualitatem conditionis. Oppositum cum Lessio tenet Rosignol. quando communiter existimatur adesse tale periculum, quia illa obligatio in ea hypothesi passim tanti æstimatur, & pretia rerum desumuntur a communiter contingentibus, non a privata contrahentium scientia.

28. Tertia conditio est, ut petens assecurationem non cogat alterum ad contractum assecurationis secum ineundum, sine debita compensatione; nam illi imponit obligationem pretio æstimabilem, ad quam assecurator non tenetur. Rosignol. *n.* 4.

29. Quarta est, ut res, quæ assecuratur, vere existat, quia secus contractus esset nullus, & irritus ob deficientiam materiæ, ut si quis fingat habere merces in navi, vel substituit res alias viliores; nam tunc dolus dat caussam contractui, cum deficiat materia contractus. Hinc fit, quod si assecuretur plus mercium, quam in navi sit impositum, assecurationem non esse validam, nisi forte quoad valorem mercium, quæ navi fuerunt impositæ, nam contrahentes non intendunt assecurare merces, quæ navi non fuerunt impositæ, nisi aliter constet de mente contrahentium, ut cum Az. Molina, Salonio, & aliis tenet Bonacina *supra n.* 3.

30. Quinta est, ut assecurator habeat bona, quibus rei assecuratæ compensationem facere possit, si forte pereat, secus contractus esset injustus, nec pretium acceptum retinere posset, & damna mercatori secuta restituere teneatur, cum illorum sit caussa injusta. Si autem habeat aliqua bona, quibus, re pereunte, possit in partem satisfacere, licet Salonius, & Bannez dicant, assecuratorem teneri totam mercedem acceptam restituere, quia contractus est invalidus, melius tamen dicendum est, posse retinere partem mercedis respondentem bonis quibus satisfecisset, si navis periisset, puta si mille assecuravit, acceptis centum pro assecuratione, & ipse non habet in bonis, nisi quingentos nummos, retinere sibi poterit quinquaginta, ut cum Rebello, Mol. & Lessio tenet Bonacina *n.* 4. quia censetur veram assecurationem fecisse juxta quantitatem bonorum, quæ vere habebat, licet per suam deceptionem se exponat periculo resarciendi omnia damna mercatoris, casu quo navis periisset. Teneretur, inquam, ad omnia damna resarcienda mercatori, postquam pervenerit ad pinguiorem fortunam, cum per suam deceptionem fuerit illorum injusta caussa.

31. Quamvis materia hujus contractus regulariter sint merces, quæ cum aliquo periculo vehuntur ab uno loco ad alium, sive in terra, sive in mari; potest tamen assecuratio fieri etiam ad tempus de vita hominis; puta si ego mutuavi Titio certam pecuniæ quantitatem ad quinquennium, & timeam, ipsum intra tale tempus moriturum, possum inire contractum assecurationis cum alio, ita ut, si Titius vivat, ego solvam assecuratori quinque, vel sex pro quolibet centenario; &, si intra quinquennium moriatur; ille mihi solvat pecuniam, quam Titio mutuo dedi, qui utique contractus est licitus, quia uterque subit æquale periculum lucrandi, & perdendi, nisi aliqua lege id prohibeatur. Ita Molina, Azor. Salonius, quos affert, & sequitur Bonacina *supra n.* 5.

32. Assecuratio fieri potest non solum inter mercatores, sed etiam inter alios, & non solum a tertio, qui nullum habebat interesse in contractu principali, sed etiam inter ipsosmet socios, & contrahentes principales! & non tantum in diversis contractibus, sed etiam in eodem contractu, tam expresse, quam tacite, implicite, & æquivalenter, stante periculo in se suscepto, cum aliqua justa recompensatione, & mediante ista tacita assecuratione sustinentur plures contractus, qui alias prima facie videntur injusti, usurarii, & illiciti, ut, aliis pluribus a se relatis, tradit Sabellus in *sum. divers. tr.* §. *assecuratio* n. 2.

33. Assecurans navim intelligitur se obligare tantum pro primo itinere, maxime si pro secundo sint factæ novæ assecurationes. Rota Januen. *decis.* 25. *n.* 2. *decis.* 63. *n.* 4. Merlin. *decis.* 338. *n.* 55. & late Rosignol. *contr.* 52. *disquis.* 2. §. 11. ubi, allatis juribus, id clare probat, ubi addit §. 12. quod si navis salva cum mercibus ad portum destinatum appulit, si deinde merces deferendæ in Civitatem ponantur in scapha, quæ forte in portu periit, assecurator ad nihil tenetur, nisi aliud fuerit expressum. Si navis cum mercibus pereat, antequam perveniat ad portum destinatum, assecurator tenetur resarcire damnum secundum æstimationem loci, ad quem erant deferendæ, & non simpliciter loci, a quo fuerunt levatæ, & sic habita etiam ratione lucri, quod assecuratus percipit, salvis rebus in loco, ad quem deferebantur. Rota in Romana, seu Januen. *Assecurationis* 23. *Januarii* 1634. *coram Panzirolo, in novis. p.* 6. *decis.* 258. *per totum*; & in eadem caussa coram eodem 30. Maji *p.* 7. *decis.* 47. *per tot.* ut refert Sabell. supra n. 3.

34. Assecurans navim in ampla forma tenetur ad omne risicum, & periculum, per quod impediatur transportatio ad locum conventum; & inde non poterit se excusare, quod merces non sint deperditæ, sed alibi ex facto Principis asportatæ. Rota in *novis. p.* 6. *decis.* 24. *per tot.* Assecuratio facta a periculo maris non extenditur ad alia pericula, & ideo salva erit, si merces salvæ pervenerint ad portum conventum, quidquid postea de illis contingat; si vero non pervenerint, tunc tenetur assecurator. Rota Januen. *decis.* 62. *n.* 2. Rota *p.* 6. *recent. decis.* 24. *n.* 6. & *p.* 12. *decis.* 157. *n.* 26. Generaliter assecurator tenetur tantum juxta conventionem, quia sic servantur pacta, servata etiam æqualitate. Bonacina supra *p.* 3. *n.* 3.

CA-

CAPUT XI.

De Ludo, & Sponsionibus.

DUBIUM I.

Quid sit ludus, & an sit licitus.

Generaliter ludus sumi potest pro dictis, vel factis ad oblectationem, & recreationem animi destinatis; prout tamen sumitur in præsenti, est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit; & est triplex: alius mere ingeniosus, qui totus pendet ab ingenio, industria, & arte ludentium: alius mere fortuitus, qui totus pendet a casu, sorte, & fortuna; & alius mixtus ex ingenio, arte, & fortuna.

2. Ludus, prout est contractus, quo victori conceditur res ab utroque exposita, est ex natura sua licitus, servatis conditionibus infra explicandis, quia cum sit in potestate cujuslibet rem suam alteri liberaliter, & absolute donare; ita potest in alium transferre sub quadam conditione, sive deinde illa ex casu, & fortuna, vel ab arte, & ingenio pendeat. Et si debito modo fiat ob finem honestum, animi recreandi gratia, est actus virtutis eutropeliæ, seu affabilitatis, ut habetur ex D. Thoma 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. Erit tamen vitiosus, & malus, si fiat ob malum finem; & quidem erit peccatum mortale, aut veniale, prout finis est mortaliter, aut venialiter malus. Item, si adsit periculum blasphemiæ, rixarum, furti, vel transgrediendi Dei, seu Ecclesiæ præcepta, vel adsit alia circumstantia mala loci, temporis, aut personæ. Molina *de contract. disp.* 511. Rebell. *l.* 11. *q.* 1. *n.* 10. Lessius *l.* 2. *c.* 26. *dub.* 1. Ant. a Spiritu S. *disp.* 24. *sect.* 1. & alios referens Bonacina *disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 1. *n.* 15.

3. *An vero sit peccatum principaliter ludere propter lucrum?* Affirmant esse peccatum mortale ludere principaliter propter lucrum Gabriel. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 13. *concl.* 3. Abulensis in cap. 6. *Matth. q.* 53. & 55. & alii, quos pro hac sententia refert Salas *de ludo dub.* 2. *n.* 1. eo quia sic desideratur, & principaliter intenditur damnum proximi, quod est contra decimum præceptum Decalogi: *Non concupisces proximi tui.* Verum hæc sententia passim reprobatur, quia contra hoc præceptum solum est desiderare rem proximi modo illicito, dolo, furto, fraudibus acquirendam, non vero illam desiderare modo licito per donationem, aut per contractum licitum habendam; quod licet habere non possit sine damno proximi; non tamen ludens desiderat illud damnum, quia damnum proximi est, tunc enim esset peccatum odii, sed quia sibi commodum est, quod fieri potest sine peccato: secus damnandi essent omnes contractus lucrativi.

4. Alii dicunt, ludere principaliter propter lucrum esse peccatum veniale. Navar. *in man. c.* 20. *n.* 3. & 8. Az. *p.* 3. *lib.* 5. *c.* 24. *q.* 2. vel quia pertinet ad prodigalitatem, & avaritiam, vel quia est actus otiosus. Verum non est actus otiosus, cum ordinetur ad finem honestum, & licitum: non pertinet ad prodigalitatem, cum pecunia non exponatur periculo sine caussa, sed propter spem majoris lucri; nec continet avaritiam, nisi desiderium sit valde excedens; nam lucrum potest honeste appeti, & procurari ad sustentationem familiæ, & status, ut contingit in aliis contractibus; & sic, servatis debitis circumstantiis, non est peccatum, nec mortale, nec veniale ludere principaliter propter lucrum, cum intentio lucri de se non sit mala, sed bona, vel indifferens, si non videtur aliqua circumstantia mala; multo minus peccatum erit ludere animi recreandi gratia. Ita Lugus *de just. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 4. & cum Medina, Soto, & aliis Anton. a Spiritu S. *disp.* 34. *sect.* 1. *n.* 1189.

5. Non esse licitum ludere salutationem Angelicam, Psalmos, aut alias preces sacras recitandas, docet Ludovicus Lopez *p.* 2. *instruct. c.* 32. *in fine*, propter irreverentiam, qua miscentur sacra profanis, & propter simoniam, quam committerent ludentes, si ad hoc se civiliter obligarent. Oppositum tenent alii Doctores communiter, si hoc ludentes faciant ex honesta recreatione, & absque ulla irreverentia contra Deum. Ita Diana *p.* 7. *tract.* 9. *resol.* 41. Bonacina *disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 1. *num.* 8. Lugus supra *n.* 5. Navar. *c.* 20. *num.* 7. Salsa *dub.* 23. *num.* 1.

6. Ludus alearum, & taxillorum, in quibus fortuna magis, quam ars, & ingenium dominatur, specialiter prohibentur jure Civili, & Canonico; & quidem jure Civili prohibentur *l.* 2. 3. & 4. *ff. aleæ usu*, & in Authent. *alearum, C. de relig. & sumpt. funer.* Pro Clericis in jure Canonico habetur eadem prohibitio, ut patet ex Can. 41. & 42. *Apostol.* qui habentur in *c.* 1. *dist.* 35. ubi dicitur: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, atque ebrietati vacans, aut desinat, aut deponatur: Subdiaconus, aut Cantor, aut Lector similia faciens, aut desinat, aut separetur, id est communione privetur.* In cap. *Clerici, de vita, & honest. Clericor.* de eisdem dicitur, *ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint*; & 10 cap. *Inter dilectos, de excessib. Prælat.* fuit irrita collatio cujusdam beneficii facta cuidam Clerico publico aleatori, & usurario. Et tandem in Concil. Trident. *sess.* 22. *c.* 1. *de reform.* omnes antiqui Canones quoad hoc innovantur *sub iisdem pœnis, & majoribus arbitrio Ordinarii imponendis.* Nomine lusus alearum veniunt in jure omnes illi ludi, qui magis fortuna, quam arte, & industria ludentium reguntur, ut passim advertunt Doctores.

7. Has leges, quoad laicos, hodie non obligare, ac proinde non peccare laicos, si aleis, vel taxillis ludant, etiam magnæ pecuniæ quantitatem, docent magis communiter Theologi, quia talis ludus de se, & jure naturali non est prohibitus, nec per se destinatus ad usum pravæ actionis. Nec obstant jura positiva, quæ jam quoad laicos per contrariam consuetudinem sunt abrogata, ut docent Salas *de Ludo dub.* 3. *n.* 5. Diana *punct.* 2. *tr.* 15. *resol.* 65. Trullench *l.* 7. *c.* 27. *Decal. dub.* 1. *n.* 3. Fill. *tom.* 1. *tr.* 38. *c.* 4. *n.* 58. Ant. a Spiritu S. *disp.* 34. *nu.* 1191. Lugus *disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 9. qui etiam recte observat, hoc etiam procedere non solum de jure Civili, sed de jure communi Canonico respectu laicorum; nam licet in cap. *Episcopus dist.* 35. dicatur, quod laicus ludo aleæ deserviens Communione privetur: quod intelligitur de laico nimis dedito ludo; illa tamen prohibitio, saltem quoad laicos, non est usu recepta. Eamdem sententiam tenent Hurtado *de just. disp.* 8. *diff.* 3. Molina, Lessius, & alii relati a Lugo; ac proinde ludus alearum, & taxillorum in laicis, attento jure naturali, & positivo, non est peccatum, quamvis ratione circumstantiarum plerumque fiat cum peccato. Rosignol. *de rest.* 11. *disquis.* 1. §. 8. *n.* 4.

8. Quoad Clericos, plures censent esse peccatum mortale, si frequenter aleis ludant, cum hoc illis specialiter sit interdictum. Cap. *Episcopus dist.* 35. & cap. *inter dilectos de excessib. Prælator.* in quo Clerici Beneficiati, vel in Sacris constituti, prohibentur ludere ludo alearum sub gravi pœna depositionis, & privationis ab officio, & beneficio, non obstante contraria consuetudine, quæ corruptela potius est dicenda, Molina *disp.* 512. Sanch. *l.* 1. *consil. c.* 8. *dub.* 28. *n.* 7. Thesaurus *de pœn. Eccles. part.* 2. *de ludo aleæ, c.* 4. ad hoc tamen requiritur frequentia, prout indicant illa verba, *vacans, deserviens, aleator*, quæ consuetudinem significant, ut notavit Salas *dub.* 24. *n.* 2. addens, non peccare mortaliter, si raro Clericus ludat, etiam magnam quantitatem, secluso scandalo, & alia circumstantia mala, quia dicta jura, etiam quoad Clericos, videntur a suo rigore cessasse. Hurtado *l. c.* & Bonacina *q.* 3. *punct.* 1. *n.* 12. Rosignol. *n.* 9. immo Layman *c.* 21. eos raro, & moderate ludentes, recreationis gratia, excusat probabiliter a veniali: ita etiam Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 183. & *part.* 7. *tr.* 9. *resol.* 3.

9. Hoc idem videtur dicendum de Regularibus, si raro, & moderate ludant sine scandalo pro recreatione animi, nisi ipsis ex suæ Religionis Constitutionibus sit prohibitum; & ratio est, quia jura prohibentia ludum alearum specialiter attendere videntur ad decentiam, & honestatem Ecclesiasticorum, quæ non læditur graviter, quando citra scandalum, raro, & recreationis caussa ludunt rem parvæ quantitatis. Ita Cajet. 2. 2. *q.* 168. *art.* 3. *dub.* 3. & specialiter quoad Religiosos Medina *l.* 2. *sum. c.* 14. §. 28. Portel *in dub. Regul. verb. Ludus n.* 8. & Ludov. Beja *in resp. moral. p.* 1. *cas.* 51. & Layman *l.* 3. *tr.* 4. *sect.* 5. *c.* 21. *num.* 2. Secus dicendum, si sæpe vacarent prædictis ludis; nam tunc difficile excusarentur a mortali, etiamsi luderent sine scandalo, ut ex communi Doctorum testatur Lezana *in sum.* 3. *verb. Ludus quoad Regul. n.* 4. erit autem ludus frequens, & ludens dicetur consuetudinarius, si semel in hebdomada fiat. Bordon. *res.* 33. *n.* 5.

10. Contra Religiosos sæpe ludentes ludis vetitis alearum, & taxillorum caussa lucri, sive hoc faciant, nescientibus, ut communiter contingit, sive etiam videntibus, & non contradicentibus Superioribus suæ Religionis, graviter invehitur Rosignol. *supra* §. *n.* 14. dicens: *Abominabile adeo hoc vitium est, ut Religiosum statum, & perfectionem evertat, sanctitatem comminuat, vota disrumpat. Ob quam gravibus pœnis apud supremum Dei tribunal obnoxii erunt nedum Religiosi ludentes, sed Superiores etiam scientes, & corruptelam hanc non resecantes, quæ cedit nedum in animarum perniciem, sed etiam in Religionis eversionem.*

11. Quæres: *An peccent mortaliter, qui domos apertas*

tenent

tenent pro ludo alearum, & taxillorum, & præbent mensas, candelas, chartas, taxillos ad ludendum?

Communis sententia affirmat, illos peccare mortaliter, si domus pateat omnibus, & quibuscumque ludere volentibus. Ratio est, quia ludus alearum, & taxillorum, licet sit de se indifferens, ordinarie tamen, & communiter in hujusmodi locis ordinatur ad pravum usum; nam ex tali ludo, tali tempore, & loco, dissidia, ut plurimum, consurgunt; excitantur rixæ; blasphemiæ etiam horrendæ proferuntur, dilapidantur bona, furta committuntur, & inducuntur minores non habentes proprium, quod exponant, & rarissime absque peccato mortali exercetur, ut docet Sanch. *in opere morali tom. 1. l. 2. c. 7. n. 39.* ac proinde ex naturali lege oritur obligatio non ministrandi hanc materiam ita ludentibus; & sic peccant exponentes domum supradicto ludo, & mensas, candelas, chartas, & taxillos ad ludendum. Sanchez *l. c.* Belloch. dicens, supradictum ludum esse seminarium omnium fere peccatorum, & malorum. Gabriel, Sylvester, Comitolus, Zanardus, Lopez, Molina, Grafius, & alii plures, quos affert, & sequitur Diana *p. 2. tr. 15. resol. 65.* & *p. 7. tr. 9. resol. 39.* sequitur etiam Rosignol. *de vost. l. disquis. 2. §. 44. n. 5.*

12. Nec obstat, si dicas, *licitum esse ministrare, & vendere res indifferentes, etiam cum cognitione pravi abusus; ergo etiam erit licitum præbere instrumenta ludentibus, cum ludus ex se sit indifferens: sicut est licitum locare domum, & vendere ornamenta meretrici.* Contra enim est, quod licet sit licitum ministrare indifferentia cum cognitione pravi abusus, quando non ministrantur in ipso exercitio; sic licitum est locare domum, & vendere ornamenta meretrici, quia hæc non ita proxime, directe, & immediate sunt adjumento illi ad peccandum. Contrarium tamen contingit in casu præsenti, ubi domus, & instrumenta ad ludendum ministrantur in ipso exercitio, & magis proxime, & directe; unde raro excusari possunt a peccato mortali, qui dicta ministrant indifferenter omnibus ludere volentibus.

13. Ex hoc inferunt Joannes de la Crux, Naldus, Bellochius, & alii relati a Diana *supra*, exponentes domos suas supradicto ludo, non solum peccare mortaliter, sed etiam, si principales lusores teneantur ad restitutionem, & non restituant, teneri ipsos restituere in subsidium, & defectum illorum. Inferunt etiam, Princeps non posse præbere facultatem, & licentiam exponendi domum ludo, quia non possunt dare facultatem, & licentiam peccandi mortaliter; sed qui exponit domum suam ad ludendum peccant mortaliter, ut tradunt communiter Doctores; ergo non possunt prædictam facultatem concedere; cum talis ludus sit sentina omnium malorum. Sic Diana, & alii apud ipsum.

14. Quæ quidem vera sunt de domo aliqua particulari, in qua sub specie, vel occasione ludi furta, blasphemiæ, & alia scelera semper, vel fere semper committuntur. Secus dicendum de domo, in qua hujusmodi scelera regulariter non committuntur, quamvis per accidens aliquando, sed raro, possint evenire; nam fraudes possunt etiam aliquando evenire in ludis jure permissis, qui tamen publice permittuntur; nec est illicitum domum apertam habere pro ludo pilæ, & aliis hujusmodi, ex quibus aliquando rixæ, & peccata possunt oriri. Ex qualitate igitur ludi, & ludentium judicandum est, quando sit, vel non sit peccatum hujusmodi ludos permittere, & exercere, ut tenet Lugus *disp. 31. sect. 1. n. 6.* Trullench *l. 7. Decalog. c. 27. dub. 1. n. 6.* Tambur. *l. 8. Decalog. tr. 2. c. 9. §. 1. n. 34.* Anton. a Spiritu S. *disp. 24. n. 1194.* dicens, pro hujusmodi lusoribus posse Principem concedere licentiam, ut quis domum suam possit exponere ludos secus pro aliis prædicta scelera in ludis exercentibus, vel si sit illorum periculum.

15. Videntes, & aspicientes eos, qui ludunt, tunc solum peccant, quando sua præsentia sunt caussa ludi injusti, in quo scilicet ludentes mortaliter peccant, vel quando tenentur illos corrigere, vel impedire, & non impediunt; non autem, si ex suppositione ludi, quem impedire non tenentur, nec approbant, delectantur videndo industriam, & bonam, vel malam fortunam ludentium, ut cum Navarro, Lopez, & Sanchez, docet Lugus *supra n. 7.* Qui mensas, chartas, taxillos, candelas ministrant lusoribus volentibus, possunt acceptum pro illis pretium retinere, quamvis ludentes in tali ludo peccent. Ita cum Reginaldo, & Tamburino Ant. a Spiritu Sancto *num. 1195.*

DUBIUM II.

De conditionibus ad justitiam ludi jure naturali requisitis.

16. Quatuor conditiones ad ludum præcipue requiruntur. Prima est, ut ludens possit libere disponere de rebus, quæ ludo exponit. Secunda, ne alter alterum, per injuriam, & dolum pertrahat, & cogat ad ludendum. Tertia, ne ludentes utantur fraudibus contra leges ludi. Quarta, ut æqualis sit utriusque ludentis conditio quoad peritiam, aut vires; circa quas conditiones cum plura sint discutienda, debemus de illis singillatim agere: ideo sit

§. I.

De prima conditione, quod ludens possit libere disponere de rebus, quæ ludo exponit.

17. Primo igitur ad ludum requiritur, ut ludentes liberam habeant administrationem rerum, quas ludo exponunt, ita ut possint illas alienare, & illarum dominium in alium transferre, si perdunt; secus contractus non erit æqualis, dum ludens hoc modo vincere intendat, & perdere non possit: & inde peccat mortaliter, qui aliena, & alia, quæ alienari non possunt, ludo exponit, sed etiam qui ludit cum illo, nam cooperatur ipsius peccato, & si vincat non potest lucrum accipere, sibique retinere, ut recte notat Navar. *cap. 20. n. 12.* Trullench *l. 7. c. 28. dub. 1.*

18 Hinc habes quid dicendum sit de filio-familias, si enim habeat bona castrensia, vel quasi castrensia, vel aliquorum bonorum administrationem sibi a patre concessam, cum de illis libere possit disponere, potest etiam illa ludo exponere, & collusor vincens potest lucrum accipere, & retinere. Secus dicendum de bonis adventitiis, & profectitiis, quorum filius-familias habet dominium, sed non administrationem, quæ est apud patrem: potest etiam ludo exponere aliqua de illis, quæ sibi a patre conceduntur pro sustentatione in scholis, vel in curia; nam pater concedens alimenta filio, videtur etiam concedere honestam recreationem, quam adolescentes illius ætatis, & conditionis communiter percipere solent, & sic potest honesto ludo insumere quatuor, vel quinque ex centum, quæ sibi pro sustentatione conceduntur, & hanc summam potest, vel per totum annum ludo exponere, sive una vice, sive pluribus. Trullench *n. 4.* Lugus *disp. 31. n. 21.* Navar. *c. 20. n. 4.* Anton. a Spiritu S. *disp. 24. n. 1197.* Bonacina *disp. 2. q. 3. p. 2. n. 10.*

19. Qui extra hos casus ludit cum filio-familias non habente bona propria, vel aliqua sibi a patre concessa, non potest lucrum retinere, sed peccat ludendo, & tenetur restituere lucrum quod fecit, nisi forte hodie vincat quinquaginta, quæ cum eodem filio-familias hesterna die perdiderat, vel postea perdiderit, quia tunc reddit æquale. Ita Rebellus *q. 4. n. 16.* Navar. *c. 20. n. 19.* Ant. a Spiritu S. *l. c.* & cum aliis Bonacina *n. 13.* Si filius-familias non habens proprium ludendo vincat, potest lucrum retinere, si collusor sciebat, eum esse filium-familias, & non habere proprium, nam scienti, & volenti nulla fit injuria, secus si nesciebat esse filium-familias, quia tunc contractus est inæqualis, & nullus; nam adest dolus dans caussam contractui, quia si collusor sciret, alterum non posse perdere, nec pecuniam ludo exponere, non luderet. Ita cum Lessio, Rebello, & aliis Bonacina *n. 15.* Ant. a Spiritu S. *l. c.* Trullench *l. 7. c. 27. dub. 5. n. 4.*

20. Si filius-familias, qui ex præsumpta voluntate patris quinque poterat ludo exponere, successive lucretur centum, licite potest totum hunc excessum ludo exponere, & perdere, non solum in eodem ludo perseverante, ut omnes concedunt, quia in eodem ludo non debent colludentes destitui spe recuperandi amissum, sed etiam alia die cum eodem, aut alio collusore, quia pater volens filio ludum permittere, videtur etiam concedere, ut ludo exponat id, quod ludo fuerat lucratus, sive cum eodem, sive cum diversis. Bonacina supra *n. 12.* Antonius a Spiritu S. *l. c.* Lugus *disp. 31. n. 24.* contra Dicastillum *de just. lib. 2. tr. 18. disp. 4. dub. 3. & 24.* ubi licet concedat posse iterum perdere totam illam quantitatem, durante eodem ludo, nam lucrum est solum illud, quod remanet, absoluto ludo; negat tamen, id facere posse alio die, aut alio ludo, quia cum filius non sibi, sed patri acquisiverit, cum non ex suis, sed ex bonis patris acquisiverit, non potest totam illam quantitatem ludere, si notabilis sit; sed verius est, posse totam illam quantitatem alia die cum eodem, aut cum alio

collusore iterum ludo exponere, & perdere, cum Cardinali de Lugo tenet etiam Diana *p.* 7. *tr.* 9. *resol.* 7.

21. Potest item filius-familias ludo exponere, vel sibi retinere omne id, quod sibi subtrahit parce vivendo, ex pecuniis sibi assignatis a patre in ejus victum, sive sit in domo patris, sive in scholis extra domum: immo si pater sciebat, sufficere filio aureos quinquaginta, & tamen mittit illi sexaginta, potest non solum quod sibi subtrahit, sed etiam alios decem sibi missos a patre ludo exponere, vel sibi retinere, nisi expresse constet de contraria voluntate patris; & ea etiam, quæ forte suo labore, & industria sibi acquisierit extra domum patris constitutus, & hoc ex tacita, & præsumpta voluntate patris. Ita Diana supra *resol.* 5. & Lugus *n.* 20.

22. Quod dictum est de filio-familias valet proportionaliter de uxore, quæ potest aliquid insumere in ludo honesto, juxta conditionem sui status, & prout aliæ mulieres conjugatæ sui status, & conditionis ludere solent, ex præsumpta voluntate viri, qui esset irrationabiliter invitus, si hoc negaret; siquidem uxor non est mancipium viri, sed socia, unde licite potest aliqua insumere in ludos, & honestas recreationes secundum conditionem sui status, & conditionis, quamvis maritus id prohibeat, quia videtur prohibere solum excessum; secus esset irrationabiliter invitus, ut etiam diximus in septimo præcepto Decalogi *c.* 22. *de furto dub.* 5. *n.* 37. Potest etiam ludo exponere si habet bona paraphernalia, & extradotalia cum libera illorum administratione, & ea, quæ sibi a marito conceduntur, ut ea pro libito expendere possit, vel pro ornatu, & aliis suis usibus. Ita Dicastill. *l.* 2. *tr.* 18. *disp.* 5. *dub.* 9. *n.* 59. *&* 60. Hurtad. *de just. disp.* 8. *diff.* 8. & alii, quos affert, & sequitur Diana *p.* 7. *tr.* 9. *resol.* 11.

23. Quod si maritus prodige ludendo bona dissiparet, peccaret mortaliter ob detrimentum, quod afferret filiis, & familiæ; non tamen teneretur ad restitutionem filiis, quibus nec tenerentur restituere, qui ludentes acquisierunt a patre, quia ludus est contractus onerosus, in quo, qui potest perdere, potest etiam lucrari. Si autem fuerit nimi prodigus, poterunt filii illum coercere, invocato Judicis officio, quod etiam facere potest uxor, si bona mariti essent ipsi specialiter hypothecata ratione dotis; vel aliorum bonorum paraphernalium, quorum maritus habet administrationem, reservato dominio apud uxorem; sed vincens non tenetur restituere ante sententiam Judicis, vel ipsi tamquam prodigo sit interdicta bonorum administratio. Sic Azor. 3. *part. lib.* 5. *cap.* 26. *q.* 10. 11. *&* 12. & cum Molina, & Dicastillo Diana supra *resol.* 18.

24. Quoad pupillos, & minores, an, & quatenus possint ludo exponere, & perdere, colligitur ex dictis supra *c.* 1. *dub.* 6. ubi vidimus, an, & quænam possint alienare sine auctoritate Tutoris, seu Curatoris, quatenus possint obligari civiliter, sive naturaliter, & quando gaudeant beneficio restitutionis in integrum, & recuperare, quæ alienarunt; sive per ludum, sive per alium contractum; sive res illa sit mobilis, sive immobilis.

25. Quæres: *quid dicendum sit de ludente aliena pecunia, an faciat suum lucrum, quod acquirit, ut si fur, usurarius, famulus, aut depositarius alienam pecuniam suo nomine ludo exponat, & vincat, & cum eo colludente, an uterque possit lucrum retinere, vel teneatur restituere?*

Resp. videndum esse, an ille, qui alienam pecuniam ludo exponit, habeat aliam propriam, quam possit domino restituere, vel non. Si habet aliam pecuniam domino restituendam, dico, contractum, & ludum esse validum, & sic utrumque posse lucrum retinere, quia fur alienam pecuniam ludo exponendo, eam sibi applicavit, subrogando in locum illius aliam, quam domi habebat; si autem non habebat, unde tantumdem domino restitueret, contractus est invalidus, utpote celebratus per dolum dantem caussam contractui: si enim collusor scivisset, pecuniam expositam a fure, seu depositario, esse alienam, non lusisset, quia non præsumitur voluisse peccare, & sic fur non potest lucrum retinere; nam accepta per contractum invalidum, sunt restituenda: collusor vero, si vitium sciebat, nec ipse potest lucrum tenere; si autem ignorabat, potest retinere quousque durat bona fides, qua cessante, & errore cognito, tunc tenetur acceptum domino restituere. Ita Bonacina supra *q.* 3. *p.* 2. *n.* 16. *&* 17. Trullench *in Decal. tom.* 2. *l.* 7. *c.* 27. *dub.* 5. *n.* 6. Diana *p.* 7. *tr.* 9. *resol.* 19. *&* 20. Lugus *disp.* 31. *a n.* 13.

26. Hinc habes, quid dicendum in casu proposito a Lugo, de eo, qui, cum pecunia in ludo deficeret, clam eam a collusore surripuit, eaque postea lucratus est. Si enim fur non habebat, unde pecuniam illam restitueret, contractus ludi fuit nullus, & sic non potest lucrum ex ipso retinere: si autem habebat, unde solveret, posset lucrum retinere, sicut quando exposuit pecuniam ab alio furto sublatam; quod enim alteri, vel eidem colludenti sublata sit, non videtur variare casum. Sic Lugus *l. c.* ubi pro se adducit Salas.

§. II.

De secunda Conditione ad Ludum requisita.

27. SEcunda conditio ad ludum requisita, est, ne alter alterum per injuriam, & dolum pertrahat, & compellat ad ludendum, quia taliter compellens tollit libertatem ad ludum requisitam: unde inferunt Doctores satis communiter, quod ille, qui alterum invitum trahit ad ludendum vi, minis, dolo, conviciis, verbis injuriosis, vel etiam precibus importunis, si æquivaleant violentiæ, peccat mortaliter ob injuriam, & violentiam illatam, nec potest lucrum tenere, si vincat, sed tenetur ad restitutionem, sive deinde violentiam inferat in principio ludi, ut pertrahat ad ludendum, sive postquam alius est lucratus, ut in ludo perseveret. Ratio est, quia talis contractus, cum sit per injuriam extortus, non transfert dominium rei per injuriam acquisitæ, sed obligat ad restitutionem. Deinde, quia vi, & metu trahens alterum ad ludum, est illi causa damni per injuriam; ergo tenetur ei damnum, cujus fuit caussa restituere, quam obligationem restituendi non habet attractus, si forte vincat; & ratio disparitatis est, quia compellens per injuriam alteri illatam, censetur cedere juri suo, & amittere jus lucrandi: non sic vero, qui talem injuriam patitur, qui retinet jus lucrandi, & non perdendi; & sic potest lucrum retinere, si vincat: ea ratione, qua qui utitur falsis chartis, vel eas suffuratur, non potest lucrum recipere; alter vero collusor potest. Et ita tenent Azor. Rebell. Reginald. Lessius, Salonius, & alii relati a Bonacina *p.* 2. *n.* 9. ita etiam Trullench *l.* 7. *cap.* 27. *dub.* 2. Lugus *disp.* 31. *n.* 28. Andreas a Matre Dei *de contract. c.* 4. *punct.* 3. *n.* 47.

28. Verum, licet hæc sententia sit valde communis, & probabilis, non est tamen minus probabilis opposita sententia, excusans ab obligatione restituendi illum, qui per vim, & metum alterum attraxit ad ludendum, vel coegit persistere in ludo, ut pecuniam perditam iterum acquirat, quamvis postea majorem summam sit lucratus; dummodo fraudes, & dolum in ipso ludo non commiserit. Ratio est, quia licet iste injuriam faciat attracto, compellendo ad ludum, non tamen dolum, fraudem, aut injustitiam committit in ipso ludo, qui proinde remanet justus, validus, & sincere factus, & uterque collusor potuit vincere, & perdere: aderat etiam in attracto consensus sufficiens ad ludendum, acquirendum, & perdendum. Nec obstat, quod talis consensus sit aliquo metu extortus, nam remanet simpliciter voluntarius, nec contractus per metum celebratus, est ipso jure nullus, & irritus, sed irritandus per sententiam Judicis, ut diximus *supra c.* 5. *dub.* 2. Et ita tenent Molina *disp.* 516. *num.* 2. Dicastillus *l.* 2. *tract.* 18. *disp.* 5. *dub.* 2. *n.* 54. Hurtad. *disp.* 8. *diff.* 6. Anton. a Spiritu S. *disp.* 24. *num.* 1209. & cum Adriano, Garzia, Lopez, & alii Bonacina *disp.* 2. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 9. Diana *p.* 7. *tr.* 9. *resol.* 32. *&* 33. & probabile putat Trullench *in Decalog. lib.* 7. *c.* 27. *dub.* 2.

29. Ad rationem oppositam dicendum est, attrahentem alterum ad ludum non esse ipso facto privatum lucro acquisito, bene tamen esse dignum, ut privetur, & sic dominium lucri acquirere, sed revocabile per sententiam Judicis ad petitionem coacti, si vis, & coactio probetur. Ad id, quod additur, dico, cogentem, & attrahentem ad ludum, fecisse quidem injuriam attracto, cui debet satisfacere arbitrio prudentis viri; non tamen fuisse caussam damni, quia attractus ex tali ludo non minus poterat vincere, quam perdere, & sic poterat æqualiter lucrum sentire, ac damnum, cum ludus fuerit sincere factus, sine dolo, & fraudibus.

§. III.

Tertia conditio ad ludum requisita.

30. TErtia conditio est, ne ludentes utantur fraudibus contra leges ludi; qui enim illis utitur, tenetur ad restitutionem illius, quod his fraudibus lucratus est, & etiam ad restituendum id, quod adversarius, seclusis fraudibus, fuisset probabiliter lucratus, quia est caussa injusta illius damni. In dubio, an qui perdidit, adhibitis a socio fraudibus, illis seclusis, esset lucraturus, tenetur solum restituere lucrum, cujus possessionem, & dominium in dubio non potest acquirere; non tamen tenetur restituere id, quod alter fortasse fuisset acquisiturus, quia in dubio melior est conditio possidentis. Ita Bonacina *punct.* 2. *n.* 7. Sylvester, Diana, Villalobos, Lessius, Trullench, quos sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 4. *p.* 3. *n.* 59.

31. Fran-

31. Fraudes, aliæ sunt licitæ ex natura ludi, quæ potius industriæ vocantur, & communi consuetudine ludentium approbantur; ut si quis inferiores chartas habet, fingat habere optimas, & augeat sponsionem, ut alius timeat, & desistat, seu recuset, & sic vincat; & qui meliores chartas habet, potest simulare formidinem, ut adversarius augeat sponsionem, & potest dicere *Vada a moute*, ut alter animose augeat sponsionem, ludat, & perdat. Item, si videat adversariorum errare in numerandis punctis, potest tacere, nec eum admonere, &, si propter hoc vincat, nec tenetur ad restitutionem; nam error nocet erranti, non alteri, qui non est particeps illius erroris. Idem dicendum, si casu, aut ex negligentia adversarii, videat illius chartas, non tenetur restituere, si vincat; secus si ex industria tali loco, & modo se componat, ut eas videre possit, vel aliqua nota signet ut eas a tergo dignoscat. Idem dicendum de aliis fraudibus, quæ communiter fieri solent, ex communi consensu ludentium, quarum plures congerit Sanch. *tom.* I. *consil. l.* 1. *c.* 8. *dub.* 10. Ita Lessius *dub.* 2. *num.* 14. Trullen. *n.* 5. Anton. a Spiritu S. *n.* 1203. Lugus *n.* 34.

32. Aliæ fraudes communiter reputantur illicitæ, ut si quis ludat pluribus chartis, vel eas occultet, vel signo peculiari notet, ut a tergo eas cognoscat: si taxillos adulteratos supponat: si plura pro se numeret puncta, vel pauciora pro adversario; si arte componat chartas, ut non casu, sed ex tali dispositione meliores sibi contingant: si fingat, se habere chartas, quas non habet, vel plura puncta dicat se habere, quam habeat, & adversario id credente, & non curante, sua fictione lucretur: si ab aliquo ex circumstantibus notitiam per signa accipit de chartis adversarii, ut scire possit, quando acceptare, vel recusare debeat sponsionem factam ab adversario, quæ & similes fraudes sunt illicitæ, & qui illis utitur, peccat, & si lucratur, tenetur ad integram restitutionem, ut cum Lugo supra *n.* 34. tradit Ant. a Spiritu S. *n.* 1204. Dicastillus *l.* 2. *tr.* 18. *disp.* 5. *dub.* 3. *n.* 22. Trullench *n.* 4. & late Rosignol. *disq.* 1. §. 11. *a n.* 2. ubi distincte explicat omnia. Si autem quis chartas a tergo cognoscat, quando nec eas signavit, nec propter usum, quo sæpius iisdem chartis cum aliis utitur, eas facile dignoscit, non peccat nec tenetur ad restitutionem, si lucretur; nam quando uterque potuit æque chartas dignoscere, si alter diligentius signa aliqua observaverit, ejus industriæ, & attentioni adscribendum est, nisi talis peritia in dignoscendis chartis reddat colludentem notabiliter inæqualem, ut habet Lugus supra *sect.* 1. §. 3. *n.* 37.

33. Qui videt adversarium errantem, & non numerare omnia puncta, quæ habet, quibus recte numeratis, vinceret, debere ipsum admonere, & tacendo non posse lucrum retinere, sed teneri restituere, docet Navar. *c.* 20. *n.* 17. & Az. *tom.* 3. *l.* 3. *c.* 25. *q.* 3. quia tacendo accipit ab ignorante pecuniam, quam non amisit. Verum probabilius est, non teneri ipsum admonere, sed posse tacere, & retinere id, quod lucratur, quia ludens, licet teneatur alterum non defraudare, seu non decipere, non tamen tenetur alterum admonere de sua negligentia, & errore, quia talis esse videtur lex, & conditio ludi, ut ex communi usu ludentium docet Lugus supra *disp.* 31. *n.* 36. Hurtad. de Mendoza *disp.* 8. *de contr. diff.* 7. Bonacina *q.* 3. *p.* 2. *n.* 2. & nos etiam diximus supra *n. præc.* quia error nocet erranti, non alteri, qui non fuit particeps illius erroris. Opposita sententia solum verificatur in locis, ubi adest talis consuetudo admonendi colludentem, quando errat in numerandis punctis, non vero in locis, ubi talis consuetudo non viget. Quandonam vigeat talis consuetudo, & quænam deceptiones in ludo sint permistæ, ab ipsis lusoribus peritis potius quærendum est, quam ab aliis.

34. Quæres; *an ille, qui per fraudes injustas lucratus erat decem, & tenebatur illa restituere, liberetur ab obligatione restituendi, si cum eodem ludendo tantumdem perdat?*

Resp. non liberari ab obligatione restituendi, sed teneri illa restituere, quæ per fraudes injustas acquisivit, non solum si tantumdem perdat ludendo cum alio diverso, aut etiam cum eodem, sed diverso ludo, aut in eodem ludo; sed diverso tempore, quod omnes facile admittunt, quia hic secundus ludus est contractus diversus a primo, vi cujus debet solvere novum debitum, nec potest unica solutione duplici debito diverso satisfacere. Si autem in eodem ludo continuato perdat, quod prius per fraudem injuste fuerat lucratus, tunc Armilla *Verb. ludus n.* 7. dicit, liberari ab obligatione restituendi quia lucrum dicitur, quod in fine ludi reportatur. Sed verius est non liberari, quia singulæ sortes sunt distincti contractus independentes a præcedentibus, in quibus denuo uterque ludens subit novum periculum. Ita Lugus *disp.* 31. *num.* 39. quem sequitur Ant. a Spiritu S. *disp.* 24. *num.* 1205. & Diana *part.* 7. *tract.* 9. *resol.* 51. ubi advertit, quod id, quod dicitur lucrum, esse solum quod remanet, finito ludo, & solum habere locum in filio-familias, qui ex consensu patris censetur habere facultatem iterum exponendi ludo lucrum, donec ludus omnino absolvatur, non vero in illo, qui per fraudes injustas fuerat lucratus, & tenebatur lucrum factum restituere.

35. Poterit tamen ille, qui per illicitas fraudes lucratus est, ex lucro restituendo deducere quidquid pro chartis, lucernis, seu candelis, & domo dedit, quia id ex consensu utriusque solet deduci: non autem potest deducere, si quid liberaliter alteri dedit, quia in tali donatione liberali non præsumitur adesse consensus domini, nisi forte bona fide donavit, putans lucrum justum alias non donaturus, ut proinde non sit factus ditior. Nec item potest illas expensas deducere, qui fraudibus ludens alterum vi, & metu traxit ad ludum, quia vi attractus non censetur illis consentire. Ita Trullench *l.* 7. *cap.* 27. *dub.* 2. *num.* 7. Lugus *sect.* 3. *n.* 14. Diana *p.* 7. *tr.* 9. *resol.* 54. sequitur Anton. a Spiritu Sancto supra *num.* 1206.

§. IV.

De quarta Conditione Ludi.

36. Quarta conditio ad justitiam ludi requisita, est, ut æqualis sit utriusque ludentis conditio, tam in capitali, quam in peritia ludi. Unde si quis habeat longe majorem ludendi peritiam ignotam collusori, si vincat, non potest lucrum retinere, sed illud totum tenetur restituere, quia fuit caussa injusta damni per errorem, seu dolum, dantem caussam contractui, quem alter non celebrasset, si notam habuisset excellentiorem peritiam. Et hoc magis verum est, si valde excedens in peritia ludi, fingat se minus peritum, & semel, vel bis sinat superari ab adversario, ut deinde facilius semper vincat; peccat enim mortaliter, & ad restitutionem tenetur, quia talis simulatio est caussa injusta damni, cum sit contra justitiam commutativam, quæ requirit æqualitatem in ludo. Ita tenent Doctores communiter, ut testatur Lessius *disp.* 31. *sect.* 2. §. 4. *num.* 44. & cum aliis sequitur Bonacina *quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 3.

37. Nec dicas: *in ludo, qui certus est de victoria potest augere sponsionem, & lucrum recipere, ut communiter docent Doctores, & constat ex praxi; ergo etiam, qui antequam ludum intraret, & propter suam peritiam certus est de victoria, vel in aliis sponsionibus, potest lucrum accipere, & retinere.* Contra enim est, quia in primo casu augere sponsionem, est secundum leges ludi, quæ sunt colludentibus æquales, & notæ, non vero in secundo casu, quando major peritia alterius est ignota colludenti, qui per simulationem, errorem, & fraudem involuntarie decipitur.

38. Si autem imperitior in ludo cognosceret, & sciret excessum alterius colludentis, vel quia fuit ab eo monitus, vel experimento, vel alia ratione cognovit, & nihilominus vult ludere; tunc peritior potest lucrari, & lucrum retinere, quia scienti, & volenti nulla fit injuria, & sibi imputare debet, quod amiserit. Cum enim ipse optime cognoscat suam, & alterius peritiam, & nulla necessitate ductus vult ludere cum eo, si in ludo vincitur, censetur voluisse donare. Bonacina supra *n.* 4. Diana *p.* 7. *tr.* 9. *resol.* 31. & alios referens Sanchez *in opusc. l.* 1. *c.* 8. *dub.* 13. *n.* 7. Temperat Lugus *n.* 50. dicens, peritiorem posse lucrum tenere, quando præsumitur spontanea donatio, quæ præsumi potest, quando res est parva, vel quando generosus aliquis, & liberalis emere vult ludi delectationem, ea inclusa; secus quando lucrum est magnum, quia non potest præsumi donatio, sed potius non credidisse.

39. Si vero contingat, ut duo ludentes nesciant peritiam, & dexteritatem alterius, sed bona fide alter alterum credat similiter peritum, si cum eo ludit, & lucratur, non peccat, nec tenetur ad restitutionem lucri hoc modo acquisiti, quia in isto casu nulla intervenit deceptio, sed ambo periculo lucrandi, & perdendi se exponunt; & qui lucratur, quia invenit alium collusorem minus peritum se, poterat perdere, si invenisset alium peritiorem. Verum tamen est, quod semel cognita collusoris ignorantia, & imperitia, & se longe peritiorem intelligens tenetur a ludo desistere, aut saltem collusori meliores conditiones concedere, ut notavit Medina *Cod. de rest. q.* 22. *circa finem*, & cum aliis tenet Bonacina *n.* 4. Si tamen alter, cognita inæqualitate, adhuc vellet in ludo continuare, tunc poterit retinere lucrum, quia nullam ei facit injuriam, nam censetur donare, seu cedere juri suo, sicut quando alter clare sciens, alterum esse magis peritum, adhuc vult cum eo ludere. Sic Salas, Tamb. Az. quos sequitur Ant. a Spiritu S. *disp.* 24. *n.* 1215.

40. Si-

42. Similiter ad ludum requiritur æqualitas lucrandi, & perdendi, ut nimirum quis tantumdem perdere possit, quantum potest lucrari in uno ludo, vel jactu, quia debet servari æqualitas utriusque colludentis: inde habens quatuor nummos non potest primo ludo lucrari nisi quatuor; sicut enim qui nihil perdere potest, nihil pariter potest lucrari, ita qui solum potest perdere quatuor, solum quatuor poterit lucrari, ut sic servetur æqualis utriusque colludentis conditio; postquam autem vicerit alios quatuor, poterit lucrari octo, & sic deinceps quia in tali casu nulla reperitur inæqualitas, cum jam & ipse habeat octo. Ita Rebell. Molina, Lessius, Azor. Salonius, quos sequitur Bonacina n. 19.

41. Potest item aliquando plus lucrari, quam perdere, si nimirum cum duobus, vel pluribus ludat, & singuli ludo exponant duos nummos, poterit tali ludo, seu jactu a singulis lucrari duo, ac proinde, si sunt quinque ludentes, poterit lucrari decem, quamvis ipse illo ludo perdere non possit, nisi duo, quia in tali casu exponit pecuniam suam duplo, aut quintuplo majori periculo, & sic dicendum, si cum pluribus ludat. Si quis ludo exponat capitale, vulgo *il resto*, si perdit, standum est capitali minori alterius, cum non possit plus lucrari, quam sit suum capitale. Potest quis ludere, pecunia credita, cum altero, qui habet promptam, & statim solvat, dummodo hoc ille sciat, & cedat juri suo: cum Bonacina tradunt allati Doctores.

DUBIUM III.

An acquisita Ludo humana Lege prohibito, sint restituenda.

42. RESP. 1. Qui absque dolo, vi, & fraudibus, ludo humana Lege prohibito aliquid acquisivit, non tenetur illud restituere, ante sententiam Judicis. Ratio est, quia ad talem restitutionem non tenetur jure naturali, siquidem ludus alearum, & taxillorum, prohibitus lege humana, non prohibetur jure naturali, nec ab illo impeditur translatio dominii, quod transferre possunt ludentes habentes rerum suarum dominium cum libera illarum dispositione. Nec item tenetur jure positivo, sive Canonico, sive Civili, quia hujusmodi leges ludum prohibentes, cum sint pœnales, non obligant ante sententiam Judicis, ut patet ex dictis *de Legibus*, tum quia hujusmodi leges, vel sunt per contrariam consuetudinem abrogatæ, vel si alicubi adhuc vigent, prohibent quidem, sed non reddunt irritum, & nullum ludi contractum, nec faciunt ludentes inhabiles ad acquirendum, seu transferendum dominium, sed duntaxat concedunt perdenti repetitionem, ut scilicet repetere possit coram Judice id, quod tali ludo amisit, ac proinde vincens, & tali ludo acquirens, non tenetur ante sententiam Judicis ad restitutionem lucri sic acquisiti. Lessius *l.* 2. *cap.* 26. *dub.* 3. *n.* 17. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 18. *diff.* 2. *n.* 2. Bonacina *q.* 3. *p.* 3. *n.* 8. Rosignol. *de Restit. II. disquis.* 1. §. 8. *n.* 15. Trulleneh *l.* 7. *c.* 27. *dub.* 3. *n.* 3. Andreas a Matre Dei *c.* 4. *p.* 3. *n.* 61. nec victus potest uti tacita compensatione, quia repetitio, quæ allatis Juribus conceditur, est in pœnam, quæ non conceditur ante sententiam Judicis, ut habetur in cap. *Fraternitas* 12. *q.* 2. ut bene notat Rosignol.

43. Qui ludo vetito aliquid amisit, illud potest in judicio repetere, & recuperare intra tempus sibi a lege concessum, ut habetur *l. alearum usus, de aleatoribus* ibi: *Nulli liceat in publicis, vel privatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in specie, & si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio* (id est non cogatur solvere) *sed solutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint, vel eorum heredibus, & non obstante quinquaginta annorum præscriptione*, quare ubi adhuc viget dispositio legis, victus repetere potest totum id, quod ludo vetito amisit: si tamen ipse taceat, nec actionem intentat, victor potest acquisitum retinere, quia lex in ea parte, qua jubet solutum reddi, cum sit pœnalis, non obligat, nisi post condemnationem, ut notavit Rosignol. *n.* 17.

44. Quod si victor per vim, aut fraudem impediat, ne Judex ipsum condemnet ad restituendum id, quod lucro prohibito acquisivit; tunc restituere tenetur, etiamsi non sequatur sententia, quia nimirum per injuriam impedit, ne victus possit recuperare id, ad quod jus habet vigore legis; si autem absque vi, vel fraude Judicem impediat, non tenetur restituere, ut cum Molina, Lessio, Lugo, & Trullench tenet Anton. a Spiritu S. *disp.* 24. *n.* 1225. quia victor non tenetur ad restitutionem, nisi post sententiam: ergo quocumque modo impediatur sententia absque vi, & fraude, non tenetur ad restitutionem, etiamsi Judex inique eum non condemnet. Quod si victor interrogetur a Judice, & neget veritatem, quæ aliunde probari non potest, & ob id non condemnetur, non tenetur restituere, si de facto non fuit condemnatus. Sanchez, Trulleneh, Lugus, & Ant. a Spiritu S. *loc. cit.* sequitur Diana *part.* 7. *tract.* 9. *resol.* 27.

45. Resp. 2. Qui ludo vetito aliquid perdidit, stando in jure communi, solvere non tenetur, nisi forte juraverit, se soluturum quod perdidit. Ratio est, quia in *cit. l. alearum* decernitur, ut victus in tali ludo non cogatur solvere, ibi: *nulla sequatur condemnatio, sed solutum competentibus actionibus repetatur*, ubi Legislator voluit, perdentem reddere immunem ab obligatione solvendi, antequam solvat, & illi concedere repetitionem, postquam solvit, quorum utrumque facere poterat legislator, & expediebat, ut id faceret in odium ludi prohibiti. Deinde, quia illi, cui datur actio ad repetendum, a fortiori conceditur exceptio ad non solvendum, *cap. qui ad agendum de regul. Juris in* 6. sed perdenti in ludo prohibito datur actio ad repetendum; ergo etiam datur exceptio ad non solvendum, unde secundum Jus commune victus non tenetur ad solvendum, prout docent Lessius *c.* 26. *dub.* 4. Ledesma *in summa tom.* 2. *tract.* 31. *c.* 2. *concl.* 11. Molina *disp.* 515. *concl.* 4. Covar. *de regul. peccatum p.* 2. *n.* 8. Rosignol. *supra n.* 19. Andreas a Matre Dei *n.* 62. Anton. a Spiritu S. *n.* 1220. Bonacina, aliis pluribus allatis, *punct.* 3. *n.* 2.

46. Dixi, *nisi forte juraverit, se soluturum quod perdidit*: nam tunc ratione juramenti solvere tenetur, siquidem juramentum servandum est, quando est de re licita, & servari potest sine peccato, ut contingit in præsenti: si tamen non juraverit, se pecuniam illam non recuperaturum, nec repetiturum: poterit, solutione facta, eam repetere in judicio. Poterit etiam tale juramentum ab Episcopo relaxari, ut cum Henriq. Navarr. Corduba, & aliis notat Bonacina supra *n.* 2. & nos etiam suo loco diximus de Juramento confirmante contractum *tr.* 7. *c.* 2. *dub.* 4. Addit Rebellus *l.* 17. *q.* 2. *n.* 8. tale juramentum esse nullum, & irritum, cum sit contra legem latam in bonum commune Reipublicæ; si enim juramentum esset validum, lex esset inanis, & vana, nec satis consultum esset bono publico, quia, tali lege non obstante, jurans solvere teneretur: ex quo sequitur, neminem posse hujusmodi legibus renuntiare, cum nemo renuntiare possit juribus latis in bonum publicum, quamvis renuntiare possit beneficio legis latæ in bonum personæ particularis.

47. Verum quia probabilius est, facultatem repetendi id, quod quis ludo vetito perdidit, esse concessam proxime in favorem perdentis, non vero reipublicæ, cui parum refert, pecuniam pertinere potius ad unum, quam ad alium, potest quilibet renuntiare tali beneficio legis concedentis repetitionem soluti in ludo vetito, cum unusquisque cedere possit juri, & favori suo, illique renuntiando, solvere tenetur id, quod perdidit, ut cum aliis tenet Bonacina supra *n.* 5. Et si juravit non repetere solutum, tenetur servare juramentum, nisi illud relaxetur ab Episcopo, quod facere potest, etiam sine consensu partis.

48. Quæres: *An victus uti possit occulta compensatione, si non audeat repetere solutum in judicio metu dedecoris, vel alterius caussæ?* Negative respondet Bonacina *n.* 7. ubi pro hac sententia refert Molinam, Rebellum, Reginaldum, & alios, quia jura solum concedunt, ut solutum repetat auctoritate Judicis, & per ipsum stat, si non petit. Rationem addit Medina *C. de restit. q.* 12. quia compensatio fieri non potest, nisi de debito; sed res in ludo amissa non est debita ante sententiam Judicis, cum allata jura solum præcipiant restitutionem post sententiam Judicis; ergo ante sententiam fieri non potest compensatio, quia esset de re indebita. Bene tamen uti poterit compensatione, si per vim, vel fraudem aliquid ab eo fuit lucratus, ut cum Trullench docet Anton. a Spiritu Sancto supra *n.* 1227. Poterit etiam victus minari accusationem, & repetitionem a Judice; & si propter hoc victor ei lucrum restituat, poterit illud accipere, & retinere, quamvis non habeat animum accusandi, & repetendi, quia vere jus habet repetendi, & accusandi, cui juri cedit ipse victus. Ita Lessius *cap.* 26. *dub.* 3. *n.* 12. Trullench *l.* 7. *cap.* 17. *dub.* 3. *n.* 6. Diana *p.* 7. *tract.* 9. *resol.* 28. Palaus *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 1. *punct.* 10. *n.* 5. & cum Tambur. Anton. a Spiritu S. *l. c.*

49. Oppositum docet Molina *disput.* 514. quando victus vere non habet animum accusandi, & repetendi solutum coram Judice; nam tunc dolus dedit caussam contractui: siquidem victor noluisset dare, si non fuisset deceptus, & quia victor dedit, ut victus deponat animum repetendi, quem non habet; & sic non potest retinere, quod alter dedit. Sed contra dico, dolum, quo victor fuit motus ad solvendum, non esse malum, & injustum; nam vere poterat minari accusationem, sive haberet animum, sive non: nec victor ex eo

præ-

pracise lucrum restituit, ut alter deponat animum, sed ut revera non accuset, vel repetat, & cedat juri suo, quod habet accusandi, & repetendi, quorum utrumque ille præstat, & sic retinere poterit, quod accepit, ut cum aliis docet Diana *l. c. & p. 4. tr. 4. resol.* 34.

50. Resp. 3. Stando in solo jure naturali, & abstrahendo a lege communi, quæ videtur per contrariam consuetudinem abrogata, perdens aliquid ludo vetito solvere tenetur in conscientia. Ratio est, quia contractus ludi jure naturali est licitus, & validus, vimque habet transferendi dominium; ergo qui sine dolo, & fraude in ludo perdidit, data fide solvendi, tenetur solvere, tum quia omne promissum adimplendum est, quando licite potest adimpleri, prout tenet Bonacina *p. 3. n. 2.* & Anton. a Spiritu S. *n.* 1219.

51. Quæres: *An qui ludit animo non solvendi, possit lucrari?* Negant ex Molina Dicastillus *tr.* 18. *disp. 3. dub.* 3. *n.* 25. Reginaldus *l.* 10. *c.* 25. *n.* 288. & Lessius *c.* 26. *n.* 31. *quia quando quis ludit animo non solvendi, aut repetendi solutum, non servatur æqualitas, estque aperta injustitia, nec alter luderet, si collusoris animum sciret, ac proinde licite lucrari non potest?*

Resp. affirmative, quia animus solvendi, vel non repetendi, non est necessarius ad valorem contractus ludi, qui remanet firmus, etiam sine tali animo, ea ratione, qua validum est votum factum cum animo illud non observandi, & validum est matrimonium contractum ab illo, qui non habet voluntatem servandi fidem conjugalem; ita similiter contractus ludi est validus, quamvis ludens non habeat animum solvendi, vel habeat animum repetendi solutum; nam vere remanet obligatus ad solvendum, etiamsi non habeat animum solvendi, vel repetendi solutum ex beneficio legis sibi hoc concedentis; nec in hoc est aliqua inæqualitas, aut injustitia, quando non renuntiavit beneficio legis, & promisit solvere, quia nimirum ad valorem contractus non requiritur animus exequendi, sed sufficit animus se obligandi. Et ita tenent Hurtad. *de contract. disp.* 8. *diff.* 5. Lugus *disp.* 31. *n.* 53. Sanch. *in consil. tom.* 1. *l.* 1. *c.* 8. *dub.* 5. & cum Tamburino, & aliis Anton. a Spiritu S. *disp.* 24. *n.* 1216. dicens, idem esse dicendum de illo, qui fingit se habere pecuniam præsentem in crumena, quam non habet, nec habet animum solvendi, qui, si vincit, potest lucrum retinere, & si perdit, tenetur solvere.

D U B I U M IV.

De Sponsione, Sortibus.

52. Sponsio, de qua loquimur in præsenti, est contractus, in quo duo, aut plures de veritate, vel eventu alicujus rei contendentes, sibi vicissim aliquid spondent, ut ejus sit, qui veritatem fuerit assecutus, quæ definitio est communis, eamque tradunt Lugus *disp.* 31. *sect.* 6. Bonacina *q. 3. p.* 1. *n.* 18. Andreas a Matre Dei *punct.* 3. *n.* 64. Est contractus ex natura sua licitus, dummodo servetur æqualitas, quia est contractus quidam fortunæ, quo uterque periculo perdendi, & lucrandi est expositus, prout contingit in ludo, cui sponsio est valde affinis, ac proinde quæ de ludo dicuntur, possunt, servata proportione, de sponsione dici: unde sicut, seclusa lege humana, ludus est licitus, ita pariter sponsio licita est.

53. Ad sponsionem requiritur æqualitas, ut nimirum uterque sit expositus periculo lucrandi, & perdendi, & rei eventus utrique sit incertus; unde qui certus est de eventu, & veritate rei, licite non potest sponsionem inire, nec inde lucrum recipere, sed peccat cum obligatione restituendi; quia tunc, vel error dat caussam contractui, quia nullus præsumitur velle spondere cum eo, qui rei certitudinem habet, vel certe non servatur æqualitas ad sponsionem requisita; nam qui certus est, non remanet expositus periculo perdendi, bene tamen alter, qui eventum ignorat, qui potest solum perdere, & non lucrari. Bonacina *n.* 18.

54. Si res non sit certa, sed tantum probabilis ex signis, indiciis, conjecturis, vel alio modo, non erit contra justitiam sic contrahere. Garaias *contr. p. 2. cap.* 13. Similiter qui a principio videbatur esse certus de rei veritate, sed postea incipiat dubitare, & formidare, stante pertinacia alterius contradicentis, & spondere volentis, maxime si alias sit expertus, se fuisse deceptum in iis, quæ sibi videbantur vera, tunc poterit spondere, & lucrari propter incertitudinem, quam concipit, & propter quam se exponit periculo, ut cum Molina tenet Lugus *disp.* 31. *n.* 79. Si autem quis credat habere certitudinem rei affirmatæ, cum revera res sit incerta, tunc peccabit hoc modo contrahendo, & spondendo ratione malitiæ, & conscientiæ erroneæ, qua nullo periculo se exponere intendit, non tamen tenetur ad restitutionem, quia cum revera res sit incerta, sic spondens remanet expositus periculo perdendi, nec peccat contra justitiam. Garaias *l. c.* Azor. *part. 3. lib.* 11. *cap.* 19. Navarr. *c.* 20. *num.* 18. Molina *disp.* 108. Diana *part. 7. tract. 9. resol.* 68.

55. Quod si quis certa scientia, vel experientia, vel divina revelatione habens indubitatam certitudinem de rei eventu, alterum moneat de tali sua scientia, & certitudine, protestetur, se nec velle, nec posse spondere, quia ratione certitudinis, quam habet, nulli periculo remanet expositus: si tamen alter ita monitus adhuc contendat, & velit spondere, non obstante tali certitudine, quam habet alter, tunc poterit sponsionem acceptare, & lucrum retinere, quia tunc nulla intervenit fraus, aut injuria; nam volenti, & consentienti non fit injuria, unde videtur cedere juri suo, & condonare lucrum, vel certe sibi debet imputare suam temeritatem, ut supra diximus *de Ludo*, Ita Rebell. Lessius, Molina, Lopez, Navar. Garaias, Azor. quos affert, & sequitur Bonacina *supra q. 3. p.* 1. *num.* 18. Andreas a Matre Dei *punct.* 3. *n.* 64. Antonius a Spirito S. *r.* 1232. Diana *p.* 4. *tract. 4. resol.* 186. *& part. 7. tract. 9. resol.* 63. Oppositum tenet Lugus *supra n.* 18. quia non servatur æqualitas.

56 Plures sunt sponsiones, quæ habent conditionem illicitam positam a spondente, ut sunt sponsiones de edendo, & bibendo, quis altero plus potabit, aut comedet: quod Titium interficiet: quod hoc anno ab altero Princeps occidetur: quæ, & similes reprobantur a Jure Civili, eo quod spe lucri homines inducantur ad peccandum; & inde, qui eas sponsiones faciunt, peccant mortaliter. Qui tamen victor existeret non tenetur ad restitutionem, si sponsio facta fuerit absque ullo dolo, & fraude de se inducente obligationem restituendi, quia licet peccet sic contra legem spondendo, non tamen peccat contra justitiam lucrum retinendo, quia leges prohibent peccatum fieri, non tamen obligans ad lucrum acceptum restituendum. Ita Filliuc. *t.* 2. *tr.* 37. *c.* 2. *n.* 28. Az. *3. p. l.* 11. *c.* 19. *q.* 6. Diana *p.* 7. *tr.* 9. *resol.* 69.

57. De jure naturæ non est illicita sponsio super eventu futuro, ex quo damnum subsequeretur proximo; puta, quod Petrus intra annum morietur, quia licet spondenti detur occasio mortem Petri optandi, hoc tamen est per accidens, & malitiæ optantis imputari debet; nam hoc periculum potest etiam dari in censu vitalitio, qui tamen est licitus. Ita cum Sanchez *in opusc. tom.* 1. *l.* 1. *c.* 8. *dub.* 32. *n.* 5. tenet Lugus *disp* 31. *n.* 74. Erit etiam licita sponsio de peccato committendo, vel non committendo ab aliquo tertio; peccaret tamen, si optaret fieri peccatum. Si sponsio fiat de peccato ab ipso spondente, ut si ego dicam, te commissurum tale peccatum, tu vero dicas oppositum, licita erit sponsio, quia lucrum speratum te retrahit a peccato committendo; e contra vero, si tu affirmas te peccaturum, & ego nego: periculosa, & fugienda est talis sponsio, quæ te magis confirmat in proposito peccandi, ut bene docet Lugus *n.* 75.

58. Sponsiones super vita, morte, & futura electione Summi Pontificis sunt illicitæ; & primo illas damnavit Pius IV. *Constit.* 81. quæ incipit: *In eligendis*, ubi tamen solum prohibet sponsiones super electione summi Pontificis, & solum tempore Sedis vacantis, & in Urbe Romæ, vel ubi Conclave fieret, sub pœnis arbitrio Gubernatoris, & futuri Pontificis. Sed postea a Gregorio XIV. *Constit.* quæ incipit: *Cogit nos*, prohibentur sponsiones, tam super electione, quam super vita, & morte Summi Pontificis, idque in tota universali Ecclesia, omni tempore, etiam ante Sedem vacantem, & omni loco, etiam extra urbem, & locum electionis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Pontifici reservatæ: idque etiam extenditur ad electiones Cardinalium, talesque sponsiones in utraque Bulla irritantur, & annullantur, tam in foro judiciali, quam extra. Quare etiam in foro conscientiæ, absque ulla sententia Judicis criminis declaratoria, vel condemnatoria, quisque tenetur restituere omne id, quod in dictis sponsionibus esset lucratus, cum sit ex contractu nullo, & irrito. Ita cum Filliuc. *c. 2. q. 7. & 8.* tenet Lugus supra *n.* 90.

59. Quando plures, puta quatuor concurrunt ad Cathedram, seu prætendunt Officium, quod uni tantum conferri potest, dubium est, *an licitum sit cum unoquoque eorum seorsim spondere, quod non obtinebit.* Negant Ledesma, & Villalob. quos sequitur Diana *p. 4. tr. 4. miscell. resol.* 185. quia non servatur æqualitas lucrandi, & perdendi; nam sic spondens potest solum perdere centum, & lucrari tercentum. Resp. juste lucrari posse sponsionem absque obligatione restituendi, quamvis necessario debeat vincere tres, nec possit vinci, nisi ab uno. Ratio est, quia cum omnibus illis quatuor est dubius de futuro eventu, & sicut potest a quolibet lucrari, ita potest cum quolibet perdere, unde contractus cum singu-

singulis remanet justus, cum sit expositus lucro, & damno, nec viciatur per hoc, quod addatur contractus cum odio. Ita Lugus *disp.* 31. *n.* 87. Sanchez *in consil. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 16. Ant. a Spiritu S. *n.* 1236.

60. Licitus est contractus, quo quis dat alteri centum eo pacto, ut hic teneatur reddere 200. si post duos annos in patriam redierit, aut uxorem duxerit, aut ultra decem annos vixerit: si autem ante tale tempus moriatur, non redeat in Patriam, uxorem non ducat, ad nihil teneatur, quia est contractus fortunæ, & sponsio de re dubia, & incerta, quæ potest esse, & non esse; quo titulo justificatur etiam census vitalitius, quia est virtualis sponsio, quæ innititur dubio, & fortuito eventui; *an quis tamdiu sit victurus, ut recipiendo quotannis partem, sit denique recepturus plus, quam dedit.* Ita cum Filliuc. & Diana, Antonius a Spiritu Sancto *nu.* 1237. Idem dicendum, si pater det alicui mercatori centum aureos, cum pacto, ut reddat tercentos, si filia nunc recenter nata pervenerit ad annum decimum tertium: si autem ante prædictum annum mortua fuerit, totum lucretur; nam hic contractus reducitur ad sponsionem de futura vita, ut explicat Diana *part.* 7. *tractat.* 9. *resolut.* 71.

61. Circa secundam partem adverto, nos hic non loqui de sortibus divinatoriis, per quas investigatur cognitio futurorum eventuum, vel alicujus rei occultæ; nec de consultatoria, quibus in rebus dubiis exquiratur divina voluntas, ut sciatur quid agendum, aut cavendum, de quibus egimus in primo præcepto Decalogi *tr.* 5. *cap.* 5. *dub.* 7. sed de divisoria, quæ tunc contingunt, quando ex eventu futuro, seu ex eventu sortium quæritur, *quid unicuique tribuendum sit?* quæ quidem sortes divisoriæ jure naturali non improbantur, & jure positivo solum prohibentur in electionibus Ecclesiasticis, non in rebus, & officiis sæcularibus; & licite adhibentur, non solum ad honestum ludum, sed etiam ad litis compositionem cum consensu litigantium, ut *ibidem* fusius diximus, vel ad aliquod commune alicui adscribendum, vel inter plures dividendum; ut quando dividenda est hereditas inter plures, & singulis portio sorte assignatur, aut sorte eliguntur virgines, quibus dos assignanda, ex pluribus habilibus, & concurrentibus.

62. In hoc genere satis usitatus est contractus, qui apud Italos appellari solet *Lotto*, seu *Beneficiata*, in quo multi contribuunt ad aliquam, vel plures res emendas, ut sorte experiantur ad quem, aut quos ea contribuentibus spectare debeant, & hoc fere modo fieri solet. Primo auctoritate publica eliguntur ministri, qui taxant pretium rei exponendæ, & accipiunt contributiones, & nomina eorum, qui concurrere volunt ad sortem, quibus acceptis, & soluto primum ex cumulo contributionum justo stipendio ministris, scribuntur nomina eorum, qui contribuerunt, in schedulis separatis, ita ut tot sint schedulæ, quot nomina concurrentium, & plicatæ ponuntur in urnam, & totidem mittuntur in aliam urnam, quarum aliquæ sunt albæ, nihil commodi afferentes, & aliæ signatæ præmio, vel præmiis, pro quibus mittuntur sortes. Deinde a puero ex prima urna extrahitur una schedula, continens nomen unius ex concurrentibus ad sortem, & ex altera urna extrahitur altera schedula, quæ, si fuerit alba, nihil præmii extracto contingit, & sic successive, donec extrahatur schedula continens præmium, quod datur illi, cujus nomen fuit immediate ante extractum a prima urna, cui sors fuit favorabilis. Hic contractus justus est, si fiat sine dolo, & fraudibus, & præmium non taxetur ultra pretium supremum, & sæpe fieri solet Romæ, & in aliis Civitatibus. Ita Lugus *disp.* 31. *nu.* 92. Antonius a Spiritu Sancto *numer.* 1242. Molina, Sanchez, Filliuc. & alii, quos affert, & sequitur Lugus: ita etiam Diana *part.* 1. *tract. de contract. resol.* 81.

63. Qui sentiendum sit de juramento, & voto non amplius ludendi, vel spondendi, sufficienter diximus in secundo præcepto Decalogi *tract.* 7. *de Juramento, & Voto cap.* 3. *dub.* 6. ubi diximus, juramentum, aut votum non ludendi absolute præstitum, esse validum, & obligatorium; sed regulariter intelligi debere solum de ludo immoderato, periculoso, & de magna quantitate, non de ludo moderato, honesto, nisi constet de contraria intentione jurantis; nam quis titulo virtutis potest jurare, & vovere abstinentiam cujuscunque ludi, quæ & similia diximus *loco citato, & ibidem* videri possunt.

CAPUT XII.

De Contractu Societatis.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex sit Societas.

1. Contractus societatis frequentissimus est in negotiationibus, maxime copiosioribus, & periculosis, propter magnam pecuniarum summam pro illis exercendis necessariam, quam unus solus, aut contribuere non potest, vel certe non expedit, propter multa, & varia pericula, quæ terra, marique solent occurrere, ut proinde non expediat, ut quis omnes suas facultates simul uni, eidemque negotiationi impendat, & sic commodius, & cum minori periculo exercetur, si plures simul conveniant, & conferant pecuniam necessariam cum æquali omnium lucro, & periculo. Et quia inter mercatores societas negotiationis ordinatur ad lucrum, dici solet *societas quæstuosa, & lucratoria*, de qua primum nobis agendum, & successive de aliis.

2. Societas igitur est honesta conventio duorum, vel plurium conferentium suam pecuniam, industriam, vel laborem, vel aliam rem pretio æstimabilem ad commune lucrum inter illos proportionabiliter distribuendum. Ita desumitur ex *l.* 1. *& seqq. ff. pro socio*, eamque tradunt Bonacina *disp.* 3. *quæst.* 6. *punct.* 1. *n.* 1. Rosignol. *contract.* 1. *prænot.* 1. *num.* 2. Lugus *disp.* 30. *sect.* 1. *num.* 1. Navarr. *cap.* 17. *de usura in societate num.* 251. estque in re communis.

3. Dicitur *conventio duorum, vel plurium*, quia iste contractus solo contrahentium consensu perficitur absque scriptura, vel alia formula determinata, & ad illam plures debent convenire, qui in jure dicuntur Socii, eo quod ejusdem lucri, & periculi sunt comparticipes, ut constat ex toto *tit. ff. pro socio*, nec unus dicitur facere societatem cum se ipso. Dicitur *pecuniam, industriam, vel laborem conferentium*, quia in societate singuli socii debent aliquid in commune contribuere, ut lucri participes fiant, sive deinde omnes æque conferant pecuniam, sive aliqui conferant pecuniam, & alii industriam ponant, seu exercitium circa talem pecuniam, sive instrumenta, ut navim, equos, animalia, & alia hujusmodi; si enim aliquis nihil conferat, non potest licite particeps esse lucri, & commodi, quod fit in societate. Dicitur *ad commune lucrum*, quia finis proximus, ad quem est ordinata societas, est lucrum ex negotiatione acquirendum, quod esse debet commune sociis; ad differentiam locationis, & conductionis, in qua animalia alicui traduntur ad custodiam in pascuis, aut pecunia ad negotiandum: ita quod commodum, & lucrum non sit commune, sed solum ad tradentem pecuniam, vel conducentem alterius operam pro certo stipendio illa conferendo: non solum lucrum, sed etiam damnum ex societate proveniens debet sociis esse commune.

4. Hinc habes, quomodo contractus societatis ab aliis differat; & quidem a contractu locationis, & conductionis differt, quia, ut modo dixi, lucrum, & periculum non est commune, sed totum cedit conducenti operam alterius, cui mercedem proportionatam solvit pro sua mercede; & si aliquando conductor tradat partem fructuum, puta sextam, vel septimam partem fructuum ex negotiatione provenientium, hæc succedit loco mercedis. Differt a mutuo, quia dominium rei mutuatæ transfertur in mutuatarium, qui tantumdem tenetur restituere, sive pecunia mutuata pereat, sive non. In societate vero dominium rei in societatem collatæ remanet penes conferentem, ita ut cum periculo ipsius mercatoris, vel socius negotietur de illa, vel artifex operetur; unde potest licite partem lucri recipere, tamquam de re sua.

5. Contractus societatis multiplex esse potest: alia enim est societas omnium bonorum, vel lucrorum dumtaxat, vel certæ alicujus partis bonorum, vel certæ negotiationis, quando duo, vel plures ex communi negotiatione lucrum quærunt; & dicitur societas *quæstuosa, & lucrosa*, quæ communiter fieri solet inter mercatores: Alia est societas Artis, quando unus ex sociis exercet artem, & alter facit expensas necessarias; alia Animalium; alia Officiorum, ut cum quis officio fungitur, & alios socios sibi adjungit cum participatione fructuum ex tali officio provenientium: alia Vectigalium, quando duo, vel plures communia Vectigalia emunt, & in communi omnes impensas solvunt, & lucrum recipiunt. Potest dictus contractus fieri ad tempus, limitatum ad septem, decem, vel plures annos, vel etiam minores, vel etiam ad vitam, seu durante vita, prout contrahentes inter se convenerint, & fieri potest ita, ut unus conferat pecuniam, alter operam corporalem, seu industriam, quæ aliquando,

præcipue in negotiatione, magis æstimatur, & pretiosior est, quam pecunia. *L. 1. Cod. pro socio*, & *l. societas ff. pro socio*. Instit. *de societ. §. deinde*, & aliquando ambo conferunt pecuniam, & industriam: alia insuper est societas expressa, quæ verbis, seu litteris expressis contrahitur: alia tacita, quæ sine verbis, seu litteris, per actus sociales rebus ipsis contrahitur. Molina *disput.* 412. Lessius *lib. 2. cap. 25. dub.* 1. Rosignol. *prænot.* 1. *num.* 5. ubi alias species, seu divisiones societatis explicat.

6. Ad contractum societatis, ut sit licitus, nonnullæ requiruntur conditiones. Primo enim requiritur, ut societas fundetur in negotiatione licita, & honesta, nec in Jure prohibita; unde iniqua, & invalida est societas, quæ initur ad exercendas usuras, seu furta committenda, siquidem malorum nulla est societas jure facta. *L. Nec permittendum*, & *l. quod autem ex furto ff. pro socio*, sicut, & ipso jure nullius est momenti societas illa, quæ dolo malo, aut fraudandi caussa inita fuit, ut consurgit in latronibus, & hujusmodi. Bonacina *quæst. 6. part. 1. num.* 2.

7. Secundo, ut singuli socii aliquid conferant in commune, sive deinde conferant pecuniam, aut alia bona, sive operam, seu industriam suam, quæ aliquando pretiosior est ipsa pecunia. *L. societas ff. pro socio*, ut supra notavi: in tali enim collatione bonorum, seu laborum, consistit natura contractus societatis, ut constat ex ipsa definitione. Non enim potest esse socius, nec participare de lucro, qui nihil contulit pro societate, seu pro exercenda negotiatione.

8. Tertio, ut servetur æqualitas inter socios, ita ut lucrum, expensæ, & damna sint omnibus communia, id est lucrum, & damnum dividatur inter socios, servata proportione, seu pro rata ejus, quod quisque contulit in societatem, prout magis explicabitur *dub. 3. & 4.*

9. Quarto requiritur, ut pecuniæ in societate expositæ maneant periculo exponentis, seu exponentium, ut, si casu fortuito pereunt, damnum sit ejus, vel eorum, qui eas contulerunt, ut habet D. Thomas 2. 2. *q. 78. art. 2. ad* 5. quia nimirum dominium pecuniarum in societate expositarum semper remanet apud exponentes, usu solum remanente ad commodum societatis, qua durante, nullus ex sociis pecuniam extrahere potest, illamque divertere ad proprios usus cum damno, & præjudicio societatis, & sociorum, quorum pecuniæ adhuc remanent expositæ periculo; ac proinde extrahendo quis pecunias a societate ad proprios usus, non solum non potest reportare lucrum, sed etiam tenetur ad restitutionem, si ex tali extractione damnum adveniat alteri socio.

10. Requiritur etiam, ut justa pacta inter socios inita serventur; nam fides data servanda est, quoties servari potest. Quod si nihil inter socios conventum sit, attendi debet consuetudo loci, nulla fraus, dolus, aut deceptio debet adesse ex parte sociorum, aut alia culpa, qua existente, societas evaderet injusta, & induceret obligationem restituendi damnum inde secutum, etiam pro foro conscientiæ. Esset injusta, leonina, & non humana societas, si unus velit tantum participare de lucro, rejecto damno, & periculo in socios; vel, si mercatori ad negotiandum pecuniam tribuat, ea lege, ut periculum pecuniæ stet mercatori, lucrum vero dividatur, ut cum Navarr. Soto, Molina, Rebello, & aliis tradit Bonacina *part. 1. n.* 2.

11. Societas finitur, & terminatur pluribus modis relatis in *L. verum est 64. & l. Actione 66. ff. pro socio*. Et quidem primo finitur, finito termino, seu tempore ad societatem constituto, aut finita negotiatione, *cit. l. Actione §. Item, qui societatem*, quia obligatio facta ad certum tempus, vel ad certum negotium, eo elapso, cessat, & sic etiam cessat societas; si tamen, eo non obstante, socii sicut antea societatem prosequuntur, eo ipso censetur renovata societas. *D. l. Actione §. Item ff. pro socio, & l. verum § ult. ff. eod.*

12. Secundo finitur mutuo sociorum consensu; nam res quælibet per quas caussas nascitur, per easdem dissolvitur; sed societas nascitur, & celebratur per mutuum sociorum consensum; ergo pariter per mutuum eorumdem sociorum consensum dissolvitur. Nec est necesse, quod sit consensus expressus, sed sufficit consensus tacitus, qui tunc contingit, quando unusquisque incipit separatim negociari pro se, *l. itaque cum separatim ff. pro socio*, & quando sunt plures socii omnes debent expresse, vel saltem tacite consentire. Quod si unus tantum ante tempus renuntiaverit, sine consensu aliorum, socios a se liberabit, se vero non liberabit ab illis, quando societati interfuit, & non dirimit tunc societatem; ideo si aliquid lucrum sociis advenerit, non participabit de illo, quia quantum est ex parte sua, cedit societati, si autem advenerit damnum, de illo participabit, nisi renunciatio ex justa caussa facta sit. *L. Actione §. hæc s a ff. pro socio*. Ita Rebell. Molina, Azor. Filliucius, quos sequitur Bonacina *quæst. 6. part. ultim.* & hæc renuntiatio fieri potest, vel per se, vel per procuratorem, sive specialem, sive generalem, qui liberam bonorum administrationem habeat, *cit. l. Actione §. renuntiare ff. pro socio*.

13. Tertio finitur societas morte naturali unius socii, quamvis societas cum pluribus contracta fuerit, & plures adhuc supersint, *cit. l. Actione §. morte unius, & l. verum §. societas solvitur ff. pro socio*, nisi cautum sit, ut aliquo decedente, adhuc societas perseveret in aliis, ut cum Filliuc. & Dicastill. notat Antonius a Spiritu S. *disp. 35. num.* 1268. Rosignol. *contr. 7. disquisit. 1. §. 6. n.* 4. Non enim societas transit ad heredes defuncti, quia in hoc contractu eligitur industria personæ, & ex illa nascitur obligatio personalis in socios, quæ non transmittitur ad heredes; & ita heres defuncti non succedit in locum ejus, nisi novo consensu ineatur societas, *leg. Nemo potest, & l. plane si hi ff. eod.* & sufficit hoc loco consensus tacitus, ut societas continuetur, nemine repugnante. Excipe tamen quoad negocia cœpta, quæ heres defuncti tenetur perficere, sicut tenebatur defunctus, ne aliis sociis præjudicium fiat, ut si triticum jam sit seminatum, vel societas sit circa vectigalia, aut alias res publicas conductas; nam tunc societas transit ad heredes, qui tenentur perficere id, quod cœptum est. Quod verum putat Palaus *disp. 9. punct. 11. num.* 8. etiamsi negotium cœptum fuerit post mortem, ea tamen ignorata, quia tale negotium cœptum fuit in societate, quæ non intelligitur dissoluta, quousque non constat de caussa dissolutionis, id est morte alterius socii, ac proinde heres defuncti tenetur in societate perseverare quoadusque finiatur negotium cœptum, ut constat ex cit. *l. Actione §. morte ff. pro socio*; ita etiam Molina *disp.* 414. Filliuc. Dicastill. & Gibalin, quos sequitur Ant. a Spiritu Sancto *loc. cit.*

14. Non solum morte naturali, sed etiam morte civili alicujus socii, terminatur societas, *l. verum §. societas solvitur*, talis esse censetur longum exilium, aut professio Religiosa, ut cum aliis tradit Bonacina *quæst. 6. punct. ult. num.* 4. Terminatur etiam quando res, aut materia, in qua fundatur societas, tota perit, vel ita sit variata, & mutata, ut amplius non sit idonea ad societatem. Addit Bonacina *loco cit. num.* 5. societatem finiri non solum, quando res tota perit, sed etiam quando modica, & exigua pars solum remansit, quia in tali casu non censetur alter socius se voluisse obligare ad præstandam operam suam, quæ est longe majoris valoris: nec tenetur socius, etiamsi possit, rem aliam similem substituere, aut novam pecuniam contribuere, quia societas finita est, perempta sorte. Ita Bonacina, & cum Rebell. Sylvestro, & Dicastillo Antonius a Spiritu Sancto *disp. 25. num.* 1274.

15. Solvitur tandem societas egestate alterius socii, ut quando ipsius bona publicantur, aut pressus ære alieno cessit bonis suis, *cit. l. Actione §. publicatione ff. pro socio*. Ita Azor. Salonius, Gomez, Molina, quos sequitur Bonacina *loco cit.* Idem valet quando alter socius, paupertate pressus, non potest contribuere promissam pecuniam, vel quando is promisit operam suam, sed infirmitate, carcere, captivitate, aut alio simili impedimento detentus eam præstare non potest.

DUBIUM II.

Quinam possint contrahere Societatem.

16. Resp. omnes illos inire posse contractum societatis, qui liberam habent facultatem disponendi, pro libito de rebus, quas conferunt ad societatem; hi enim, cum habeant illarum rerum dominium cum libera facultate disponendi, sicut possunt alios inire contractus, ita possunt etiam inire societatem, cum nullo jure id prohibeatur. E contra vero, qui liberam non habent administrationem bonorum, nec possunt societatem contrahere, cum non possint ea distrahere, & obligare; & inde ebrii, amentes, furiosi, & alii carentes usu rationis societatem contrahere non possunt, *l. societates contrahuntur §. ult. ff. pro socio*, quia cum non possint actus humanos exercere defectu usus rationis, nec etiam possunt contrahere, ut diximus supra *de Contract. in genere dub.* 3. Isti tamen continuare possunt societatem, quam ad negotiandum contraxerunt, quando erant sanæ mentis cum perfecto usu rationis, quia per supervenientem ebrietatem, & dementiam non irritantur actus legitime celebrati cum debitis circumstantiis, cujusmodi est contractus societatis, ante dementiam celebratus, in quo proinde possunt perseverare quoadusque fuerit terminatus. Ita Rosignol. *de contract. Societ. prænot.* 11. multo magis id præstare possunt, quin etiam societatem inire per suos Tutores, Curatores, vel Procuratores, si quos habent legitime constitutos a Jure, vel a

Judi-

Judice, vel ab habente legitimam potestatem, ut notat *ibidem* Rosignol.

17. Pupilli, & Minores nequeunt societatem contrahere sine Tutoris, vel Curatoris auctoritate; valida tamen esset societas, si in ipsorum cederet utilitatem, & illam approbarent post tutelam, & petere possent restitutionem in integrum, si notabiliter læsi fuerint, juxta ea, quæ diximus supra *cap.* 1. *dub.* 6. Filius-familias valide contrahere potest societatem etiam cum Patre, si habeat bona castrensia, vel quasi castrensia, cum de illis possit libere disponere; secus vero si habeat bona solum adventitia, vel profectitia, quoniam non habet liberam administrationem. Potest filius inire societatem cum patre ita, ut pater ponat pecuniam, filius autem operam, & industriam, & lucrari tantumdem, ac lucratur ipse pater, habita ratione laboris, & industriæ ipsius, modo filius proprio nomine, & periculo negotietur; ususfructus autem lucri spectabit ad patrem, donec pater vixerit; eo autem mortuo, absolute pertinet ad filium ex *l. cum oportet C. de bonis quæ lib.* absque obligatione ea conferendi in partitione hereditatis cum aliis fratribus. Dixi, *modo filius negotietur nomine proprio*; nam si negotietur nomine patris cum pecunia patris, totum lucrum pertinet ad patrem: quod idem valet si negotietur simpliciter; nam in dubio censetur negotiari nomine patris, *l. fin. ff. quando ex facto suo*; si vero negotietur nomine proprio, totum lucrum pertinet ad filium, *l. si unus ex sociis §. si quid ff. pro socio*. Ita Bonacina *punct.* 2. *nu.* 4. Antonius a Spiritu Sancto *num.* 1247. quando scilicet filius negotiatur nomine proprio, & ex propria pecunia, nam tunc consentaneum est, ut qui periculum subit, commodum etiam reportet, secus si negotietur pecuniis patris, quæ, cum reputentur communes, ita commune debet esse lucrum.

18. Clerici, quamvis sint in Sacris constituti, licite contrahere possunt societatem cum mercatore, qui totam industriam, & laborem impendat, & teneat rationem dati, & accepti, absque eo, quod ullo modo ille se ingerat, sed præcise tradat pecuniam ad negotiandum, & recipiat partem lucri. Ratio est, quia in tantum illicita, & prohibita est Clericis negotiatio, in quantum distrahit Clericum a spiritualibus ad sæcularia negotia, importat indecentiam, & periculum peccandi, quæ sunt motiva prohibitionis; sed contrahendo societatem cum mercatore, modo supradicto, cessat indecentia, & periculum peccandi, nec distrahitur ad terrena; ergo cessat prohibitio, siquidem nil aliud præstat in tali societate Clericus, quam quod pecuniam, quam repositam habebat in arca, concedit mercatori per ipsum implicandam, & exercendam in negotiatione, ac proinde cessat in isto casu motivum prohibitionis, cum nulla sit indecentia respectu status, nec Clericus in hac negotiatione insumat tempus. Adde, quod sic pecuniam subministrare, non est proprie negotiari; nam & Viri nobiles, & Matronæ honestæ ita subinde lucrum quærunt absque dedecore, nec censentur negotiari: tum quia negotiari per alium nullibi est prohibitum, quin potius id in simili casu videtur permissum in *Clement.* 1. *de vita, & honest. Clericor.* ut observat Uvigers *in* 2. 2. *D. Thomæ tr.* 9. *de contr. in genere dub.* 2. *n.* 7. & Caspensis *in curs. Theolog. tom.* 2. *tr.* 19. *disp.* 4. *sect.* 16. *n.* 96. apud Dianam *part.* 9. *tr.* 7. *resol.* 69. Hanc sententiam tenent P. Rosignol. *de contr. societ.* 8. *prænot.* 11. *nu.* 3. Lugus *disp.* 26. *sect.* 3. *n.* 36. & omnes illi, qui dicunt, non esse prohibitum Clericis negotiari per alios, Hurtado, Molina, Medina, Lessius, Maldero, Amicus, Turrianus, & alii satis communiter, quos affert, & sequitur Diana *loco cit.* & *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 72. & nos etiam diximus supra *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 16.

19. Eadem ratione docet Rosignol. *cit. prænot.* 11. *num.* 4. nobiles regulariter non amittere nobilitatem per societatem, quam contrahunt cum mercatoribus, erogando præcise pecuniam, quia ipsi non negotiantur, sed Mercatores vectatos substituunt, & sinunt negotiari, quod non est indecens: ea ratione, qua, licet dedeceat statum nobilitatis vilia munera obire, non officit tamen tali statui alios adhibere ad talia munera obeunda, ita quamvis dedeceat nobilibus ars negotiatoria, non tamen dedecet alios ad ipsam adhibere.

20. Religiosi sollemniter Professi nequeunt societatem contrahere, cum non sint sui, nec proprium habeant, stante voto paupertatis. Medicus non potest societatem contrahere cum infirmo, durante tempore infirmitatis, *l. Medicus ff. de variis, & extraor. crimin.* Idem valet de Advocato respectu Clientis, *l. quisquis C. de postulationib.* & similiter de Tutore, & Curatore respectu Pupilli, & Minoris, *l. si in emptione §. fin. de contrahen. empt.* Idem valet de detentis in carcere, qui prohibentur contrahere in sui perniciem, *l. qui Carceres ff. quod metus caussa*, quia nimirum hi omnes ex Juris dispositione impeditam retinent disponendi facultatem, ut bene advertit Bonacina *punct.* 2. *num.* 9. & nos etiam notavimus supra *cap.* 1. *dub.* 5. *n.* 52.

DUBIUM III.

Quomodo dividantur damna, & expensæ Societatis.

21. Resp. damna, quæ patitur Societas ex casu fortuito absque culpa sociorum, debent esse communia, & proportionaliter dividenda inter socios, prout quisque contulit in societatem; sicut enim lucra sunt communia, & æqualiter dividenda, servata proportione, ita pariter damna debent esse communia, & dividenda inter socios. Similiter si damnum patiatur socius ex caussa proxima societatis, debet esse commune, sicut est commune lucrum; secus si damnum patiatur, aut lucrum acquirat occasione dumtaxat societatis, ut si iter agens caussa societatis, graviter vulneretur in itinere ob privatam inimicitiam, aut si non fuit institutus heres, aut officium, seu beneficium non obtinuit, eo quod esset absens ob negotia societatis, non tenetur societas tale damnum resarcire, quia non censetur caussa, sed occasio talis damni; nec deberet participare de lucro, si forte thesaurum, aut crumenam invenit in via, aut a Principe, cui fuit gratus, beneficium, seu donum obtinuit. Ita cum Rebello, Molina, Sylvestro, & aliis tenet Bonacina *disp.* 3. *quæst.* 6. *part.* 4. *num.* 1. sequitur Anton. a Spiritu Sancto *disp.* 25. *num.* 1256.

22. Tenentur autem socii ad invicem de dolo, culpa lata, & levi, non autem de levissima, ut habetur *Instit. de Societ. §. ult. l. cum duobus §. venit, & l. socius socio ff. pro socio*, & tradunt Bonacina *cit. qu.* 6. *part.* 1. *n.* 3. *vers. Dixi in quarta*. Lessius *cap.* 25. *nu.* 37. Molina *disp.* 413. Azor. Reginald. Salonius, Conradus, & alii, quos affert, & sequitur Rosignol. *contr.* 7. *de Societ. prænot.* 4. *num.* 3. Ratio est, quia contractus societatis celebratur in bonum, & commodum omnium contrahentium, & in hujusmodi contractibus quilibet tenetur de dolo, lata, & levi culpa, non autem de levissima, ut diximus supra *tract.* 2. *cap.* 1. *dub.* 7 & habetur *l. contractus ff. de Regul. Juris*, & *l. si ut certo §. nunc videndum ut ff. commodati*.

23. Quare si res tradita in societatem furto fuerit sublata ex defectu debitæ custodiæ, tale damnum non est commune, sed compensare tenetur socius, qui illam habebat in custodiam, si diligenter non custodivit, *l. cum duobus* 52. *§. venit ff. pro socio*, cum fuerit in culpa, debite non custodiendo. Lessius, Bonacina, & alii supra. Idemque dicendum de similibus, quando damnum evenit societati ex culpa levi alterius socii. Quænam autem in præsenti dicenda sit negligentia, & culpa levis, & an sufficiat ad inducendam obligationem restitutionis non solum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ, & ante sententiam Judicis, quando non est conjuncta cum culpa Theologica, quæ sit peccatum grave, sufficienter diximus supra *tract.* 2. *cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 53. & *tract.* 3. *cap.* 8. *dub.* 3. *num.* 22.

24. Hinc solum addendum est cum Rosignol. *loco cit. prænot.* 5. quod socius dum convenitur ab aliis pro iis, quæ debet ratione societatis, seu pro debito societatis, is non debeat condemnari supra id, quod commode facere potest, ita ut non egeat, stante privilegio sibi concesso in *l. verum est §.* 1. *& seqq. ff. pro socio l. sunt qui in id ff. de re jud. §. sed, & si quis Instit. de action.* addita illa congruentiæ ratione: *Hoc enim summam rationem habet, cum societas jus quodammodo fraternitatis in se habeat.* Hoc tamen intelligendum est, quando socius dolo, & fraude non se constituit in eo statu, quo minus integre satisfacere possit, cit. *l. verum est §. tempus autem*, & cautionem præstet de integre satisfaciendo, si pervenerit ad meliorem fortunam, *d. l. verum §. id quod facere.* Sic cum aliis Rosignol. *n* 4. ubi etiam ait, quod in taxanda quantitate, ultra quam ex vi talis privilegii non teneatur restituere, standum esse judicio prudentis Judicis, qui, attenta qualitate, & conditione personæ, & quantitate bonorum ejus, aliisque præsentibus circumstantiis præcipiet, quid ex æquitate expedire judicaverit pro alimentis, non secundum id, quod insumebat, quando erat in prospera fortuna, sed quantum par est, ut post lapsum a tali fortuna parcius vivendo insumatur. Ita P. Rosignol. *prænot.* 5. *num.* 4.

25. Expensæ necessariæ pro commodo societatis in vecturis mercium, in naulo navigationis, in operibus servorum, in vectigalibus Principi persolvendis, in domibus conductis ad custodiendas, & conservandas merces, in litibus pro iis defendendis, & aliis hujusmodi contingentiis, regulariter communibus sociorum expensis sunt faciendæ, nisi aliter inter socios conventum sit, vel consuetudine receptum, quia lucrum inter socios dividendum intelligitur, deductis necessariis expensis, *l. Mucius ff. pro socio*, sicut, & fructus solum intelliguntur, deductis necessariis

riis impensis, *l. fructus ff. de operib. servor.* Ita cum Molina *disp.* 418. Angel. *verb. societas q.* 12. Salonius 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. *de societ. controver.* 3. n. 24. tradit Rosignol. *Prænot.* 13. *n.* 1. Dixi: *nisi aliter conventum sit inter socios*, quia pacta in contractibus posita sunt observanda, *l.* 1. *ff. de pactis l Juris gentium §. Prætor ait ff. eod.* vel nisi aliter sit consuetudine receptum, quia contrahentes, quando aliud non exprimunt, intelliguntur contrahere juxta morem regionis; nam consuetudo ista videtur habere vim legis. Rosignol. *ibidem n.* 5.

26. *An vero ab expensis factis a socio in itinere caussa societatis suscepto, detrahendum sit, quod socius domi suæ insumpsisset?* Affirmant plures, quia societas non tenetur præstare sumptus, quos alter socius domi fecisset; sed eos tantum, in quibus est damnificatus caussa societatis. Cum autem non sit damnificatus in sumptibus, quos domi fecisset, sequitur, illos esse detrahendos, cum fieri non debeant de pecunia societatis. Ita Sylvester, Armilla, Molina, Navarrus, Gama, quos affert, & sequitur Rosignol. *cit. prænot.* 13. n. 3. Qui tamen cum aliis admittit, quod si longe majores sumptus faceret in itinere, quos non fecisset domi se continens, tunc illud majus compensari debet sumptibus societatis; puta si domi se continens insumpsisset quinquaginta, & in itinere insumpsit centum, illi restitui, & compensari debent quinquaginta, quos non consumpsisset domi existens.

27. Verum mihi probabilius est, & juri, ac praxi conformius, restituendas esse integras expensas, quas fecit socius in itinere caussa societatis suscepto, absque diminutione expensarum, quas domi se continens fecisset. Sic habetur ex *l. si fratres §. si quis ex sociis*, & *l. secundum Julianum ff. pro socio*, in quibus juribus habetur, socium proficiscentem ad negotium societatis, posse de communibus bonis societatis extrahere expensas, quas fecit; ibi: *si quis ex sociis propter societatem profectus sit, veluti ad merces emendas, eos dumtaxat sumptus societati imputabit, qui in eam rem insumpti sunt. Viatica igitur, & meritoriorum, & stabulorum, & jumentorum, & carrulorum vecturas, vel sui, vel sarcinarum suarum gratia, vel mercium recte imputabit.* Igitur, si tali socio indistincte conceduntur viatica ex bonis societatis, non est cur debeant detrahi sumptus, quos domi se continens fecisset. Ita cum Molina, Salonio, Reginaldo, Lessio, & Navarro tenet Bonacina *quæst.* 6. *punct.* 4. *num.* 2. & cum Villalob. Trullench, & Dicastillo, Antonius a Spiritu S. *disp.* 25. *num.* 1258.

28. Nec dicas: *Allata jura solum loqui de expensis in itinere factis caussa societatis, & quas, ultra domesticas, faceret, quæ multæ, & diversæ accidere possunt in servitium societatis, non vero de illis, quas consumpsit in proprios usus, quasque etiam domi suæ fecisset.* Contra enim est, quia jura loquuntur absolute, & indistincte, quod socio proficiscenti caussa societatis dentur viatica ex bonis societatis, non excludendo sumptus, quos domi suæ fecisset, ultra sumptus necessarios pro conductione mercium, ibi: *viatica igitur, & meritoriorum, & stabulorum, jumentorum, carrulorum vecturas, vel sui, vel sarcinarum gratia, vel mercium recte imputabit.* Cum ergo jura indistincte loquantur, & concedant viatica, non debent excludi sumptus necessarii pro sustentatione socii iter habentis caussa societatis, solumque debent excludi sumptus voluptuosi, inutiles, & irrationabiles, si quos faceret in conviviis, & aliis rebus non necessariis, qui isti non ex bonis societatis, sed ipsius socii sunt faciendi. Non enim congruum est, quod id, quod inutiliter consumitur, in aliorum perniciem transfundantur, ut cum Molina *disp.* 418. *vers. ulta expensæ*, notat Rosignol. *supra num.* 5.

29. Quod dictum est de expensis faciendis ex bonis societatis pro victu ordinario socii peregre proficiscentis ad negotia societatis, valent etiam de expensis factis in curatione vulneris, quando socius pro defendenda pecunia, seu re societatis, fuit vulneratus a latronibus; nam hoc damnum patitur ex caussa proxima societatis, & de curatione morbi in itinere contracti caussa societatis, modo sumptus non fuerint superflui, ut ex *l. Julianum*, & aliis juribus colligit Molina *cit. disp.* 418. Idem valet; si in itinere capiatur a Turcis, nam redimi debet expensis societatis, cujus caussa fuit susceptum iter. Idem etiam valet de moderatis eleemosynis, quas socius ponens industriam facere potest, ad invocandum divinum auxilium pro felici successu societatis, quæ solvi debent ex communibus bonis, ut cum Petro Navarra, Rodriquez, & Mantica tradit Bonacina supra *punct.* 4. *num.* 4.

30. Quando pro conservatione mercium, vel pro acquisitione lucri desiderati necessario facienda sunt aliquæ expensæ, sine quibus merces, vel lucrum periret, si non adest pecunia, quæ extrahi possit ex bonis communibus societatis ad eas expensas faciendas, non solum titulo caritatis, sed etiam titulo justitiæ socius negotiator tenetur eas facere ex propriis bonis, eas postea recepturus a sociis; & si non habet proprias pecunias, debet has mutuo accipere ab aliis, etiam sub usuris, si gratis eas non potest habere. Ratio est, quia socius negotiator, ratione contractus societatis, tenetur eam diligentiam adhibere pro conservandis bonis communibus, quam quisque diligens adhibere solet circa res proprias; sed quisque diligens pro conservandis rebus propriis impenderet proprias pecunias, vel in defectum illarum mutuo acciperet alienas, etiam sub usuris, ne majus damnum incurreret; ergo etiam ad id ex justitia tenetur socius negotiator. Ita cum Molina, Lessio, & Reginaldo tenet Bonacina *cit. num.* 4. *vers. quæres secundo*, & alios referens Rosignol. *prænot.* 14.

31. Addit idem Rosignol. *prænot.* 14. *num.* 4. quod si socius ex sumptibus, quos fecit, passus sit aliquod damnum in rebus suis, vel eidem aliquod lucrum cessavit, potest ex bonis societatis non solum exigere, seu repetere illud, quod contulit, sed etiam interesse, seu compensationem damni, seu lucri, quod passus est. Per Textum in *l. si unus §. si unus ff. pro socio*, ibi: *sed si suam pecuniam dedit, non sine caussa dicetur, quod usuras quoque recipere debeat, quas posset habere, si alii mutuam dedisset.* Nomine autem usurarum intelligi debet lucrum cessans, & damnum emergens; nam usuræ proprie, & rigorose sumptæ, sunt omni jure prohibitæ, ut alibi diximus, & notat Rosignol.

DUBIUM IV.

Qua ratione, finita Societate, lucrum sit dividendum.

32. RESP. divisionem bonorum, seu lucri remanentis, finita societate, faciendam esse inter socios ad æqualitatem, juxta proportionem illius, quod quisque contulit in societatem, adeo ut æquale lucrum recipiant, qui æqualiter contulerunt pecuniam, vel industriam: inæquale vero, qui inæqualiter contulerunt, ut sic servetur æqualitas jure naturali requisita inter socios, & detur unicuique quod ipsi convenit. Inde, facta societate inter plures, si quilibet æqualem contulit pecuniam, & industriam, æqualiter inter illos dividendum est lucrum, & capitale, sicut etiam æquale debet esse damnum, si totum, vel secundum partem pereat capitale. Si vero unus contulit pecuniam, alter vero laborem, & industriam, æqualiter lucrum erit dividendum, si labor, & industria ab altero posita tanti æstimetur, ac pecunia: sin autem minus, ille plus accipiet, completa societate; nam divisio facienda est ad ratam illius, quod quisque contulit in societatem. *L. si non fuerit ff. pro socio*: & ita ex communi Doctorum sententia tradit Bonacina *disp.* 3. *quæst.* 6. *punct.* 3. *n.* 3.

33. Difficultas tota est: *An quando unus posuit pecuniam, puta centum aureos, alter vero laborem, & industriam æquivalentem, debeat, finita societate, dividi inter socios non solum lucrum, sed etiam capitale ab altero positum, adeo ut ex capitali, & lucro fiat una summa proportionaliter inter socios dividenda secundum æstimationem laborum, & operum, ita ut iste debeat accipere medietatem totius summæ, si labor, industria, & opera æquivalent capitali ab altero posito, vel tertiam, quartam, aut quintam partem, prout labor ab ipso positus magis, vel minus æstimatur; vel pecunia ab altero posita sit prius detrahenda, ipsique restituenda, divisa dumtaxat lucro remanente, in quo discrepant Doctores.* Affirmant nonnulli, utrumque capitale scilicet, & lucrum esse dividendum, quia secus conferens operam, & laborem esset longe deterioris conditionis, quam qui pecuniam contulit; iste namque, finita societate, integrum haberet suum capitale, & insuper participaret æqualiter de lucro: alter vero solum participaret de lucro cum amissione sui capitalis. Sentiret enim damnum ex perditis operibus, quæ respectu apponentis se habent ut capitale; idque multo magis, si, finita societate, nullum esset lucrum dividendum, nam conferens industriam, illam amitteret, & conferens pecuniam illam salvam haberet. Ita nonnulli relati a Bonacina *punct.* 3.

34. Verum probabilius est, divisionem ita faciendam esse, ut ille, qui posuit pecuniam, primo loco accipiat centum aureos, quos posuit pro capitali, & quod reliquum est dividatur, servata semper proportione, nisi aliter conventum sit inter socios, seu aliter ferat consuetudo loci, quia sors principalis, quæ sunt centum aurei in societatem collati, de jure communi pertinent ad eum, qui eam contulit, ut determinavit Sixtus V. Constitutione, quæ incipit: *Detestabilis avaritia*, ubi ait: *sortem, finita societate, si extat, restituendam esse illi, qui eam contulit.* Et ita tenent Angelus, Sylvester, Reginaldus, Auor. Navar. quos affert, & sequitur Bonacina *quæst.* 6. *punct.* 3. *num.* 3. Palaus *disput.* 8. *punct.* 3. *num.* 2. & cum Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 5.

Soto, Lessio, & aliis, Rosignol. *contr. 7. de societ. prænot. 15. num. 2.*

35. Ratio est, quia ille, qui solas posuit operas, nihil posuit in sorte, vel capitali; nam opera ab ipso posita, non est sors, sed fructus personæ, respondens fructui, & commoditati pecuniæ, quam alter contulit pro capitali; ac proinde non est æquum, ut, finitâ societate, participare debeat de capitali, cui nihil addidit, sed solum participare debet de lucro, juxta æstimationem laboris, & operum; secus qui posuisset pecuniam esset deterioris conditionis: si enim posuit centum aureos pro capitali, & lucrum esset ducentum aureorum, qui laborem, & operam posuit, haberet de lucro centum quinquaginta, alter vero, qui posuit pecuniam, haberet solum quinquaginta, quod durum, & iniquum videtur: sic ergo facienda erit divisio, ut prius extrahantur centum aurei reddendi domino, qui posuit pecuniam, & lucrum deinde proportionaliter dividatur, juxta majorem, aut minorem æstimationem laboris, & usus pecuniæ. Hoc enim modo servatur æqualitas inter socios, cum uni reddatur quod per pecuniam, & alteri quod per industriam comparavit.

36. Nec dici potest, quod ille, qui operas contulit, eas amittat, nam ex iis tantum lucrum reportat, quantum reportat ille, qui pecunias contulit. Quod si nullum sit lucrum dividendum, non proinde qui operas posuit censeri debet inferioris conditionis; si enim perdidit fructum suorum laborum, alter amisit fructum, & lucrum suæ pecuniæ, & sic sunt pares, nec unus est majoris, aut inferioris conditionis præ alio. Nec dicas: *qui ponit pecuniam in societate, illam communem facit cum altero socio, conferenti laborem, & operas æqualis æstimationis, ac proinde dividi debet inter illos.* Contra enim dico, pecuniam positam in societate fieri communem alteri socio, non quoad proprietatem, sed quoad usum, & commoditatem, de qua participare debet alter socius, remanente proprietate, & dominio apud illum, qui pecuniam posuit, cui etiam perit, si forte pereat, sive in totum, sive secundum partem, ut cum Trullench, Salonio, Lessio, Villalobos, & aliis docet Rosignol. *prænot. 15. num. 6.* & Bonacina *num. 9.*

37. Hinc sequitur, non esse licitum pactum, ut, finita societate, pecunia ab altero posita pro capitali, dividatur inter socios, nisi novo pretio compensetur, secus inæqualis esset conditio utriusque socii; nam unus præ alio magis gravaretur, ut supra dictum est, nisi aliquo modo compensetur, conferendo scilicet tribuenti pecuniam duas, aut tres partes lucri, ut colligitur ex *l. si non fuerint, in princ. ff. pro socio*, ibi: *Si vero placuerit, ut quis duas partes, vel tres habeat, alius vero unam, an valeat? & placet valere, si modo aliquis plus contulerit societati, vel pecuniæ, vel operæ, vel cujuscumque alterius rei?* ubi, ut vides, pactum cohonestatur, si excessus compensetur vel per majorem quantitatem pecuniæ, vel per operam magis meritoriam; ac proinde pactum appositum, ut pecunia posita pro capitali sit dividenda, erit licitum, si novo pretio, vel per operas superexcedentes compensetur, ut habet Rosignol. *num. 4.* ita etiam Bonacina *num. 10.* dicens, quod tanta potest esse industria, & opera alterius socii laborantia, ut mereatur divisionem pecuniæ capitalis, quæ, finita societate, integra perseverat, ut contingit aliquando in societate animalium, qua finita, animalia, quæ fuerant ad societatem adducta, dividuntur inter socios. Sic etiam Azor. Navar. Rebell. allati a Bonacina.

38. Quonam autem titulo possit lucrum recipere, qui pecuniam posuit in societate, cum pecunia sit infœcunda, & infructifera, dicendum est, licite posse lucrum recipere, eo quod pecunia, licet natura sua sit sterilis, arte tamen, & negotiatione potest fieri fœcunda, & apta fructificare. Cum ergo communi nomine utriusque socii exponatur negotiationi, uterque potest ab illa lucrum reportare. Rosignol. *prænot. 16.* Bonacina *n. 4.*

39. Quæres: *An ponenti pecuniam in societatem, ea finita, sit illi restituenda pecunia secundum valorem, quem habebat in principio societatis, vel quem habet in fine, si forte crevit, vel decrevit?*

Resp. Considerandum esse tempus, quo valor pecuniæ crescit: si enim crescat antequam ad merces comparandas sit exposita, vel antequam misceatur cum ceteris pecuniis societatis; tunc valor pecuniæ spectat ad illum, qui eam contulit, qui cum sit dominus talis pecuniæ, ipsi crescit, vel decrescit, & juxta hunc valorem in fine societatis est illi pecunia restituenda. Si vero crescat, vel decrescat postquam comparatæ sunt merces, vel postquam mixta est cum ceteris pecuniis societatis, ut amplius discerni nequeat; tunc incrementum, vel decrementum est commune omnibus sociis, qui simul habent dominium illarum mercium, & pecuniarum, quamvia propter pactum societatis initio factum, sit pecunia extrahenda, & reddenda apponenti, cui proinde restituenda est secundum valorem, quem habebat initio societatis.

DUBIUM V.

An licitum sit, salvo capitali, reportare lucrum ex societate per tres contractus unita.

40. Quamvis non sit licitum ex solo titulo societatis reportare lucrum, salvo capitali; nam hoc stare debet periculo exponentis, ut declaravit Sixtus V. Constitut. 45. incipit: *Detestabilis avaritia*, edita anno 1586. & habetur tom. 2. Bullarii Romani, ubi damnat tamquam usurariam pravitatem sapientes omnes contractus, conventiones, & pactiones, quibus cavetur, ne, durante societate, pars aliqua lucri reportetur, salvo capitali, cujus periculum stare debet penes alterum socium, qui salvum, & integrum restituere debeat, etiamsi casu fortuito pereat, vel illius omissio, & jactura sequi contingat; dubium tamen est: *An id fieri possit per alios duos contractus adjunctos, quorum altero ipsum capitale assecuretur, altero vendatur lucrum incertum pro alia minori parte certa, seu assecuretur lucrum aliquod certum, utraque assecuratione compensata per majus aliquod lucrum: & ita fieri solet* = Titius tradit mercatori pecuniam ad negotiandum, puta mille aureos, ineundo cum illo societatem, cum æquali participatione lucri, quod quotannis probabiliter speratur esse trecentorum aureorum, cujus lucri dimidium jure societatis, una cum sorte, seu capitali debetur contribuenti, & postea secundum init contractum, quo mercator in se suscipit periculum talis capitalis, se obligando ad illud restituendum integrum, & salvum; & pro tali assecuratione Titius relinquit mercatori majorem partem lucri sperati, ut duæ partes ad mercatorem assecurantem, & tertia ad Titium pertineat. Et quia spes hujus lucri est incerta, per tertium contractum vendit eidem mercatori centum aureos speratos pro quinquaginta aureis certis, & sic Titius lucratur quinque pro quolibet centenario; & sortem servat indemnem; sic etiam vitantur lites, & molestiæ rationum, & computorum.

41. Hunc modum assecurationis in contractu societatis damnant nonnulli ex antiquioribus Theologis, quia de ratione societatis est, ut socii sint æquales in lucro, & damno, & de utroque participent; qui autem vult solum participare de lucro, rejecto periculo damni in alium socium, non veram, sed simulatam contrahit societatem. Deinde, quia hic modus assecurationis resolvitur in purum mutuum; perinde enim est, ac tradere mercatori pecuniam cum obligatione eamdem sibi restituendi cum lucro, in quo consistit usura. Hunc modum assecurationis esse illicitum, & usurarium docent Sotus, Felicius, Aragon. Bannez, Rebellus, Azorius, & alii relati a Rosignol. *contract. 3. de mutuo, & usura disquisit. 6. §. 8. num. 3.*

42. Resp. talem modum assecurationis esse licitum, seu licite celebrari posse tres illos contractus, societatis, assecurationis capitalis, & venditionis incerti lucri, pro aliquo certo, seu assecurationis ejusdem lucri, quamvis fiant cum eadem persona, vel simul, vel successive. Sic enim colligitur ex *l. si non fuerint ff. pro socio*, ubi dicitur: *ita coiri societatem posse, ut nullam partem damni alter sentiat, lucrum vero commune sit, si tanti sit opera, quanti damnum est*; id est, *periculum damni subeundi*, ut explicat Glossa *ibidem* verb. *damnum est*. Idem habetur ex c. *Per vestras de donat. inter virum, & uxorem*, ubi Innocentius III. rescribit Archiepisc. Genuensi, ut, viro ad inopiam vergente, dos uxoris ab illo extrahatur, & deponatur apud aliquem mercatorem, ad securam negotiationem, ut ejus lucris onera matrimonii sustententur, quod utique fieri non potest, si mercator dotem securam non redderet, cum ob hoc Pontifex jubeat, illam auferri a marito, ut secura reddatur, & insuper lucrum certum promitteret ad onera matrimonii sustinenda, quod fieri non potest, nisi per triplicem contractum jam dictum.

43. Ratio est, quia tres illi contractus societatis, assecurationis capitalis, & venditionis lucri incerti pro minori certo, de se sunt liciti, nec usuram continent, si successive celebrentur cum diversis personis, ut concedunt etiam oppositam sententiam sustinentes; ergo etiam sunt liciti, & absque usura, si eodem tempore cum eodem celebrentur, cum id nullo textu prohibeatur, nec contrarium ulla ratione probari potest, quia, data semel æquitate contractuum, diversitas, seu identitas personarum, & temporum, impertinens est ad illos inficiendos, ut patet in contractu venditionis cum pacto retrovendendi, addito contractu locationis, quo res vendita locatur eidem venditori, qui licite celebratur etiam cum eadem persona. Et ita tenent Sylvester, Navarr. Mo-

Molina, Reginaldus, Covarr. Salonius, Manrica, Lessius, Funus, Tolet. quos affert, & sequitur Bonacina *disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 11. Lugus *disput.* 30. *sect.* 4. *num.* 40. Castro Palaus *disput.* 8. *punct.* 5. *num.* 3. Diana *par.* 2. *tract. de contract. resol.* 30. Homobon. *de exom. Eccles. part.* 2. *tr.* 9. *cap.* 14. *q.* 44. & alios referens Rosignol. *loc. cit. num.* 2. cum aliqua tamen limitatione, ut scilicet socius, cum quo inita est societas, non cogatur celebrare alterum contractum assecurationis, adeo ut secundus sit ratio formalis, seu conditio, sine qua primus non celebraretur, quia tunc imponeretur socio onus indebitum, & esset usura palliata.

44. Verum talis limitatio non est necessaria, sed licite, & libere potest, qui pecuniam confert, nolle societatem contrahere, nisi alter socius velit assecurare capitale, & convenire de lucro certo minori, per tres contractus supradictos, in quo nulla species usuræ, sive mutui palliati intercedit: nec onus indebitum imponitur socio, quia sicut venditor potest nolle vendere domum suam, nisi emptor ineat etiam pactum retrovenditionis, aut nolle vendere vinum, si alter nolit sibi vendere triticum: ita potest quis nolle contrahere societatem, nisi socius velit contrahere illos circa assecurationem sortis, & lucri, cum unusquisque sit liber ad contrahendum, vel non contrahendum in his, vel illis solum circumstantiis, ut cum Molina, & Lessio tenet Lugus *cit. disp.* 30. *num.* 46.

45. Nec urget ratio in contrarium allata; nam licet ex contractu societatis lucrum, & damnum debeat esse commune inter socios; tamen qui in se suscipit onus assecurationis, & promittit lucrum aliquod certum, hoc non facit titulo societatis, sed ex duplici alio contractu adjuncto, quibus lucrum abundantius ex societate speratum reportat. Nec talis modus assecurationis resolvitur in purum mutuum, quia dominium sortis non transit in socium, ut de illo libere disponere valeat, ut requiritur ad mutuum, sed recipit, ad effectum dumtaxat negotiationis, remanente dominio, & periculo sortis apud conferentem, nisi per alium contractum distinctum assecuretur, compensato periculo cum abundantiori lucro sperato, ea ratione, qua dominium non transfertur in depositarium, & commodatarium, qui rei depositæ, aut conductæ periculum in se suscipiunt *C. un. de commod.* & *l.* 5. *ff. depositi*, nec per hoc ostium usuris aperitur, sed via ostenditur, qua quis possit lucrum reportare cum minori periculo; nam periculum aliquod semper adest, etiamsi fiat societas salvo lucro, & capitali, cum sæpe contingat, societatem dissipari, socios depauperari, cedere foro, & impotentes fieri ad restituendum, ut cum Lessio notat Palaus *num.* 4.

46. Nec item urget in contrarium dispositio Sixti V. quia, ut habet Lugus *cit. disp.* 30. *num.* 37. plures alios referens Sixtus V. de sensu dictæ Bullæ interrogatus respondit, sed solum voluisse in ea prohibere contractus injustos, & conventiones solitas societatibus apponi, quas classici Doctores condemnarent, non autem eas, quas iidem approbarent. Accedit Rota in *una decis. Romana societatis die* 3. *Junii* 1602. coram Coccino, ubi censuit, dictam Bullam comprehendere solum casus usurarios de Jure communi, additis tamen majoribus pœnis, ut habet Lugus *loc. cit.* solum ergo prohibetur, ne periculum sortis ex vi contractus societatis sit apud illum, qui pecuniam suscipit; non autem prohibetur, quod dicto contractui non possit apponi alius contractus assecurationis pecuniæ, mediante pretio, quia in hoc nulla apparet injustitia, sed est quid consonum Juri naturali, quod Pontifex non prohibuit.

,, *Haud erit inutile ea omnia percurrere, quæ in Synodo Diœcesana lib.* VII. *cap.* 50. *in contrarium adducit prælaudatus Pontifex Noster, quibusve argumentis, atque auctoritatibus contrariam fulciat opinionem consulere, quæ omnia ad uberiorem Lectoris eruditionem hic ad litteram sic exponuntur* =

,, 1. Postquam Clericis ab omni, etiam in se licita negotiatione proprie tali, omnino abstinendum diximus, indagandum restat, an Laicis inire liceat contractum societatis, cum *assecuratione* (ut ajunt) *Capitalis, & fructuum*, quem etiam *Contractum trinum* appellant, quidque de illo ab Episcopo decerni queat est iudicandum. Contractus societatis generatim acceptus, *est duarum, vel plurium conventio contribuendi ad commune lucrum, & damnum, secundum proportionem rerum contributarum*; potest autem contribui, vel pecunia, vel opera, seu industria, vel instrumentum, puta Navis, Equus, Animalia &c. eaque debent ad negotiationem destinari: nulla quippe, nisi ficta, potest esse societas, ubi nulla ex rebus a sociis collatis instituitur negotiatio, ex qua lucrum sperari queat. Ut autem societas justa sit, sicuti lucrum, ita & periculum, ac damnum debet, secundum eamdem proportionem, esse singulis sociis commune; nam, ut ait Ulpianus *in leg.* 29. *ff. pro socio, si alter lucrum tantum, alter damnum sentiret*, societas diceretur *Leonina*, ab apologo leonis, qui absque ullo sui periculo, aliarum ferarum venationis particeps esse voluit.

,, 2. Ad ejusmodi vero periculum evitandum, atque unum ex sociis solius lucri participem, ejusque securum reddendum, hic incundæ societatis modus est adinventus = Titius init contractum societatis cum Sempronio mercatore, cui mille aureos tradit, e quibus probabiliter sperat, se centum, & triginta lucraturum; sed metuens Titius, ne una cum sperato lucro, etiam Capitale amittat, alium contractum init cum eodem Sempronio, cui condonat sexaginta aureos sperati lucri, ut, qualiscumque sit futurus negotiationis exitus, ipsi caveat de securitate Capitalis mille aureorum; rursusque secum reputans Titius, melius sibi fore, aliquod moderatum lucrum, sed certum habere, quam pinguius, seu incertum expectare, tertium contractum cum eodem Sempronio init, quo eidem remittit alios viginti aureos sperati lucri, ut quinquaginta residuos ei solvat, sive negotiatio bene, sive male succedat. Obstringitur itaque hisce contractibus Sempronius ad reddendum Titio, intra certum tempus, integram sortem, id est summam mille aureorum salvam, & quinquaginta insuper aureorum incrementum.

,, 3. Hic porro est trinus ille contractus, quem celebrem fecit exorta inter Dominicum Sotum, & Martinum Navarrum discordia: putabat nimirum Navarrus, tres prædictos contractus simul, & cum eadem persona, tuta conscientia iniri posse, atque ab usuraria pravitate immunes esse, ob rationes, quas adducit *in suo manuali, cap.* 17. *num.* 254. & *seqq.* Sotus ex adverso asserebat trium illorum contractuum conjunctionem degenerare in mutuum fœneratitium, & societatis leges, quæ lucri, damnique communionem exposcunt, evertere, suamque assertionem pluribus propugnabat argumentis, quæ videri possunt *in ejus opere de justitia, lib.* 6. *quæst.* 6. *art.* 2. Caussa delata est ad Sixtum V. Pont. Max. qui diligenter quæstione discussa, duplicis securitatis pactionem societati adjectam, usurariam pronunciavit, eamque deinceps fieri prohibuit, sua Constitutione 68. quæ incipit *Detestabilis*, edita anno 1686. (*tom.* 4. *part.* 4. *Bullar. pag.* 263.)

,, 4. Et nihilominus nondum caussa finita est: siquidem plures, & non obscuri nominis posteriores Theologi trinum contractum ab omni usuræ reatu absolvunt, & licite etiam nunc fieri posse defendunt, inter quos Covarr. 3. *var. c.* 2. *n.* 3. Lessius *lib.* 2. *de just. c.* 25. *dub.* 3. *n.* 24. Franc. Garcia *de contract. par.* 2. *c.* 67. Card. de Lugo *de just. & jur. disp.* 30 *sect.* 4. Gibalin. *de usur. lib.* 6. *c.* 3. *art.* 4. Salmanticenses *tom.* 3. *curs. moral. tr.* 14. *c.* 3. *punct.* 2. §. 2. Bonac. *de contr. disp.* 3. *p.* 11. *n.* 2. Vanroy *part.* 3. *tr. de contract. cap* 6. *q.* 50. Neque his negotium facessit contraria Constitutio Sixti V. ajunt enim, Cardinales Toletum, & S. Severinæ, quibus concinandæ Constitutionis cura fuerat a Pontifice commissa, testatos esse Patri Stephano Tuccio, Societatis Jesu, Sixti mentem fuisse, damnare dumtaxat conventiones, & pacta, quæ in se injusta, illicita, & usuraria forent, non vero quæ omni usura vacare probarentur, quod refert Comitolus *respons. moral. lib.* 3. *quæst.* 12. *nu.* 3. hisce verbis: *Cardinalis Toletus, & Cardinalis S. Severinæ, quibus munus mandatum fuit a Sixto V. componendæ legis, seu Bullæ,* Detestabilis, *affirmarunt Patri Stephano Tuccio Theologo Societatis Jesu, ut is datis ad me litteris testatus est, noluisse Sixtum sua lege prohiberi, nisi injustos societatis contractus; quare qui ante legem latam justi erant, post latam quoque licere.* At ante legem a Sixto latam, pergunt præfati Doctores, injusta, & usuraria erat societas, in qua periculum capitalis, & lucri rejicitur in alium socium, virtute solius contractus societatis; non autem, quæ vi duorum, qui societatis superadduntur, unum socium securum reddit capitalis, & alicujus partis lucri. Hic quippe hanc securitatem emit ab altero socio, qui libere, & sponte ad eam se obligat, &, tamquam præstitæ cautionis pretium, assequitur illud longe majus lucrum, quod primus, ex collata in negotiatione pecunia, probabiliter sperare posset. Ita pariter sensisse addunt celebrem Romanæ Rotæ Auditorem Joannem Baptistam Coccinum *in una Romana Societatis* 3. *Junii* 1602. cujus sententiam idem sacræ Rotæ tribunal constanter tenuit, pluribusque confirmavit decisionibus, in quibus ratum habuit contractum trinum.

,, 5. At præfatis Doctoribus contradictores se præbent Genetius *Theolog. moral. tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 14. Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. edit. Paris. tom.* 8. *cap.* 7. *artic.* 5. *regul.* 23. Auctor *dissert. edit.*

Lugdu-

„ *Lugduni anno* 1673. *de usuraria trium contractuum pravitate*, Aurelius Pierre *tom.* 4. *de contract. q.* 4. §. 2. Saintebeuve *cas.* 185. *tom.* 2. *resol.* Auctor *Theol. mor. ad usum Seminarii Petrocorensis*, *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 8. Gabriel Antoine *tom.* 3. *tr. de contract. cap.* 8. *q.* 3. Continuator *prælect. Tournely*, *p.* 2. *de contract. cap.* 4. *art.* 1. & nuper Daniel Concina in opere, cui titulus: *Usura contractus trini dissertationibus Historico-Theologicis demonstrata*, aliique, quibus absonum videtur opinari, Sixtum V. in Constitutione, quam edidit ad terminandam controversiam inter Sotum, & Navarrum, summa contentione agitatam, circa illum contractum trinum, de quo in præsens est sermo, verbis lusisse, & quæstionis nodum non solum non solvisse, sed ne attigisse quidem. Ea assertione autem Cardinalium Toleti, & S. Severinæ, aliud non inferri autumant, nisi quod Sixtus noluerit legem novam rogare, sed contractum proscribere, quem deprehenderat jam in se turpem, & usuræ labe fœdatum. Equidem cum tempore Clementis VIII. compilandus esset liber septimus Decretalium, fuit dubitatum, an illi inferenda foret prædicta Sixtina Constitutio, atque in Congregatione habita die 12. Novembris 1593. deliberatum, non esse inserendam, eo quod nihil novi in ea decernatur, sed contractus reprobetur ut se fœneratitius, jam a jure communi proscriptus, sicuti colligitur ex Actis Congregationum, ea super re habitarum, quæ asservantur in archivio Arcis Sancti Angeli. Quod autem contractus trium contractuum sit in se fœneratitius, evidenter patere, prædicti Auctores arbitrantur: quoniam conferens pecuniam, rejecto periculo in accipientem, censetur mutuum dare, & pecuniæ dominium in eumdem accipientem transferre, cui reipsa perit, si pereat. Neque ad rem facere videtur, quod accipiens pecuniam obligetur ex pacto, ad eam erogandam in negotiationem, quod non contingit in vero mutuo, cujus ratione ita mutuatarius fit dominus acceptæ pecuniæ, ut eam pro suo libito, in quemcumque usum impendere valeat. Etenim ea pactio, & inde orta obligatio videtur apparens, atque unice apposita ad obtegendam usuram, quia revera nihil interest ejus, qui pecuniam tradit, habita cautione, & pecuniæ, & lucri, an illa ab accipiente, in negotiationem, vel in alium quemcumque usum impendatur. Addunt præterea trini contractus obtentu, omnes leges eludi, usuras prohibentes, cum petenti mutuum quilibet respondere possit: nolo mutuum dare, sed societatem tecum inire, sub pacto, ut me de sorte securum facias, & ob majus lucrum, quod ea negotiatione probabiliter spero eventurum, aliquod minus, sed certum, mihi tradendum promittas. Sciunt sane, etiam hunc contrahendi modum approbari a Navarro *cit. loco* n. 255. at non ita sensisse clamitant Gregorium IX. *in c. Naviganti, de usuris*, cum ait: *Naviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus*. Siquidem (inquiunt) si Pontifex *fœneratorem* pronuntiavit, qui non aliter pecuniam vult mutuam dare Mercatori maritimo, quam subeundo ejusdem pecuniæ periculum, ut hac ratione, aliquid ultra sortem, a mutuatario percipiat, quemadmodum prædictum Textum expendentes adnotarunt S. Antoninus 2. *p. c.* 7. §. 21. *tit.* 7. Sylvester *V. Usura* 1. §. 35. Molina *de contract. disp.* 318. n. 1. & Gonzal. *in eod. c. Naviganti*, *n.* 8. multo magis usurarius erit, qui non aliter vult societatem inire, nisi rejecto in locium sortis periculo, & accepta insuper ab eo securitate alicujus lucri. Neque vero audiendos volunt Auctores relatos a Gibalino *de usur. l.* 2. *c.* 4. *art.* 3. n. 23. existimantes in allegatum Textum irrepsisse mendum, & legendum, *usurarius non est censendus*; huic quippe explicationi, teste eruditissimo Gonzalez *ibidem num.* 7. *in fin.* repugnat omnium codicum fides, in quorum nullo invenitur particula *Non*, sed Textus legitur, sicuti habetur in vulgata Decretali.

„ 6. Hæc sunt præcipua rationum momenta, quæ in utramque partem adducuntur. Neque Apostolica Sedes priori opinioni, etsi minus congruere videatur Sixtinæ Constitutioni, ullam hactenus censuram inussit, a qua proinde eidem infligenda debet Episcopus abstinere. Ad usum vero quod attinet, toto poterit contractum trinum, quem etiam ejusdem Patroni periculosum fatentur, pro viribus impedire, atque ab eo ineundo suos subditos dehortari, quod a plerisque Episcopis in suis Diœcesanis Synodis sapientissime factum, referunt cit. Genett. *tom.* 1. *tr.* 4. *c.* 14. & Natal. Alexand. *ep.* 94. *in appendic. ad tom.* 2. *suæ Theolg. moral.*

47. Non est tamen necesse, quod dicti contractus celebrentur expresse, sed etiam tacite, & æquivalenter possunt celebrari cum intentione implicita; ut quando quis pecuniam tradit mercatori, ut solvat singulis annis quatuor, vel quinque, salvo capitali, modo licito, & eo modo, quo Doctores dicunt, id fieri posse; nam intentio implicita libera idem operatur quod expressa, *arg. l. cum quid mutuum ff. cum certum petatur*; & hac ratione excusantur viduæ, & pupilli, qui suas pecunias tradunt mercatoribus, cum pacto accipiendi quinque pro centenario, ut notat Diana *dict. resol.* 30. & cum Navar. Valent. Reginald. & Dicastillo tenet Anton. a Spiritu S. *disp.* 25. n. 1251. sequitur Bonacina *punct.* 11. n. 3. Requiritur tamen, quod dictus contractus fiat cum mercatore, seu cum persona, quæ revera cum illa pecunia negotietur, alias esset usura palliata, cum non adsit contractus societatis, sed mutui, ut cum Navarro, Rebell. & Reginald. docet Bonacina, & tenet Antonius a Spiritu S. *l. c.*

48. Quod si mercator, accepta pecunia, postea non negotietur, adhuc poteris lucrum recipere, si bona fide dedisti, putans ipsum negotiaturum, quia per accipientem stat, quod non negotietur, & non observet contractum societatis initum, quem observare debet, & potest, cum sit negotiator, & pecuniam acceperit ad negotiandum. Non poteris tamen lucrum accipere, si pecuniam dedisti non negotiatori, sed indigenti ad suum victum, vel ad solvenda debita, vel quibus prohibitum est negotiari, quia tunc non est vera, sed ficta societas, resolvitur in purum mutuum, estque usura palliata.

49. Quæres: *An qui societatem cum uno celebravit, suasque operas ad commodum talis societatis obligavit, aliam possit inire societatem, & se, suasque operas illi obligare?*

Resp. affirmative, si æque bene, & sine incommodo sociorum possit utrique satisfacere. Ratio est, quia tunc nullam facit injuriam sociis primæ societatis, quod verum est, etiamsi promisisset, se alteram non contracturum societatem, quia censetur, se solum voluisse obligare societati, quatenus opus est, ne societas damnum patiatur. Si autem illa damnum patiatur, peccat, & tenetur ad restitutionem omnium damnorum, si quæ exinde sociis prioris societatis obveniant; facit etiam contra justitiam, non servando pacta ipsis promissa, cum illorum damno, ut cum Molina *disp.* 419. Rebell. *lib.* 10. *q.* 8. *num.* 4. docet Bonac. *disp.* 3. *q.* 6. *punct.* 1. n. 4. quod idem valet de famulis, & aliis operariis ab uno conductis, qui non possunt aliis inservire cum præjudicio prioris domini; secus tenerentur illi ad restitutionem damni illati, cum ex vi contractus conductionis teneantur huic fideliter deservire, & damna illius avertere. Addit ibidem Bonacina, socium contra pacta societatis negotiantem alio genere mercis, aut alio loco, aut alio tempore, teneri ad restitutionem damni, si quod inde obvenerint societati, nam facit contra justitiam, non servando pacta cum damno sociorum; posse tamen retinere lucrum, quod acquisivit negotiando proprio nomine, quamvis contra pacta societatis, quia sibi lucrum acquirit, cum agat proprio nomine, non vero nomine societatis.

DUBIUM VI.

De Contractu societatis circa Animalia.

50. Pluribus modis animalia, oves, boves, armenta, & pecora tradi solent colonis, & pastoribus; nimirum titulo venditionis, dilata solutione, la tenda in pecunia, aut fructibus pecorum, & armentorum, lacte, caseo, lana, vitulis: titulo locationis, remanente dominio apud eum, qui tradidit: aut titulo custodiæ, constituta parte fœtorum, vel certa pecunia pro tali custodia; qua ratione custos locat suas operas pro grege custodiendo, remanente dominio, & periculo apud conductorem operum; vel etiam ut meliora efficiantur, & facta meliora, ut sint utrique communia, & pretium, quod ex venditione exigitur, æqualiter dividatur inter dominum, & colonum: qui modi, quia sæpe confunduntur, confusionem pariunt, & fraudibus occasionem præbent.

51. Traduntur etiam per modum veræ societatis, quæ ita potest iniri, ut singuli socii conferant ad æqualitatem animalia, puta boves, aut oves, laborem, & industriam, quæ dicitur societas ejusdem rationis, & ex illa lucrum, & damnum debet esse commune, vel potest esse diversæ rationis, quando unus confert animalia, & alter laborem, & custodiam, suntque servandæ conditiones positæ pro societate negotiationis supra *n.* 6. Primo enim debet unusquisque sociorum aliquid conferre in societatem, sive deinde conferat animalia, sive laborem, & custodiam, cum hæc sit conditio societatis,

ut unusquisque sociorum aliquid conferat in commune. Secundo debet servari æqualitas inter socios, adeo ut lucrum, expensæ, & damna sint omnibus communis, id est lucrum, & damnum dividatur inter socios arithmetice, id est æqualiter, sive geometrice, servata proportione, seu pro rata ejus, quod quisque contulit in societatem.

52. Tertio requiritur, ut animalia stent periculo apponentis, ut si casu fortuito, & sine culpa alterius pereant, pereant apponenti, qui semper dominium retinet istorum animalium expositorum. Res autem quælibet domino suo perit, quod quidem intelligi debet, si periculum animalium in totum, vel in partem non sit rejectum in alterum; nam in societate animalium non minus, quam in societate negotiationis periculum animalium rejici potest in alterum, non quidem ex vi societatis, sed alterius contractus assecurationis, facta gravaminis compensatione. Potest enim, qui gregem centum ovium alteri pascendum tradit, cum eodem inire pactum, ut capitale semper integrum maneat, supplendo si quid perierit, & propterea quotannis aliquid certum solvat pro fructibus, facta tamen talis gravaminis compensatione, ut dixi *dub. præcedenti* de tribus contractibus simul cum eodem celebratis, & ita cum Sylvestro, Navarr. Reginaldo, & Salonio tenet Bonac. *q.6. part.5.n.2.* Palaus *disp.8.punct.6.* Antonius a Spiritu S. *disp.25.sect.5.n.*1261. Rosignol. *prænot.26.n.9.* Socius, qui operas, & custodiam ponit, tenetur dolo, lata, & levi culpa, saltem pro foro externo, ut supra diximus *n.42.*

53. Hinc sequitur, illicitam esse societatem, qua quis pastori tradit centum oves, ut eas custodiat, & pascat, cum tali pacto, ut semper conserventur in eodem numero, &, si quæ perierint, suppleatur numerus ex fœtibus dictarum ovium, & quæ supersunt in finem anni æqualiter dividantur inter socios, quia non servatur æqualitas in contractu societatis necessaria, si pastoria industria, & labor æqualiter æstimetur cum ovibus ab altero positis, & consignatis, quia cum sint pares in societate, pastor debet æqualiter participare lucrum, nec tenetur subire periculum animalium, nisi justa mercede compensetur; potest tamen tale pactum justificari, si periculum animalium sit apud consignantem, ut ipsi pereant, si casu fortuito pereant, non pastori, quia tunc conservare oves in tali numero est etiam beneficium commune, ut docet Sylvester *verb. Societas 2. quæst. 9. §.2.* Angel. *eod. verb. 2. num. 3.* quos sequitur Azor. *par. 3. lib.9. cap.7. qu.11.*

54. Illicita similiter est societas, qua quis Pastori tradit oves pascendas, & custodiendas tali pacto, ut si pereant, æqualiter pereant apponenti, & recipienti; si vero non pereant, capitale detur apponenti, fructus vero æqualiter dividantur, quia non servatur æqualitas; nam capitale stare debet periculo apponentis, nisi interveniat contractus assecurationis, aut nisi conferens animalia faciat alterum socium condominum animalium, tali pacto, ut damnum, & periculum animalium sit commune, sicut commune est lucrum, & capitale, quia tunc illud periculum, quod subit pastor oves recipiendo, in parte compensatur cum æquali, & proportionata spe commodi in divisione eorum, si non pereant, ac proinde sentire debet incommodum, si pereant. Lugus *disp.30. n.26.* Bonacina *disp.3. q.6. punct.5. n.5.* Azor. Salonius, & Molina quos affert, & sequitur Rosignol. *prænot. 26. num.10.*

55. Contractus, quo quis tradit alteri animalia ad societatem tali pacto, ut lucrum sit commune, sed quod socius nihil lucri accipere possit, donec animalia fuerint restituta, ut scilicet ex fœtibus, & fructibus prius extrahatur capitale restituendum apponenti animalia, deinde quod superest æqualiter dividatur, approbatur a Bonacina *punct.5. num.4.* quia contrahentes æquali periculo videntur expositi: sed melius ab aliis damnatur, ut illicitus, ob non servatam æqualitatem; nam in eo casu conferens animalia habet suum capitale salvum, & integrum, & recipientes animalia sæpe laborem, & operas amitterent, in quo consistit inæqualitas talis contractus, ut cum Sylvestro, Tabiena, & Azorio tenet Rosignol. *num. 11.*

56. Quando quis alteri tradit animalia æstimata putat Sylvester *verb. societas 2. qu.6. §.5.* non celebrari contractum societatis, sed venditionis, & animalia sic æstimata censeri vendita, quia æstimatio venditionem facit, *l. æstimatæ ff. soluto matrimonio*, & *l. plerumque ff. de jure dotium*: quod verum puto, si eo fine, & pacto fuerunt æstimata, ut in quocumque casu animalia pereant casu fortuito, & sine culpa animalia recipientis, teneatur iste pretium restituere, aut alia animalia æqualis valoris; in hoc enim casu animalia censentur vendita, quia illorum dominium transfertur in recipientem, cujus periculo stant ipsa animalia, & in hoc sensu æstimatio facit venditionem, juxta *l. æstimatæ ff. soluta matrimonio*. At si animalia æstimentur simpliciter, non erit contractus venditionis, sed societatis; siquidem æstimantur solum, ut casu, quo pereant culpa, & dolo recipientis, sciatur pretium, quod restitui debet, quod tamen non est restituendum, si casu pereant sine culpa recipientis, ut cum Azor. Reginald. & Molina tenet Bonacina *punct.5. num.6.*

57. Socius, cujus culpa animalia, simpliciter æstimata, perierunt, tenetur ad restitutionem illorum, non secundum valorem, quem habebant tempore traditionis, & æstimationis, sed juxta valorem, quem habent tempore amissionis, seu læsionis, quia tam incrementum, quam decrementum spectat ad ipsum dominum, cum apud ipsum sit etiam dominium, nisi aliud in pactum justum deductum sit. Nec dicas: *in contractu societatis, si pecuniæ valor crescit, non ipsi apponenti, sed omnibus sociis, seu toti societati crescit; ergo etiam, si crescit valor animalium, crescere debet societati*: Sed contra dico, magnam esse disparitatem, quia dominus animalium est is, qui ea apponit, & sic ad ipsum spectat incrementum, vel decrementum animalium; at pecuniæ valor postquam fuit distracta, vel ita commixta cum aliis pecuniis societatis, ut discerni nequeat, spectat ad societatem, ut supra dictum est. Ita cum Bonacina tenet Tambur. *lib. 9. tractat. 8. cap. 11. anmer. 8.*

58. Inde sequitur, illicitam esse societatem, qua quis tradit alteri duas vaccas tali pacto, ut, finita societate, lucrum sit commune, & æqualiter dividatur; pretium autem vaccarum tradatur apponenti juxta valorem, & æstimationem; quam habebant tempore traditionis, nisi gravamen justa mercede compensetur, ut cum Rebell. *qu.6. num.6. & qu.8. num.3.* tradit Bonacina *supra n.9.* & cum Trullench, Rebell. & Dicastillo tenet Ant. a Spiritu Sancto *disp.25. num.1263.*

DUBIUM VII.

De Societate Officiorum.

59. Societas officiorum, seu, ut vulgo dicitur, *a Compagnia d'officio*, satis communis, & usitata est in Curia Romana, ubi quædam dantur Officia vendibilia, & vacabilia, ut sunt officia Notariorum, Protonotariorum, Abbreviatorum, Equitum S. Petri, & alia similia, quæ suos habent reditus, & emolumenta, & juste venduntur ad vitam emptoris, non transeunt ad heredes, nec ad alios, sed, mortuo officiali, vacant, & remanent in manibus Papæ, nisi officialis ante mortem per dies quadraginta renunciaverit alteri tale officium; & quia nonnunquam officialis non habet totam pecuniam necessariam pro emptione talis officii, admittit socium cum participatione fructuum pro rata pecuniæ collatæ in societatem; & hoc dupliciter fieri solet, primo in ipsa emptione officii, quia officialis non potest totum emere suis pecuniis, & sic plures simul conferunt pecuniam pro emptione talis officii, quod licet in uno solum sit, ejus tamen fructus pro rata dividuntur. Secundo, postquam emit, quia sæpe indiget pecunia, cujus bonam summam expendit in emptione officii, ideo admittit alios socios, vendendo illis partem fructuum talis officii, & quamvis sint plures socii, unus tamen est vere officialis, quo mortuo, cessat officium.

60. Inter hujusmodi socios eadem proportio servari solet, qualis est officialis ad proprium officium, unde, sicut moriente officiali, cessat officium, & Pontifex lucratur pretium, quod officialis dedit pro illius emptione, ita pariter, moriente socio, officialis lucratur quod illi socius dedit; modo tamen socius moriatur morte naturali, non violenta, non vi, ferro, nec veneno, seu quocunque alio modo violenter ab homine inflicta. Sicut autem, vivente officiali, si officium extingueretur, restituenda esset illi pecunia, quam in illius emptione dedit, ita si moriatur officialis, vel desinat esse talis, reddenda est socio sua pecunia, pro qua officialis dare debet fidejussorem. Durare solet hæc societas ad sex menses, & successive ad beneplacitum ambarum partium, si autem unus velit recedere, & rescindere societatem, debet per quindecim dies ante alterum admonere cum diffidia. Praxis, qua hujusmodi societas celebrari solet, & formula instrumenti per extensum refertur a Lugo *disp. 30. sect.5. num.53.* & a Patre Rosignol. *contract. 7. prænot.21. nu.1.* ubi etiam refert per extensum Constitutiones, Pauli IV. & Pii IV. omissa illa Leonis X. quam dicit non invenisse in Bullario inter Constitutiones ejusdem Pontificis.

61. Talis contractus societatis est licitus, si debitæ serventur conditiones, quarum prima est, ut officium vere existat, id est non fundetur societas super officio non existente, seu deperdito; alias resolvitur in purum mutuum, cum talis societas non sit fundata in re fructifera,

ex

ex qua fructus percipi possint, prout requiritur ad contractum societatis officii, in qua admittitur socius ad participandos fructus ejusdem officii: nec potest subsistere contractus sine proprio ipsius subjecto, in quo radicatus, ut habet Rota in una Romana *societatis* 29. *Januarii* 1601. coram Card. Melino, ubi *nu.* 17. dicit, contractum societatis sine officio esse usurarium, & ita decisum fuisse in pluribus Tribunalibus, adhibito etiam Theologorum consilto, & etiam Congregatione ad istum effectum a Pontifice instituta, cui interfuerunt quinque Cardinales, tres Auditores Rotæ antiquiores, & tres Theologi, prout refert Pater Rosignol *prænot.* 19. *num.* 4.

62. Nec dicas, *sustineri censum vitalitium super solo vitæ periculo absque alio fundamento fructifero; ergo pariter sustineri potest societas fiat officio, super solo periculo vitæ*. Sed contra, quidquid sit de censu vitalitio mere personali, de quo diximus alibi, non valet eadem paritas; nam societas officii est jus percipiendi fructus ex officio alterius: non possunt autem percipi fructus, quando officium non existit, vel fuit extinctum, aut subhastatum a creditoribus.

63. Si autem Titius tradat Cajo nullum officium habenti centum tali pacto, ut si ipse Titius vixerit ad sex menses, Cajus solvat centum, & sex; si autem ante sex menses moriatur, Cajus nihil reddat, sed centum sibi acquirat, non erit contractus societatis, cum deficiat fundamentum societatis lucrativæ, scilicet officium, ex qua fructus percipiantur, sed erit contractus innominatus *do, ut des*, & contractus sortenæ, ac genus quoddam sponsionis, quod justificatur ratione periculi lucrandi, & perdendi, cui uterque remanet expositus, si lucrum sit moderatum, & proportionatum periculo, ut latius explicat Lugus *dicta disp.* 30. *a nu.* 60. ubi advertit, quod licet ex natura sponsionis solutio non debeatur ante conditionis adventum, non est tamen contra ipsius naturam, si ab initio ante conditionis adventum fiat solutio, si aliunde non reddatur injusta, sicut non est contra naturam emptionis anticipata solutio pretii, licet non debeatur ante traditionem rei venditæ, solumque cavendum est, ne ratione anticipatæ solutionis lucrum aliquod accipiatur.

64. *An vero talis societas fundari possit in officio non proprio, sed commodato?* Negat Castracanius *de societ. offic. cap.* 5. dicens, talem societatem esse usurariam, sed licitam ob consuetudinem Curiæ Romanæ. Sed melius alii affirmant, quia sicut potest quis suum fundum alteri accomodare pro constitutione census, ut scilicet in eo constituatur census, ad commodum alicujus tertii, sic poterit commodare alteri suum officium, & concedere, ut in eo societatem quis contrahere possit; unde talis societas non est usuraria, nec ideo licita, quia est de consuetudine Romanæ Curiæ, ut volebat Castracanius; si enim de se, & ex natura sua esset usuraria, non posset ex tali consuetudine reddi licita. Sic Azor. *lib.* 9. *cap.* 8. *qu.* 3. Filliuc. *tom.* 2. *tr.* 38. *cap.* 6. *n.* 111. nec in re dissentit Lugus *disp.* 30. *nu.* 55. qui tamen advertit, in rigore societatem in officio commodato non fieri inter dantem, & accipientem pecuniam, sed inter officialem commodantem officium, & illum, qui pecuniam tradit tertio, puta si Titius pecuniam accipiat a Cajo super officio sibi commodato, societas contrahitur inter officialem, & Cajum, Titio se obligante ad conservandum officialem indemnem ob societatem initam cum Cajo in gratiam sui, & hoc modo poterit etiam explicari, & intelligi Rosign. *prænot.* 20. *n.* 5. negans, societatem licite contrahi posse super officio commodato.

65. Nota cum Lugo *num.* 64. hunc contractum ad commodum tertii dupliciter fieri posse: primo, si Titius indigens pecunia petat ab officiali, ut accipiat a Cajo mille, ad societatem sui officii cum obligatione solvendi 12. pro centum in anno, sed Titius deinde accipiat illam pecuniam ab officiali, se obligando ipsum servare indemnem, solvere illa 12. in anno, & etiam capitale, casu quo reddendum sit, qua ratione totum periculum, & damnum est penes Titium, ad quem etiam pertinet lucrum capitalis, si Cajus intra semestre moriatur. Secundo, si Titius immediate pecuniam accipiat a Cajo in societatem officii ad hunc effectum sibi commodati, quod dici solet, fundari societatem super officio *Vetturino*, & utrumque modum asserit esse valde usitatum.

66. Dubitatur: *an hujusmodi officium debeat esse vacabile, vel possit esse perpetuum? an scilicet constitui possit societas super officio perpetuo, & non vacabili?*

Resp. affirmative, quia talis societas est jus percipiendi fructus ex officio alieno, quod quidem jus stare potest, sive tale officium sit vacabile, sive perpetuum, dummodo sit fructiferum, & reddat fructus congruos: & habet rationem census redimibilis, cum ab officiali vendantur, & a socio emantur reditus officii venalis, & fructiferi, ad quos percipiendos datur jus, donec redimantur, vel habebit rationem census vitalitii, si fructus emantur ad vitam ementis, servatis debitis conditionibus, & proportione inter fructus, & pecuniam collatam pro tali emptione. Sic Rosign. *prænot.* 23.

67. Verum r[illegible] est, quod societas super officio non vacabili non erit ejusdem rationis, seu celebrari non potest cum iisdem conditionibus, cum quibus constituitur super officio vacabili: quia in societate super officio vacabili datur periculum [illegible] parte officialis restituendi socio capitale, pereunte officio, & ex parte socii datur periculum amittendi capitale, si præmoriatur. Si vero societas constituatur super officio perpetuo, cessat periculum ex parte officialis, cui officium perire non potest, non autem cessat ex parte socii, si præmoriatur, vel societas fiat ad instar census vitalitii; unde non possunt fructus esse æquales in utraque societate, sed majores, aut minores, prout adest majus, aut minus periculum, ut allatis Romanæ Rotæ decisionibus, tenet Rosign. *dict. prænot. n.* 3.

68. Secunda conditio est, ne officialis plures socios, nec majorem summam pecuniarum accipiat, quam ferant reditus talis officii; nam licet Paulus IV. prohibuerit, ne ultra dimidiam officii æstimationem quis contrahere posset, hoc tamen fuit revocatum a Pio IV. & concessum, ut juxta valorem officii contrahi possint societates: hoc tamen adjecto, ut officialis requisitus a socio, seu ab illo, qui societatem contrahere cupit, quantum habeat gravatum officium ex aliis societatibus, sincere veritatem aperiat, & negando gravamen vel in totum, vel in partem, eo ipso privatur officio, sine ullo tamen detrimento creditorum, quibus tam ipse, quam fidejussores satisfacere coguntur. Quod quidem æquissimum, & justum est, ac necessarium ad vitandas fraudes, & deceptiones; secus posset quis vendere fructus, quos non habet, & societates fictas absque fundo contrahere; nam illa societas, quoad excessum supra valorem officii perinde est, ac si esset sine officio, ac proinde falsa, & usuraria, ut ponderatum fuit a Rota Romana *in una Romana societ.* 29. *Januarii* 1601. *coram Card. Melino*, & in alia *Foroliviensi societ. lunæ Januarii* 1614. *coram Damasceno*. Quare ad usuras fugiendas, & vitandas præceptum est, ut officium, super quo contrahenda est societas, vere existat, & societates non contrahantur, nisi juxta valorem officiorum, ut etiam tenet Rosign. *prænot.* 19. *n.* 5. & *prænot.* 20. *n.* 5. & expresse constat ex Constitutione Pii IV.

69. Dubium solum est: *an officii valor, & pretium attendi, & considerari debeat de tempore, quo fuit emptum, an prout valet tempore, quo contrahitur societas?* Sed dicendum est, pretium esse accipiendum, prout officium valet tempore, quo contrahitur societas, quia pretia rerum sæpe variantur, & tanti res æstimantur, quanti vendi possunt, non quanti emptæ sunt, *l. pretia rerum ff. ad l. Falcid.* Quod si tempore contractæ societatis valor officii tanti æstimatur, & juxta valorem tunc æstimatum sumpta est pecunia, non vitiatur contractus, si officii valor postea decrescat, quia in contractibus, cum attendatur solum ad tempus, quo celebrantur, verificatur, quod tunc pecunia ab officiali recepta non excedit reditus officii, prout requiritur ex citata Bulla Pii IV.

70. Tertia conditio est, ut in ipsa celebratione societatis, socius pecuniam numeratam solvat coram Notario, & Testibus, quæ conditio, licet non exprimatur in Constit. Pii IV. ponitur in instrumento societatis, relato a Cardinali de Lugo, & a Patre Rosignolo supra., estque conditio necessaria pro foro externo, quia secus non daretur actio in judicio. Non videtur tamen necessaria pro foro conscientiæ, pro quo sustinetur societas facta ex pecunia antecedenter ex alio titulo debita, vel etiamsi loco pecuniæ detur res alia pretio æstimabilis, quia talis conditio numeratæ pecuniæ, cum non exprimatur in Bulla Pii IV. sed solum in instrumento, ut moris est, non magis requiritur, quam in aliis contractibus emptionis, & venditionis, qui sustinentur in foro conscientiæ sine numerata pecunia, si vere, & sincere fiant, sine dolo, & fraude. Idem dicendum, si fuerit numerata pecunia, quæ statim reddatur ementi officium, in solutum alterius debiti, quia nulla intervenit injuria, aut injustitia, si debitum est verum, & reale. Nec obstat, quod census est nullus, si non numeretur pecunia coram Notario, & Testibus, quia hanc conditionem expresse voluit S. Pontifex Pius V. dicens, censum aliter celebratum esse nullum in utroque foro, ut constat ex dictis a nobis supra *cap.* 5. *dub.* 3. *n.* 28. quæ ratio non militat de contractu societatis, pro quo Pontifex non requirit expresse talem conditionem; & ita sustineri docet Rosign. *prænot.* 20. *n.* 5.

71. Quarta conditio est, ut si Titius, qui pecuniam, puta centum dedit officiali, intra sex menses mo-

moriatur, totam summam datam sibi acquirat officialis; ita tamen, ut liberum sit Titio, intra quindecim dies a die celebrati contractus, alium, quem voluerit, nominare, cujus vitæ periculo stet officiali illa centum acquirere, absque ulla obligatione restituendi, si moriatur; quæ quidem conditio justa est, quia in illis sex mensibus, sicut adest periculum mortis, ob quam officialis acquireret centum, sic adest periculum pro Titio, ut, vivente nominato, acquirat sex in singulis mensibus. Quod si socius, qui dedit pecuniam, moriatur intra quindecim dies antequam nominet alium, cujus vitæ periculo stet illa pecunia, jam officialis illam sibi acquirit, quia, dum non nominat, pecunia stat periculo vitæ ipsius. Et si Notarius omisisset tale pactum, posset illud addere postea, quia hujusmodi societates semper intelliguntur contractæ tali modo, & pacto, ut bene notat Azor. *c.* 1t. *qu.* 1. & Rosign. *prænot.* 20. *n.* 5. *vers. Quarta conditio*, ex *l. quod si nolit §. quia assidua ff. de ædil. edict. & l. si prius §. recte placuit ff. de acq. pluvial. arc.*

72. Quinta conditio, ut officialis, qui, accepta pecunia, alium admisit in societatem officii, teneatur in quemcumque eventum illam restituere socio, cum determinata quantitate lucri conventi, si socius vixerit post sex menses, quæ conditio justa est, & consona rationi; quia sicut officialis pecuniam acquirit, si socius moriatur intra sex menses, ita debet illam restituere, si supervixerit, & quidem cum determinata quantitate lucri, donec sors principalis fuerit soluta; quamvis finita societas, aut officium deperditum, vel ratione moræ, quia non statim, finita societate, sortem principalem officialis solverit, & sic consideratur tamquam pœna apposita, quæ etiam in mutuo potest apponi, vel ratione lucri cessantis, aut damni, quod patitur socius ob sibi non solutam pecuniam, ut servatur in Curia Romana, ut proinde interesse solvi debeat juxta proportionem lucri cessantis, aut damni emergentis, ob non restitutam sortem principalem, nisi ob impotentiam excusetur; quia tunc in foro conscientiæ non teneretur aliquid solvere, bene tamen in foro judiciali, ratione pacti, ut docent Azorius, & Filliuc. *loco supra cit.*

73. Septima conditio est, ut officialis post sex menses a die factæ societatis, solvat sex pro centenario, tamquam lucrum, & fructum. De qua conditione dubitari potest, an sit justa, quia dicta officia modo plures, modo pauciores fructus afferunt, & propter alias rationes, quas affert Lugus *disp.* 30. *num.* 80. Verum, ad vitandum fastidium, & laborem, & difficultatem computandi, licite fructus incerti taxantur ad sex pro quolibet centenario, quam summam officialis se obligat dare socio singulis annis, suscipiendo in se periculum, & incertitudinem, & hoc per contractum innominatum, quo socius vendit officiali fructus incertos, quos sperare potest pro tali certa summa determinata, qui contractus licitus est, ut diximus *supra dub.* 5. in eo siquidem servatur æqualitas, & par est utriusque conditio, ultra periculum lucrandi centum, si intra sex menses socius moriatur.

74. Omnes istas, & alias conditiones fuse explicat Lugus *cit. disp.* 30. *sect.* 5. quæ ibi possunt videri. Hic solum addo, ad validitatem istius contractus societatis non requiri necessario, ut in scriptis redigatur; nam talis contractus solo consensu perficitur, & scriptura, seu instrumentum solum requiritur, ut probari possit in judicio, in quo aliter societas locum non haberet. Videri etiam possunt conditiones apud Azorium *par.* 3. *lib.* 9. *cap.* 14. & 15.

75. Finitur, & solvitur societas primo per dissidium, quæ post primum semestre fieri potest, & discedere cupiens, debet per quindecim dies ante socium admonere. Secundo solvitur morte officialis, quia, sicut per illius mortem reddit officium ad Principem, ita solvitur societas, quæ erat in tali officio, & heredes, seu fidejussores tenentur socio restituere pecuniam, quam pro societate dederat; quod etiam valet de morte civili ejusdem officialis, ut si bona illius publicentur, & ob delictum confiscentur, & Fisco adjiciantur, ut constat ex quadam *Romana pecuniaria* 15. *Decemb.* 1613. & 17. *Febr.* 1614. *coram Manzanedo*; quo casu licet nonnulli asserant, Fiscum non teneri restituere socio pecunias, quas contulit pro societate, sed ad id teneri fidejussores, seu heredes officialis; probabilius tamen est, Fiscum ad illam restituendam obligari, quia debita, & onera contracta transeant cum ipsis bonis confiscatis, nec heredes tenentur ultra vires hereditatis. Omnia autem accipiente Fisco, nihil remanet pro heredibus, & fidejussores solum tenentur in defectum principalis, ut bene notat Lugus *n.* 87. & tenet Rosignol. *prænot.* 20. *n.* 6.

76. Solvitur etiam morte naturali illius, qui pecuniam dedit officiali, dummodo sit mors naturalis, non violenta, ferro, veneno, aut alio modo ab homine inflicta, quæ excipitur in pacto, ut diximus supra *num.* 71. & officialis pecuniam acceptam lucratur, & solum tenetur solvere fructus decursos, & non solutos. Solvitur etiam morte illius, in quem translatum est periculum vitæ, ab illo, qui pecuniam dedit, in quo casu officialis lucratur dictam pecuniam; secus tamen esset, si ille, qui nominavit, decederet, superstite nominato; nam periculum pecuniæ stabit periculo vitæ nominati, non amplius nominantis, & sic, isto moriente, illo superstite, officialis non lucratur pecunias, sed illas debet restituere heredibus nominantis, aut cum illis continuare societatem, si velint. Ita Lugus *nu.* 86. Filliuc. *c.* 6. *n.* 128. Azor. *lib.* 9. *cap.* 16. §. 5.

77. Solvitur ulterius societas, venditione, alienatione, aut renuntiatione officii, cum successor, aut emptor non teneatur stare societati, quam non fecit, ut fusius explicat Lugus *n.* 88. & Rosignol. qui plura explicat de dissidio, & alia, de quibus dubitari posset.

DUBIUM VIII.

De Societate inter Fratres.

78. Cum, mortuo Patre, hereditas indivisa remaneat inter fratres, dubium est, an statim censeatur contracta societas inter ipsos, & quænam bona sint adducenda in communionem, & dividenda. Quoad primum respondet Bartol. *in l. si patruus Cod. communia utriusque*, hoc modo; *si neuter eorum negotietur, societas non est contracta, si unus solus negotietur, non contrahit societatem cum altero, qui nullam operam negotiationi dat; si uterque negotietur, eo ipso societas inter ipsos contracta censetur* & Bald. in *l. cum duobus §. si frater ff. pro socio*, & in *cit. l. si patruus*, docet, posse colligi ex actibus fratrum, utrum negotientur, an non; itaque non eo ipso, quod habent patrimonium indivisum intelligitur inter eos contracta societas, sed id colligi debet ex aliis conjecturis; si enim uterque negotietur, intelligitur contracta societas quæstus quoad commune lucrum, non autem omnium bonorum, si non exprimatur. Rosignol. *contract.* 7. *prænot.* 27. *n.* 3.

79. Si uterque sit nobilis, & uterque conferat omnia bona, scilicet munera, dona, stipendia, & alia, quæ ipsis legata sunt, censetur societatem iniisse, cum dicti actus sint sociorum, ut notat Bald. *in d. l. cum duobus §. si frater ff. pro socio*, & in *l. si patrus C. communia utriusque*. Item si unus ex fratribus non negotietur, tamen omnia communicet cum alio fratre negotiante, censetur contracta societas in illa negotiatione, in qua alter frater se exercet. Bartol. in *dicta l. si patruus*; unde lucrum erit commune, habita ratione laborum, & expensarum. Azor. *par.* 3. *lib.* 9. *c.* 19. *q.* 1. Molina *disp.* 421. *n.* 6. dicens, fratres contrahentes societatem circa res paternas, illam non extendi ad alia bona, nec si unus eorum majorem adhibuit diligentiam, posse aliquid plus petere ob dictam diligentiam, nisi illa sit extraordinaria cum magno labore, & interesse; secus si sit diligentia ordinaria, quam quisque adhibere tenetur circa rem suam. Bonac. *qu.* 5. *pun.* 6. *n.* 2.

80. Si frater tempore studiorum, sive pro victu, sive pro vestitu, aliqua honesta debita contraxit, vivente patre, eo mortuo, illa solvi debent ex communi hereditate paterna, nisi aliter in testamento dispositum sit, quia censentur debita patris, qui si vixisset ex patrimonio communi ea solvisset, ac proinde solvi debent, etiam mortuo patre ex communi hereditate paterna; si tamen mortuo patre adhuc vellet in studiis perseverare, ceteri fratres non tenentur contribuere expensas studii, & doctoratus; nam istæ non censentur expensæ ordinariæ, sed extraordinariæ, quas ille de proprio facere tenetur, sicut etiam solvere alia debita postmodum contracta. Ita Lopez, & Vasquez, quos affert, & sequitur Bonac. *nu.* 4. & Rosignol. *prænot.* 27. *n.* 5. & 9.

81. Quod si aliquis fratrum reperiatur extra domum in alienis partibus, &, inscia morte patris, negotietur, tunc lucrum quod acquirit, sicut etiam damnum quod patitur, spectare ad ipsum, non ad fratres, eo quod cum ipsis nullam iniit societatem, & sic non teneri lucrum communicare cum ipsis: fructus autem hereditarios esse communes, & dividendos inter fratres, tum præsentes, tum absentes, deductis expensis, & opera fratrum, quia licet sint absentes, sunt tamen condomini talis hereditatis, & res domino semper fructificat, ac proinde, fructus dividendos esse inter condominos, docet Bonacina *l. c. pun.* 6. *n.* 5 ex Cechio 2. *par. c.* 62. *n.* 12. & Molina *loc. cit.* quibus consentio quoad secundam partem, quod fructus hereditatis sint dividendi inter fratres, tum præsentes, tum absentes; non vero quoad primam partem, quæ videtur dura; nam frater extra domum existens negotiando, atque negotiatur communi nomine ex bonis paternis, & communibus, & sic lucrum, & damnum debet esse commune, sicut communes sunt fructus hereditarios-

dita-

ditatis, quoadusque fratres domi existentes admoneant absentem de morte patris, se velle divisionem facere, & nolle continuare negotiationem; tunc enim frater sic admonitus, si adhuc velit negotiari, lucrum, & damnum erit proprium, finito tamen negotio incœpto, quod adhuc censetur commune, quia scilicet censetur communi nomine negotiari, ea continuata voluntate patris, & fratrum, donec aliud exprimatur, & revocetur.

82. Omnes fratres legitimi, & quibus debetur legitima, sive masculi, sive feminæ, sive sint sub patria potestate, sive sint emancipati, succedere volentes patri, vel matri, testatis, vel non testatis, conferre tenentur in communi omnia, quæ acquisierunt ex bonis illius, cui succedere volunt, ut ex illis in communi deductis, tamquam ex uno cumulo fiat justa partitio inter ipsos fratres, & sorores, nisi expresse, vel tacite, seu per expressas conjecturas præsumatur eis fuisse condonata talis obligatio dictæ collationi in communi ab eo, qui succedere volunt, *l. ut liberis C. de collat. authen. ex testamento C. de collat. authent. de triente, & in ipsa §. illud quoque collatione 3.* Tenentur ad dictam collationem faciendam omnes filii tam legitimi, quam adoptivi, quia ipsi debetur legitima, non autem illegitimi, quibus scilicet legitima non debetur. Idem valet de nepotibus, qui succedunt in bonis avi, eo quod repræsentent personam patris, & vocari possunt filii mediati, *l. si Nepotes ff. de collatione bonorum, & l. si nuntiat C. de collat.* Gomez in *l. Tauri 29. n. 8. & 37.* Molina *disp. 237.* Vasq. *in opusc. de testam. c. 7. dub. 14. n. 175.* sequitur Bonacina supra *n. 2.*

83. At vero ascendentes, ut est pater, mater, avus, avia, quando succedunt filiis, vel nepotibus defunctis, non tenentur conferre ea, quæ habuerant a filiis, vel nepotibus viventibus. Ratio disparitatis est, quia quod filiis traditur a parentibus, tradi præsumitur in computum legitimæ illis debitæ post mortem suam, nisi aliud exprimatur, vel tacite colligatur ex conjecturis: at id, quod traditur ascendentibus a suis descendentibus non potest præsumi traditum in computationem legitimæ, cum ordine naturæ prius mori censeantur ascendentes, quam descendentes, sed datum præsumitur per meram donationem, & sic conferri non debet in communi, maxime quia nullum jus extat, quod ad id dictos ascendentes obliget. Ita Gomez *l. 29. Tauri n. 9.* Vasq. *de testam. c. 7. §. 5. dub. 3. n. 237. & dub. 13. n. 170. & n. 179.* Molina *tr. 2. d. 237.* sequitur Bonacina *n. 2. circa fin.* & Tambur. *l. 9. tr. 8. c. 12.*

84. Bona castrensia, vel quasi castrensia non sunt in communi conferenda post mortem patris, sed tantum bona profectitia, & illa, quæ fuerunt filio donata intuitu patris. Ratio est, quia illorum dominium, & administratio spectat ad filium *l. 5. §. nec castrense ff. de collatione*; unde non tenetur in communi conferre ea, quæ sibi ex Beneficio, vel administratione alicujus publici officii proveniunt, ut cum Az. notat. Rosignol. *num. 4.* Bona autem profectitia sunt in communi conferenda, quia illorum dominium non spectat ad filium, sed ad patrem. Dicuntur autem bona profectitia, quæ a patre descendant in filium, & quamvis in ipsum sit translatum dominium, quia tamen concedi solent hujusmodi bona, vel ad dotem, vel ad Ordines suscipiendos, ideo dicta bona computanda sunt in legitimam, ex præsumpta voluntate patris. Dicuntur etiam bona profectitia, quæ fuerunt donata filio intuitu patris, & ista sunt in communi reducenda; secus si fuerunt donata intuitu ipsius filii: in dubio colligendum est ex conjecturis, & qualitate personarum, cujus intuitu sint donata, juxta arbitrium boni Viri, *arg. l. 1. ff. de jure dot.* & cap. *de caussis de offic. delegati.* Bona vero adventitia quoad proprietatem non conferuntur in communi, quia illorum proprietas semper spectat ad filium; conferuntur autem quoad usumfructum, quia iste spectat ad patrem, nisi specialiter concedatur filio.

85. Alia bona, quæ quis accepit a Patre, Matre, seu Avo, cui succedere intendit, tenetur in communi conferre, & dividere cum aliis fratribus; secus si contentus iis, quæ accepit a patre, vel in testamento titulo legati, sibi relictis, nolit ipsi succedere, qui nimirum is solum conferre tenetur accepta, qui vult cum aliis fratribus in hereditate succedere, non vero qui sibi legatis, seu traditis contentus non vult succedere, quia tunc poterit exigere, si quid sibi sit promissum a patre caussa dotis, vel ad officium consequendum, vel alia simili de caussa, dummodo promissio non sit inofficiosa cum detrimento legitimæ aliis debitæ, *l. ult. ff. de collat. dotis.* Ita Gomez, Emmanuel Sa, Molina, & Cechius quos affert, & sequitur Bonacina *punct. 9. §. unic. n. 4.* Nec item conferre tenetur quæ accepit a patre titulo benevolentiæ, & simplicis donationis, quamvis velit cum aliis succedere; bene tamen ea conferre tenetur, quæ accepit ob caussam utilem, seu necessariam, *l. illud §. ult. Cod. de collat.* quia liberaliter donata non censentur tradita in compensationem legitimæ, sicut alia, quæ traduntur ex caussa, in dubio censentur tradita in compensationem legitimæ, & sic sunt in communi conferenda, nisi contrarium constet, ut cum aliis notat Bonacina.

86. Ex dictis facile colligi potest, quænam bona in particulari sint in communi conferenda, & dividenda cum aliis fratribus, quæ late prosequitur, & explicat Rosignol. *prænot. 27.* & Bonacina *disp. 3. q. 6. punct. 6. §. unic.* quæ apud ipsos possunt videri.

87. Inter virum, & uxorem non datur vera societas bonorum, nisi in Hispania, & Gallia ob speciale Statutum; nam societas conjugum est tantum ad simul cohabitandum, ad familiam gubernandam, & ad prolem generandam, & educandam, ut advertunt Doctores in cap. *cum societas 27. q. 2.* & inde Rosignol. *prænot. 28.* cum Petro Navarra, Corduba, Trullench. & Molina docet, nec de jure communi naturali, nec divino, nec humano, ex eo præcise, quod contractum fuerit matrimonium, & maritus, & uxor simul cohabitent, non censeri contractam societatem inter ipsos, adeo ut bona superlucrata tempore matrimonii sint communia ad partes æquales; quia tamen viget talis societas in Hispania, & Gallia, explicat qualis, & quorum bonorum sit talis societas. De illa etiam fuse tractat Castro Palaus *de Just. commut. tract. 33. disp. 9.*

88. Hinc etiam tractant nonnulli de alia societate utrinque libera, quam vocant *A godere*, & contingit quando Titius tradit Cajo mille aureos, & iste vicissim tradit Titio domum, & agrum, seu fundum fructiferum æqualis valoris tali pacto, ut unus utatur domo, seu fundo, alter vero pecunia, utrique reservata facultate repetendi rem propriam, restituta pecunia, vel domo respective. De tali contractu egimus supra *cap. 2. n. 150.* ubi diximus, regulariter loquendo, esse usurarium, quia resolvitur in purum mutuum; nam tradens pecuniam, dum retinet jus eam repetendi, perinde est, ac eam mutuo tradere, & ob dilatam solutionem lucrum reportare, dum interim utitur possessione, & fructibus.

89. Talis contractus ab aliquibus censetur licitus, quia est contractus emptionis, & venditionis, cum pacto retrovendendi in gratiam utriusque contrahentis. Ad hoc tamen, ut sit licitus, requiritur in tali casu vera intentio emendi, & vendendi, cum translatione dominii in emptorem, ad hoc, ut si res pereat, vel deterioretur, domino, id est emptori pereat, aliter non esset emptio, sed usura palliata. Et quia numquam, aut raro adest vera, & sincera intentio vendendi cum translatione dominii, ideo diximus, regulariter loquendo, talem contractum esse illicitum. Alias conditiones requisitas ad veram, & sinceram venditionem vide *loc. cit. num. 172.*

C A P U T XIII.

De Mandato, Tutela, Cura, & aliis.

D U B I U M I.

De Mandato, & ad illud spectantibus.

1. MAndatum bene definitur *Contractus, quo quis officium honestum, & lege permissum, gratuito, expresse, vel tacite suscipit exequendum in gratiam alterius.* Ita cum Molina *disp. 548.* Reginaldo *lib. 25. num. 607.* & Azorio *lib. 9. cap. 1. de mandato*, tenet Bonacina *de contr. disput. 1. quæst. 2. punct. 6. num. 9.* ex *l. 2. ff. mandati*. Dicitur *contractus, quo quis officium honestum*, quia de re turpi, & mala, nec dari, nec accipi potest mandatum, nec obligat accipientem, cum nullus obligari possit ad malum. Et inde mandatum ad omnia, seu mandatum generale non extenditur ad illicita, quia nullus præsumitur velle peccatum: & mandatum de re illicita non est validum, illudque mandatarius tenetur non acceptare.

2. Dicitur *gratuito*, quia si officium, vel negotium gerendum fiat pro mercede, non erit mandatum, sed locatio operarum. *Leg. 1. ff. mandati*, Instit. *de mandato lib. 3. tit. 29. §. ultim.* Si tamen fiat cum sola spe, vel promissione remunerationis, non desinit esse mandatum, cum remuneratio fiat ex gratitudine, ut notat Trullench *lib. 7. cap. 28. dub. 2. num. 1.* secus fieret, jam assignata, & determinata mercede, quamvis addatur sub nomine remunerationis, & gratitudinis; nam hæc verba solent addi ad tollendum titulum servitutis. Non desinit esse mandatum, si mandatario solvantur expensæ necessariæ, & ab eo factæ in executione mandati; nam mandans ea facere tenetur. Dicitur *expresse, vel tacite*, quia utroque modo mandatum fieri potest; expresse, quando committitur verbis, vel signis expressis, scilicet *volo, mando, rogo*, vel per aliud æquivalens;

taci-

tacite fit, quando quis sciens, & tacens patitur, ut alter suum negotium gerat. *L. qui patitur ff. mandati, & l. qui fide ff. eadem tit.* Molina *disp.* 348. Azor. *part.* 3. *lib.* 9. *de mandato cap.* 1. *q.* 1. *&* 2.

3. Mandatum reducitur ad contractum innominatum, & perficitur solo consensu exterius expresso inter mandantem, & mandatarium, & celebrari etiam potest inter absentes: potest esse absolutum, vel conditionatum, ut executioni mandetur sub tali, vel tali conditione, & tunc solum parit obligationem, quando fuit acceptatum, quia ante acceptationem liberum est mandatario illud recusare; nam mandatum est contractus dependens a libera voluntate utriusque contrahentis, & post acceptationem non potest illud recusare, nisi ex rationabili caussa superveniente, ut esset capitalis inimicitia suborta inter mandantem, & mandatarium, aut iste reddatur suspectus. Sic Molina, Rebellus, Reginaldus, Azor. quos sequitur Bonacina supra *num.* 11. Si mandatum sit de re mala, tenetur illud non acceptare, & acceptatum recusare, & restituere quicquid accepit pro eo faciendo, antequam mandatum adimpleat, sed post mandatum adimpletum potest acceptum retinere in foro conscientiæ, nam in foro externo repetit fiscus, & uterque tenetur, mandans quidem primario, & mandatarius secundario, id est in defectum mandantis, restituere omnia damna, quæ intulit mandatarius ex iniquo mandato, ut diximus supra *tract.* 2. *de restit. cap.* 3. *dub.* 1. *& dub.* 6.

4. Omnes illi dare, & accipere possunt mandatum, qui possunt contrahere, nisi specialiter prohibeantur a jure, sicut prohibentur Milites, ne mandatum dent ad conducendas res alienas. *L. Milites Cod. de locato*, & Curiales, *l. Curialis Cod. eod.* Similiter prohibentur Pupilli, & Minores sine auctoritate Tutorum, & Curatorum, Religiosi, Filii-familias, excommunicati, & servi, de quibus videri possunt Filliuc. *tractat.* 39. *cap.* 1. *quæst.* 8. Azor. *part.* 3. *lib.* 9. *cap.* 7. *quæst.* 4. 5. *&* 6. Trullench *lib.* 7. *Decal. cap.* 28. *dub.* 1. *num.* 8. Mandatum potest esse de re incerta, ut de domo, seu fundo emendo, absque determinatione domus, seu fundi in particulari, & absque determinatione pretii, tunc enim eligitur industria, & diligentia personæ, qui fideliter suas partes agere debet; nam intelligi debet, ut domus sit apta, & commoda, & pretium justum, & proportionatum rei, & domino, ut notat Filliuc. *quæst.* 9.

5. Ratione mandati tenetur mandatarius solum de dolo, & culpa lata, quia regulariter mandatum est in gratiam ipsius mandantis; si enim esset in gratiam, & utilitatem utriusque, teneretur etiam de culpa levi, saltem in foro externo, ex regula generali alibi tradita. Quod si mandatarius expresse convenisset cum mandante, etiam de culpa levissima, utique de illa etiam teneretur: de qua etiam teneretur, si se sponte obtulisset ad exequendum mandatum, quando mandans vellet alium eligere, quia tunc tacite videtur omnem suam diligentiam promisisse, ut cum Azorio *cap.* 6. *quæst.* 1. notat Filliucius *cap.* 2. *num.* 23.

6. Ut gesta per mandatarium sint valida, requiritur, ut observet formam mandati, nec excedat fines mandati; nam quæ mandatarius facit contra, vel præter, vel citra formam mandati, non valide facit, quando certa forma sibi fuit præscripta. Siquidem, qui mandati fines egreditur, aliud agere videtur, quam id, quod sibi mandatum est. *L. diligenter ff. mandati.* Si Titius mandatum dedit de aliqua re, nihil exprimens, ut si dixerit, ut emat sibi domum, non exprimendo pretium; tunc intelligitur negotium esse remissum prudentiæ mandatarii, & valet emptio quocumque pretio facta, modo justum fuerit. Item, si mandavit domum emi centum aureis, intelligitur ne pluris emeretur; unde, si minoris empta esset, non potest reliquum sibi sumere mandatarius. Quod si Titius dicat mandatario, ut domum suam vendat centum aureis, & mandatarius vendidit nonaginta, decem debet restituere mandanti, quia excessit fines mandati; si autem vendidit centum, & decem, tenetur illa decem restituere Titio; mandatum enim intelligitur, ne minoris venderet, non autem ne pluris; nam potest mandatarius meliorem facere conditionem mandantis, non deteriorem, ut dicitur in *cit. l. diligenter ff. mandati*: & ita cum Reginaldo, Molina, Rebello, & aliis tenet Bonac. *disp.* 2. *punct.* 6. *num.* 13. ubi casus aliquos in particulari solvit, & nos diximus supra *cap.* 2. *dub.* 12. *a num.* 120.

7. Mandans non tenetur mandatario de casu fortuito, qui prævidere non potuit; secus si poterat prævideri, & cogitari, & tunc tenetur restituere omnia damna, quæ mandatario eveniunt, ex *l. Nesennius ff. de negot. gest.* Hoc tamen non habet locum in iis, qui stipendio conducuntur ad aliquid agendum, ut sunt milites stipendio conducti ad bellum gerendum; nec in illis, qui caussa pietatis, & consanguinitatis conducuntur ad aliud agendum, ex quo damnum postea patiuntur, quia id non caussa mandati, sed caussa pietatis, & cognationis egerunt. Vide quæ diximus supra *tract.* 2. *de restit. cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 13.

8. Finitur, ac terminatur mandatum, primo per lapsum termini constituti, quia contractus non durat ultra contrahentium conventionem, & intentionem, cum vim suam habeat a voluntate contrahentium. Secundo per revocationem mandati factam ab ipso mandatore; nam liberum est illi mandatum revocare, ante litem contestatam, & ante judicium, vel negotium cœptum, etiamsi jurasset non revocaturum; licet enim in hoc casu sit perjurus, revocatio tamen valet, & gesta per mandatarium essent invalida, si revocatio mandati illi innotuit; secus si ei non innotuit, excepto casu matrimonii, quod non valet, revocato mandato, quamvis revocatio non fuerit nota mandatario, ut diximus *loco supra cit.* & tenet Bonacina supra *punct.* 6. *n.* 22. Tertio finitur mandatum morte mandatoris, vel mandatarii, modo res sit adhuc integra, *l. inter caussas ff. mandati, l. & quia ff. de jurisd. omnium Judic.* unde mortuo Episcopo, cessat etiam jurisdictio Vicarii, Gloss. *in Clem. procuratorem de procurat. in* 6. *ver. contestata.* Sic cum Azor. & Rebell. Bonacina *num.* 23.

9. Aliquando tamen mandatum durat etiam post mortem mandatoris. Primo, quando datum fuit mandatum ad aliquid exequendum post mortem mandatoris, *l. si vero §. ult. ff. mandati*, ubi dicitur: *si ut post mortem sibi monumentum fieret, quis mandavit, heres ejus poterit mandati agere, ut perficiatur*; & in l. proxime sequenti: *idem est, & si mandavi tibi, ut post mortem meam heredibus meis emeres fundum.* Secundo, quando fuit datum in gratiam mandatarii, *l. si cum fundum ff. de pactis*; & ita Confessarius absolute delegatus ab Episcopo ad confessiones audiendas, non amittit jurisdictionem per mortem Episcopi; bene tamen si non fuit absolute delegatus, sed solum ad beneplacitum concedentis. Si autem esset concessa ad beneplacitum sedis, seu dignitatis, duraret post mortem Episcopi, quia sedes, & dignitas perseverat, mortua persona. Tertio, quando mandans dicit, se concedere jurisdictionem, donec revocaverit, sed postea re ipsa non revocavit ante mortem. *L. si delegatus de offic. Judic. in* 6. Azor. Sanchez, Suarez, quos sequitur Bonacina.

DUBIUM II.

De Tutela, & Cura.

10. INter quasi contractus specialiter numerantur Tutela, & Cura, Instit. *de obligat. quæ nascuntur ex quasi contractu §. Tutores*; cum enim nullus præcesserit contractus, seu consensus inter Tutorem, & Pupillum, Curatorem, & Minorem, sed munus Tutoris sit constitutus a Principe, seu Republica ob bonum commune, sequitur, quod debeant numerari inter quasi contractus, cum ex utraque parte oriatur obligatio; nam Tutor tenetur actione directa ad tuendum Pupillum, & ipsius bona; & actione contraria Pupillus tenetur Tutori ad omnes expensas, & ad ea, quæ veniunt nomine expensarum, ut est valor industriæ, & laborum ipsius Tutoris. De Tutoribus, & Curatoribus fusis paginis tractat Rosignol. per duos integros libros, seu volumina, in quibus fuse, & distincte tractat ea omnia, quæ ad talem materiam spectare possunt, quæ a nobis consulto omittuntur, cum non ad Theologum, sed ad Jurisconsultos spectent; nonnulla tamen faciliora, & universaliora in præsenti delibabimus, proinde sit:

11. Tutela bene definitur, Jus, & potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem suam se tueri nequit, a Jure civili data, & permissa. Sic habetur Instit. *de Tutela §. est autem*, & tenent Doctores communiter, quos affert Rosignol. *supra prænot.* 1. Unde Tutor dicitur ille, qui Pupillum, vel Pupillam morte Patris, vel emancipatione sui juris factum, vel factam tuetur, & principaliter datur ad personam pupilli, & secundario ad illius res tuendas; Curator vero principaliter datur ad res, & secundario ad personam curandam. Tutor datur impuberi, Curator vero datur minori. Durat tutela in masculis usque ad 14. annum, & in feminis usque ad 12. & postea incipit cura, quæ in utroque durat usque ad 25. annum completum. Instit. *quibus modis tut. finitur*, & Instit. *de Cura.*

12. Triplex datur tutela. Prima dicitur *testamentaria*, cum pater in testamento dat filio Tutorem. Secunda dicitur *legitima*, quæ datur a lege, quando pater in testamento non assignavit Tutorem, & defertur ei, qui primo loco debebat succedere pupillo ab intestato; is enim illius tutelam tenetur accipere. Tertia dicitur *dativa*, quæ scilicet datur a Judice, quando nullus est assigna-

tus

rus tutor in testamento, nec adest consanguineus pupilli, cui conferri possit tutela; tunc enim Tutor datur a Judice ex officio suo; unde tripliciter dicitur Tutor: *testamentarius*, *legitimus*, *& dativus*.

13. Tutor constitui potest ille, qui alterius curam suscipere valet, & non prohibetur a Jure, sicut prohibentur, & repelluntur impuberes, prodigus, furiosus, mutus, surdus, mente captus, & debitor pupilli. Mater & Avia suscipere possunt tutelam filiorum, & nepotum; si velint, & præferuntur aliis Tutoribus legitimis, & dativis, non vero testamentariis; si tamen nolint non compelluntur: & ideo tutela matris, quamvis dicatur legitima, est tamen voluntaria, & ad illam duo requiruntur. Primo, ut renunciet secundis nuptiis. Secundo, ut renunciet beneficio Vellejani; & inde Mater, & Avia, si transeant ad secundas nuptias, contracto matrimonio, tutelam ipso jure amittunt, & bona secundi conjugis obligata manent pro reddenda ratione administrationis; perdunt etiam tutelam, si incontinenter vivant. Filliuc. supra *cap. 4. n. 55.*

14. Clerici cogi non possunt ad tutelam suscipiendam, quia eo gaudent privilegio ex cap. *fin. dist.* 76. ut licet possint succedere alicui ab intestato, non tamen teneantur recipere tutelam; possunt tamen, si velint, recipere tutelam legitimam, non autem dativam, vel testamentariam, *l. si hereditas §. si furiosus ff. de testam. tut.* Monachi autem nec legitimam recipere possunt, nisi ex licentia suorum Prælatorum, cap. *Monachi* 16. *quæst.* 1. sed si essent personæ miserabiles tenentur omnes eam suscipere, ut constat ex *d. cap. fin. & cap. 1. dist.* 88. Episcopus autem non per se ipsum, sed per Archidiaconum, vel Archipresbyterum debet eam administrare, Sylvester *verb. Tutela qu.* 3. Filliuc. *n.* 56.

15. Tutor, & Curator tenentur de dolo, lata, & levi culpa circa omnia negotia Pupilli, & Minoris; præcipue si officium Tutoris, & Curatoris pretio exerceant, quia tunc est in gratiam utriusque, ut habet Molina *disp.* 555. *n.* 1. in particulari tenentur Pupillos, & Minores servare illæsos a criminibus, & eos bonis imbuere moribus, & ad hunc finem stipendio conducere magistros, juxta eorum qualitates. Ant. a Spiritu S. *disp.* 28. *n.* 1351. Tenentur illorum bona custodire ab injuria, & eorum pecunias, vel bona mobilia, quæ ad nihilum valent, nec servari possunt, vendere, & pretium convertere in prædia, ex quibus fructus percipiant. Filliuc. supra *nu.* 57. Pro solvendo ære alieno si aliqua pupilli bona sunt vendenda, Tutor prius vendere debet res inutiles, deinde res minus utiles, & ultimo loco bona stabilia, si alia bona non sufficiunt ad solvenda debita; sed hoc fieri debet solum ex caussa urgentissima.

16. Tenetur etiam facere inventarium de rebus Pupilli, nisi impediatur ex aliqua justa caussa, *l. tutor, qui repertorium ff. de administr. tutel.* idemque dicendum de Curatore. Caussa justa ex parte Tutoris est morbus, vel si prius debeat facere ea, quæ dilationem non patiuntur, vel quæ necessario præcedunt inventarium, ut est perscrutatio bonorum hereditatis, quæ potest prodesse, & non obesse Pupillo; inventarium omittendo videtur suspectus, & esse in dolo, *l. hæc conditio ff. de condit. & demonst.* juncta Gloss. quando scilicet administravit; secus si non administravit, nec fecit illa, quæ necessario præcedunt confectionem inventarii, ut est perscrutatio hereditatis, & alia quæ possunt obesse Pupillo. Cessat obligatio conficiendi inventarium, si adsit consuetudo ne fiat, aut si Judex ex caussa remiserit, vel si ex alia caussa necessaria fuit omissum, quia tunc cessat præsumptio doli. Filliuc. *n.* 59. Ant. a Spiritu S. *n.* 1354. debet autem fieri in præsentia publicarum personarum, *l. Tutores C. de administ. tut.* sufficit tamen Notarius ex Gloss. *ibid.* nec requiritur præsentia Judicis, nisi ut faciat fidem contra debitores, quorum nomina scribi debent in inventario. Filliuc. *n.* 60. *&* 61.

17. Pupillus e contra, sicut etiam Minor tenentur Tutori, & Curatori solvere salarium ab initio constitutum; si autem nullum fuit salarium constitutum, censetur Tutor, vel Curator tutelam, & curam gratis suscepisse, & suo cessisse juri. Molina *disp.* 555. *n.* 1. Tenentur etiam solvere Tutori, vel Curatori expensas necessarias, factas in negotiis ipsius pupilli, vel minoris, immo etiam expensas utiles, quamvis necessariæ non fuisset. Molina supra *n.* 2. & Filliuc. *n.* 58.

18. Cum negotia gesta similitudinem quamdam, & affinitatem habeant cum mandato, tutela, & cura, nonnulla de illis hic addenda sunt, de quibus tractant Juristæ *inst. lib. 3. tit. 5. de negotiis gestis*, & *lib. 2. C. tit.* 19. Molina *disp.* 553. *&* 554. Est autem negotium gestum quasi contractus, quo sine mandato negotia alterius utiles geruntur: si enim præcessit mandatum formale, aut virtuale, non est contractus negotiorum gestorum, sed mandati. Ex hoc quasi contractu oriuntur in utraque parte obligationes: ex parte quidem negotiorum gestoris oritur obligatio reddendi rationem eorum, quæ gessit, & solvendi ea, quæ ad ipsum ex tali negotio gesto pervenerunt, ut fructus rei administratæ, & pecuniam a debitoribus solutam; ex parte autem illius, cujus negotium gestum est, datur obligatio solvendi expensas in ejus utilitatem factas, & valorem suæ industriæ, & laboris, ex §. *Instit. de obligat. quæ ex quasi contr.* & *l. si remunerandi §. 1. ff. mandati.* Alia ad hanc materiam spectantia videri possunt apud Filliuc. *tract.* 39. *cap.* 3. *de negotiis gestis.*

DUBIUM III.

De Compromisso, & Arbitris.

19. COmpromissum est contractus, in quo mutuo litigantium consensu remittitur controversia dirimenda ab arbitro, seu arbitratore, spondentes se illis parituros. Molina *disp.* 556. & *tract.* 5. *disp.* 32. Dicitur *contractus*, quia compromittentes se obligant stare definitioni arbitri, seu arbitratoris. Dicitur *mutuo consensu*, quia est illis voluntarium, & liberum, ut fiat, aut non fiat: postquam factum est, obligat compromissarios ad standum arbitri definitioni. Dicitur *arbitri*, *vel arbitratoris*, quia ut notat Sylvest. verb. *Arbiter qu.* 3. ex Innocent. & Abbate, arbiter est, qui eligitur, ut Judex ad hoc, ut servato in substantialibus ordine judicii, de compromissa controversia sententiam ferat. Arbitrator vero eligitur, ut aliquid existimet, vel dicat de re aliqua quid sibi videtur, sine ordine judiciario. Molina *disp.* 556. Sylvester *verb. Arbiter*, Filliuc. *cap.* 6. *n.* 71.

20. In compromisso ea exprimi debent, ad quæ arbitris, seu arbitratoribus ad arbitrandum, ac definiendum a compromittentibus datur facultas, quam observare debent, nec excedere possunt, quia ex sola voluntate compromittentium vim habent definiendi, & inde nullum, & irritum est quod arbitrantur, non servata forma sibi præscripta, *l. non distinguendus §. de officio ff. de recept. arbitr.* possunt enim talem facultatem limitare, & apponere conditiones observandas. Regulariter in compromisso apponi solet illa clausula, quod arbitri procedant summarie, & de plano sine figura judicii, servata tamen æquitate, quæ quidem clausula valida est, quia arbitri a partibus habent totam vim judicandi. Quod si in compromisso nullus exprimatur modus, quem in judicando servare debent, tunc liberum est arbitratori judicare, vel servata forma judicii, vel non, prout magis expedire videbit, numquam tamen excluduntur ea, quæ sunt juris naturalis; unde debet audire partes, quæ proponere velint, eaque debet expendere, & examinare quantum satis est, ut veritatem humano modo assequi valeat. Filliuc. supra *cap.* 6. *n.* 80.

21. Invalidum est compromissum, quando aliqui compromittunt in aliquem cum obligatione, ut in judicando aliquem consulat, ejusque consilium sequatur; nam arbiter liber relinqui debet, ut id judicet, quod sibi justum, & æquum visum fuerit, *l. item si unus*, §. *item Pomponius ff. de recept. arbitr.* non tamen prohibentur arbitri consulere peritiores. Molina *disp.* 3. *n.* 8. Filliuc. *num.* 82.

22. De jure communi a sententia arbitri non datur appellatio, sive apposita fuerit pœna, sive non, *l. 1. C. de recept. arb.* quia illa non habet vim obligandi, quatenus sententia, sed totam vim habet obligandi ex compromisso, ac pœna in illa apposita. Quando autem post sententiam ab arbitro latam appellandum est, appellatio fit ad Judicem rei, qui ab arbitri sententia appellat; ille enim futurus est sententiæ arbitri executor. Postquam autem a sententia arbitri appellatum est ad Judicem ordinarium, pars gravata ex appellatione, & sententia lata ab eo Judice ordinario, potest ulterius appellare ad Judicem alium superiorem, ad quem appellari solet a tali Judice. Filliuc. *n.* 90.

23. Compromissum quilibet facere potest super rebus, quas potest alienare; in iis autem, quæ alienare non potest absque certa sollemnitate, sine illa sollemnitate non potest compromittere; nam compromissum est species alienationis. Et inde Clericus compromittere non potest de rebus Ecclesiæ sine licentia Episcopi; secus de rebus patrimonialibus: nec Religiosus compromittere potest sine licentia sui Superioris, cap. *cum ad Monasterium*, *de statu Monach.* Procuratores, Tutores, & Curatores Pupillorum, seu Minorum non possunt compromittere sine licentia Judicis. Gemin. *cons.* 68. *n.* 1. & generaliter non possunt compromittere, qui non possunt alienare.

24. Arbiter est ille, qui eligitur, ut velut Judex procedat in substantialibus, servato Iuris ordine Innocent. in cap. *Quintavallis*, *de jure jur.* Arbitrator vero dicitur ille, qui eligitur, ut aliquid existimet, vel dicat quid

sibi

sibi videatur de aliqua re, & sine ordine judiciario arbitretur. Idem *loc. cit.* & *l. si quis arbitratu ff. de leg. 3.* unde arbitri sunt in duplici specie; nam alii dicuntur arbitri a Jure; alii vocantur compromissarii: primi sunt vere Judices, non secundi. Barbosa *appellat.* 242. *nu.* 9. Filliuc. *cap.* 7. *n.* 102. Tam arbiter, quam arbitrator dici possunt amicabilus compositores, quatenus, ad fugiendas lites, partes componunt amicabiliter, id est extra judicium, & sine concertatione in publico judicio, qui etiam vocantur mediatores inter ipsas partes. Molina *tract.* 5. *disp.* 30. *n.* 9. Filliuc. *cap.* 7. *n.* 104.

25. Arbitri esse non possunt minores 20. annis, *leg. cum lege ff. de recep. arb.* nec mutus, aut surdus, servus, aut mulier, nisi esset Ducissa, aut Marchionissa, aut Loci jurisdictionem exerceret: nec Religiosus, nisi de licentia sui Prælati, & id expedtat Monasterio, quia arbitrium requirit formam judicii, quæ Religiosis prohibetur, cap. *Monachi* 16. *quæst.* 1. potest tamen esse arbitrator, quia id non requirit formam judicii. Sic cum Molina Filliuc. *num.* 105. nec laici possunt esse arbitri in caussis spiritualibus, nisi de licentia summi Pontificis: bene tamen simul cum Clerico de licentia Ordinarii, aut Judicis delegati ejus caussæ.

26. Materia arbitrii, & compromissi, est in omni causa, & re, quæ non invenitur prohibita: in caussis criminalibus compromitti non potest, nec dari arbitrium. Molina *disp.* 40. *n.* 1. nec de rebus spectantibus ad Communitatem, ut ad Regnum, Provinciam, Civitatem, aut Oppidum, nec de causa matrimoniali spectante ad vinculum Matrimonii, cum hoc pertineat ad Judices Ecclesiasticos ex Trid. *sess.* 24. *can. ult.* nec de sententia, quæ transivit in rem judicatam, nisi quoad dubia orta post illam. Omnes illi, qui possunt transigere, possunt etiam compromittere, & e contra; excepta caussa beneficiali, in qua aliquando dari potest compositio, non vero transactio, ut cum duo contendunt de beneficio, & caussa est dubia, & componuntur, ut unus obtineat Beneficium, & alter obtineat pensionem ex fructibus beneficii, non in compensationem juris beneficii, sed pro bono pacis. Molina *disp.* 40. *n.* 7. Filliuc. *n.* 109.

D U B I U M IV.

De Transactione, & Compositione.

27. TRansactio, seu compositio est contractus, in quo, ad evitandas lites, de re dubia fit aliqua conventio, & sic definiri solet; *est de re dubia, lite, seu controversia non finita, pacto non gratuita.* Sic Doctores communiter, quos affert, & sequitur Rosignol. *contractu* 13. *prænot.* 2. Dicitur *transactio*, quasi transitio actionis, quia ille, qui transigit, recedit ab actione, quæ sibi competebat. Dicitur *de re dubia*, quia si constaret, rem, de qua controvertitur, esse alterius, invalida esset transactio, tam in foro conscientiæ, quam in foro externo, quia nullus esset titulus, quo transigens possit aliquid recipere, dum cognoscit, rem non esse suam, sed alienam, *l. in summa ff. de condict. indeb. l. præses, & l. sub prætextu C. de transact.* Dicitur, *lite non finita*, quia si jam sit lata sententia, & transierit in rem judicatam, non amplius locum habet transactio, *l. si caussam C. de transact.* & *l. elegantir §. si post ff. de condict. indebit.* si tamen locum haberet restitutio in integrum, ut in minoribus, vel sententia ignoranter esset lata, vel ab ea appellatum, valida esset transactio; nam appellatio reducit causam in dubium, & virtutem sententiæ suspendit, remque reducit ad eos terminos, in quibus erat tempore contestationis. Idem valet quando a sententia fuit supplicatum, cum eosdem habeat effectus, ut cum aliis tenet Rosignol. *prænot.* 1. *num.* 6.

28. Quamvis autem transactio regulariter fieri soleat super lite jam mota, & controversia excitata, cum transactio lites dirimat, & controversias mutua partium conventione dissolvat, & partes ad concordiam redigat; fieri tamen potest super timore litis futuræ, dummodo sit indubitabilis, & indebite non incutiatur. Dicitur *pacto non gratuita*, quia utrique transigenti aliquod onus imponitur, aliquo dato, vel retento, vel promisso. Servanda tamen est æqualitas inter partes, juxta proportionem dubii magis, vel minus pro una, vel altera parte militantes; unde si alter transigentium deceptus sit ultra, aut infra dimidium justi valoris, datur actio decepto, vel ut contractus rescindatur, vel reducatur ad æqualitatem juxta voluntatem decepti, & maxime locum habet in muliere, seu rustico ignorante.

29. Si contractus transactionis ex mutuo partium consensu factus sit sub certa pœna nolenti illi stare, aut contravenienti; quæ quidem pœna non solum est licita, sed aliquando etiam consulenda, per Textum in *l. pacta convento* 15. *ff. de transact.* tunc recedere tentans potest ad alterutrum cogi, nempe, vel ad standum contractui, vel ad solvendam illam pœnam, non ad utrumque, *l. rescriptum §. si pactum ff. de pactis*, & datur optio ei, qui vult stare transactioni cogendi alterum ad pœnam, vel ad standum transactioni. Rosignol. *prænot.* 1. *n.* 18. Quod si addatur clausula; *rato nihilominus maneat pacto*, tunc ad utrumque cogi potest, & ad solvendam pœnam, & ad standum contractui, *l. qui fidem ff. de transact.* si autem recedere tentans, antequam lis contestetur, pœniteat, seque transactioni remittat, evitat pœnam conventionalem, Gloss. *ult. in l. qui fidem ff. de transact.* quod si transactio sit juramento confirmata, & illi etiam apposita pœna, utrumque peti potest, & quod servetur transactio, & quod solvatur pœna. Ratio est, quia juramentum habet vim clausulæ, *rato manente pacto*, ut pluribus confirmat Rosignol. *prænot.* 1. *n.* 18. & 19.

30. Omnes illi transigere possunt, qui plenum habent rerum suarum dominium cum libera administratione, nec prohibentur a Jure; unde qui aliqua bona non potest alienare, nec potest circa illa transigere; nam qui transigit etiam alienat, & inde transigere non possunt Religiosi circa bona Monasterii sine debita sollemnitate; nec filii-familias, si non habeant bonorum administrationem, Minores, Pupilli, & hujusmodi, de quibus late Rosignol. *prænot.* 3. Si transactio fiat auctoritate supremi Principis, valida est, quamvis alias res esset prohibita alienari. Item si transactio fiat, ut res, quæ alienari non potest, maneat apud eum, qui illam possidet, & is det alteri pecuniam, vel aliud, quod possit alienare. Gloss. & Barb. *l. nulli ff. de transact.* de quibus videri posset Rosignol. *prænot.* 3. cum pertineant potius ad Jurisconsultos, quam ad Theologum.

C A P U T XIV.

De Promissione, & Donatione.

D U B I U M I.

Quid sit promissio, & qualis illius obligatio.

1. REsp. Promissio *est deliberata, & spontanea fidei obligatio alteri facta de re bona, & possibili.* Sic tenent communiter Doctores. Dicitur *deliberata*, quia ad promissionem requiritur plena deliberatio, & attentio, qualis requiritur, & sufficiens est ad peccatum mortale, ad meritum, & ad votum validum, ut diximus suo loco de Voto *cap.* 4. *dub.* 1. *n.* 7. quia liberalis promissio est lex quædam privata, quam quisque sibi imponit, & alteri se obligat. Nemo autem vere censetur se obligare, nisi plenam habeat cognitionem, & deliberationem ejus, quod facit, & oneris, quod sibi imponit; unde promissiones amentium, ebriorum, & infantium, & eorum, qui eas faciunt ex tanta animi perturbatione, quæ mentem, & rationem perturbet, & obtenebret, non obligant defectu sufficientis cognitionis, & usus rationis. Unde etiam diximus *loco cit.* tam votum, quam promissionem non obligare, nec etiam sub veniali, si non adsit plena deliberatio; & cum Sanchez, Valentia, & aliis tenet Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 11. *punct.* 1. *num.* 3. Quod si dubium sit, *an promissio sit facta cum sufficienti deliberatione*, censendum est illam adfuisse, quia possessio stat pro ipsa promissione, quam constat fuisse factam, ut diximus *loco cit. de voto.*

2. Dicitur *spontanea*, ad excludendam promissionem factam ex metu, vi, dolo, & fraude, quæ non obligat promittentem; nec refert, an metus fuerit levis, quando fuit vera caussa promissionis, quæ alioquin non fuisset facta. Navarr. *cap.* 17. *num.* 30. Sylvester *verb. restitutio* 2. §. 7. Bonacina *supra num.* 13. ea ratione, quia extorquens promissionem per dolum, vel metum, etiam levem, injuriam facit promittenti, nec acquirit jus, ut promittens stet promissioni, cum non debeat jus acquirere per actionem injustam, & injuriosam. Inde sic promittens non tenetur promissionem adimplere, & promissarius, adimpleta promissione, tenetur acceptum restituere, quamvis in foro externo non detur actio pro extortis ex metu levi, ne multiplicentur lites, ut cum Navarro, & Sylvestro notat Bonacina.

3. Dicitur *obligatio fidei*, per quas particulas differt promissio a simplici proposito; nam promissio est actus, quo quis se alteri obligat ad aliquid dandum, vel faciendum, unde inducit obligationem faciendi id, quod promittitur: propositum autem, licet firmum, & deliberatum, ex se talem obligationem non inducit, cum sit sola assertio ejus, quod quis facturus est, seu actus voluntarius, quo quis determinat promittere, seu aliquid facere, unde potest propositum illud mutari, & non exequi, nec aliquam obligationem inducit; secus qui proposuit jejunare, dare eleemosynam, aut certas preces persolvere,

preca-

peccaret si talia omitteret. Scio, Laymanum *lib. 3. sect. 3. n. 3.* Lessium *lib. 3. cap. 2. num. 49.* Palaum *disp. de voto punct. 2. num. 3.* agnoscere peccatum inconstantiæ ex genere suo veniale, quando quis sine caussa recedit a bono firmiter proposito; puto tamen nullum esse peccatum, nec etiam veniale, cum propositum nullam inducat obligationem, ut cum Bonacina, Tamburino, Trullench, & aliis diximus *loc. cit. de voto n. 5.*

4. Dicitur *de re bona, & possibili*; quia ex Regul. 69. Juris in 6. *in malis promissis fidem non expedit observare*, cum nemo possit obligari ad peccatum, a quo debet abstinere. Idque verum est, etiamsi promissio sit juramento firmata; nam ex Regul. 58. Juris in 6. *non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*. Additur, *& possibili*, quia *nemo potest obligari ad impossibile*, ex Regul. 6. eod. Quod si materia promissa sit partim bona, & partim mala, partim possibilis, & partim impossibilis, promissio adimplenda est quoad partem bonam, & possibilem, si materia illa communiter, & ordinario modo sit divisibilis, quia talis præsumitur esse voluntas, & intentio promittentis, & valet illa regula 37. Juris in 6. *Utile per inutile non vitiatur*, ut fusius diximus suo loco de juramento, & voto *cap. 4. dub. 7. n. 65.*

5. Promissio facta ob turpem caussam, puta propter fornicationem, homicidium, aut quid simile, ante opus præstitum non obligat, cum nemo possit obligari ad peccatum, quin potius tenetur talem promissionem revocare, & restituere tenetur, si pretium aliquod accepit pro opere malo patrando; sed post patratum delictum obligat promissio, & promissor tenetur illam adimplere non solum titulo promissionis, sed etiam titulo justitiæ, cum talis promissio sit onerosa, non gratuita. Quare si altera pars implevit onus turpe sibi injunctum, debet promissor & ipse adimplere promissionem, & solvere promissum, & qui opus implevit potest mercedem accipere, & exigere ad instar mercenarii, cui de jure naturæ debetur merces, ut cum Lessio, Andreas a Matre Dei, Homobono, Lugo, & aliis diximus *in tract. de restit. cap. 4. dub. 2. num. 8.*

6. Ut promissio inducat obligationem debet esse vera, & non ficta, seu simulata, cujusmodi esset promissio facta sine animo promittendi, vel se obligandi; unde non sufficit ad veritatem promissionis oretenus exprimere verbum, *dabo, faciam*, sed requiritur animus promittendi, & se obligandi, sine quo non est vera promissio, nec obligat promittentem, ut fusius diximus de Voto *cap. 4. dub. 2.* Inde infert Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 5. nu. 15.* quod plures promissiones excusari possunt a mortali, quia per eas non intendunt homines stricte se obligare, sed ex quadam benevola honestate: nec obligatur qui verba generalia profert gratis urbanitatis, ut si dicat = promitto, me facturum quidquid velis = vel omnia mea in tui commodum parata sunt, & alia similia quæ urbanitatis gratia proferuntur, & potius exprimuntur ad significandam memoriam beneficii accepti, quam ad se obligandum, ut cum aliis tenet Bonacina *punct. 1. num. 15.*

7. Promissio differt a *Donatione*, quia hæc de se transfert dominium rei donatæ in donatarium, quamvis sit simplex solis verbis facta: non sic promissio, quæ solum respicit donationem futuram. Differt a *Pollicitatione*, quia pollicitatio est solius offerentis promissio nondum acceptata; promissio vero sæpe includit acceptationem, nec dicitur data fides, si non sit acceptata. Differt a *Pacto*, quia hoc magis late patet; nam pactum est consensus, & conventio duorum, aut plurium in idem, ex qua nascitur obligatio, sive utrinque, sive in altera tantum parte: promissio vero parit obligationem in promittente. Differt a *Stipulatione*; nam hæc consistit in quadam formula contrahendi, quæ fit, præcedente interrogatione creditoris, & responsione debitoris, qua posita, dicitur pactum, quia eamdem, & majorem habet obligationem cum pacto; unde si quis dicat: promittis mihi dare centum? & alter respondeat, promitto, censetur stipulatio: quæ verborum forma non semper contingit in promissione, ut cum Sylvestro, Rebello, & aliis docet Bonacina *supra num. 23.*

DUBIUM II.

An, & qualiter obliget Promissio non acceptata.

8. Conveniunt Doctores communiter, promissionem, idem valet de Donatione, mere internam, nullam inducere obligationem, sed posse semper revocari; nam animus in mente retentus obligationem non inducit, ut habetur *lib. 1. de verb. oblig.* sed promissio interna est animus mente retentus; & sic non parit obligationem, & hoc non solum ex Jure civili, sed etiam attento Jure naturali, ut habetur ex D. Thoma 2. 2. *q. 88. art. 1.* ubi ait: *promissionem unius hominis non posse alteri fieri, nisi per signa externa, Deo autem posse fieri per internam cogitationem*; in hoc enim differt promissio homini facta, ab ea, quæ fit Deo, quæque habet rationem voti, quod illa indiget verbis, aut nutibus, quibus sufficienter manifestetur; cum non possit cognosci ab homine, cui fit, neque ab ipso acceptari quousque verbis, aut aliis signis exterioribus sufficienter exprimatur; at promissio facta Deo non indiget exterius manifestari, cum omnia illi sint manifesta, ac proinde promissio facta Deo, quamvis interior, si est deliberate concepta, statim ab ipso acceptatur, & obligat, ut tenent Doctores communiter. Loquendo vero de promissione facta homini; *an obligationem inducat, si non sit acceptata*.

9. Resp. Promissio, idem valet de Donatione, antequam sit acceptata, non obligat, nec civiliter, nec naturaliter. Ita ex communi Doctorum sententia Gomez *tom. 2. cap. 9. num. 1. & seqq.* patet ex *l. 1. ff. de pollicit.* unde ante acceptationem potest semper revocari, quod idem valet in aliis contractibus, quia obligatio nascitur ex mutuo duorum consensu, *l. 1. ff. de pactis, & l. contractus 16. C. de fide instrum. l. absenti ff. de donat. l. non ambigi Cod. eod. tit.* & aliis juribus relatis a Lugo *disp. 23. nu. 35.* & inde, mortuo donatario ante acceptationem, remanet nulla donatio, nec possunt heredes acceptare pro defuncto, nec ad ipsos transit donatio ex rigore Juris; ex æquitate tamen præsumi potest, eam fuisse mentem donatoris, si heredes sint filii donatarii, ut tenet Filliuc. *tract. 33. cap. 2. num. 25.* & Lessius *lib. 2. cap. 18. dub. 6. num. 34. & 35.*

10. Hoc quidem verum est, non solum de Jure civili, sed etiam de Jure canonico, quod nullibi invenitur contrarium statuere, aut correxisse leges civiles, quoad necessitatem acceptationis. Nec obstant caput 1. & cap. *qualiter de pactis*, in quibus præcipitur observari pacta nuda; nec caput *si tibi absenti de præben. in 6.* ubi dicitur, non posse Episcopum revocare collationem Beneficii, etiam ante acceptationem illius, cui absenti collatum est; nam in primo casu Textus loquitur de pactis initis absque forma stipulationis, non tamen sine acceptatione, sine qua non est pactum. Ad secundum dicendum est, hoc esse speciale in beneficiis, in quibus Episcopus non donat, sed exequitur munus suum, prout debebat eligere, ut cum Covarr. 2. *part. de pactis §. 4. n. 13.* explicat Lugus *disp. 23. nu. 37.* Valet etiam de Jure naturali, secundum quod contractus non valet, nisi adsit utriusque contrahentis consensus; unde requiritur acceptatio, ut promissio, vel acceptatio sit valida, nec revocari possit. Etiam tenent Lugus *l. cit. & seqq.* Trullench *lib. 5. c. 17. dub. 4. & 5.* Diana *part. 8. tr. 6. resol. 108.* Palaus *disp. 2. part. 1. n. 1.* & alii communiter.

11. Excipiuntur tamen a Doctoribus promissiones, & donationes factæ Civitati ad reparationem ædificii, quod per incendium, terræmotum, aut aliam ruinam periit, quæ secundum *l. pactum, l. propter incendium, l. ob casum, ff. de pollicit.* non indigent acceptatione, ut sint firmæ, & revocari non possint. Lessius *lib. 2. c. 18. n. 36.* Item quando facta est promissio ob gratitudinem propter honorem a Civitate, vel Republica promittenti concessum, vel in opus a Republica inchoatum promovendum, quod etiam extendunt ad alias promissiones, & donationes factas Ecclesiis, Hospitalibus, vel aliis caussis piis, eo quod privilegia Civitatibus concessa, ad pias caussas, ob earum favorem videantur extendi, *l. illud; l. ut inter C. de sacrosanct. Eccles.* Lessius *loc. cit.* Molina *tr. 2. disp. 263.* & alii apud Dianam *tract. 7. resol. 107.* Sed rectius Lugus *n. 45.* nullam promissionem excludit etiam factam Civitati, & casum legis a Doctoribus allatum explicat dicendo; ideo fuisse validam illam donationem factam Civitati, quia jam ab ea erat acceptata, cum omnes audientes nomine Civitatis acceptare possunt; si promissio facta caussæ piæ, facta sit in honorem Dei, ut *Promitto Deo dare centum Ecclesiæ*, tunc non indiget acceptatione, quia obligat, ut Votum, & acceptatur a Deo: & universaliter promissio, aut donatio facta per modum Voti statim ante ullam acceptationem obligat. Bonacina *qu. 11. part. 2. num. 2.*

12. *An vero revocari possit promissio, seu donatio ante acceptationem, si fuit juramento firmata, maxime si juramentum sit de tali promissione, seu donatione non revocanda*; negant plures, eo quod juramentum, quoties servari potest absque detrimento salutis æternæ, semper obligat in conscientia ob honorem Dei, ne in testem mendacii Deus adducatur, cap. *si vero*, cap. *cum contingat, de jurejurando*: sic Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 5. num. 3.* Covarr. *de pactis 2. part. §. 4. n. 12. & 16.* Verum probabile est, promissionem non firmari juramento, sed semper posse revocari quousque non fuerit acceptata, quamvis sit promissio ad piam caussam, dummodo non sit promissio facta Deo per modum Voti. Ratio est, quia juramentum sequitur naturam principalis, & conditiones actus, cui adhæret, *l. fin. C. de non numerata pecunia*;

sed

sed actus promissionis, aut donationis, quæ est principalis, imbibit ex natura rei conditionem, si acceptetur, ac proinde sub eadem conditione censetur factum juramentum; cum autem promissio possit revocari ante acceptationem, ita etiam juramentum, nisi promissio facta sit in honorem Dei per modum Voti; unde facta homini non obligat, nisi ab homine acceptetur. Ita Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 7. n. 24.* Lugus *suprà nu. 5u.* Antonius a Spiritu Sancto *tr. 10. disp. 11. num.* 458. & alios referens Bonacina *part. 2. num.* 3.

13. Ad hoc, ut promissio, seu donatio dicatur acceptata, necesse est, quod promissarius, seu donatarius verbis, aut signis exprimat promissionem esse sibi gratam, illamque acceptare; si non respondeat, sed taceat censetur annuere pollicitationi, juxta Regul. Juris in 6. *Qui tacet consentire videtur*, quæ locum habet in iis, quæ sunt sibi grata, & favorabilia, non autem in odiosis, quando agitur de præjudicio tacentis; nam tunc valet potius alia Regul. *Qui tacet, nec consentire, nec dissentire videtur;* nam taciturnas de se est indifferens ad assensum, vel dissensum significandum, prout materia est favorabilis, aut odiosa: & sic in materia favorabili, prout est promissio, seu donatio gratiosa, censetur significare consensum; in promissione vero, seu donatione odiosa censetur significare dissensum, prout explicant communiter Doctores Sanchez, Molina, Emmanuel Sa, Azorius, Lopez, Sylvester, & alii, quos affert, & sequitur Bonacina *punct. 2. n. 9.*

14. Si donatarius, vel promissarius longe abest, debet ei per nuntium ad hoc destinatum, vel per epistolam significari, & manifestari promissio, & donatio facta, ut illam possit, si velit, acceptare, & promissarius debet coram nuntio, vel per epistolam promissionem acceptare; non enim sufficit ad validam promissionem, seu donationem, quod consensus promittentis, seu donantis manifestetur promissario, seu donatario, per alium tertium a promittente non destinatum, sed requiritur, ut ipsi manifestetur per aliquem ab ipso promittente destinatum. Nec etiam sufficit, si promissarius suum consensum significet alteri, quam nuntio ab ipso promittente destinato; nam, ut duorum consensus in pactum coalescant, debent mutuo sibi correspondere, ut colligitur ex ipsa definitione pacti, quod est duorum consensus, atque conventio, & constat ex *l. absenti ff. de donat.* & tenent Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 6. n. 20.* Lessius *lib. 2. cap. 18. dub. 6. n. 23.* Molina *disp.* 264. Palaus *disp. 2. par. 3. n. 4.*

15. Bossius *de contr. Matrim. c. 3. n.* 110. quamvis asserat, ad validitatem promissionis, seu donationis factæ absenti necessarium esse, ut id fiat per nuntium ad id expresse a promittente, seu donante destinatum, vel per epistolam a promittente promissario missam, non tamen necessitatem agnoscit, ut acceptatio fieri debeat per externam manifestationem factam coram eodem nuntio, sed sufficere acceptationem factam coram quovis; statim enim, posita tali acceptatione, exterius manifestata coram quovis, perficitur contractus, & promissio, seu donatio remanet firma, & irrevocabilis, nec est necesse, quod per nuntium, aut per epistolam acceptatio notificetur promissario ad hoc, ut sit firma, sed solum, ut sciat, & cognoscat esse acceptatam. Ita Sardus, Gutierez, Molina, & alii ab eodem Bossio citati.

16. Si antequam promissio, seu donatio acceptetur, moriatur promissarius, vel donatarius, non posse illam heredes acceptare diximus supra *n. 9.* quia potestas acceptandi est personalis, quæ extinguitur morte promissarii, quia ante acceptationem nullum habet jus reale, & quæsitum, & sic non potest illud ad heredes transmittere, nisi promissio, & donatio directa etiam sit ad heredes defuncti; nam tunc acceptare possunt, non quatenus sunt heredes defuncti, sed quatenus ipsis etiam facta est, quod ex circumstantiis colligi debet, ut cum Palao tenet Antonius a Spiritu Sancto *disp. 11. n.* 464. Si vero ante acceptationem moriatur promittens, seu donator, non posse amplius donationem, & promissionem acceptari cum Lopez, Azevedo, Layman, Palao, & aliis docet ibid. Antonius a Spiritu Sancto *n.* 462. quia ea donatio, seu promissio perit morte promittentis, cum esset ejus voluntas, quæ cum voluntate promissarii conjungi debebat ad hoc, ut posset dari acceptatio. Probabile tamen est, adhuc posse acceptari, si non fuit antecedenter revocata, quia talis promissio, vel donatio gratiosa ex parte donantis, & promittentis fuit perfecta, & virtualiter manet impressa in litteris, vel internuntio, ut transeat ad donatarium, tum quia est gratia facta, quæ non extinguitur morte donantis, quod maxime procedit in donationibus ad caussas pias, quia decedens præsumitur sic voluisse; cum ea donatio maxime cedat in salutem animæ suæ, ut cum Lessio *cap. 18. dub. 2. nu.* 45. Sanchez, Molina, & Rebello tenet Andreas a Matre Dei *cap. 5. punct. 4. n. 75.* Bonacina *punct. 4. n. 2.*

DUBIUM III.

Qualiter obliget Promissio acceptata.

17. Promissionem legitime factam, & ab altero acceptatam, ex genere suo obligare ex justitia, & sub peccato mortali, nisi excuset parvitas rei promissæ, docent satis communiter Doctores; unde illud vulgatum *omne promissum cadit in debitum* arg. cap. *qualiter de pactis*, ibi: *studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur opere compleantur*. Ratio est, quia promissio acceptata est verum pactum, quia includit duorum conventionem, & consensum, in quo consistit ratio pacti, *l. 1. ff. de pactis*, & in *l. 3. ff. de pollicit.* sed pactum obligat ex justitia, illudque non servans potest excommunicari, *c. 1. de pactis*; ergo promissionem acceptatam non servans peccat mortaliter, nam excommunicatio supponit peccatum mortale; deinde, quia promissa non servans lædit justitiam legalem, quæ ad Reipublicæ pacem, Civium convictum, & humanam societatem disponit, servanda esse promissa, sine quibus semper includitur fidelitas, & obligatio servandi pactum, quæ proinde debet esse obligatio gravis inducens peccatum mortale. Sic tenet Covarr. cap. *quamvis pactum part. 2. §. 4. n. 13. vers. quidam autem* D. Antoninus 2. *part. tit. 10. cap. 2. §. 4.* Ricardus *in 4. dist. 38. circa tertium principale quæst. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 18. dub. 8. num. 55.* Palaus *tr. 32. disp. 2. punct. 8. num. 5.* Trullench *lib. 7. cap. 17. dub. 6. n. 5.* & alios referens Bonacina *quæst. 14. punct. 2. num. 4.*

18. Verum non est minus probabilis altera sententia docens, simplicem promissionem gratuitam homini factam, & acceptatam, ex natura sua non obligare sub mortali, sed solum sub veniali. Ratio est, quia gratiose promittens non obligatur, nisi ex quadam morali honestate, & fidelitate, secundum quam quilibet tenetur dicere verum, ut colligitur ex D. Thoma 2. 2. *q. 88. art. 3. ad 1.* ubi habet. *Ad primum ergo dicendum, quod secundum honestatem ex qualibet promissione homini obligatur, & hæc est obligatio juris naturalis; sed ad hoc quod aliquis obligetur ex aliqua promissione obligatione civili*, id est ex justitia, *quædam alia requiruntur*, ergo gratiose promittens non obligatur graviter ex justitia, sed solum ex morali honestate, ac proinde solum venialiter, nisi promissario grave damnum sequatur. Conf. quia promissio non potest obligare, nisi ratione fidelitatis; sed fidelitas non obligat sub mortali, nisi ratione gravis damni illati, quo cessante, non obligat, nisi sub veniali, ratione mendacii, quod cum non sit perniciosum, non obligat, nisi sub veniali. Quod etiam constat experientia, qua homines non putant se peccare graviter, si gratuitam promissionem non adimpleant. Ita tenent Cajet. 2. 2. *quæst. 113 art. 1. dub. 4.* & in summa *verb. perfidia* Joannes a S. Thoma 2. 2. *quæst. 88. disp. 29. art. 9.* Henriquez *lib. 13. c. 17. nu. 6.* Petrus de Ledesma *de matrim. quæst. 45. art. 5. concl. 1.* Diana *part. 7. tract. 17. & 3. miscell. resol. 9. & part. 4. tract. 4. resolut. 122.* Andreas a Matre Dei *tract. 14. cap. 5. num. 85.*

19. Dixi, *ex natura sua simplicem promissionem acceptatam non obligare sub mortali*, quia per accidens obligare potest, si ex non observata promissione grave damnum obveniat promissario; unde peccat medicus, si promittat subvenire infirmo, qui spe fraudatus notabiliter læsus est, & universaliter quoties res promissa ita est proximo necessaria, ut ejus oppositum grave inferat nocumentum. Ut autem materia censeatur gravis requiritur, quod sit quadruplo major, quam sit illa, quæ sufficit ad peccatum mortale in furto, ut docent Rebellus *lib. 18. q. 4. n. 7.* Anton. a Spiritu Sancto *n.* 470. Lessius *c. 18. dub. 8. n. 56.* quia imperfectiori modo obligat promissio, quam furtum, & longe majorem affert injuriam furtum, quam promissio, & inde major debet esse materia notabilis respectu promissionis, quam respectu furti, ex quo inferunt Sanchez, Rodriquez, & Malderus apud Dianam, non peccare mortaliter Sacerdotem, qui liberaliter promisit alicui unum Sacrum, illud omittendo, quia illa omissio Sacri ex liberalitate promissi in genere damnorum spiritualium non est tanti momenti, ut sit peccatum mortale.

20. Nec obstat ratio in contrarium adducta, quia non probat, promissionem acceptatam obligare ex justitia, sed duntaxat ex fidelitate, quæ licet necessaria sit ad pacem Reipublicæ, & ad humanam societatem, & convictum, non tamen graviter lædit talem societatem, sicut non lædit graviter mendacium officiosum. Promissio acceptata transit in pactum, sed non obligat graviter, si damnum nullum sequatur, ut habetur *l. Juris gentium §. sed cum nulla ff. de pactis*, ibi: *sed cum nulla subest caussa præter conventionem, hinc constat non posse constitui obligationem, igitur nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem*. Qui non observat pactum, potest

excom-

excommunicari, si talis observantia sit graviter injuriosa, & perniciosa; secus si nullum, vel leve afferat damnum.

21. Promissio valida, & acceptata variis modis definit obligare. Primo, propter condonationem promissarii potentis condonare; nam quilibet renuntiare potest juri suo. Secundo, quando duo sibi invicem aliquid promiserunt, & alter non vult implere promissum: tunc enim nec prior manet obligatus stare suo promisso, sed uti potest compensatione. Tertio, ob non subsistentiam caussæ principalis, ob quam facta est promissio, ut si intuitu paupertatis alicui aliquid promisisti, cessat obligatio, si postea cognoscas, vere non esse pauperem. Idem valet si intuitu beneficii facta erat promissio remuneratoria, si de facto beneficium non accepisti, sed falso existimasti, te accepisse. Quarto, cessat obligare promissio propter mutationem objecti, si nimirum res promissa interim fiat impossibilis, illicita, damnosa, vel inutilis promissario, in cujus commodum, & utilitatem facta est promissio. Quinto, si status rerum, & personarum ita mutetur, ut judicio prudentium censeatur promissor, talem eventum non voluisse comprehendere: nam promissio censetur facta sub tacita conditione, rebus in eodem statu permanentibus, & nisi status rerum notabiliter mutetur. Inde si centum aureos pauperi promisisti, & interim incidas in paupertatem, illiusque indigeas ad tui, tuæque familiæ honestam sustentationem, non teneris observare promissum. Item, si quis puellæ promisit matrimonium, quæ postea fit pauper, multum deformis, aut ab alio fuit corrupta, quia res tunc est notabiliter mutata, ut suo loco diximus *de Sponsalibus*, cessat etiam ob ingratitudinem promissarii, aut si ille fiat inimicus. Ita Molina *disp.* 272. Reginald. *l.* 24. *n.* 85. Antonius a Spiritu S. *disp.* 11, *n.* 471. Unico verbo promissio non obligat, quando res non perseverant in eodem statu, sed sunt notabiliter mutatæ, seu aliquid supervenit, quod si fuisset præcognitum, promissio non esset facta, ut clare constat ex D. Thoma 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 5.

DUBIUM IV.

Quid, & quotuplex sit donatio.

22. Donatio, quæ secundum nominis etymologiam idem est, ac *doni datio*, bene definitur, quod sit *rei alicujus licitæ, nullo jure cogente, mera liberalitate facta collatio, seu donatio.* Dicitur *rei alicujus licitæ*, quia illicitæ rei donatio, sicut etiam venditio nulla est, nec donans cogi potest illam tradere. Dicitur *nullo jure cogente*, sive naturali, sive positivo, quia debet procedere ex mera liberalitate donantis, quæ sola debet esse caussa motiva donationis; unde excluditur id, quod datur tamquam pretium emptionis, seu locationis, & id quod datur titulo compensationis, seu remunerationis. Donatio enim remuneratoria, quæ dicitur antidoralis, & fit ad remuneranda beneficia collata, non est vera, & rigorosa donatio, cum non procedat ex mera liberalitate, sed fit ob caussam, id est ob merita, obsequia, vel officia a donatario præstita. Dicitur *facta collatio, seu datio*, ad significandam actionem donantis aptam ex sua natura ad transferendum dominium rei donatæ, sive juncta sit cum reali traditione rei donatæ, sive cum verbali tantum, quæ dicitur donatio imperfecta. Hinc

23. Donatio dividitur: primo in *realem, & perfectam*, & in *verbalem*, seu *imperfectam*. Realis est illa, qua quis rem alteri gratuito donat, & actu tradit, illiusque dominium per traditionem transfert in donatarium; & hæc est donatio proprie, & rigorose talis. Verbalis, & imperfecta est, quæ consistit tantum in verbis, qua quidem res alteri per verba de præsenti donatur, sed actu non traditur, & hæc donatio est imperfecta, ac improprie talis, quia per illam non transfertur dominium, ad cujus translationem requiritur rei traditio. *L. traditionibus C. de pactis*, ibi: *traditionibus dominium rerum, non nudis pactis transferuntur*; & inde si rem tali modo donatam Petro, venderet, seu donaret Paulo cum reali traditione, Paulus acquireret talis rei dominium, & Petrus solum haberet actionem personalem in donatorem, ut ei compenset rei æstimationem: quare donatio ista verbalis parum differt a promissione, unde ea, quæ superius dicta sunt de promissione, proportionaliter valent etiam de donatione verbali.

24. Dividitur secundo donatio in *mere gratuitam*, & *remunerativam*. Prima est, quæ ex mera liberalitate fit absque ulla justitiæ, vel gratitudinis obligatione præcedente. Secunda est ex titulo gratitudinis, in compensationem accepti beneficii. Tertio dividitur in donationem *absolutam*, quæ fit pure absque ulla conditione, & *conditionatam*, quæ sub certa quadam conditione fit; præcipue tamen dividitur in donationem inter vivos, & donationem caussa mortis. Prima est, quæ ante mortem donatoris sortitur suum effectum, non secunda, quæ solum in morte donatoris confirmatur, sicut testamenta, & ultimæ voluntates, & ante mortem potest semper revocari, nec alia requiritur caussa, quam voluntas ipsa donantis, quæ deambulatoria est usque ad mortem, sicut dicitur de testamentis, & ultimis voluntatibus. Cognoscitur autem, an donatio sit caussa mortis, quando fit intuitu mortis, facta scilicet mentione mortis; si enim fiat sine mentione, cognitione, aut suspicione mortis, censetur donatio inter vivos, ut statim fiat accipientis, & hæc sine caussa revocari potest.

25. Tribus modis fieri potest donatio caussa mortis. Primo donando ex sola mortis cogitatione, nullo existente periculo actuali. Secundo donando cum actuali periculo, & ita, ut res statim transeat in dominium donatarii, sed revocabiliter ad nutum donantis. Tertio ita donando, ut res non fiat donatario, nisi secuta morte donantis, quo casu dominium rei perseverat apud donantem usque ad ipsius mortem: qui tres modi referuntur *l.* 2. *de mortis caussa donation.* ibi: *Tres esse species mortis caussa donationum, Julianus ait; una, cum quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis donat. Aliam esse speciem mortis caussa donationum ait, cum quis imminente periculo commotus, ita donat, ut statim fiat accipientis. Tertium esse genus donationis, ait, si quis periculo motus non sic donat, ut statim fiat accipientis, sed tunc demum cum mors fuerit secuta.* In dubio, an donatio sit ex caussa mortis, vel inter vivos, semper præsumenda est donatio inter vivos, quia numquam intelligitur facta caussa mortis, nisi sit facta cum expressione mortis, ut cum Molina *disp.* 287. & Fr. Stephano a S. Gregorio notat Ant. a Spiritu S. *d.* 12. *n.* 478. Lugus *d.* 24. *sect.* 5. *n.* 322. Andr. a Matre Dei *c.* 4. *n.* 112.

26. Donatio, ut sit valida, debet esse acceptata, ut enim diximus supra *dub.* 2. Donatio, sicut enim promissio, antequam sit acceptata, nulla parit obligationem, nec naturalem, nec civilem, sed potest semper revocari: si fiat præsenti, & tacenti, ab ipso censetur acceptata, quia in favorabilibus valet illa Regul. 43. Juris in 6. *qui tacet consentire videtur.* Si fiat Deo, vel in ejus honorem alicui Sancto, per modum voti, statim remanet firma, & irrevocabilis; nam Deus statim acceptat donationem in sui honorem factam. Si donatio sit mere verbalis ante traditionem actualem non dat jus in re, sed ad rem, ut enim dicitur *l. Traditionibus C. de pactis; Traditionibus, & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis acquiruntur*; unde si Titius equum absentem, domum, vel quid aliud donet, non acquiris dominium, nec jus in re ante traditionem; & si interim domum venderet, & traderet alteri, iste dominium acquireret, ut dixi supra.

27. Ut valida sit donatio inter vivos ultra 500. solidos, necessario requiritur insinuatio apud Judicem. Est autem insinuatio declaratio quædam, & manifestatio, quæ donans Judici declarat, & manifestat, se tantam summam alteri sibere donare, illamque Judex approbat suo consensu, & a Notario conscribitur, non tamen est necesse, quod fiat in loco Judicii, nec requiritur decretum Judicis, sed sufficit præsentia, & consensus absque cognitione caussæ, ut docent communiter Doctores. Molina *disp.* 278. Julius Clarus §. *Donatio q.* 15. *ad fin.* Lessius, Reginaldus, quos sequitur Bonacina *punct.* 6. *n.* 1. Fieri etiam potest per procuratorem, cum talis insinuatio sit voluntaria, & non contentiosa. Ideo autem sancita est necessitas talis insinuationis, ne Cives donationibus excessivis cum detrimento Reipublicæ ad egestatem redigantur, & ut fraudibus in donatione magnæ quantitatis obvietur.

28. Talis insinuatio olim requirebatur, quando donatio excedebat summam ducentorum, & postea trecentorum solidorum, *l. sancimus C. de donat.* postea tamen sancitum est, ut insinuatio requiratur solum quando donatio excedit summam quingentorum solidorum, *l. si quis pro redemptione*, quæ est penult. §. *ult. C. de donat.* & §. *aliæ autem instit. hoc tit.* Non facta insinuatione, donatio est invalida, quoad excessum; nam in iis, quæ dividi possunt, utile per inutile non debet vitiari. *L. si sponsus* §. 2. *de donat. inter virum, & uxorem*, & Regul. 37. *Juris in* 6. Possunt tamen diversis temporibus plures fieri donationes, sive eidem, sive pluribus, & omnes erunt validæ, si qualibet singularis donatio non excedat quingentos solidos, licet omnes simul dictæ donationes talem summam excedant. Si vero absque insinuatione plures fiant donationes, sive eidem, sive pluribus unico, & eodem actu, & eodem tempore, si excedant 500. solidos, erunt invalidæ quoad excessum, & consequenter aliquid singulis detrahendum est ad ratam, donec perveniatur ad eam quantitatem, ad quam non requiritur insinuatio, ut cum Lessio, Claro, & Azorio tenet Bonacina *q.* 12. *p.* 6. *n.* 4

29. Absque insinuatione sustinetur tamquam valida donatio remuneratoria, quamvis excedat 500. solidos, modo merita sint æqualia donationi; nam hæc non est proprie donatio, cum non fiat ex mera liberalitate, sed ob merita præcedentia, ut habet Julius Clarus *§. donatio q. 16. n. 6.* Azor. Molina, Gomez, quos sequitur Bonacina. Ob eamdem rationem sustinentur donationes factæ ob aliquam caussam, puta ad militiam, ad studia, nuptias, &c. quia & hæ stipulationes, quæ ob caussam fiunt non habent donationem, prout dicitur *l. hoc jure §. sed & hæ ff. hoc tit.* Donatio facta Ecclesiæ, vel ad caussas pias, non indiget insinuatione. Clarus *§. donatio q. 17. n. 1.* quia jura civilia non possunt impedire opera pietatis, nec Princeps sæcularis condere potest legem in detrimentum bonorum operum, & salutis animarum. Gomez, Lessius, Molina, Rebellus apud Bonacinam. Idem valet de donatione alicui facta ad reparationem ædium incendio, vel ruina destructarum, vel pro redemptione captivorum, quia per hoc opus pietatis exercetur. Arg. cap. *Relatum 1. de testam.* ubi Pontifex decernit, ne pro legatis ad pias caussas requiratur sollemnitas septem, vel quinque testium jure civili definita, sed sufficiant duo, vel tres, prout sufficit de jure gentium, quod Panormitan. extendit ad donationem ad pia caussas absque insinuatione, etiamsi fiat in magna quantitate, ut habet Lessius *cap. 18. disp. 13. numer.* 102.

30. Remissio debiti liquidi excedentis quingentos solidos non sustinetur ablque insinuatione; nam remissio debiti est quædam donatio. Julius Clarus *q. 16. n. 2.* Rebellus *l. 18. q. 6. n. 8.* Gomez, Az. Molina apud Bonacinam. Ille, cui facta est remissio, seu donatio ultra quingentos solidos, tenetur restituere excessum, si repetatur a donatore, vel ejus heredibus; secus si non exigatur, quia legislator non facit donatarium inhabilem ad retinendum acceptum, nec illum obligat ad restitutionem rei acceptæ antequam exigatur, sed solum jus tribuit donatori, ut possit excessum exigere. Rebell. *supra q.* 8. Molina *disp.* 278. *num.* 21. Bonac. *nu.* 6. quæ quidem valent de jure communi; nam standum est particularium locorum statutis, si diversimode statuant, & decernant.

31. Nomine *solidi*, juxta receptam consuetudinem, intelligitur nummus aureus Hungaricus, aut Zecchinus Venetus, juxta Stephanum *a* S. Gregorio *de contract. l.* 2. *c.* 15. *n.* 8. ut proinde quingenti solidi sint quingenti aurei Hungarici, seu Zecchini Veneti, quos si donatio excedat, apud Judicem insinuari debet; si tamen insinuatio omittatur, non vitiat totam donationem, sed tantum quoad excessum, ut supra dixi. Addunt nonnulli, nomine *solidi* intelligi nummum aureum valoris decem, & septem Juliorum, quia sic erat tempore Justiniani Imperatoris, qui leges civiles in ordinem redegit, ut testatur Az. 3. *p. l.* 11. *c.* 5. *de donatione*; sed quia post factam illam Constitutionem auri copia crevit, quingentos solidos nunc æquivalere septingentis, vel octingentis aureis, & sic non esse infringendam donationem septingentorum aureorum factam sine insinuatione, cum Jason. Decio, Felino, & Alex. apud Rebellum *l.* 18. *de promis. q.* 6. *n.* 5. & cum Reginaldo, Bellono, & aliis apud Jul. Clarum *§. donatio q.* 15. tenet Bonac. *n.* 3.

DUBIUM V.

Quis donare, & quæ donari possint.

32. RESp. illos tantum donare posse, qui habent dominium, & rerum suarum liberam administrationem, nec specialiter prohibentur a jure. Sic communiter Doctores, & colligitur ex dictis supra *c.* 1. *de contract. in genere dub.* 5. Unde prodigus nec licite, nec valide donare potest sine Curatoris auctoritate, cum illi sit interdicta suorum bonorum administratio, *l.* 2. *ff. de Curatorib. furios.* Similiter pupilli, minores, furiosi, amentes donare non possunt, & universaliter omnes, qui carent administratione suorum bonorum, cujusmodi sunt præfati, etiam prohibentur alienare, & donare sine auctoritate Tutoris, vel Curatoris. Tutores ipsi donare aliquid non possunt de bonis, quæ administrant, *l. contra Juris 38. §. fin. de pactis*, ibi: *Juliano placet, etiamsi maximam quis administrationem peculii habeat concessam, donandi jus eum non habere*, junct. *l. Lucius 46. §. fin. de administrat. Tutor.* nam Tutores, & Curatores dantur pro utilitate suorum principalium, non ut bona dissipent, cujusmodi est donare: quod quidem intelligi debet de donatione liberali, & voluntaria; nam donationes quasdam remuneratorias pro servitiis, & beneficiis principali collatis facere non prohibentur, nec alias pro more, & consuetudine facere solitas, per Teatum in *l. cum plures 12. §. 3. ff. de administr. Tutor.* & tenent communiter Doctores.

33. Impuberes, quales sunt masculi ante 14. annum completum, & feminæ ante 12. completum, donare prohibentur, & ab eis quidpiam momenti accipi, quia non censentur habere perfectam, & stabilem mentem, constat ex *l. fin. C. quando Tutores, & Curatores esse desinunt*, & *l. fin. C. de testamento militis*. Non prohibentur tamen aliquid donare ad caussas pias, sed tantum extraneis, ex *l. 2. ff. de pollicit.* Idem valet de minoribus, qui donare non possunt de suis bonis castrensibus, vel quasi castrensibus absque consensu expresso, vel tacito Curatoris: adesse censetur consensus tacitus respectu donationum, quas alii viri ejusdem conditionis, & qualitatis secundum consuetudinem patriæ facere solent. Qui bona accepit a minore non tenetur ea restituere antequam repetantur a curatore, vel a minore utente privilegio restitutionis in integrum, ut diximus supra *c. 1. de contr. in gen.* ubi etiam constat quid dicendum sit de contractibus, & donationibus factis a filio familias.

34. Quoad uxorem diximus alibi *in septimo præcepto Decalogi dub.* 5. uxorem posse facere donationes remuneratorias, & eleemosynas secundum consuetudinem aliarum mulierum suæ conditionis, nec non aliqua insumere in ludos, & honestas recreationes secundum conditionem sui status, quamvis maritus id prohibeat, quia videtur prohibere solum excessum; secus esset irrationabiliter invitus, cum uxor non sit mancipium viri, sed socia habens etiam quamdam auctoritatem administrationis, licet viro subjectam, ne quid inordinate fiat; unde maritus non potest illi prohibere omnes donationes, & recreationes etiam moderatas, & rationabiles, prout fusius diximus *l. c.* & possunt ibi videri.

35. Milites suæ concubinæ, seu meretrici quidquam donare prohibentur, *a. C. de donat. inter virum, & uxorem*; quod intelligi debet de liberali, & gratiosa donatione, non de illa, quæ fit in pretium turpitudinis, & si quid donavit, potest illud in judicio repetere, & mulier restituere tenetur post sententiam, non antea, colligitur ex *l. donationes in concubinam 31. ff. hoc titul.* ubi Imperator ait: *Milites tamen meos a focariis suis hac ratione, fictisque adulationibus spoliari nolo*. Idque etiam valet de Clericis, qui gaudent privilegio Militum, cum & ipsi quoque militare dicantur, ne scilicet blanditiis feminarum depauperentur, & hujusmodi donationes factas concubinæ a Clerico invalidas esse tenet Cæsar Paltimoll. *decis.* 59. *n.* 38. idque dicit tenuisse Rotam *decis.* 46. *n.* 6. *coram Seraphino*.

36. Religiosi Professi, cum nihil proprium habeant, nihil donare possunt absque expressa, vel tacita licentia sui Superioris, quam licentiam tacitam habere censentur illi, qui degunt extra claustra studiorum caussa, vel alia honesta; unde possunt eleemosynam facere de suo viatico, quia licentia manendi extra claustra ad id se videtur extendere. Prælati, & Ecclesiarum Rectores alienare nequeunt per donationem, aut alio modo bona immobilia suarum Ecclesiarum, nec mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, ut fusius explicabitur infra *cap. ultimo.* cum agemus de bonis Ecclesiæ non alienandis. Donationes magnas, seu in magna quantitate de redditibus, & bonis Ecclesiæ facere ex mera liberalitate prohibentur *c. 2. de donationib.* ubi additur hæc ratio, quod *cum Episcopus, & quilibet Prælatus Ecclesiasticarum rerum sit procurator*, seu administrator, *non dominus, conditionem Ecclesiæ meliorare potest, facere vero deteriorem non debet*. Non tamen prohibentur facere donationes modicas, & moderatas pro loci consuetudine, quia per illas non incurritur suspicio avaritiæ, conservatur bona æstimatio, & hominum benevolentia, quod redundat in utilitatem Ecclesiæ.

37. Resp. 2. Ea omnia donari possunt, quæ veniunt in commercium hominum, & cujus dominium transferri potest, sive deinde sint res corporeæ, tam mobiles, quam immobiles, ut equus, vestis, domus, vinea; sive incorporeæ, ut jura, actiones, nomina debitorum, & jus etiam litigandi, dummodo non detur potentiori cum gravi præjudicio partis adversæ; dummodo tamen non sint res furto sublatæ, quas fur, vel raptor donare non potest, cum non sit illarum dominus: nemo siquidem plus juris in alium transferre potest, quam ipse habet, *l. Nemo ff. de Regul. Jur.* Ita cum Navar. Reginaldo, & Lessio, tenet Bonacina *q. 12. p. 2. n. 17.* Donatio rei alienæ, si fiat bona fide, valet saltem quoad hoc, quod donatarius rem donationem usucapere, & cum tempore præscribere possit, quamvis illius dominium statim non acquirat, *l. 2. & tot. fere Tit. ff. pro donato*, ut habet Azor. *part. 3. lib. 9. de Donat. cap. 6. quæst. 2.* non donans tenetur de evictione, si res taliter donata evincatur, *l. Aristo 18. §. fin. hoc tit.* ibi: *Labeo ait, si quis mihi rem alienam donaverit, inque eam sumptus magnos fecero, & sic evincatur, nullam mihi actionem contra donatorem competere*, dummodo tamen facta sit bona fide; nam si sciens, rem esse alienam, mala fide, & dolose ignoranti donas-

donasset, tunc donatarius agere posset contra illum pro restituendis impensis, ut refert Anacletus *l. 3. Juris Canon. tit. 24. §. 1. n. 20.*

38. Donatio omnium bonorum tam præsentium, quam futurorum de Jure communi est invalida, *l. ex eo C. de inutil. stipulat. & l. stipulatio ff. de verb. oblig.* & tenet cum communi sententia Bonacina *q. 12. punct. 15.* quia per talem donationem tollitur libera facultas testandi, quod est contra bonos mores, & in lege prohibitum, tamquam indecens, & noxium Reipublicæ, ut probat Molina *disp.* 280. Valet talis donatio, si bona tantum præsentia donet, vel si solam bonorum proprietatem, reservato sibi usufructu, qui tamen excedat quantitatem alimentorum, quatenus absolute necessaria sunt ad sustentationem vitæ, quia de his adhuc potest testari: vel si omnium bonorum donationem faciat caussa mortis, reservata tamen sibi facultate donationem revocandi; nam tunc poterit testari, & heredem instituere. Clarus *q.* 19. Covar. 3. *resol. c.* 12. *n.* 3. Molina *disp.* 280. Palaus *disp.* 2. *punct.* 24. Lessius *c.* 18. *n.* 94.

39. Valet etiam omnium bonorum donatio, si fiat Ecclesiæ, vel caussæ piæ, quia Jus Civile non potest opera pietatis impedire, & restringere, cujusmodi est omnia sua tradere caussæ piæ. Bartol. Felinus, Covarr. Lessius Az. quos sequitur Bonacina *supra punct.* 1. Valet etiam, si juramento firmetur, quia talis donatio non est contra bonos mores quasi intrinsece mala, sed contra Jus civile, quod irritas esse voluit, quia sic expedit politico regimini in foro exteriori, ne fiant donationes omnium bonorum, salvo tamen sacro vinculo juramenti, ut colligitur ex cap. *quamvis pactum, de pactis in* 6. Villalob. Lessius, Tapia, Covarr. Layman, quos sequitur Andreas a Matre Dei *tr.* 14. *c.* 3. *n.* 98. addens, validam esse donationem omnium bonorum, si fiat ex caussa onerosa, puta ratione matrimonii contrahendi cum filio, vel filia, vel nepte, in quorum favorem fit donatio caussa matrimonii, vel alterius contractus onerosi, quia tunc non est pura donatio a lege prohibita, & irritata. Est etiam valida donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum cuicumque facta, si Principis auctoritate firmetur, ut cum Facundez notat Ant. a Spiritu S. *n.* 509.

40. Quamvis jure civili prohibita, & irrita sit pro foro externo donatio omnium bonorum, quia tamen non est intrinsece mala, non erit peccatum mortale illam facere, si non sit contra justitiam creditorum, filiorum, vel in præjudicium aliorum, nec restituere tenentur, qui illas donationes accipiunt, sine damno, & præjudicio tertii, sed possunt retinere, donec donatio revocetur, vel donatum ab heredibus repetatur, quia hujusmodi leges, licet prohibeant donationem facendam, non tamen irritam reddunt, nec faciunt inhabiles donatarios ad recipiendum, & retinendum, sed solum jus tribuunt heredibus donatum repetendi, etiam post mortem donantis, si donationem ante mortem non ratificaverit, ut cum Bonacina, Lopez, Tapia, Villalob. Rebello, docet Andreas a Matre Dei supra *num.* 99.

DUBIUM VI.

De Donatione inter Conjuges.

41. Donationes puræ, simplices, & liberales inter Conjuges Jure communi sunt invalidæ, & ad arbitrium donantis revocari possunt, ut clare constat ex cap. *fin. hoc tit.* ibi: *donatio, quæ constante Matrimonio inter Conjuges dicitur esse facta, ex qua alter locupletior, & alter pauperior efficitur, firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur, quæ tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacite, vel expresse, vel qui donatum accepit prius debitum naturæ persolvat.* Idem habetur ex *l. 1. ff. hoc tit.* ibi: *Moribus apud nos receptum est, ne inter virum, & uxorem donationes valerent*; & statim adjungitur ratio, *hoc autem receptum est, ne mutuo amore invicem se spoliarent, donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate &c.* Hæc donatio inter Conjuges facta penitus evanescit, si vivente donatore tacite, vel exprese revocetur.

42. Tacite revocatur primo, si donans rem prius Conjugi donatam, ipsa inconsulta, postea donet alteri, vendat, seu leget, vel etiam pignori, & hypothecæ subjiciat, arg. *l. cum hic status 32. §. 5. & §. 15. ff. hoc tit.* ibi: *si maritus ea, quæ donaverat, pignori dedit, utique eum pænituisse dicemus*; & *l. si maritus 12. C. eod. tit.* ibi: *cum sit manifestum, etiam donatione, vel traditione, vel alio quolibet modo rebus alienatis, revocatam esse a viro in mulierem factam donationem*; non intelligitur tamen revocata per solam hypothecam generalem omnium bonorum ut cum aliis tenet Sanch. *l. 6. disp. 15. n. 5.* dum in *cit. l. si Maritus*, habeatur, *si specialiter obligavit.*

43. Tacite revocatur etiam donatio per divortium, *nisi in divortio voluerit donationem valere*, aut matrimonium denuo sit inter ipsos reintegratum, *l. cum hic status 32. §. 10. ff. hoc tit.* Tacite etiam revocatur per graves inimicitias inter conjugatos subortas; in dubio non præsumitur revocata, ut habetur *ib. §. 4. si appareat defunctum evidenter revocare voluisse, quod si in obscuro sit, proclivior esse debet Judex ad comprobandam donationem.* Numquam tamen ex tali donatione facta inter virum, & uxorem oritur obligatio civilis, aut naturalis ad non repetendum, *l. 3. §. secundum ff. hoc tit.* ibi: *ipso Jure, quæ inter virum, & uxorem donationis caussa geruntur, nullius momenti sunt.* Quousque tamen donatio non sit revocata, potest donatarius donatum retinere, & distrahere, quia donans censetur in eadem voluntate perseverare, nec scienti, & consentienti fit injuria. Sanch. *l. 6. disp. 11. n. 2.* Palaus, & Villalobos, quos sequitur Andreas a Matre Dei *cap. 3. n. 100.* Alii contractus inter Conjuges, ut mutuum, emptio, venditio, permutatio, si legitime fiant, sunt validi, *l. 5. si sponsus eod. tit.*

44. Valida, & firma manet donatio inter Conjuges, si juramento firmetur, quo posito non amplius donatio revocatur; quia licet dici possit prohibita propter bonum commune, primario tamen, & principaliter est prohibita propter bonum, & commodum donantis, *ne Conjuges mutuo amore se bonis suis spoliarent*, & ideo firmant juramento, juxta ea, quæ diximus in *secundo præcepto Decalogi, cap. 2. de Juramento dub. 4. & 5.* & clare constat ex cap. *cum contingat de Juram.* ibi: *in proœmio, Juramentum præstitum super actu a lege infirmato principaliter favore jurantis, licet secundario in favorem publicum, necessario est observandum, si non vi, nec dolo fuit præstitum, & in alterius præjudicium principaliter non redundat:* & ita cum Sylvestro, Less. Cov. Gomez, Sanch. & aliis tenet Andr. a Matre Dei *n.* 101.

45. Confirmatur etiam, & valida manet donatio morte donantis, si eam adhuc vivens tacite, vel expresse non revocavit, cap. *fin. hoc tit.* ibi: *firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur*, juncta *l. cum hic status 32. §. 2.* & *l. si stipulata 33. ff. hoc tit.* Ratio esse potest, quia si donans ante mortem donationem factam non revocavit, censetur in eadem voluntate perseverare, & velle, quod donatio suum habeat effectum, sicut legatum, aut donatio caussa mortis; si autem donatarius ipse præmoriatur, donatio penitus evanescit, ex cit. *c. fin. hoc tit.* morte donantis ita firmatur donatio rei antea traditæ, ut retrotrahatur ad tempus, quo facta fuerat, & omnes fructus ab illo tempore collecti cedant donatario. Ita Gloss. *l. talis scriptura ff. de legatis 1. p.* Gomez Covarr. Julius Clarus, Molina, & alii, quos affert, & sequitur Bonacina *q. 12. punct. 4.* at, si præcedat mors donatarii, irrita manet donatio, ut supra diximus.

46. Talis donatio uxori facta non solum confirmatur morte naturali donantis, sed etiam morte civili, ut quando maritus donans mittitur in exilium, aut deportatur, aut profitetur in Religione, quæ non est capax possidendi bona in communi, quia nimirum mors naturalis, & civilis æquiparantur, quando utraque habet eumdem effectum quoad bona, ut bene advertit Gloss. *in Clement. 2. ver. moriente de elect.* Abbas in *C. Nisi essent de Præb. n. 11.* & tenet Sanch. *disp. 17.* & Bonacina *loc. cit.* Dixi, *donatio facta uxori*, quia si ab uxore fiat marito, morte civili donantis non confirmatur, ut bene advertit Sanch. quia Leges favere voluerunt uxoris pudicitiæ. Dixi, *si profiteatur in Religione incapaci possidendi bona in communi*, quia si Religio sit capax bonorum, Professus cum consensu Superiorum revocare potest donationem prius factam, ut non valeat, nisi secuta morte naturali Professi. Sanch. *l. 6. disp. 17. n. 9.* Palaus *tr. 32. disp. 2. punct. 25. §. 3.*

47. Plures dantur casus, in quibus simplex donatio inter Conjuges statim valet, non expectata morte donatoris. Sic primo valet donatio remuneratoria facta in compensationem obsequiorum, quæ uxor præstitit marito, ultra ea, quæ aliæ similis conditionis in iisdem circumstantiis suis Conjugibus præstare solent; hæc enim non est proprie donatio, sed quasi solutio talium obsequiorum, arg. *l. Aquilius Regulus 27. ff. de Donationibus*, & cap. *consensus de reb. Eccles. non alienand.* Adde, quod per tales donationes remuneratorias excitentur Conjuges ad obsequia extraordinaria sibi invicem præstanda; unde conveniens est, ut tales donationes remuneratoriæ statim valeant, ut ex communi docet Sanch. *disp. 6. n.* 21. Censetur etiam remuneratoria, & statim valida donatio facta a viro ignobili, aut sene contrahente cum femina nobili, aut juvene, quia censetur facta in remunerationem pro nobilitate, & juvenili flore, non tamquam simplex donatio. Diana *p. 8. tr. 6. resol. 28.* Sanch. *disp. 6. n. 21.* & cum Tapia, Villalob. Lessio, & aliis Andreas a Matre Dei *c. 4. n. 90.*

48. Secundo valet, si ex donatione donans non fit pauperior, & donatarius locupletior, ex cap. *fin. hoc tit.* Dicitur autem donans fieri pauperior, si ex donatione diminuatur substantia, quam jam habet, non vero si conjux in gratiam alterius non acceptat, quod acquirere potest, ut si repudiat hereditatem, seu legatum, ut perveniat ad uxorem, quæ, illo repudiante, succedere debet, vel ab intestato, vel ob substitutionem, *l. si sponsus §. si maritus ff. hoc tit.* Censetur etiam fieri pauperior, si debitam remittat, vel si donatio fiat ante matrimonium, ea tamen conditione, ut solum vim habeat contracto matrimonio, *l. cum hic* 32. *§.* 22. *ff. hoc tit.* quia idem est fieri tempore inhabili, & in tempus inhabile conferri. Non censetur autem maritus fieri pauperior, nec uxor ditior, si ille donet uxori ad fucos, ad unguenta, ut comptior, & ornatior incedat, eo quod sua potius, quam uxori caussa dedisse censeatur. Eadem ratione uxor non censetur fieri pauperior, si donationem faciat viro ad consequendam dignitatem, *l. Nuper* 42. *ff. hoc tit.* nam talis donatio resultat in commodum ipsius uxoris, quæ honoratur ex dignitate viri, *nam feminis dignitatem clarissimam mariti tribuant*, *l. femina* 8. *ff. de Senatoribus*.

49. Tertio, si Imperator donet Augustæ, vel e contra, *l.* 26. *Cod. de donat. inter virum, & uxorem*, quod etiam valet de quolibet Principe absoluto respectu propriæ uxoris, ut docent Doctores communiter. Quarto, si conjux conjugi donet ad reficiendas ædes dotales igne, vel ruina destructas, *l. si vir uxori* 18. *ff. hoc tit.* Quinto, si talis donatio facta sit caussa exilii, vel alterius pœnæ secum trahentis confiscationem bonorum *l. si §.* 1. *ff. hoc tit.* & *l.* 43. *ff. eod.* ibi: *Inter virum, & uxorem exilii caussa donatio fieri potest*. Sexto valet donatio exigui valoris, sicut etiam donatio caussa mortis, quæ tamen potest semper revocari, quoadusque mors non sequatur, *l. si cum* 9. *§. fin. hoc tit.* ibi: *Inter virum, & uxorem mortis caussa donationes receptæ sunt*.

50. Quæres 1. *Utrum annuli, vestes, & similia, quæ uxoribus fieri, & tradi consueverunt a maritis, censeantur donata, vel tantum concessa ad usum?*

Resp. censeri donata, si vilia sint, & ad quotidianum usum; secus si sint pretiosa, & festiva, tunc enim non censentur donata, nec facta in beneficium uxoris, sed potius in honorem mariti, ut uxor conspiciatur ornatior, ut cum Julio Claro, Sanchez, Molina, & aliis tradit Bonacina *q.* 12. *punct.* 4. *n.* 2. nisi vir expresse talia ornamenta uxoris donaverit; nam tunc donatio confirmata manet morte mariti, si ante non sit revocata. Si autem non sit facta donatio, mortuo marito, vestes pretiosæ spectant ad heredes mariti; ad uxorem vero spectant vestes necessariæ ad usum, quamvis dubitetur, an sint a marito donatæ.

51. Donationes, quæ fiunt inter Sponsos de futuro spe ineundi matrimonii, quæ dicuntur jocalia, sponsalitiæ largitates, seu donationes propter nuptias, non transeunt in dominium donatarii, nisi secuto matrimonio, si aliter non constet de voluntate tradentium, quia ex ipsa Juris dispositione, & præsumpta partium voluntate habent in se tacitam conditionem, *si matrimonium sequatur*, & per copulam consummetur, *l. cum veterum C. de donat. ante nuptias*, & Tradunt Molina *tom.* 2. *disp.* 290. Sanch. *l.* 6. *disp.* 18. *n.* 2. Rebell. *l.* 6. *q.* 5. & alii relati a Sanch. qui omnes admittunt, secuto matrimonio, talem donationem firmam, & puram remanere, non ante.

52. Inde, si matrimonium non sequatur culpa donantis, sive sit sponsus, sive sponsa, donans perdit sponsalitiam largitatem, & acquiritur donatario; si vero matrimonium non sequatur ob culpam donatarii, tunc iste tenetur restituere donanti totum id, quod ab ipso accepit, ut habetur *d. l. cum veteram*, & tradunt omnes prællegati Doctores, quos sequitur Anton. a Spiritu S. *tr.* 10. *disp.* 12. *n.* 502. Si vero casu aliquo, sine culpa, matrimonium non sequatur, puta ob mortem alterius, vel ingressum Religionis; tunc si donatio facta est sponso, tota restituenda est donanti: si vero facta est sponsæ, si osculum, vel amplexus intercessit, medietatem sponsalitiæ largitatis sponsa lucratur; si vero non intercessit osculum, tota restituenda est sponso, vel ejus heredibus, quod verum est, sive sponsa re ipsa virgo sit, sive talis tantum reputetur, dummodo osculum subsequatur sponsalia. Quod si mutuo consensu utriusque sponsi dirimantur sponsalia, totum, quod alter ab altero recepit, restitui debet, quamvis neuter sit in culpa, sponsa ob osculum nihil retinet. Sanch. *disp.* 21. *n.* 6. quia eo ipso, quod communi consensu sponsalia dirimuntur, censetur tacite pacisci, ut quilibet eorum alteri accepta restituat; quæ omnia procedunt etiam in foro conscientiæ, etiamsi sponsa nullam dotem secum attulisset, ut notat Anton. a Spiritu Sancto *loc. cit. n.* 503.

DUBIUM VII.

De donatione Parentum in Filios.

53. RESP. donationes liberales, & gratuitas patris in filios non emancipatos esse invalidas, adeo ut revocari possit pro arbitrio patris, *l. cum de bonis* 11. *C. hoc tit.* & *l. donationes quas parentes C. de donat. inter virum, & uxorem*. Ratio communiter assignatur, quia filius, dum est in potestate patris, censetur una persona cum ipso patre, & quidquid filius-familias acquirit, patri acquirit, præter id, quod provenit ex peculio castrensi, vel quasi. Hæc tamen donatio, si non sit a patre revocata, post emancipationem transit ad filium donatarium, ut habetur *l. donationes* 31. *§.* 2. *hoc titulo*, ibi: *Pater, qui filiæ quam habuit in potestate, mancipia donavit, & peculium emancipatæ non ademit, ex post facto donationem videbatur perfecisse*. Confirmatur item talis donatio morte patris donantis, si antecedenter sit tradita, nec sit revocata: quod etiam dicendum est, si pater donationem juramento confirmavit; & ita tenent Doctores communiter, & item in omnibus casibus, in quibus diximus, valere donationem inter conjuges, valet etiam donatio patris ad filium.

54. Resp. 2. Validam esse donationem factam a patre filio emancipato, quia cessat patria potestas, sicut etiam valida est donatio patris facta filio naturali, quia Jure Cæsareo non est sub patria potestate. Mater libere donare potest filiis, sive emancipatis, sive sub patria potestate constitutis, quia filius non est sub potestate matris, & sic cessat ratio prohibitionis. Molina *disp.* 291. *n.* 4. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 12. *n.* 12. Lessius *l.* 2. *c.* 18. *n.* 90. Gomez *tom.* 2. *cap.* 4. *num.* 25. Bonacina *quæst.* 12. *punct.* 3.

55. In aliquibus casibus valida est donatio patris facta filio non emancipato. Primo, si donat ratione studiorum, vel opificii addiscendi, *l.* 15. *C. de Negot. gest.* Secundo, si donatio fiat caussa dotis, & nuptiarum, *l. Pomponius ff. familiæ erciscundæ*. Tertio, si sit de rebus mobilibus, quæ donantur filio proficiscenti ad bellum, *l. si filius-familias C. familiæ erciscundæ.* hæc enim statim fiunt bona castensia, vel quasi castrensia. Idem, si usumfructum, quem habet in bonis adventitiis filii condonet filio, *l. cum oportet §. sin autem Cod. de bonis, quæ liberis*: vel etiam si aliquid donet in remunerationem obsequiorum juxta superius dicta *n.* 47. vel ratione alimentorum, cum pater filio debeat alimenta; quo casu vocaretur donatio ob caussam, & denique in omnibus aliis casibus, in quibus statim valet donatio inter Conjuges, valet etiam inter patrem, & filium, ut habet Gloss. in cap. *fin. de donatione inter virum, & uxorem*, ibi: *hæc quæ dicta sunt de donatione inter virum, & uxorem, inter parentes, & liberos pene intelligi debent, inter quos prohibita est donatio, cum una persona intelligantur*. Cavendum tamen est, ne propter hujusmodi donationes minuatur portio legitima aliorum filiorum, vel debitorum, aliter posset revocari secundum illam partem, in qua esset excessus.

56. Filius-familias patri donare potest, si habet bona castrensia, vel quasi castrensia, *l. cum oportet §. excepta C. de bonis, quæ liberis*, quia hujusmodi donatio non est a Jure prohibita, & quia filius horum bonorum liberam habet administrationem, vel si habeat aliquid sibi donatum a Principe, *l. cum multa C. eod.* Item bona adventitia, quæ filio relicta sunt eo pacto, ut ususfructus non acquiratur patri: tunc enim filius, cum sit dominus illorum bonorum quoad usumfructum, & quoad proprietatem, valide poterit ea bona donare. *Authen. Idem est, C. de bonis, quæ liberis*, juncta Gloss. *ib.* secus vero dicendum de aliis bonis, quorum filius non habet dominium, aut usumfructum, ut cum Sylvestro, Az. Molina, Reginaldo, & aliis docet Bonacina *q.* 12. *punct.* 3.

DUBIUM VIII.

Ex quibus caussis donatio revocari possit.

57. DOnatio inter vivos legitime facta, & acceptata, regulariter loquendo, non potest amplius per donatarium revocari, *l. fin. C. de revocand. donat.* ibi: *Generaliter sancimus, omnes donationes lege confectas, firmas, illibatasque manere*, quod adeo verum est, ut neque per rescriptum Principis possit revocari, cum jus alteri quæsitum tollere non possit, nisi propter bonum publicum, cui privatum cedere debet. Tres tamen assignantur caussæ principales, ob quas donatio revocari potest; nimirum propter ingratitudinem donatarii: ob prolem susceptam: & si donatio sit inofficiosa. Ita Gomez *tom.* 2. *c.* 4. *n.* 11. Julius Clarus *q.* 12. *n.* 1. Bonacina *q.* 12. *punct. ult.*

58. Pri-

58. Primo igitur ob ingratitudinem donatarii donatio legitime facta, & acceptata revocari potest, ut habetur cap. *fin. hoc tit.* ibi: *Propter ejus ingratitudinem: in quem liberalitas est collata, donatoris persona de rigore juris eam potuit revocare*; & statim adducuntur casus ingratitudinis, ob quas potest donatio revocari: *si forte in ipsum impias manus injecerit, aut sibi atroces injurias, seu grave rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit.* Idem habetur *l. 1. C. de revocanda donat.* ibi: *si ingratus sit, omnis donatio, mutata patronorum voluntate, revocanda est*, ubi pariter numerantur casus talis ingratitudinis, ibi: *si injurias atroces inferre præsumpserit*, cum aliis enumeratis in cap. *fin. hoc tit.* in quo etiam conveniunt Doctores communiter. Quænam dicenda sit atrox injuria relinquitur Judicis arbitrio, qui id ex circumstantiis loci, temporis, & personarum æstimare debet: potest fieri in præsentia, & in absentia, verbis injuriosis, & contumeliosis, vel etiam facto, si adulterium cum uxore, aut stuprum cum filia committeret.

59. Addunt Julius Clarus *q. 21.* Panorm. *in c. ult. de donat.* Gomez 2. *resol. c. 4. n. 14.* Sylvester *V. Donatio*, Lessius Villalob. Tapia apud Andream a Matre Dei alium casum, si donatarius negligat alere donantem magna, & gravi inopia pressum, quia ubi est eadem ratio, eadem est legis dispositio *l. illud ff. ad l. Aquil.* & quia donationem accipiens in magna quantitate filio comparari potest, ut notat Abbas in *c. fin. hoc tit.* filius autem tenetur alere parentem, quæ quidem sententia licet æquitati naturali sit multum conformia; nihilominus Molina, Layman, & alii tenent oppositum, quia lex pœnalis, cujusmodi est lex concedens facultatem revocandi donationes, extendi non debet, nec potest ad casus in Jure non expressos, etiam ob paritatem, vel majoritatem rationis. Cum autem in Jure non exprimatur casus de alendo donatore ad inopiam vergente, non debet ad illum extendi, quod bene notare debent simplices parentes, qui omnia bona sua liberis donant, a quibus postea negliguntur. Addunt alii, si donatarius non adimplevit conditionem appositam in donatione, sed tunc non tam propter ingratitudinem, quam ob non servatam conditionem revocatio conceditur.

60. Ut ob ingratitudinem donatarii donatio revocari possit, illa debet in judicio probari, & per sententiam Judicis donatio revocari, ut habetur ex *l. fin. C. de revocand. donat.* ubi enumeratis casibus, ex quibus titulo ingratitudinis donatio revocari potest, subditur: *ex his tantummodo caussis, si fuerint in judicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ, etiam donationes in eos factas everti concedimus.* Et ita tenent Molina *disp. 218. n. 5.* & Andreas a Matre Dei *supra n. 108.* Ante sententiam non tenetur ingratus donatarius rem donatam restituere; cum enim sit lex pœnalis, non obligat ante querelam, & probationem ingratitudinis, ob cujus pœnam imponitur revocatio: post sententiam restituere tenetur solum rem donatam cum fructibus perceptis a lite contestata, non vero cum fructibus antea perceptis, nam isti spectant ad donatarium, ut cum Gomez, Molina, & Facundez tradit Ant. a Spiritu S. *disp. 12. n. 521.* Si autem donatarius per vim, & dolum, querelam, aut sententiam impedtat, posse donatorem rem donatam ex bonis donatarii compensara, tradit *ibidem* Anton. a Spiritu Sancto, quia per injuriam patitur damnum. Quod si res promissa, & acceptata nondum sit tradita, potest eam donator retinere, & exceptione ingratitudinis illam annullare; nam cui datur repetitio, datur etiam retentio, ita ut solvere, aut rem tradere non teneatur. Ita cum Tapia, Lessio, & Villalobos Andreas a Matre Dei *num. 108.*

61. Jus petendi revocationem donationis ob ingratitudinem donatarii, spectat dumtaxat ad donantem, nec transit ad ejus heredes, ut clare constat ex dicto cap. *fin. hoc tit.* ibi: *Quod tamen ad donatoris, qui hoc tacuit, non transit heredes.* Idemque habetur *l. fin. Cod. de revocand. donat.* ibi: *Hoc tamen usque ad primas personas tantummodo stare censemus; nullam licentiam concedendo donatoris successoribus, &c. Etenim si ipse, qui hoc passus est ingratitudinem, tacuerit, silentium ejus maneat semper, & non e posteritate ejus suscitari conceditur, vel adversus eum, qui ingratus esse dicitur, vel adversus ejus successores.* Si enim donator in vita ingratitudinem cognovit, & tacuit, seu non revocavit donationem, censetur condonasse, & sic non possunt ejus successores illam amplius revocare. Si vero non cognovit ingratitudinem, & propter ignorantiam non revocavit, possunt heredes revocare non solum contra ipsum donatarium, sed etiam contra ipsius heredes, ut cum Azorio, Sylvestro, Gomez, Lessio, Rebello, & Molina tenet Bonacina *punct. ult. n. 5.* & cum Villalobo, Trullench, & Dicastillo, Anton. a Spiritu S. *n. 512.*

62. Aliqui tamen assignantur casus, in quibus ob ingratitudinem donatarii donatio revocari non potest. Primo, quando donatio facta est Ecclesiæ, Monasterio, vel loco pio; tunc enim ob ingratitudinem Prælati, Capituli, seu Administratoris revocari non potest, quia censetur facta Deo, qui est liberalissimus largitor omnium gratiarum, ut habet Bonacina *l. c.* Barbosa *in cap. fin. hoc tit. n. 15.* Clarus §. *Donatio q. 2. n. 5.* Ant. a Spiritu S. *n. 522.* Secundo, quando donatio non est mere liberalis, sed remuneratoria in recognitionem beneficiorum, & obsequiorum, quia tunc habet vim solutionis, ut diximus supra, & sic non potest ob ingratitudinem revocari, ut cum Sylvestro, Claro, Azorio, Molina, & Lessio tenet Bonacina. Idem dicendum est, quando donatio facta est ob caussam, vel ratione dotis, *l. si dotem 24. C. de jure dotium, & l. fin. de dotis promissione*, ibi: *liberalitas talis maneat vera, & irrevocabilis.* Idem valet, si res donata non sit amplius in manibus donatarii, sed titulo donationis, venditionis, permutationis, vel alio simili jam transivit ad tertium possessorem, quia tunc non amplius potest revocari, quia jus revocandi solum est contra donatarium, non contra tertium possessorem, a quo proinde donator eam revocare non potest.

63. Dubitari potest: *An talis donatio juramento confirmata sit ob ingratitudinem revocabilis*; & resp. affirmative, quia si donator simpliciter, & absolute juret, nihil cogitando de ingratitudine, juramentum cadit super actum, ipsiusque naturam sequitur secundum conditiones talis actus. Cum autem donatio sit ob ingratitudinem revocabilis, tale etiam erit juramentum; nam sortitur hanc tacitam conditionem actus, cui adjungitur. Si vero renuntiasset facultati revocandi donationem ob ingratitudinem, & jurasset non revocare, nec propter ingratitudinem; tunc puto, juramentum sub tali conditione non tenere, quia contrarium esset æquitati naturali, & foveret vitium ingratitudinis, & esset contra bonos mores, contra quos juramentum servari non debet.

64. Altera caussa revocandæ donationis est ob prolem de novo susceptam, quando quis absque liberis existens, & absque spe illos habendi, omnia bona sua, vel majorem, seu notabilem illorum partem dedit, & postea unum, vel plures filios suscipiat; tunc enim revocare potest, quod dedit, per Textum in *l. si unquam 8. C. de revocand. donat.* ibi: *si unquam libertis patronus filios non habens bona omnia, vel partem aliquam fuerit donatione largitus, & postea susceperit liberos: totum quidquid largitus fuerat, revertatur, in ejusdem donatoris arbitrio, ac ditione remansurum*, quia sub tacita hac conditione donasse præsumitur, nisi mihi adhuc liberi nascuntur, cum non sit verosimile, extraneos velle propriis præferre liberis. Julius Clarus §. *donatio q. 22. n. 1.* Molina *disp. 282. n. 2.* Ripa *in cit. l. si unquam qu. 2.* dicens, hanc esse communem Legistarum, & Canonistarum. Quod si, facta revocatione, filii moriantur, non resurgit de novo donatio, quia actio semel extincta non reviviscit, *l. Mævius §. duobus ff. de legib.* Si donet, qui unicum habet filium, non potest donationem revocare, quamvis post donationem plurimi alii filii nascantur, quia dispositio legis procedit de illo, qui donat non habens filios. Molina *disp. 282. n. 6.* Clarus *q. 22.* Bonacina *supra n. 8.*

65. Quod si donatio facta sit Ecclesiæ, vel piæ caussæ, non revocatur, nisi quoad portionem legitimæ filiorum postea nascentium, quia Ecclesia, seu alia caussa pia instar filii reputatur, ex Auth. *si qua mulier, C. de Sacros. Eccles.* & tenet Panorm. *in c. fin. num. 5. de donat.* Clarus §. *donatio q. 23. n. 2.* Molina *n. 10.* Bonacina *n. 8.* donatio autem facta filio non revocatur in totum, sed tantum ad legitimam filiorum postea nascentium *l. 5. & 7. de inoffic. donat.* tum quia donans Ecclesiæ, vel caussæ piæ, principaliter donat Deo, quem, sicut animam suam plus amare censetur, quam filios, ut notat Abbas *in cap. fin. hoc tit.* consequenter donaturus præsumitur, quamvis de filiis adhuc suscipiendis cogitasset. Ex æquitate tamen, & pietate naturali in totum revocari debet, quatenus Deo magis placitum est, magisque ad ædificationem cedit, si filiis postea nascentibus, totum reddatur donatori, colligitur ex Can. *Quæcumque 17. q. 4.* ubi a D. Augustino laudatur factum S. Aurelii Carthaginensis Episcopi, qui in integrum donatori reddidit rem Ecclesiæ donatam, propter filios illi postea natos.

66. Hoc tamen debet intelligi de filiis legitimis, non de naturalibus, & spuriis, etiam a Principe legitimatis, ut contra Julium Clarum, Parisium, & alios, cum Valasco, & Facundez tenet Anton. a Spiritu Sancto *num. 524.* & cum Molina *disp. 282. num. 9.* tenet Bonacina *qu. 12. num. 16.* quia in *l. si unquam* non fit mentio filiorum naturalium, sed legitimorum; non est autem facienda extensio ultra concessionem, & verba legis. Non tamen excluduntur filii naturales, qui per subsequens matrimonium legitimantur; nam in jure isti æquiparantur filiis ex legitimo matrimonio natis. Cap.

Senta, qui filii fiet legitimi, ibi: *Tante est vis matrimonii, et, qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur*, ut fusius dicitur suo loco.

67. Revocabilis est donatio, si nascentur filii, quamvis sit juramento confirmata, quia juramentum non excludit ab actu, in quem cadit, tacitas conditiones, quas ex natura sua, sive ex juris dispositione habet. Si vero conditionem excluderet, & juret, se non revocaturum donationem, quamvis filii nascantur, non poterit donationem revocare, quia juramentum, quod absque dispendio salutis æternæ servari potest, servandum est. At donans non peccat, nec præbet alteri occasionem peccandi, donationem non revocando, ut accidit in casu dicto de ingratitudine, & sic illud servare debet, nisi esset inofficiosum, & cum præjudicio legitimæ filiorum, qui post mortem patris jus habent donationem revocandi usque ad legitimam portionem jure hereditatis, cui pater cedere non potuit cum præjudicio filiorum.

68. Tertia caussa revocandi donationem est, si sit inofficiosa, id est contra officium pietatis paternæ in filios, ut si tantum donavit pater, ut filii priventur sua legitima portione, *l. 1. & seq. Cod. de inoffic. donat.* Si donatio facta sit filio, vel Ecclesiæ, seu loco pio, revocatur solum quoad legitimam aliorum; si autem facta sit extraneo, animo defraudandi filiis, tota revocatur. *L. 1. C. de inoffic. donat.* Clarus *q.* 24. *n.* 4. Covarruv. *l. 1. var. c.* 19. Ant. *a* Spiritu S. *n.* 525. Hæc donatio non est irrita ipso facto, sed a Judice revocari debet ad petitionem filii, & ante sententiam donatarius potest donatum retinere, ut cum Palao, & Villalobo tenet Andreas a Matre Dei *c.* 4. *n.* 111. ubi cum Lessio advertit, quod revocatio solum fieri debeat post mortem patris, quia tunc solum incipit cedere in præjudicium filiorum, cum antea ipsis non debeatur legitima. Regulariter loquendo, hæc donatio cum præjudicio filiorum quoad ipsorum legitimam, est peccatum mortale, unde non confirmatur juramento.

69. Datur etiam inofficiosa donatio filii respectu patris, quando nimirum filius adeo excessivas faceret donationes, ut non remaneat legitima parentibus de jure debita, casu quo donator absque liberis, seu nepotibus moriatur. Et ideo sicut revocatur donatio inofficiosa patris respectu filii, sic revocatur illa filii respectu patris, quoad legitimam tantum, sicut diximus de donatione patris respectu filiorum, colligitur ex *l. si filius Cod. de inoffic. donat.* & tenet Molina *disp.* 583. Ratio est, quia non minus competit parentibus, quam liberis querela inofficiosi testamenti; ergo etiam inofficiosæ donationis.

CAPUT XV.

De Testamentis, & ultimis Voluntatibus.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex sit Testamentum.

TEstamentum communiter definitur a Juristis; *est nostræ voluntatis justa sententia de eo, quod quis vult fieri post mortem suam, cum directa institutione heredis*; quam definitionem sequuntur Doctores, cum Theologi, tum Juristæ, cum Ulpiano in *l. 1. ff. de testam.* Dicitur *voluntatis nostræ justa sententia*, id est ordinatio, seu dispositio juri congrua, quia ordinatio, seu dispositio de re turpi, & injusta non obligat; & in hoc convenit Testamentum cum pactis, contractibus, aliisque dispositionibus, quæ pariter legibus, & juribus conformes esse debent. Dicitur *de ea, quod quis vult fieri post mortem suam*, & per hoc convenit cum Legato, Codicillo, Fideicommisso, & donatione caussa mortis; nam & ista referuntur ad tempus mortis, in quo vim, & robur suum accipit Testamentum, & quævis ultima voluntas. Dicitur *cum directa institutione heredis*, loco differentiæ essentialis, in qua differt a Codicillo, & reliquis ultimis voluntatibus, in quibus non fit directa heredis institutio.

2. Hæc heredis institutio ita essentialis est in testamento, ut sine illa corruat testamentum, nec subsistit. *§. in primis igitur* 2. Instit. *de Fideicommissariis hered.* ibi: *Inutile est Testamentum, in quo nullus heres instituitur.* §. ante 34. Instit. de Legatis ibi: *Testamenta vim ex institutione heredis accipiunt, & ob id, velut caput, atque fundamentum intelligitur totius Testamenti heredis institutio*, l. *proxime* 3. *ff. de his, quæ in Testam. delentur*, ibi; *Non potest ullum Testamentum valere, quod heredem non habet.* Similia habentur *l. Jubemus* 29. *§. Quod si non fuerit Cod. de Testam. & l.* 10. *ff. Jure Codicill.* Unde, proprie loquendo, Testamentum est heredis institutio, & licet ibi scribantur etiam legata, fideicommissa, & alia, hæc tamen dicuntur accessoria respectu Testamenti, ad cujus essentiam sufficit heredis institutio, & per hoc, ut dixi, differt a Codicillo, in quo non fit heredis institutio, sed solum ponitur ad aliquid in Testamento mutandum, addendum, vel detrahendum, aliqua legata instituenda. Per accidens solum, & ex privilegio potest in Codicillo heres institui, ut in Codicillo Militis, *l. Miles ff. de Militari Testamentis*, quod privilegium extenditur etiam ad eos, qui reperiuntur in terra hostili, & in castris, quamvis non pugnent, ut cum Julio Claro *§. Testamentum q.* 15. & Molina *disp.* 124. tenet Bonacina *q. ult. de contract. punct.* 1.

3. Testamentum præcipue dividitur in Testamentum *scriptum*, seu *clausum*, & *nuncupativum*, seu *apertum*. Primum fit, quando Testator latere vult id, quod in eo disponit. Dicitur in scriptis, quia sola scriptura potest condi. Dicitur clausum, quia debet esse sigillatum, servata forma Juris præscripta in *l. Hac consultissima C. de Testam.* Nuncupativum, seu apertum non indiget scriptura, sed oretenus pronunciatur; unde si quis non habens Notarium vocet sufficientem numerum Testium, & explicet coram illis nomen heredis, aliasque institutiones, & legata, seu quid de bonis suis post mortem fieri velit, & roget, ut sint Testes, validum erit testamentum. Et quamvis hæc nuncupatio, seu heredis institutio facta coram Testibus a Notario publico soleat in scripturam redigi, hoc tamen non est de essentia Testamenti nuncupativi, sed hoc fit ad majorem securitatem, ut facilius probetur intentio, & dispositio Testatoris; nam fieri potest, ut unus, aut plures Testes ante mortem Testatoris moriantur, vel inhabiles reddantur, ut non possit coram Judice voluntatem, & dispositionem defuncti manifestare, & horum defectum abunde supplet instrumentum Notarii, prout in simili dicitur, *l. in re ff. de fide instrum.* ibi; *fiunt enim de his scripturæ, ut quod actum est, per eas facilius probari possit: & sine his autem valet, quod actum est, si habet probationem.* Ita Clarus *§. Testamentum q.* 4. Molina *disp.* 126. Covar. *de Testam. cap. cum esses.*

4. Ad validitatem Testamenti clausi, seu in scriptis de jure communi plures requiruntur conditiones. Primo enim requiritur, ut conficiatur scriptura, & claudatur, in qua contineatur dispositio, & voluntas testatoris ipsius manu, vel ejus jussu alterius manu conscripta. Secundo, ut septem adsint Testes idonei, id est mares, liberi, puberes, ad id specialiter rogati, qui Testatorem audiant, & videant, quibus præsentibus Testator dicat, & manifestet, illud esse suum Testamentum, & statim coram ipsis manu propria illud subscribat; quod si nesciat, vel non possit, adhibeat octavum testem, qui loco ipsius subscribat. Tertio requiritur, ut eodem tempore omnes Testes subscribant, & scripturam illam suo proprio sigillo, vel alieno obsignent, quamvis Jure communi sufficiat, ut omnes uno, & eodem sigillo signent: idque totum uno, eodemque tempore præstandum est, absque alterius negotii interpositione, nisi forsan ob necessaria naturæ aliud fieri deberet, idque leve foret; quacumque autem ex his conditionibus deficiente Testamentum est invalidum, *l. Hac consultissima Cod. de testam.*

5. Ad Testamentum nuncupativum, præter heredis institutionem, quæ est de essentia cujuslibet testamenti, requiruntur septem Testes idonei, masculi, puberes, & rogati, qui omnes simul videant testatorem, & audiant vocem ipsius; & inde si testes, forte interposito velo, aut interposita cortina, solummodo loquentem audirent, non autem viderent testatorem, non subsisteret testamentum, quamvis affirmant, se loquelam, & vocem testatoris optime novisse, & hoc ad vitandas fraudes, quæ in negotio tam maximi momenti, ut cujus de universo patrimonio, & substantia disponit, fieri possent a callentibus imitationem vocis: non requiruntur testium subscriptio, & obsignatio, ut in testamento clauso, & scripto, bene tamen requiritur, quod testator septem testibus, simul præsentibus oretenus exprimat nomen heredis, & quidquid aliud de bonis suis post mortem fieri velit, ex cit. *l. Hac consultissima §. per nuncupationem Cod. de testam.* ibi: *Per nuncupationem quoque, hoc est, sine scriptura Testamentum non alias valere sancimus, quam si septem testes, ut supra dictum est, simul uno, eodemque tempore collecti, Testatoris voluntatem, aut Testamentum sine scriptura facientis audierint.* Idem habetur *§. fin.* Instit. *de Testam.* ibi: *si quis sine scriptis voluerit ordinare Jure Civili testamentum, septem testibus adhibitis, & sua voluntate coram eis nuncupata, sciat hoc perfectissimum testamentum Jure Civili, firmumque constitutum.*

6. Ut autem testator coram testibus manifestet suam voluntatem non requiritur aliqua determinata verbo-

rum

rum formula, sed sufficit quævis, dummodo per eam sufficienter manifestetur voluntas testatoris, *l. quod jam 25. Cod. hoc tit.* ubi dicitur: *verborum non esse necessariam observantiam, utrum imperativis, & directis verbis fiat, aut inflexis. Nec enim interest, si dicatur heredem facio, vel instituo, vel volo, ac mando, vel cupio, vel esto, vel erit: sed quibuslibet confecta sententiis, vel in quolibet loquendi genere formata institutio valeat, si modo per eum liquebit voluntatis intentio. Nec necessaria sunt momenta verborum, quæ forte seminecis, & balbutiens lingua profudit.* Quamvis ad hoc testamentum non requiratur necessario Notarius, bene tamen erit illum adhibere, ne alias testamentum corruat, si ante mortem Testatoris unus, aut plures testes forte moriantur, ut supra notavimus.

7. Nullum, & irritum est testamentum, in quo nullus instituitur heres, cum heredis institutio sit de essentia testamenti, prout, allatis Juribus, diximus supra *n.* 2. Est autem nullum, & irritum etiam quoad legata in eo contenta, si excipias legata ad pias caussas, quæ sustinentur, etiamsi nullus sit institutus heres, ut postea dicam *dub.* 4. Heres debet esse persona certa, & determinata; unde vitiatur testamentum; & legatum, si incerta sit persona instituta, aut cui legatum relinquitur, *§. incertis, Instit. de legatis, l. in tempus §. quoties ff. de hered. instit.* & *l. hac consultissima*, in principio *C. qui testamentu facere possunt*. Ita Tiraquell. Mantica, Surdus, & alii relati a Bossio *var. moral. tit.* 12. *n.* 82.

8. *An vero sufficiat designare heredem per relationem ad aliam certam schedulam, in qua nominatim exprimatur, post mortem Testatoris revelandus, ut si coram testibus dicat. Instituo heredem bonorum meorum illum, quem scripsi in schedula, seu charta, quam in tali loco post meam mortem reperietis*, affirmant Covarruvias in cap. *cum esses, de testam. n.* 5. & Clarus *q.* 36. sed hoc non admittimus quoad heredem universalem, cum debeat Testator ore proprio heredem nominare in testamento nuncupativo, *l. Heredes palam ff. de testam.* & *l. hac consultiss.* 21. *§.* 2. ubi dicitur, testamentum nuncupativum non valere, nisi septem testes testatoris voluntatem, & testamentum audiverint.

9. Nullum pariter est testamentum, si institutio heredis alterius arbitrio, & voluntati committatur, ut si Testator dicat: *instituo heredem meorum bonorum illum, quem Petrus voluerit, seu nominabit, L. illa institutio, l. captatorias ff. de hæred. instituen.* Valet Testamentum, quando duo se mutuo instituunt heredes, ea amoris affectu, ut patet ex *d. l. captatorias*; non debent tamen apponere conditionem de futuro: *Instituo hunc, si ipse me instituet*; sed possunt de præterito, *si ipse me instituit. L. ille autem ff. de hered. instituend.*

10. Quæres: *an valeat testamentum nuncupativum factum ad interrogationem alterius?*

Resp. validum esse, quando Testator, licet corpore infirmus, est sanæ mentis, & sibi perfecte præsens, & intelligat id, de quo interrogatur, distincte respondeat, aliqua negando, quædam affirmando; maxime si antecedenter mentem suam manifestavit, quia per talem testandi modum testes satis intelligunt voluntatem testantis, circa institutionem heredis, & legatorum, & abest periculum fraudis, tum non respondeat semisopitus ad removendam molestiam, & importunitatem interrogantis, sed serio, & deliberato animo voluntatem suam manifestet; secus si ita debilis, & infirmus sit, ut nullum verbum articulatum proferre possit, sed solum ad interrogationem, an velit facere testamentum, & hunc, vel illum habere pro herede; huic, vel illi aliquid legare solummodo annuat capite, aut via pronuntiare possit, *ita, volo, placet*; nam si æger ita debilis est, ut amplius distincte loqui non possit, certo non constat, an adhuc sit sibi præsens, & sanum habeat intellectum, prout requiritur ad testandum, *arg. l. Jubemus* 29. *C. de Testam.* ibi: *si enim talis est Testator, ut, nec scribere, nec articulate loqui possit, mortuo similis est*, consequenter testari nequit, ut cum Julio Claro notat Malderus in 2. 2. *D. Thom. tr.* 1. *c.* 2. *de testam. dub.* 8.

11. Quod si testamentum sit inceptum, sed non absolutum, & perfectionatum coram testibus, ob defectum testatoris, qui amplius loqui non potest, vel si decederet ante terminationem testamenti, nullum est quoad omnia, *l. si quis cum testamentum ff. de testam.* ibi: *si quis cum testamentum faceret, heredibus primis nuncupatis, prinsquam secundos heredes exprimeret, obmutuisset, magis cœpisse eum testamentum facere, quam fecisse, Varus Servium respondisse scripsit.* Idem habetur Institution. *§. ex eo, quibus modis testamenta infirmentur*: imperfectum autem reliquisse dicitur, quando alia dicturus erat etiamsi jam institutionem, & legata quædam fecisset: in dubio, an vellet alios heredes instituere, vel legata ordinare, testamentum valet, & judicatur perfectum, ut habetur in *d. l.* ibi: *Labeo autem hoc verum esse existimat, si constaret, voluisse plures heredes pronuntiare*, Bossius *tit.* 10. *n.* 195. Fallit in caussa pia, & quando testamento imperfecto illi instituuntur, qui venissent ab intestato, & priori perfecto vocati erant extranei, ut notat Accursius in *dict. §. ex eo*, & cum illo Malderus *loc. cit.*

12. Postquam scriptum est testamentum coram Tabellione, & sufficienti numero testium, si contingat, testatorem mori antequam coram illo legatur, non valet, quia scriptura, quæ non legitur, potest aliud continere alienum a mente testatoris *l. fideicom. §. quoties ff. de legatis*; at si sufficienti numero testium constaret, testatorem ordinasse: quod in tali scriptura detinebatur, nihilque contineri, quod sit alienum ab illius mente, seu non sit juxta illius mentem, testamentum validum esset in utroque foro, quia testamentum nuncupativum non exigit, quod in scriptis fieri debeat, ac proinde sicut non requiritur, quod tale testamentum scribatur, ita non requiritur, quod legatur scriptura, dummodo voluntas testatoris probetur sufficienti numero testium, ut cum Villalob. *tr.* 30. *diff.* 5. *n.* 4. notat Andreas a Matre Dei *tr.* 14. *c.* 5. *punct.* 3. *n.* 28.

DUBIUM II.

De Testibus requisitis in Testamento.

13. AD validitatem testamenti de Jure communi requiruntur septem testes idonei, ut per ampliores homines perfectissima veritas reveletur, ut habetur *l. fin. C. de fideicomm.* Dicuntur autem testes idonei, qui nulla lege, vel jure ad testificandum sunt inhabiles: sunt inhabiles, & prohibentur in testamento esse testes illi, qui numerantur *§. testes* 6. Instit. *de testam. ord.* ibi: *neque mulier, neque impubes, neque servus, neque furiosus, neque mutus, neque surdus*, adde nec cæcus, *neque is, cui bonis interdictum est, neque ii, quos leges jubent improbos, intestabilesque esse, possunt in numerum testium adhiberi, dum fit testamentum*; & universaliter excluduntur omnes illi, qui in aliis caussis testes esse non possunt. Heres institutus non potest esse testis, nec ejus pater, aut fratres ejusdem, ut habetur Instit. *§. sed neque* 10. *de testam. ordin.* ibi: *neque heres scriptus, neque is, qui in potestate ejus est, neque pater ejus, qui eum habet in potestate, neque fratres, qui in ejusdem patris potestate sunt, testes adhiberi possunt*; & hoc ad excludendam omnem suspicionem, aliter enim testamentum esset nullum respectu dicti heredis, sed quoad alia esset validum, quia utile per inutile non vitiatur, *de Regul. Juris in* 6. intelligitur invalidum post sententiam Judicis, cum lex pœnalis non obliget nisi post sententiam.

14. Si Monasterium in Testamento instituatur heres, aut legatarium, Religiosi dicti Monasterii possunt esse Testes, quia non agitur de bono ipsorum particulari, nec caussa Monasterii est caussa singulorum Religiosorum, sicut caussa Ecclesiæ non est singulorum Clericorum, cum damnum, & lucrum non pertineat ad eos nomine proprio, sed ad ipsam Ecclesiam, vel Monasterium, ut habetur cap. *cum Nuntius* 12. *de testib.* ibi: *Non lateat prudentiam vestram, quod Clerici non sunt a ferendo Testimonio super negotio Ecclesiæ suæ (nisi alia caussa rationabilis impediat) repellendi.* Possunt etiam esse Testes in aliis testamentis, quia nullo jure a ferendo testimonio in materia testamenti prohibentur. Nec obstat, quod æquiparentur servis, qui testes esse non possunt, quia vere servi non sunt, nec aliquo jure prohibentur a ferendo testimonio, licet adveniente casu examinari non possint sine licentia suorum Superiorum. Farinacius *de Testib. q.* 91. *n.* 134. & late Bossius *var. moral. tit.* 12. *n.* 18.

15. Circa numerum septem testium, quos de Jure civili diximus requiri ad validitatem testamenti, difficultatem ingerit caput *Cum esses de Testam.* ubi Alexander III. scribens Episcopo Hostiensi, reprehendit talem dispositionem juris civilis, tamquam alienam a Divina Lege, & universali Ecclesiæ consuetudine, & prohibet sub anathemate rescindi testamentum factum coram Parocho, & duobus testibus. Sic enim ait Pontifex: *Cum esses in nostra præsentia constitutus, proposuisti talem in tua Episcopatu consuetudinem obtinere, quod testamenta, quæ fiunt in ultima voluntate, penitus rescinduntur, nisi cum subscriptione septem, vel quinque testium fiant, secundum quod leges humanæ decernunt. Quia vero a divina lege, & SS. Patrum institutis, & a generali Ecclesiæ consuetudine id noscitur esse alienum, cum scriptum sit: In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, præscriptam consuetudinem improbamus, & testamenta, quæ Parochiani coram Presbytero suo, & tribus, vel duobus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere, sub interminatione anathematis prohibentes, ne quis hujusmodi audeat rescindere testamenta.* Ita Pontifex.

16. Quatuor explicationes dicti cap. *Cum esses* afferri solent. Prima est, dispositionem dicti cap. procedere solum in testamentis, & relictis ad caussas pias, non autem

generaliter quoad omnia testamenta, etiam in terris Ecclesiæ subjectis, in quibus proinde quoad testamenta ad profana dicunt, servandam esse sollemnitatem juris Civilis de septem Testibus adhibendis, ut habet Glossa in d. c. *Cum esses*, v. *improbatur*, & alii nonnulli relati a Tiraquello *de privileg. Caussæ piæ*, *initio*; sed hoc aperte contradicit textui generaliter loquenti, nec verum est, requiri ad valorem illius dispositionis præsentiam Parochi.

17. Secunda dicit, dispositionem dicti cap. servandam esse generaliter non solum in foro conscientiæ, & ad caussas pias, sed etiam in foro externo, & ad profana, & servandam esse ubique in terris etiam aliorum Principum non subjectis Ecclesiæ, eo quod per talem Decretalem dicti cap. *Cum esses* correctum, seu abrogatum sit jus Civile requirens sollemnitatem septem testium ad valorem testamenti, tamquam contrarium legi Divinæ, SS. Patribus, & generali Ecclesiæ consuetudini, ut probare conatur Fagnanus *in dict. cap. Cum esses*: ita etiam Comitolus *respons. moral. l.7. q. 1. n.6.* Diana *p. 5. tr. 3. resol.* 119. & probabile, ac defendi posse dicit Barbosa *Collect. ad d. cap. Cum esses n.* 2. Verum alii magis communiter dicunt, leges civiles præscribentes sollemnitates testamentorum non esse *contra*, sed *præter* Jus Divinum, dicens testimonium duorum, vel trium testium sufficere ad confirmandam veritatem, eo quod *in ore duorum, vel trium stet omne verbum*, & neminem condemnari posse ob testimonium unius dumtaxat testis, ut patet ex Deuter. *cap.17. vers.6.* ibi: *in ore duorum, aut trium testium peribit, qui interficietur: Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium*. Non tamen prohibet Jus Divinum, ad veritatem confirmandam adhiberi plures testes, quando id videtur necessarium ad vitandas fraudes. Arg. cap. *licet 23. de testib.* ibi: *Licet quædam sint caussæ, quæ plures, quam duos exigant testes, nulla est tamen caussa, quæ unius testimonio, quamvis legitimo terminetur*; numerus autem septem testium inductus est a Jure civili ad vitandas fraudes, quæ subesse possunt in testamentis.

18. Conf. quia non solum Jure Civili, sed etiam Jure Can. aliquando requiruntur plures testes, quam duo, vel tres ad veritatem confirmandam. Sic cap. *Præsul.* 2. q. 5. ad condemnandum Subdiaconum, Acolytum, Lectorem, Exorcistam, Ostiarium exiguntur septem testes; ad condemnandum Diaconum Cardinalem saltem viginti septem; ad condemnandum Presbyterum Cardinalem sexaginta quatuor, & ad Episcopum amovendum septuaginta duo, quæ omnia male fuissent a Sancto Pontifice Sylvestro statuta, si jure naturali, & divino vetitum est in negotiis, & caussis augere numerum duorum, vel trium testium. Male etiam sancitum esset ab Alexandro III. ultra duos testes adhibendam esse in testamentis præsentiam proprii Parochi; nam duo sufficiunt, vel si tres adhibentur, non est necesse, quod sit proprius Parochus. Cum igitur ad probationem faciendam per testes non reperiatur jure aliquo naturali, & divino definitus numerus testium, poterit a Legislatoribus augeri prout magis expedire judicabunt: & ita tenent Jurisperiti, Canonistæ, & Theologi communiter, quos late refert, & sequitur Bossius *var. moral. part. 3. titul. 5. numer.* 10.

19. Tertia dicit, dispositionem dicti cap. *Cum esses* locum habere in utroque foro, tam Civili, quam Ecclesiastico in terris temporali jurisdictioni Ecclesiæ subjectis, non autem extra illas pro foro Civili, quia pro illis etiam in caussis profanis leges statuere potest observandas in dictis terris. Scribit enim Pontifex Episcopo Hostiensi, cujus territorium subjectum est jurisdictioni temporali Pontificis, & pro illis locis voluit Pontifex, quod ad validitatem testamenti sufficeret Parochus cum duobus testibus. Ita multi, quos refert, & sequitur Molina *disp.* 133. Lugus *de Just. tom. 2. disp. 25. n.* 20. Facundez *de Just. l.6. c.2. n.* 29. Sanch. *in Consil. l. 4. cap. 1. dub. 14. n.17.* Covarr. in dicto cap. *Cum esses n.* 12. Clarus §. *Testamentum q. 57. n.* 1. & alii plures ex Canonistis, & Theologis, quos affert, & sequitur Bossius *tit. 1. n.4.*

20. Limitatur ab aliis dicta interpretatio, ita ut testamentum factum ad caussas profanas coram Parocho, & duobus testibus juxta dispositionem cap. *Cum esses*, tunc solum sit validum, quando fit ab homine infirmo in extremis constituto, qui ob instans mortis periculum sollemnitates ordinarias adhibere non potest, ut colligitur ex illis verbis, *quæ Parochiani in extrema fecerint voluntate*, id est voluntate laborante in extremo vitæ spiritu, quia tunc infirmus cum facile non possit semper tot convocare testes præscriptos a Jure Civili statuit Jus Canonicum, ut valeat, & servetur ejus testamentum factum cum duobus testibus, & Parocho, qui in tali vitæ periculo frequenter adesse solet cum infirmo, & cujus præsentia cum concursu aliorum duorum testium sufficiens visa est, ut cesset omnis suspicio fraudis, & falsitatis, in cujus confirmationem ponderat Engel. *l. 3. tit. 26. n.* 13. aliud esse ultimam voluntatem, quæ de quolibet testamento quandocumque confecto verificatur; aliud testamentum in ultima, ac in extrema voluntate confectum; illud enim generalius, & juris est, hoc specialius, & facti.

21. Sed Auctores supracitati, aliique relati a Bossio tenent, procedere etiam in testamentis factis a sanis subjectis temporali jurisdictioni Ecclesiæ, quia Textus generaliter loquitur, & dicit, sufficere ad valorem testamenti in terris Ecclesiæ duos testes idoneos cum proprio Parocho, & ita consuetudine, & communi praxi esse receptum testatur Bossius *l. c.* Nec obstat ponderatio, quam facit Engel, nam illa verba *quæ Parochiani in extrema fecerint voluntate coram Parocho, & duobus Testibus*, recte intelligi possunt de testamento, cum quo testator decessit absque ulla voluntatis mutatione; nam tale testamentum, cum contineat ultimam voluntatem testatoris, recte dici potest factum in ultima, seu extrema voluntate, ut bene advertit Bossius, qui consequenter ait: ita necessariam esse præsentiam Parochi, ut non possit suppleri per præsentiam alterius Sacerdotis, etiamsi sit Confessarius ipsius infirmi; bene tamen per præsentiam aliorum duorum testium, ita ut quatuor debeant intervenire testes, quando non adest Parochus.

22. Quarta denique asserit, dictum caput *Cum esses* habere locum in foro Ecclesiastico etiam in terris Ecclesiæ, quoad jurisdictionem temporalem minime subjectis, & validum esse testamentum Clerici testatoris, juxta dispositionem dicti Capitis, coram Parocho, & duobus testibus. Verum in praxi servatur in terris Ecclesiæ quoad jurisdictionem temporalem minime subjectis, ut non solum Laicus, qui testatur ad profana; sed etiam Clericus servare debeat sollemnitatem juris civilis, & loci, in quo habitat, & testatur, & testamentum aliter factum non sustineri, saltem in foro externo, ob non observatam debitam sollemnitatem, quia judicandum est secundum leges civiles, & municipales illius loci, in quo fuit conditum testamentum, quæ omnia fuse tractat, & prosequitur, allatis Juribus, & Doctoribus, Bossius *part. 3. variar. moral. tot. titul.* 1. a quibus abstineo, quia non pertinent ad Theologum moralem.

„ *Adest integra Institutio Lambertiniana, in qua præclare quidem, & haud inutili, sed eximia eruditione instruuntur potissimum Parochi, quomodo in accipiendis ultimis voluntatibus se gerere debeant, ad hoc ut testamenta ab ipsis confecta robur is, quantum satis sit, habeant, & firma permaneant: quam Institutionem hic tibi, studiose Lector, pro tua quacumque necessitate, ad litteram sic apponendam curavi.*

„ 1. Quamvis consentaneum magis existimemus adhiberi Notarium, quam Parochum, cum testamenta condenda sunt; tamen haud ignoramus non semel evenire, præsertim in Diœcesi, quod Notarius nullus versetur, aut præsto nequaquam sit, aut testator ipse libentius Parocho, quam Notario sese committat. Non ignoramus etiam, quæ a jure Pontificio in hac re decernuntur; ac tandem cognitum habemus, perspectumque, vel ob imperitiam, vel ob negligentiam Parochorum plura testamenta ab ipsis confecta concidisse, ex quo factum est, ut iidem Parochi maledictis proscinderentur. Quamobrem aliquid a nobis constituendum pro muneris nostri ratione ducimus, ut his corruptelis aditus in hac Diœcesi occludatur. Ac primum exponemus juris Canonici sanctiones ac præcipuas interpretum quæstiones, quæ ab ipsis instituuntur ad applicanda juris ipsius decreta. Postremo, formulam subjiciemus, qua utantur Parochi *mutatis mutandis*, cum ipsos acciri contigerit ab aliquo testatore, qui supremas tabulas condere velit, nullamque Notarii publici operam intercedere. Aliam quoque formulam proponemus, ex qua Notarius deprehendat, quid gerendum sit, cum Parochus testamenti tabulas sua manu descriptas ipsi tradiderit.

„ 2. Alexander III. duo super hac re decreta edidit, quorum primum cap. *Cum esses* 10. Humbaldo Ostiensi Episcopo, & Archipresbytero, & Canonicis Veliternis inscribitur; secundum vero Judicibus Veliternis, & habetur cap. *Relatum* 11. *de testamentis*, ejusque exemplar in tabulario S. Clementis Velitris adhuc conservatur, uti commemorat Borgia quondam Episcopus Nucerinus, nunc Firmanus Archiepiscopus in *Histor. Eccles. ac Civit. Velitern. lib. 3. numer.* 60. *& seq.*

„ 3. In prima decretali *Cum esses* Alexander III. ita statuit: *Testamenta, quæ Parochiani coram Presbytero suo, & tribus, vel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere*. In altero decretali *Relatum*, idem Pontifex testa-

„ men-

menta coram duobus, vel tribus testibus jure condita esse declarat: *Tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis: quoniam scriptum est: In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.*

4. In prima decretali Pontifex præsentem Parochum exposcit, *coram Presbytero suo*; in altera *Relatam*, Parochum haud nominat. In prima tres saltem, nempe Parochum, ac duos testes requirit; in secunda vero duos testes satis esse constituit. Quare inter has decretales repugnantia intercedere videtur, quæ tamen evanescit penitus, si quis advertat in decretali *Cum esses* sermonem haberi de testamentis peractis non ad *pias caussas*, sed ad *profanas*; in decretali autem *Relatum* verba fieri de testamentis ad *caussas pias* solum spectantibus. Insuper decretalis *Cum esses* totum Ecclesiasticæ ditionis ambitum complectitur, nisi forte peculiare loci statutum adversetur. Decretalis autem *Relatam* universo terrarum orbi servanda proponitur. Covarr. cap. *Cum esses n.* 12. *de testamentis*. Fagnan. cap. *Relatum n.* 4. Barbosa a. 2. *de testamentis*. Facchin. *Controv. Jur. lib.* 9. *cap.* 47. *§. ult.* Engel. *in Summa Jur. Canon. de testamentis qu.* 7. Card. Petra *to.* 2. *in Constit. Apost. pag.* 320. *n.* 34. *& seqq.* Roger. *tr. de testament. canonico lib.* 1. *disp.* 1. *cap.* 1.

5. Nos igitur testamenta præterimus, quæ ad *pias caussas* instituuntur, veluti si bonorum heres Ecclesia declaretur; sed de testamentis agimus ad *profanas caussas* pertinentibus, veluti, si bonorum hereditas in consanguineos, aut amicos conferatur. Hæc vero testamenta coram Parocho, ac duobus, vel tribus testibus peracta, cum in tota Ecclesiastica ditione vim obtineant, Bononiæ pariter, ac per universam Diœcesim idem statuendum est, quæ Pontificum ditioni prorsus subjicitur, cum præsertim nullum statutum decretali *Cum esses* contrarium afferri possit. Ita fatentur Dolphinus *in controv.* 71. *n.* 94. *&* 98. *decis.* 33. *n.* 187. *&* 212. & Possius *in Bononien. Legatorum die* 6. *April. anno* 1731. *§. Statutum autem Bononiæ, coram Rezzonico*, aliique plures, quos Romanæ Rotæ Tribunal commemorat.

6. Cum hæc ita se habeant, & cum decretalis *Cum esses* Parochum nominet: *coram Presbytero suo*; inquiritur utrum testamentum coram Capellano Parochi aut Confessario testatoris conditum jure existimari debeat, quidve deliberandum videatur si præsto haud fuerint nec Parochus, nec Capellanus, neque testatoris Confessarius. Cum in eadem pariter decretali duo, vel tres idonei testes exprimantur: *& tribus, vel duabus aliis personis idoneis*: nova quæstio in medium proferetur, an mulieres ipsæ in testamentis ejusmodi possint acciri testes. Postremo, cum ultimam voluntatem eadem decretalis memoret: *In extrema fecerint voluntate*: in quæstionem adducitur, an testamentum eo modo, quo diximus, confectum, vim habeat, si testator animo, & corpore bene valeat, aut si morbo aliquo teneatur, nullum tamen mortis periculum immineat.

7. Hæ quæstiones omnes facili negotio dissolvuntur, si, ingenii vana ostentatione prætermissa, libris evolvendis tempus impendatur, eæque opiniones seligantur, quas Tribunalia, forumque sua auctoritate confirmarunt. Antonius de Budrio civis noster in sua epistola, quam scripsit ad explicandum caput *Cum esses de testamentis*, probavit ea testamenta, licet ad *non pias caussas*, & etiam sine Parocho confecta, modo tamen duo, vel tres testes intervenerit; sed hanc opinionem verbis illis, *coram Presbytero suo*, apertissime repugnantem ceteri omnes improbarunt. Nonnulli Parochis nimium tribuunt, asserentes testamentum coram Parocho agresti nequaquam rite fieri ab illo, qui in Civitate morari plerumque consuevit, & dum rusticatur, improviso aliquo morbo correptus, supremas tabulas exarare desiderat. Attamen contrariam sententiam aliqui unanimes sequuntur, qui agrestem Parochum rusticantis proprium Parochum existimant, cum Divina Eucharistia, vel extrema Unctio graviter ægrotanti conferenda est; & ob hanc caussam probant testamentum coram eodem Parocho, & duobus vel tribus testibus institutum *in decretis prælicis de testament. cap.* 35. *numer.* 4. *& seqq. & cap.* 36. *num.* 217. *& seqq.*

8. Quod si Parochus absens fuerit, difficile admodum valere testamentum constabit, ad quod Capellanus accersitur, licet illum Parochus suo loco substituerit. Nam ob hanc delegationem administrandi Sacramenta facultatem Capellanus tantum assequitur. Roger. *de testam. canon. lib.* 1. *disp.* 2. *cap.* 5. *sub nu.* 9. At vero non semel in judicio probatum fuit testamentum, quod factum fuit coram Confessario, & duobus aliis, vel tribus testibus *in dec.* 145. *n.* 13. *coram Alex. VIII. & in dec.* 128. *nu.* 5. *coram Caprara*.
Non is tamen Sacerdos intelligitur, qui testatoris confessionem forte excepit, sed is, qui Pœnitentiæ Sacramento testatorem ipsum expiare jam dudum consueverit. Nam plurimi *facienda est fiducia, quam stat* quisque in Confessario, cui reipsa tribui queunt ea verba *coram Presbytero suo*, quemadmodum Cardinal. de Luca *de testam. disc.* 25. *nu.* 22. recte perpendit, & Romanæ Rotæ Tribunal declaravit *in dec.* 372. a *n.* 18. *usque ad n.* 30. *pag.* 9. *tom.* 2. *rec. dec.* 52. *num.* 5. *&* 6. *par.* 13. *recent.*

9 Quapropter absentibus Parocho, & proprio testatoris Confessario, ad evitandas difficultates omnes, Capellanus, vel extraordinarius Confessarius alium præter consuetos testem accersant. Si Parochus, aut proprius Confessarius intersint, duo testes satis esse decernuntur. Sin illi absentes fuerint, tum Capellanus, vel alius Confessarius acciri tertium quoque testem curent, qui absentiam Parochi, vel proprii Confessarii supplebit, si Capellanus, vel extraordinarius Confessarius inter testes recensentur; tum si tres alii testes vocentur, numerus testium ad rem peragendam necessarius perficietur. Hujusmodi cautio primum desumitur ex Abbate *in solemni repetitione cap. Cum esses num.* 12. *de testamentis*, cui deinde reliqui omnes assentiunt, Vallens. *tit. de testam. §.* 1. *num.* 7. Rocc. *disp. jur. c.* 40. *n.* 1. Paul. de Rubeis *in allatis decretis prælicis c.* 35. *num.* 121. *& seqq.* Roger. *in opere all. lib.* 1. *disp.* 3. *c.* 1. *n.* 10. *& seqq.*

10. Ad reliquas quæstiones, quæ propositæ fuerunt, deveniamus. Primum, decretalis *Cum esses* testes idoneos exigit, non quidem *in superlativo gradu*, cum testimonium etiam egenorum probitate, ac fide præstantium satis idoneum putetur de Rubeis *in cit. cap.* 33. *num.* 178. *& seqq.* sed requirit, ut viri tantum, non mulieres testimonium ferant, ut Fagnanus in cap. *Cum esses num.* 32. *& seqq. de testam. num.* 68. *& seqq.* fuse demonstrat; cujus auctoritate ducti fatemur rite condi testamentum coram Parocho, vel consueto Confessario, ac duobus testibus; aut coram quatuor testibus, si Parochus, aut solitus Confessarius non intervenerint. Rite, inquam, condi hac ratione testamentum, licet testator gravi morbo non teneatur; nam Alexander III. in decretali *Cum esses* morbi quidem implicite meminit illis verbis: *In extrema fecerint voluntate*; sed rem tum solum exponebat, pro qua consilium ab ipso petebatur. Sententiam vero Pontificis morbo nequaquam inniti Cardin. de Luca *in cit. disc.* 25. *de testam. n.* 20. sapienter ostendit, & Monacell. *lib.* 1. *tit.* 10. *formul.* 19. *n.* 30.

11. Jam satis sit de iis, quæ a jure Canonico circa hoc argumentum desumuntur, ac de iis quæstionibus, quæ a Theologia fiunt; nunc de usu rei ejusdem verba faciamus, & seriem eorum, quæ peragenda sunt, explicemus.

12. Itaque Parochus, vel Confessarius ordinarius acciti a testatore, qui eos adhibere velit ad supremas tabulas conficiendas, cum Notarius publicus desit; illi, inquam, testatorem admoneant necesse est, duos alios testes saltem requiri ex viris, non mulieribus delectos. Si vero Capellanum, aut Confessarium extraordinarium acciri contingat ob eamdem caussam, tres alios testes adhibendos testatori patefacient. Deinde reipsa testes perquiri deberent, & moneri testamentum ipsorum testimonio obsignandum esse eo tempore, ac loco, qui indicabitur. In hoc *Rogitus explicitus* declaratur. Sed quoniam ob ægrotantis periculum aliquando res celeriter expedienda est, tum ferre testimonium possunt illi, qui fortuito in ædibus testatoris occurrunt, & coram ipsis testamentum confici potest, modo tamen voluntatem suam clare ipsis testator exponat, ipsique mentem intendant, ut verba testatoris intelligant, quemadmodum leges iis verbis præscribunt *in L. coram Titio ff. de verbor. significat. Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat*. Insuper nulla fraus immiscenda est, atque iis omnibus *Rogitus implicitus* continetur, quem sufficere Jurisconsulti tunc existimant, uti Rogerius *in suo tract. de testam. canonico lib.* 1. *disp.* 3. *cap.* 4. *n.* 12. *&* 13. amplissime comprobat.

13. Coactis necessariis testibus, Sacerdos testatorem admoneat, ut sibi, ac præsentibus ipsis testibus extremam voluntatem suam declaret, nempe pia legata, si aliqua facere pro animæ suæ expiatione deliberaverit: item legata profana, si tamen aliqua decernere velit, ac postremo testamenti sui executores, si ipsos nominare cupiat, & heredis institutionem, quæ ad testamentum rite condendum omnino necessaria est; eos pariter explicet, qui loco heredis substituendi sunt, si illos constituendos optaverit. Evenire potest, quod testator ægrotus ita morbo prematur, ut

hæc

„ in quibus tabulis testator affirmat legata decrevisse, heredem ore suo declarasse, & reliqua omnia, prout in testamento continentur, libere constituisse, & insuper postulat, ut tradimm mihi, exceptumque suum testamentum publica fide confirmarem, & illud in acta mea referrem; quæ omnia meliori modo &c. sententia vero ejusdem testamentis est hujusmodi (hoc loco referatur testamentum.)

„ *Formula depositionis Parochi, cum interrogatur de iis, quæ in testamento continentur.*

„ 20. Ac deinde interrogatus a me Notario idem Reverendus Parochus de iis, quæ habentur in testamento mihi tradito, ipse jurejurando interposito, & tacto de more pectore Sacerdotali, deferente me Notario publico, respondit hæc, quæ sequuntur.

„ In testamento peracto, ut superius expositum fuit, tibique tradito N. testator, anima sua prius Deo commendata, decretoque sibi tumulo in Ecclesia N., & pro animæ expiatione Missarum Sacrificiis indictis præcepit numerari N. summam pecuniæ N. (hoc loco cetera legata, & alia, si quæ proposita fuerunt a testatore, singillatim enumeret.)

„ Heredes bonorum suorum generales instituit N. N. ore suo, clara voce (hoc loco explicentur si qui alii substituti sint, vel aliquid aliud circa heredis institutionem a testatore decretum fuerit.)

„ Postremo, Commissarios suos designavit N.N., & reliqua omnia, prout in testamento describuntur, quod ego testor, & approbo illud idem esse, quod excepi, scripsi, obsignavi, addito pariter sigillo Ecclesiæ meæ Parochialis.

„ *Formula depositionis testium, cum interrogantur de eodem testamento.*

„ 21. Post hæc idem Reverendus Parochus adduxit jam nominatos, & inferius scriptos testes, qui condendo testamento interfuerunt. Ac primum N. filius N.N. oppidi N. interrogatus a me de rebus in eodem testamento contentis, jurejurando interposito, tactisque scripturis, deferente me Notario publico in hunc modum respondit:

„ Die Mensis Anni accersitus domum in oppido ubi ipse gravi morbo decumbebat, ore suo, claraque voce me rogavit, & etiam N. ut testes essemus postremis suis tabulis, ultimæque voluntati. Quare Reverendum N. Parochum suum illic præsentem exoravit, ut, absente Notario publico, testamentum suum exciperet; illud Reverendus idem Parochus N. excepit, scripsitque enunciante testatore, quæ vellet. Is quidem anima sua Deo commendata, sepeliri corpus jussit in Ecclesia &c. (hoc loco describatur responsum ejusdem testis ad singula capita testamenti, quemadmodum in responsione a Parocho facienda superius exposuimus. Deinde Notarius hoc modo prosequatur.)

„ Insuper testamenti tabulas ego Notarius testi N.N. palam ostendi, quas ipse diligenter expendit, & nomen suum in fine obsignatum, vel ejus loco crucis signum perspexit, cui subiiciebantur ipsius nomen, & cognomen; quibus peractis testis ipse jurejurando dixit: Hoc est revera testamentum N. N. cui ego testis interfui cum alio teste, quem superius nominavi. Super his omnibus &c.

„ Post hæc, Notarius depositionem eliciet ab illo, vel aliis testibus, qui forte interfuerint, & pro hac eadem caussa coram adducantur.

„ Quod si testamentum manu testatoris obsignatum fuerit, nullum tunc examen Parochi, vel testium requiritur, & satis erit, si ipsi testamentum idem agnoscant eo modo, quem explicavimus, & etiam superaddant legata, heredis institutionem, aliaque omnia decreta fuisse ab ipso testatore, prout in ejus supremis tabulis exhibetur; nec opus est, ut singillatim enumerent &c.

DUBIUM III.

An validum sit testamentum, si deficiat aliqua sollemnitas Juris Civilis.

23. DE hac materia plura diximus in *tract. de Legib. cap. 2. dub. 6. & 7.* necnon supra in hoc tractatu *cap. 1. dub. 4.* ubi diximus, duas esse Sententias valde probabiles; quia tamen casus sæpe accidit in praxi, & de eo magna est controversia inter Auctores Juristas, Canonistas, & Theologos expedit exactius materiam totam discutere, & pro faciliori expeditione illam in §. distinguere; ideo sit

§. I.

Examinatur prima Sententia.

24. PRima Sententia constanter asserit, Contractus sine sollemnitate Juris celebratos validos esse pro foro conscientiæ, si fiant sine dolo, & fraude, ac proinde validum esse testamentum pro foro conscientiæ, quamvis aliqua desit sollemnitas a Jure Civili prescripta. Ratio est, quia leges fundatæ in præsumptione doli, & fraudis non obligant in conscientia, deficiente dolo, & fraude, nam tunc præsumptio cedit veritati; sed Leges Civiles sollemnitates testamentorum præscribentes fundantur in præsumptione doli, & fraudis, ut clare constat ex *l. fin. Cod. de Fideicom.* ibi; *Lex etenim, ne quid falsitatis incurrat per duos forte testes compositum testamentum, majorem numerum testium expostulat, ut per ampliores homines perfectissima veritas reveletur.* Ergo si clare, & sufficienter constat de voluntate testatoris, nullumque subesse dolum, & fraudem, testamentum validum erit, & firmum pro foro conscientiæ, quamvis deficiant sollemnitates Juris Civilis, quæ non obligant, deficiente dolo, & fraude: tum quia, deficiente fine legis, cessat, ac deficit ipsa lex, & non obligat; at finis legis præscribentis sollemnitates in testamentis, est vitare fraudes, & dolos, qui possunt adesse, ex eit. *l. fin. C. de fideicomm.* ibi: *lex etenim, ne quid falsitatis incurrat testamentum, &c.* ergo si nulla datur fraus, & dolus, cessat lex, & non obligat, ac proinde testamentum remanet validum, perinde ac si nulla extaret lex in contrarium.

25. Probatur secundo, quia ex testamento imperfecto, & irrito secundum leges Civiles nascitur obligatio naturalis descendens a libera voluntate testatoris, & disponentis de rebus suis, quæ per legem humanam non potest impediri, nec tolli, cum nihil sit tam conveniens naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi, ut habetur *§. Per traditionem, Instit. de rerum divisione*, ac proinde remanet obligatio pro foro conscientiæ servandi testamentum, licet imperfectum, quando sufficienter constat de mente testatoris disponentis, & transferentis in alium rerum suarum dominium, maxime si per ignorantiam, oblivionem, aut impotentiam aliqua sollemnitas fuit omissa, vel testes sufficientes non fuerunt adhibiti; valde enim durum est, etiam respectu morientis, ut non possit testari, vel aliquid legare in favorem amici, seu benefactoris, eo quod desit unus, aut alter testis, vel Notarius, & ob hanc caussam heres scriptus, vel amicus legatarius possidens hereditatem, vel rem legatam teneatur in conscientia restituere consanguineis testatoris, quibus ob justas caussas nihil voluit relictum, ut cum *Less. lib. 2. c. 19. dub. 3. n. 19.* ponderat Bossius *var. moral. par. 3. tit. 2. n. 75.*

26. Probatur ulterius ex ipso Jure *l. Non dubium 16. Cod. de testam.* ubi habetur: *Illud etiam adjiciendum est, ut qui ex testamento, vel ab intestato heres extiterit, etsi voluntas defuncti circa legata, seu fideicommissa, seu libertates legibus non sit subnixa; tamen si sponte agnoverit* (id est solvendo sciens voluntatem ob defectum sollemnitatis non valere, inquit Glossa ibidem, verbo agnoverit) *implendi eam necessitatem habeat.* Concordat *l. & si inutiliter 2. Cod. de fideicomm.* ubi negatur repetitio ei, qui agnoscens scripturam minus sollemnem fideicommissario solvit, eo quod ex conscientia relicti videatur isti solutum; ita enim Antoninus Imperator ait, *etsi inutiliter* (id est sine debita sollemnitate, seu in scriptura minus sollemni) *fideicommissum relictum sit: tamen si heredes comperta voluntate defuncti, prædia ex caussa fideicommissi avo tuo præstiterunt: frustra heredibus ejus de ea re quæstio tibi movetur:* & statim subdit rationem; *cum non ex solo scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi defuncti voluntati satisfactum esse videatur.* Ubi aperte supponit voluntatem defuncti; de qua constat per confessionem heredis, cujus interest, validam esse, debere etiam in foro exteriori, etsi per scripturam minus sollemnem non satis probetur, & *l. ult. Cod. eodem tit.* heres cogitur ad præstandum legatum sine sollemnitate constitutum, vel jurare, eam non fuisse voluntatem defuncti: ex quo colligit Molina *disp. 81.* testium sollemnitatem solum esse formam probatoriam, non autem substancialem validi testamenti. Unde colligunt Jurisperiti apud Lessium *dub. 3. n. 16.* legata, quæ in testamento minus sollemni tibi sunt relicta, si a te possideantur, non solum posse in foro conscientiæ retineri, sed etiam in externo defendi per legitimam exceptionem; quam sententiam Jason. dicit esse communem, ut refert Covarr. *nu. 19.* apud Lessium *nu. 56.* ita etiam Bossius, qui alia Jura refert, ex quibus colligitur, legata, & fideicommissa in testamento minus sollemni relicta, valida esse, non solum in foro interno, sed etiam externo.

27. Hæc

27. Hanc sententiam tenent Panormitanus, Butrius, Ancharanus, Innocentius, & alii plures relati a Bossio *n.* 64. qui dicunt, oppositam sententiam admittendam esse in dubio, quando scilicet heres ab intestato est dubius de voluntate minus sollemni; secus vero si certo, & indubitanter sciret voluntatem testatoris, & vera esse omnia contenta in testamento minus sollemni, & effluxisse a vera, & intima voluntate testatoris. Ita etiam Fagnanus in cap. *Cum esses hoc tit.* Abbas in idem Caput *Cum esses*, Molina *disp.* 81. Soto *lib.* 4. *de just. qu.* 5. *art.* 3. Reginaldus *lib.* 25. *nu.* 105. Bannez 2. 2. *qu.* 62. *de domin. disp.* 5. *art.* 4. Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 1. *dub.* 14. *num.* 5. & 6. Mastrius *disp.* 4. *Theol. Moral. n.* 52. Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 16. *n.* 662. Pontius, Facund. Filliuc. Lessius, Granadus, Villalob. Trullench, Comitolus, & alii plures Jurisperiti, Canonistæ, & Theologi relati a Bossio *var. moral. part.* 3. *tract.* 2. *num.* 64.

28. Juxta hanc sententiam infert Lessius *nu.* 21. heredem ab intestato si sciat voluntatem defuncti esse illam, quæ in testamento, vel codicillo minus sollemni continetur, teneri restituere hereditatem, & solvere legata eis, quibus testamento minus sollemni debentur, & heredem institutum tutissima conscientia accipere, ac retinere posse hereditatem, sicut, & legatarios legata. Item, posse legatarios, & heredem in testamento sollemnitatibus destituto institutum uti occulta compensatione, casu quo heres ab intestato hereditatem, & legata eisdem non restitueret, cum revera res illæ sint ipsorum. Ita etiam Bannez dicens; id, quod ex tali testamento possidetur, non esse restituendum, donec per Judicem adjudicetur heredi ab intestato. Idem affemrat Molina *disp.* 81. Ant. a Spir. S. *n.* 663. & Stephanus *a* S. Gregor. *lib.* 2. *de contract. c.* 18. *n.* 10. Si dubium sit de voluntate testatoris, asserit Lessius cum Molina, faciendam esse compositionem inter heredem ab intestato, & heredem institutum in tali testamento minus sollemni, quia cum nec ipse, nec alii cœperint adhuc possidere bona fide, in dubio par est eorum conditio.

§. II.

Affertur secunda Sententia.

29. SEcunda sententia ex opposito docet, invalidos, & irritos esse contractus sine sollemnitate Juris celebratos non solum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ, ac proinde nullum, & irritum esse testamentum, si careat tali sollemnitate; & heredem, seu legatarios vi talis testamenti præscripta sollemnitate carentis, nec aliquid accipere, nec illud retinere, si jam acceperunt, tuta conscientia posse, sed cuncta heredibus ab intestato relinquenda esse, seu restituenda sub gravi obligatione, quantumcumque de voluntate testatoris certo constet. Probatur primo ex variis Juribus annullantibus, & irritantibus testamentum sine sollemnitate factum: sic in primis de numero testium, *l. si unus Cod. de testam.* habetur: *si unus de septem testibus defuerit, vel coram testatore omnes eodem loco testes suo, vel alieno annulo non signaverint, jure deficit testamentum*; & *l. Hac consultissima cod. tit. Non subscriptum a testibus, ac non signatum, testamentum pro infecto haberi convenit.* Item *ex imperfecto testamento*, id est sollemnitatibus debitis destituto, *voluntatem defuncti teneri non volumus*, & §. *ex eo Instit. quibus modis testam. infir.* ait Justit. *Imperfectum testamentum nullum* est; concordat *l. fin. hoc tit.* ac plures aliæ, quæ passim allegantur a Doctoribus, & eas cumulat Salas *de leg. disp.* 16. *sect.* 12. *n.* 52. & Gomez in *l.* 3. *Tauri n* 123. & Bossius §. 1. *n.* 3.

30. Ratio est, quia sollemnitates a Jure Civili præscriptæ, sive in testamento, sive in aliis contractibus, non solum requiruntur ad faciendam probationem in foro externo, sed etiam pro forma substantiali, & essentiali, qua sublata, corruit testamentum, quod sine forma substantiali stare non potest. Nec leges sollemnitates præscribentes fundantur in præsumptione doli, & fraudis in omni casu particulari, sed in morali periculo illarum, quod semper adest; nam quis Princeps pro bono publico, & communi conservando, & ut facilius vitentur damna, & fraudes in Republica potest irritare contractus, & testamenta non solum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ. Certe si contrahentes ipsi apponere possunt in contractibus aliquas conditiones, quibus prætermissis, nulla insurgat obligatio inter illos, multo magis potest supremus Princeps pro bono publico, & communi conservando, & ut facilius vitentur damna, & fraudes in Republica, irritare testamenta non solum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ, apponendo sollemnitates, sine quibus testamentum non sit validum. Cum autem hujusmodi lex non sit pœnalis, sed respiciat bonum publicum, ut damna, & fraudes removeantur a Republica, sortiri debet suum effectum, non solum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ ante quamcumque sententiam: & inde testamentum factum sine debita sollemnitate remanet irritum, & nullum, & hereditas transit ad heredes ab intestato, & heres in tali testamento relictus retinere non potest hereditatem, ut diximus supra *de contract. in gen. dub.* 4.

31. Hanc sententiam tenent Covarr. *de testam. c.* 10. *n.* 14. & *seqq.* Bart. in *l. Nemo potest ff. de legat.* 1. & ibi: Jason. *n.* 17. sicut, & in *l.* 1. *ff. de condict. indebit. n.* 17. Gomez in *l.* 3. *Tauri n.* 123. Salas *disp.* 16. *q. ult. n.* 52. Pal. *de legib. disp.* 2. *pun.* 10. *n.* 7. Lugus *disp.* 22. *sect.* 9. *n.* 252. Bonac. *disp* 3. *de contr. q.* 1. *pun.* 3. Suarez *lib.* 5. *de legib. c.* 25. *n.* 22. Rodriq. in *summa* *ta.* 1. *c.* 220. Diana plures referens *par.* 1. *tr.* 8. *res.* 75. Sancius *in selectis disp.* 43. *n.* 52. Trull. in *Decal. lib.* 7. *c.* 17. *dub.* 3. Vasq. Dicast. Aragon. Salon. Bauny, & alii, quos affert, & sequitur Andreas *a* Matre Dei *de contr. ingen. cap.* 1. *punct.* 7. *num.* 51.

32. Utraque sententia est probabilis, & tuta, tum propter rationem, tum propter auctoritatem Doctorum, qui pro utraque parte militant. Hæc tamen secunda sententia esset probabilior, & in praxi sequenda, si certo constaret de voluntate Legislatoris volentis penitus, & omnimode infirmare, & irritare testamentum minus sollemne ob non servatas sollemnitates a legibus præscriptas, non solum pro foro externo, & civili, sed etiam pro foro conscientiæ, tollendo, & impediendo quamcumque obligationem, etiam naturalem, & translationem dominii, quod facere potest Legislator, & Respublica ob commune, ad vitandas fraudes, ut diximus *de legib. c.* 2. *dub.* 6. At quia non constat certo, talem fuisse mentem Legislatoris in statuendis sollemnitatibus testamentorum, cum potuerit legem statuendo irritare testamentum minus sollemne, ob non servatas sollemnitates præscriptas, solum pro foro externo, tollendo dumtaxat ipsius obligationem civilem, remanente obligatione naturali, donec per sententiam Judicis & ipsa tollatur, seu ablata declaretur, cum hoc modo sufficienter consulatur, & satisfiat bono communi Reipublicæ, nec satis constet, quid egerit, cum pro utraque parte sint validæ rationes, & magni nominis Doctores. Ideo

§. III.

Quid sit sentiendum.

33. STante varietate, ac incertitudine Sententiarum, sequenda videtur sententia media, quæ docet, testamentum minus sollemne quadam ratione validum esse, & quadam ratione invalidum: validum scilicet ante sententiam Judicis, ante quam locum habet prima sententia: invalidum vero post sententiam Judicis irritantis, seu irritum declarantis testamentum factum sine debitis sollemnitatibus, si lis super eo mota fuerit, & ad judicium sæculare deferatur, & post sententiam habebit locum secunda sententia Doctorum supra relata, & inde institutus heres per testamentum minus sollemne capere poterit hereditatem, si nemo se opponat, & retinere, donec per sententiam Judicis aliter statuatur; & heres ab intestato poterit & ipse eamdem hereditatem capere, & retinere, quamvis sciat, aliam fuisse voluntatem defuncti; quod si ab altero fuerit hereditas occupata, illam petere poterit in Judicio, & retinere post sententiam Judicis illam sibi adjudicantis.

34. Ratio est, quia ex testamento minus sollemni nascitur obligatio naturalis vera, & propria, ex communi etiam Juristarum apud Clarum §. *testamentum qu.* 90. *num.* 1. quæ sufficiens est ad transferendum dominium, & reddendum validum testamentum pro foro conscientiæ, ut constat ex cap. *Cum esses*, & cap. *Relatum* 1. *de testam.* ubi testamentum conditum coram duobus, vel tribus testibus dicitur validum, quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum; & cum tota substantia, & essentia testamenti Jure naturali consistat in sola voluntate, & consensu testantis, & testes solum requirantur ad probationem faciendam, etiam nuda voluntas testatoria quomodocumque sufficienter manifestata sine fraude, & dolo, obligabit in foro conscientiæ, prout docent Auctores primæ sententiæ, & alii plures relati a Bossio *par.* 3. *var. moral. tit.* 2. *num.* 64.

35. Conf. ex eo quod istæ sollemnitates videntur solummodo introductæ, ut voluntati testatoria certius satisfieret, nec posset variis hominum actibus immutari, ut satis clare constat ex supra cit. *l. fin. Cod. de fideicomm.* dum Justinianus *ibidem* aperte dicit, eas sollemnitates ideo inventas fuisse, ut salva sit voluntas testatoris, quæ remaneret fraudibus exposita, si testamentum absque tot sollemnitatibus fieri posset; & quidquid circa testamentum constitutum est, id omne introductum

fuisse,

fuisse, ut testatoris voluntas impleatur, & effectum sortiatur, ut etiam habetur ex textu in *l. quoniam indignum Cod. de testam. l. ambiguitatis in fin. Cod. eod. in l. 2. §. & nemo moriens, Cod. communia de legatis in Instit. de legatis §. nostra constitutio in Auth. de nupt. §. Disponat*, & aliis Juribus in quibus habetur, semper custodiendas morientium voluntates. & voluntatem magis, quam verba intuenda: in testamentis voluntatem totum facere, & primum locum obtinere, & in omnibus dominari, & testamentum pendere a sola voluntate testatoris, prout notat Bossius *num.* 74.

36. Confirmari etiam potest ex usu, & consuetudine Virorum peritorum, & timoratorum, qui ex minus sollemni testamento possidentes hereditatem, vel rem legatam, quam sciunt sibi libera, & sincera voluntate fuisse relictam, numquam consuevere sponte illam restituere heredi venienti ab intestato, sed retinere, saltem donec Judex per sententiam præcipiat, & rem illam heredi ab intestato adjudicet. Consuetudo autem est optima legum interpres, quæ proinde non videntur aliter usu receptæ apud sapientes, & timoratos, ut non privent ipso facto aliquid per voluntatem minus sollemnem possidentem, sed expectanda sit sententia Judicis: idque confirmat Facundez *lib.* 6. *de Justit. cap.* 7. *num.* 11. ex eo quod, dum res auctoritate Judicis vindicantur a possidente ex testamento minus sollemni, non jubeantur restitui fructus, etiam a multis annis percepti, quod signum est, tale testamentum validum fuisse in conscientia, & eo titulo possidentes rei dominium acquisivisse; secus deberent etiam fructus restitui, cum res qualibet domino suo fructificet.

37. Quod autem post sententiam Judicis locum habeat secunda sententia, ex eo probatur, quia si heres ab intestato utens beneficio legis, impugnat testamentum sine sollemnitate factum, & controversia deferatur ad forum civile, Judex optime potest, ac immo debet illud irritum declarare, hereditatem adjudicare heredi ab intestato, eumque liberum pronuntiare a solvendis legatis ex testamento imperfecto, quamvis constet de contraria voluntate testatoris, quia judicare debet secundum leges civiles, secundum quas illud testamentum imperfectum est nullum, & irritum. Non potest autem illud irritum declarare, nisi ab illo tollat omnem vim, & obligationem, etiam naturalem, quam alioquin, seclusis legibus, haberet ultima voluntas minus sollemnis; nam judicaret contra justitiam, & foveret peccatum, & per eas leges daretur manifesta occasio injustitiæ, & peccatis.

38. Adde, quod lex, & sententia Judicis secundum leges judicantis, si est justa in foro externo, sit etiam justa in foro conscientiæ, & servanda in foro interno, nisi fundetur in falsa præsumptione, prout ex communi sententia, & allegatis Auctoribus, docet Sanch. *lib.* 2. *in Decal. c.* 10. *n.* 18. Laym. *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 37. *num.* 8. Covarr. *de testam. c.* 20. *n.* 13. & alii; ergo etiam sententia Judicis, qua secundum leges civiles irritat testamentum minus sollemne, cum non sit fundata in deceptione, vel falsa præsumptione; nam Judex illam pronuntiare, & testamentum minus sollemne irritum declarare tenetur, quamvis sciat, nullam subesse fraudem, erit justa etiam pro foro interno, & consequenter testamentum illud, post sententiam Judicis, erit invalidum, etiam pro foro conscientiæ. Hanc sententiam præ ceteris magis probabilem, & in praxi expeditam, ac tutam censet Laym. *lib.* 3. *tr.* 4. *cap.* 37. ubi etiam citat Sotum, Bannez, Covarr. & alios, eamque sequitur Anacletus in *Theol. moral. tr.* 8. *dist.* 3. *n.* 15. & probabilem dicit Lessius *dub.* 3. *num.* 31. ita etiam Sanch. *in consil. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 14. *nu.* 6. Suarez *de legib. lib.* 5. *c.* 32. *n.* 7. Palaus *tom.* 1. *tr.* 3. *disp* 2. *pun.* 10. *nu.* 7. & alii relati a Bossio *num.* 205. ea qua sententia plura infert *num.* 111. *& seqq.*

39. Hinc facile patet responsio ad fundamenta utriusque sententiæ, & quidem ad fundamenta primæ sententiæ dicendum est, leges civiles præscribentes sollemnitates pro testamentis, & irritantes testamenta sine illis condita, non fundari in præsumptione particulari doli, & fraudis, sed in morali periculo illarum, quod semper adest: nec deficit finis universalis legis, quamvis cesset finis in casu particulari. Ex testamento minus sollemni nascitur obligatio naturalis, sed hæc duplex est, alia efficax omnino, alia aliquo modo inefficax, quæ nimirum per exceptionem, & beneficio legis civilis potest elidi. Testamenta minus sollemnia habent obligationem naturalem, sed inefficacem, quæ per exceptionem legis, & sententiam Judicis elidi, & tolli potest, ut cum Layman *cap.* 9. *num.* 9. notat Anacletus supra *num.* 18.

40. Ad fundamenta alterius sententiæ dicendum est, leges resistere, & irritare testamenta sine sollemnitatibus condita solum civiliter, non vero naturaliter, seu tollere obligationem civilem, relicta naturali, licet aliquantulum inefficaci, utpote quæ potest elidi exceptione legis civilis, cum hoc sit sufficiens ad bonum publicum, & tranquillitatem Reipublicæ conservandam. Præbere formam substantialem pro foro externo, non vero pro foro conscientiæ, relicta tamen facultate Judici illa irritandi, seu irrita declarandi, & inde post sententiam Judicis evadit irrita, & nulla in utroque foro; sed ante sententiam heres institutus in testamento minus sollemni potest rem sibi relictam juste retinere, donec ab ipso per sententiam Judicis repetatur, & alteri adjudicetur.

41. Adde hic, testamentum sine sollemnitatibus factum aliquando validum esse, non solum pro foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo, quando scilicet heres ab intestato succedens ex ore testatoris præsens audivit, & fatetur defuncti voluntatem, tunc enim solvere tenetur legata, & fideicommissa relicta, quamvis testamentum careat sollemnitatibus, ut clare constat ex *l. Non dubium, Cod. de testam.* & ex *l. si inutiliter*, juncta *l. ult. Cod. de fideicommiss.* relatis supra *nu.* 26. unde habetur, voluntatem defuncti, de qua constat per confessionem heredis, validam esse debere, etiam in foro exteriori, quamvis per scripturam minus sollemnem non satis probetur. Ita tenent Julius Clarus §. *Testamentum qu.* 90. *num.* 2. dicens, esse communem, Alexander in *l. Nemo potest ff. de legib.* Molina *disp.* 81. *num.* 17. & omnes illi, qui docent, sollemnitates non esse de substantia, sed tantum de forma probatoria; & habetur ex *l. fin. Cod. de testam.* ubi universaliter dicitur, quod *tunc tantum numerus testium, & nimia subtilitas sit requirenda, si res (seu veritas) per testium sollemnitates ostendatur, si autem habeatur propria confessio adversarii, recurrendum non erit ad extraneam probationem*, quod universaliter valet tam de legatis, & fideicommissis, quam de testamento, & herede instituto, quia propria confessio est optima probatio, superans omnem aliam a testibus desumptam.

42. Inde si testator in articulo mortis existens oretenus absque testibus dicat heredi suo: post meum obitum de meis bonis da centum Petro, vel aliquid aliud titulo legati, seu fideicommissi dare ordinavit, tenetur heres post mortem testatoris adimplere voluntatem defuncti sibi absque testibus manifestatam, non solum quando solvere promisit, nam tunc teneretur ex contractu titulo promissionis cum moriente inito; sed etiam quando non promisit, sed tacuit, nec aliud signum consensus, aut promissionis exhibuit: sufficit enim, quod voluntatem testatoris audierit, ut teneatur in conscientia solvere, juxta superius dicta.

DUBIUM IV.

De sollemnitatibus requisitis in Testamento ad pias caussas.

43. TEstamentum tunc dicitur conditum ad pias caussas, quando pia caussa principaliter instituta est heres. Si enim laicus institutus sit heres, licet aliqua legata pia in eo testamento relinquantur, non dicitur testamentum ad pias caussas; bene tamen si caussa pia sit heres, licet aliqua legata ad caussas profanas immixta habeat. Ratio est, quia testamentum vere, & proprie consistit in institutione heredis, non in legatis, ut diximus supra *dub.* 1. ac proinde ex institutione heredis, sive ab herede instituto desumendum est; an testamentum aliquod sit, vel non sit ad caussam piam. Ad hoc tamen requiritur, quod pia caussa sit principaliter, & primo loco instituta, nec sufficit si sit in remotum, & incertum eventum substituta, ut tenent Ferentilius in *addit. ad dec.* 475. & late tradit Aloysius Ricc. *in praxi rer. for. Eccles. dec.* 658. *n.* 8. quamvis alii teneant, sufficere, sive pia caussa fuerit in primo loco instituta, sive in quocumque alio gradu substituta; nam eo ipso, quod via successionis aperitur piæ caussæ, testamentum dicendum est, esse ad pias caussas, nec est inconveniens, ut testamentum vires accipiat a substitutione: & ita satis probabiliter tenent Molina *disp.* 134. Villal. *par.* 2. *tr.* 30. *diff.* 4. Facund. *lib.* 6. *c.* 3. *n.* 19. & alii, quos sequitur Bossius *tit.* 12. *n.* 80.

44. Nomine caussæ piæ veniunt in præsenti omnia Loca, & Instituta pia, cujusmodi sunt Ecclesiæ, Monasteria, Oratoria, Capellæ, Altaria, Hospitalia, Confraternitates institutæ ad exercenda opera pia; item relictum pauperi pro alimentis, pro dote ad maritandas, vel monacandas pauperes puellas, & factum miserabilibus personis; pro redimendis captivis, & pro excarcerandis carceratis; & quidquid sit, relinquitur, vel promittitur intuitu obsequii, seu cultus Divini, & amoris Dei, & pro bono, seu salute animæ propriæ, vel alienæ, seu pertinens ad cultum, & obsequium Dei, vel ad bonum, & salutem animæ, vel misericordiam erga proximos,

ximos, seu ad sublevandam proximi miseriam spiritualem, vel temporalem, ut late, & distincte prosequitur Bossius *var. moral. par.* 2. *tit.* 12. §. 4. *an.* 215. *& seqq.* ubi omnia explicat, quæ ad caussam piam spectare possunt. His positis

45. Resp. testamentum ad caussas pias esse privilegiatum, & validum in utroque foro Civili, & Ecclesiastico, quamvis careat sollemnitatibus pro aliis testamentis a Jure Civili statutis, dummodo sufficienter constet de voluntate testatoris, seu habeat sollemnitatem Juris gentium naturalis, & divini. Ita Doctores tam Jurisperiti, quam Canonistæ, & Theologi, quos longa serie refert Bossius *par.* 2. *tit.* 12. §. 1. adeo, ut hæc responsio hoc tempore sit extra controversiam; ita expresse decisum habetur in cap. *Relatam* 1. *de testam.* ubi Summus Pontifex Alexander III. mandat, ut Judices non secundum Leges Civiles, sed secundum Canones tractent eas caussas, in quibus agitur de bonis relictis Ecclesiis, duobus, vel tribus testibus legitimis tantum adhibitis, ibi: *Mandamus, quatenus cum aliqua caussa talis*, in qua agitur de relictis Ecclesiæ, *ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum leges, sed secundum Decretorum statuta tractetis, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis.* Unde revocat quoad hoc leges civiles Principum, qui non habent potestatem limitandi, seu aliquid statuendi in iis, quæ pertinent ad finem spiritualem animæ, cujusmodi est caussa pia, quæ proinde in utroque foro tam Sæculari, quam Ecclesiastico judicanda est secundum Canones: & ita tenet praxis, & consuetudo universalis ubique recepta, quod testamenta, & dispositiones ad caussas pias in utroque foro judicentur secundum Canones. Ita Auctores omnes a Bossio relati.

46. Hinc sequitur, in testamento, & quacumque dispositione ad pias caussas, ut valeat in quovis foro, non plures requiri, quam ut adsint duo testes idonei, qui tamen non requiruntur ad substantiam, & valorem testamenti, sed tantum ad faciendam probationem in foro externo in casu, quo aliunde non constet, nec probari possit voluntas testatoris, nisi per testes. Si enim aliunde sufficienter constet de tali voluntate, testamentum ad pias caussas in utroque foro tam interno, quam externo, Civili, & Canonico, etiam sine testibus validum existit, quia præsentia testium, & illorum numerus est sollemnitas inducta a Jure Civili; quod non militat in caussis piis, in quibus servari debet Jus canonicum, dummodo tamen adsint ea, quæ requiruntur de jure naturæ, & gentium, ut scilicet adsit libera voluntas testandi, & capacitas testatoris, qui sit compos rationis, habeat sufficientem rationem, & Intellectum, ac voluntatem liberam; si enim aliquid deest, testamentum non valet. Ita Molina *disp.* 134. Lessius *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 2. *n.* 7. Layman. *lib.* 3. *tr.* 3. *c.* 2. *nu.* 5. Trullench *lib.* 7. *in Decal. cap.* 18. *n.* 4. Villalob. Lugus, Diana, quos sequitur Bossius *num.* 7.

47. Quare si sufficienter constet de mente testatoris, aut quia reperitur testamentum manu testatoris scriptum, vel saltem ab eo subscriptum, ut observat Fagnanus in dict. capit. *Relatum num.* 9. vel quia heres ab intestato sine testibus defuncti voluntatem audierit, vel aliunde certo novit, tenetur in conscientia illam adimplere. Cum enim tota substantia testamenti, & ultimæ voluntatis ad pias caussas consistat in sola voluntate testatoris, ut dictum est, eo ipso, quod heredi ab intestato successuro nota est dicta voluntas, tenetur in foro conscientiæ illam adimplere, prout docent Mol. Less. Layman, Trull. Bossius, & alii ab ipso citati. Eadem ratione si testator aliquid alicui occulte dedit, ut illud post ejus mortem expendat in pias caussas, aut pecuniam tali loco repositam post ejus mortem accipiat, & pauperibus distribuat; Missas celebrare faciat, vel sibi, tamquam pauperi retineat, valida est talis dispositio, & servanda in foro conscientiæ, quamvis facta sit sine testibus, & scriptura, & alter jure potest pecunias accipere, & expendere, prout sibi fuit injunctum, prout tradunt Lug. *disp.* 22. *n.* 267. *&* 268. Diana *par.* 7. *tr.* 6. *ref.* 14. *&* 18. Molina, Trullench, & alii; modo id facere possit absque suo periculo, vel infamia, ne ab heredibus furti argueretur, vel in foro exteriori cogeretur de suo acceptum solvere, nec tenetur respondere ad edicta, etiamsi cum censuris publicentur, ut manifestentur bona defuncti a quocumque detineantur. Bossius cum aliis *num.* 8.

48. Duo testes sufficiunt sine Parocho, quia in cap. *Relatum* nihil dicitur de præsentia Parochi, ut fit in cap. præcedenti *Cum esses*, in quo agitur de testamento ad caussas profanas, ubi requiruntur duo testes simul cum Parocho, vel, eo deficiente, alii duo testes, ut quatuor testes requirantur, & sufficiant sine Parocho; sed ad caussas pias sufficiunt duo testes sine Parocho, vel unus testis simul cum Parocho, cum & Parochus possit computari inter duos testes, qui requiruntur ad faciendam probationem. Unus autem testis, quamvis sit Parochus, non sufficit ad probationem, ut constat ex d. cap. *Relatum*, & cap. *Cum esses*, ibi: *in ore duorum, vel trium testium*; nam de Jure gentium, & Divino ad faciendam probationem alicujus actus saltem duo testes sunt necessarii. Non est necesse, quod testes sint masculi, sed etiam possunt esse feminæ, quia in Jure tantum Civili femina prohibetur esse testis in testamento, non vero jure naturali, & gentium, quod solum attenditur in testamento ad pias caussas, & sic in illo sufficiunt duæ feminæ, si nullam aliam exceptionem habeant. Covarr. in cap. *Relatam n.* 5. Bonac. *disp.* 3. *q.* 1. *pun.* 3. *n.* 15. Bossius *n.* 13. Fagnanus in cap. *Cum esses, hoc tit. n.* 35. & communiter alii. Non est necesse, quod testes sint rogati, sed sufficit, si casu, & fortuito fuerint præsentes, & testatoris voluntatem, seu dispositionem probe perceperint, quia testes in testamento, seu dispositione ad pias caussas non requiruntur ad sollemnitatem substantialem, sed solum ad probationem, & sic sufficit, si fuerint præsentes, & probe intellexerint ultimam voluntatem testatoris, & de illa deponere possint, ut, pluribus allatis, tenet Bossius *n.* 11.

49. Eadem ratione validum est in utroque foro testamentum ad pias caussas manu testatoris scriptum, vel subscriptum sine interventu testium, vel Notarii; nec est necessaria expressio diei, mensis, & anni, nec institutio heredis, quia hæc requiruntur solum de Jure Civili. Tiraquel. *de privil. piæ caussæ privil.* 15. Clarus §. *testam. q.* 6. *n.* 8. Lugus *disp.* 22. *n.* 27. Molina, Less. Facundez, quos sequitur Bossius *n.* 37. 40. *&* 90. Quod si testator cœpit facere testamentum, vel codicillum, & morte præventus non absolvit, licet irritum sit quoad alia, ut notavimus supra *dub.* 1. *n.* 11. ex l. *si quis cum testamentum ff. de testam.* valet tamen quoad relicta pia, quæ in tali imperfecta dispositione jam expresserat Abbas in *cap.* 1. *& penult. de success. ab intest.* Bonacina *disp.* 3. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 21. & aliis adductis, Diana *part.* 7. *tr.* 6. *ref.* 19. & in hoc testamentum ad pias causas favorabilius est testamento inter liberos, quod non valet, si testator morte præventus illud non absolvit, ut habet Clarus §. *testamentum n.* 9. quia hoc, non illud subjacet dispositioni Juris Civilis.

50. Ultima voluntas captatoria, quæ scilicet pendet ex arbitrio alterius, seu quæ alterius arbitrio, & voluntati committitur, licet regulariter sit invalida, ut diximus supra *n.* 9. valent tamen relicta ad pias causas, tam in legatis, quam in institutione heredis, ut si testator dicat: instituo heredem causam piam, vel Ecclesiam, quam Petrus voluerit; vel lego centum piæ caussæ, seu Ecclesiæ, quam Petrus voluerit, ut colligitur ex cap. *Cum tibi de testam.* ubi Innoc. III. ita habet: *qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur intestatus decedere.* Bartol. Covarr. Tiraquel. Clarus, Barb. Gom. & alii, quos affert, & sequitur Bossius *par.* 2. *var. moral. tit.* 12. *n.* 94. *& nu.* 98. distinguendo dicit, captatoriam voluntatem proprie esse illam, per quam quis aliquem quærit inducere, ut sibi vel alteri commodum in ultima voluntate relinquat; non autem quæ in alienum confertur arbitrium, utramque tamen dicit valere favore causæ piæ.

51. Quod etsi exprefse non appareat, testatorem voluisse testari ad pias causas, sed simpliciter dixerit, committo dispositioni Titii omnia bona mea, censetur disposuisse ad pias causas, & intelligitur Titius heres quoad purum nomen, & gravatus, ut omnia bona distribuat ad pias causas, juxta veriorem intelligentiam Textus in cap. *Cum tibi de testam.* in quo conveniunt communiter Legistæ, & Canonistæ, ut notat Julius Clarus §. *testamentum qu.* 6. *nu.* 6. Augustinus Barbosa *Collectan. ad dict. cap. Cum tibi num.* 3. & alii plures, quos sequitur Bossius *num.* 103.

52. Quæres: *an legata profana relicta in testamento minus sollemni ad pias caussas sint valida; & e contra, an, corruente ob defectum sollemnitatis civilis testamento ad caussam profanam facto, corruant etiam legata pia in eo contenta?*

Resp. 1. legata profana relicta in testamento minus sollemni ad pias causas ab illo, qui de jure habet absolutam potestatem disponendi ad pia, & non pia esse valida. Ratio est, quia juxta Regul. 42. Juris in 6. *Accessorium sequitur naturam principalis*; sed testamentum ipsum, quod est principale, valet; ergo etiam valida sunt legata non pia in eo relicta, quæ sunt accessoria, seu potius partes ejusdem testamenti. Conf. si testamentum minus sollemne ad pias causas est validum, & fidem facit quoad institutionem heredis, debet etiam esse validum, & fidem facere quoad obligationes, & onera imposita heredi; sed legata profana in tali testamento relicta sunt obligationes, & onera imposita heredi, & ab ipso solvenda, cum sit institutus heres cum tali obligatione, & onere; ergo hujusmodi legata profana sunt vali-

valida. Et ita tenent Covarr. *de testam. cap.* 13. *nu.* 2. Molina *disp.* 134. Tiraquel. *privil.* 80. Facund. *de just. lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 34. Trull. *lib.* 7. *c.* 18. *n.* 2. Lessius *c.* 19. *n.* 9. Villal. *par.* 2. *sum. tr.* 3. *diff.* 4. *n.* 6. Diana *par.* 7. *tract.* 6. *resol.* 4. alios referens Bossius *tit.* 12. *nu.* 107. ubi dicit, hanc sententiam veriorem, & in praxi tenendam.

53. Dices: *quod licet valeat testamentum minus sollemne inter liberos, non tamen sustinentur legata extraneis facta in eodem contextu, ut constat ex* l. hac consultissima §. ex imperfecto hoc tit. *ibi*: & si alia persona extranea sit mixta, quantum ad illam dumtaxat permixtam personam pro nullo haberi, sed liberis accrescere; *ergo nec sustinentur legata profana in testamento minus sollemni ad caussas pias, maxime quia legata profana subsunt legibus civilibus, quæ proinde debent irrita censeri, si non sunt facta cum sollemnitate a jure civili requisita.* Sed contra respondet Covarr. dispositionem *dict.* §. *ex imperfecto* procedere, quando una cum liberis admixta est persona extranea tamquam coheres, non vero si ei fiat tantum legatum, quia tunc persona extranea non esset principalis, sed accessoria. Alii dicunt, *dict.* §. *ex imperfecto* a lege ipsa permissum esse, ut testamentum minus sollemne inter liberos valeat sub hac conditione, & moderatione expressa in ipsa lege, ut inde nullum emolumentum extraneis accedat, quod non valet de legatis factis in testamento minus sollemni ad caussam piam. Et licet legata profana per se subjaceant dispositioni juris civilis; tamen facultas faciendi hæc legata profana in testamento minus sollemni ab eo, qui libere potest de rebus suis disponere ad pia, & non pia, est per quamdam consequentiam, & accessorie concessa.

54. Dices: *Filius-familias, licet ex consensu patris testari possit ad pias caussas de bonis adventitiis, si tamen in eo testamento faciat legata profana, illa sunt invalida; ergo etiam sunt invalida in aliis testamentis minus sollemnibus ad pias caussas.* Sed contra, dato antecedente, negatur consequentia; disparitas est, quia in primo casu cum filius-familias non habeat liberam facultatem disponendi ad pia, & non pia de rebus adventitiis, sed limitatam duntaxat ad pia; nil mirum, si legata profana remaneant invalida defectu potestatis ea faciendi; in aliis testamentis non datur talis limitatio; unde legata profana solum possunt esse invalida defectu sollemnitatis, qui tamen defectus accessorie, & per quamdam consequentiam cessat, quando testamentum minus sollemne ad caussas pias sustinetur validum.

55. Resp. 2. legata pia in testamento ad profana minus sollemni, & invalido relicta, sunt valida, & solvenda caussæ piæ, si habeant ea, quæ jure naturali, & gentium requiruntur. Ratio sumitur ex cap. *Relatum de testamentis*, quod generaliter loquitur de omnibus ad caussam piam relictis, & vult, non esse tractanda juxta Leges Civiles, sed juxta Canones, quod non solum de hereditatibus, sed etiam de legatis caussæ piæ relictis debet intelligi. Conf. quia ideo legata pia in testamento minus sollemni ad profana relicta, sunt irrita, & nulla, quia deficiunt sollemnitates Juris Civilis, ob quarum deficientiam institutio heredis remanet nulla, & irrita; sed talis deficientia non potest irritare, & annullare legata pia, quæ non subsunt Legi Civili, sed pertinent ad dispositionem Juris Pontificii, & potestatem Ecclesiasticam, quæ non plus requirit, quam sollemnitatem debitam jure naturali, & gentium; ergo legata pia, si habeant sollemnitatem juris naturalis, & gentium, sunt valida, quamvis ob defectum sollemnitatum juris civilis corruat testamentum, & heredis institutio: & ita tenent Covarr. in d. cap. *Relatum n.* 3. Tiraquel. *privil.* 80. Molina *disp.* 134. Vasq. *in Opusc. de testam. c.* 3. *n.* 12. Sanchez *lib.* 4. *c.* 1. *dub.* 7. Lessius *c.* 19. *n.* 9. Lugus *disp.* 22. *n.* 273. Diana *par.* 7. *tr.* 6. *res.* 3. Facund. Villal. Trullench, & alii plures, quos affert, & sequitur Bossius *par. moral. tit.* 12. *num.* 112.

56. Dices; *ex Regul.* 42. *Juris in* 5. Accessorium naturam sequitur principalis; *sed institutio heredis est caput, & fundamentum testamenti; ergo ubi heredis institutio est nulla ob testamenti nullitatem, nec legata, quæ sunt accessoria, quantumcumque pia, valere possunt.* Resp. regulam assignatam non procedere, quando in accessorio datur specialis ratio, quæ non reperitur in principio, ut, hoc corruente, illud sustineatur, ut in præsenti est favor Religionis, & caussæ piæ, quæ non subest legibus humanis. Subsistente autem testamento ad caussas pias, nulla est specialis ratio, cur debeant corruere legata profana; unde regula assignata valet pro prima responsione, non in præsenti.

57. Dices 2. *legatum libertatis in jure censetur pium*, l. 1. Cod. de communi servo manumisso, l. primo gradu 23. ff. quæ in fraudem creditor. *sed legatum libertatis non debetur ex testamento nullo*, l. si jure Cod. de testamentaria manumissio. *Et* l. 2. Cod. si omissa sit causa testam. *ergo nec alia legata pia in testamento nullo relicta debentur. Deinde, si ex testamento hereditas adiri non potest, legata non debentur*, l. si nemo 142. ff. de Reg. Jur. *Ex testamento autem minus sollemni hereditas adiri non potest, quia tunc res deducitur ad casum intestati*, princip. Institut. de hered. quæ ab intestato.

58. Resp. legatum libertatis dici pium, sed non dicitur causa pia, de qua sermo est in præsenti, nisi relinquatur pro anima, vel amore Dei; si autem est caussa pia, in eo attendi debet jus Canonicum, non Civile, ut fatetur Bossius *n.* 113. Ad id, quod additur, dico, legata ad pias caussas facta deberi, etiam hereditate non adita, quacumque ex caussa adita non fuerit, sive quia adiri non possit, ut quando testamentum est nullum, sive quia hereditas repudietur, vel heres decesserit. Bartolus in *l.* 1. *nu.* 66. *Cod. de Sacros. Eccles.* quia in illis cessat omnis sollemnitas Juris Civilis, ut late prosequitur Bossius *n.* 115. allegatis Auctoribus.

59. Addendum est hic, quod testamentum conditum cum omnibus sollemnitatibus Juris Civilis, etiam ad caussas pias, revocatur per secundum minus sollemne ad caussas pias; nam hoc secundum testamentum est perfectum in sua specie, cum in eo non requirantur sollemnitates Juris Civilis, ut sæpe dictum est. Bonac. *disp.* 3. *qu.* 1. *pun.* 3. *n.* 16. & alios referens Diana *par.* 7. *tr.* 7. *res.* 26. ubi cum Graciano *to.* 4. *discept. for. c.* 605. *n.* 12. dicit, hoc a fortiori procedere, quando in secundo testamento caussa pia non esset gravata tot oneribus, ut in primo: quam opinionem dicit etiam procedere, cum folium, seu schedula esset subscriptu manu testatoris; nam esset secundum testamentum validum, cum simus in dispositione ad pias caussas, in qua non requiruntur testes, nec aliæ sollemnitates. Covarruv. in cap. *Relatum de testament. numer.* 12. *in fin.* Tiraquel. *privil.* 4. dummodo manus testatoris per duos testes comprobetur.

DUBIUM V.

De aliis Testamentis privilegiatis.

60. ALia testamenta privilegiata sunt testamentum parentum in filios, testamentum militis, & testamentum factum tempore pestis, de quibus aliqua in præsenti dicenda sunt. Testamentum inter liberos est illud, quod parentes, sive pater, sive mater, vel ascendentes in linea recta faciunt, & in eo liberos, vel nepotes instituunt, ut constat ex *l. ult. Cod. familiæ erciscundæ*, & *l. Hac consultissima §. ex imperfecto hoc tit.* ubi aperte dicitur, testamentum inter liberos esse non tantum, quod a patre, sed etiam a matre fit, ibi: *a parentibus utriusque sexus*; at quia appellatione parentis non tantum pater, sed etiam avus, & proavus, & deinceps omnes superiores continentur, sed & mater, & avia, & proavia, *l. Appellatione* 51. *ff. de verb. signif.* illorum testamentum inter filios, & descendentes erit etiam privilegiatum.

61. Resp. 1. testamentum parentum inter filios est privilegiatum, & validum in utroque foro, etiamsi careat sollemnitatibus juris civilis, dummodo habeat sollemnitatem juris naturalis, & gentium; ut aperte constat ex *l. Hac consultissima §. ex imperfecto Cod. de testamentis*, ibi: *ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti, nisi inter solos liberos a parentibus utriusque sexus habeatur, non volumus.* Si vero in hujusmodi voluntate liberis alia sit extranea mixta persona, certum est, eam voluntatem defuncti, quantum ad illam dumtaxat permixtam personam, pro nullo haberi, sed liberis accrescere, & procedit hæc juris dispositio, tam in testamento nuncupativo, quam in scriptis per parentes condito, quia Textus generaliter loquitur, & de utroque testamento debet intelligi. Ratio hujus dispositionis est favor filiorum, quibus hereditas paterna jure naturali debetur, & reverentia, quam filii debent habere erga parentes, qui amplecti debent parentum dispositionem. Facundez *de just. lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 2. Bossius *tit.* 10. *n.* 4.

62. Hinc in testamento inter filios sufficiunt duo testes non rogati, & feminæ, dummodo patris voluntatem intelligant. Ratio est, quia quod testes debeant esse rogati, & masculi, est sollemnitas juris civilis, quæ in testamento inter filios non attenditur, nisi specialiter pro eo exprimatur, *l. fin. Cod. familiæ erciscund.* ibi: *etiamsi sollemnitate legum hujusmodi dispositio fuerit destituta.* Nec testes sunt necessarii ad validitatem testamenti, sed ad probationem, & sufficit, quibuscumque modis de patris voluntate inter liberos constet. Sufficit nuda scriptura, seu schedula privata, continens ultimam voluntatem manu propria patris scripta, vel subscripta, nullis adhibitis testibus, si post mortem patris reperiatur in ejus capsa, vel scrinio, dummodo constet, eam esse subscriptionem patris; nam *l. ult. Cod.*

fami-

familiæ erciscundæ Constantinus decrevit, valere testamentum inter liberos *quocumque modo sit, & etiamsi sollemnitate legum hujusmodi dispositio fuerit destituta.* Et ita tradunt communiter Doctores, tum Jurisconsulti, tum Theologi, quos affert, & sequitur Bossius *tit. 10. num. 8. & 10.*

63. Ut validum sit testamentum patris habentis filios, requiritur de jure communi, quod quemlibet debeat instituere heredem, saltem in sua legitima portione, aut ex caussa exheredare; secus corruit, & nullum redditur testamentum, ut sancitum est *l. inter cetera ff. de liber. & posth. l. filio præterito ff. de injust. testament.* Ita Julius Clarus *§. testamentum qu. 42. per totam*, Michael Grassus *§. eodem qu. 48. & 49.* aliique communiter; quare, si pater aliquem filium præterierit, testamentum totum corruit, & vitiatur. Ita Glossa in *l. si filius, qui in potestate ff. de liberis, & posth.* quia filius debet expresse institui, aut nominatim exheredari, quia jus naturæ, & gentium dictat, quod bona patris vadant ad filium; & quidem corruit statim testamentum, si prætereantur filii jam nati, si vero posthumi tunc demum si nascantur; quod si non nascantur, vel mulier abortum fecerit, valet testamentum, *§. 1. sed non ita §. posthumi, instit. de exhered. liber.* quod totum locum habet non solum in filiis, sed etiam in nepotibus ex filio, ceterisque ex virili sexu descendentibus.

64. Liberum est patri filios inæqualiter instituere, uni majorem, & pinguiorem partem hereditatis assignando, quam alteri, dummodo cuilibet sua legitima pars relinquatur. *L. parentibus, Cod. de inofficioso testamento*, ibi: *parentibus arbitrium dividendæ hereditatis inter liberos adimendum non est: l. hac edictali §. sin autem Cod. de secundis nuptiis*, cum aliis juribus relatis a Vasquio, & Maotica apud Bossium *tit. 10. n. 61.* Ratio assignatur, quia privilegium testamenti inter liberos vix aliquem haberet effectum, si filii æqualiter succedere deberent, tam ex testamento, quam ab intestato. Quod si filiis legitima quidem relicta sit non titulo institutionis, sed titulo donationis, legati, vel alio simili; an validum sit testamentum, variant Doctores, aliis affirmantibus; aliis negantibus, quia omnes filii debent institui, & nominari heredes, prout, citatis Juribus, & Auctoribus, notat Bossius *num. 71.*

65. In testamento minus sollemni patris inter liberos, si alia persona extranea simul cum illis principaliter instituatur heres, invalida est dispositio quoad personam extraneam, licet testamentum subsistat quoad liberos, quibus totum accrescit, ut clare constat ex *l. Hac consultissima §. ex imperfecto*, ibi: *ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti, nisi inter solos liberos, non volumus. Si vero in hujusmodi voluntate alia sit extranea mixta persona: certum est, eam voluntatem defuncti, quantum ad illam dumtaxat permixtam personam pro nullo haberi, sed liberis accrescere.* Inde si maritus dicat, filios meos, & uxorem pro heredibus instituo; aut uxor dicat, instituo filios, & maritum, nec uxori, nec marito prodest, si testamentum sit imperfectum, seu non habeat sollemnitates de jure civili requisitas ad testamentum non privilegiatum.

66. Valere dispositionem, si in testamento minus sollemni aliquid relinquatur extraneis, non titulo institutionis, sed titulo donationis, legati, aut fideicommissi, docent Covarruv. *de testam. cap. 11. n. 2.* Molina *disp. 128.* Alexander *consil. 41. & consil. 103.* dicens, esse communem, & ratio est, quia *Accessorium naturam sequi congruit principalis*, Regul. 42. Juris in 6. sed testamentum minus sollemne inter liberos valet; ergo etiam legata eidem inserta, utpote quid accessorium valebunt. Nec obstat Textus *§. ex imperfecto*; nam intelligitur quando persona extranea, tamquam coheres, seu titulo hereditatis miscetur, non vero si titulo legati. Sed communior sententia Doctorum tenet contrarium, & docet, omne relictum extraneis, etiam solo titulo legati, in testamento minus sollemni inter liberos non valere, sed liberis ipsis accrescere, quia in *d. §. ex imperfecto* absolute, & indistincte declaratur nulla voluntas parentis in testamento minus sollemni quoad personam extraneam permixtam, & decernitur, liberis ipsis accrescere totum id, quod extraneæ personæ fuerit relictum, & solum inter liberos voluntatem illam tenere, per quod excluditur quæcumque alia dispositio extraneis facta. Et ita tenent Clarus, Tiraquellus, Gratianus, Grassus, Vasquez, & alii, quos affert, & sequitur Bossius *tit. 10 num. 101.*

67. Testamentum militis factum in tentoriis & ipsum est privilegiatum, seu validum est, quamvis non serventur sollemnitates juris communis, quæ in aliis testamentis requiruntur, sed sufficit, quod habeat sollemnitatem requisitam de jure naturæ, & de jure gentium; sive fiat in ipsa expeditione bellica, & actuali conflictu; sive in castris extra conflictum, & ad illud sufficiunt duo testes, qui testari possint de voluntate, & dispositione militis, ut habetur ex *l. 1. ff. de militari testamento*, ibi: *Simplicitati eorum* (scilicet militum) *consulendum existimavi, ut quoquo modo testati fuissent, rata esset eorum voluntas. Faciant igitur testamenta quomodo volent: faciant quomodo poterint, sufficiatque ad bonorum suorum divisionem faciendam nuda voluntas testatoris.* Idem habetur ex *l. Lucius ff. eod. tit.* ibi: *Respondi, militibus quoquomodo velint, & quoquomodo possint, testamentum facere concessum esse: ita tamen, ut hoc ita subsecutum esse legitimis probationibus ostendatur.*

68. Testamentum a milite taliter factum in expeditione validum perseverat per annum integrum, postquam miles a militia jam dimissus, vel a castris rediens in alio securo loco degit, ut habetur *princ. instit. de testamento militari*, ibi: *Quod in castris fecerint testamentum non communi jure, sed quomodo voluerint, post missionem intra annum valebit*; & inde institutus heres, vi talis testamenti hereditatem capere posset, si intra annum miles moreretur in sua domo. Hoc privilegium taliter testandi sine sollemnitatibus non omnibus competit militibus, sed iis dumtaxat, qui sunt in expeditione, vel in castris. Illi autem, qui sunt præsidiarii, in fortalitiis actualem obsidionem non patientibus, vel sunt destinati pro custodia Principum, aut in suis ædibus, vel oppidis commorantur, sine occasione pugnandi, non gaudent tali privilegio, sed testari debent adhibitis sollemnitatibus, ut habetur *princ. instit. de testam. milit.* ibi: *in expeditionibus occupati*, & §. seq. = *Illis autem temporibus, per quæ citra expeditionum necessitatem in aliis locis, vel suis ædibus degunt, minime ad vindicandum tale privilegium adjuvantur. Sed testari quidem, etsi filii familiarum sint, propter militiam conceduntur. Jure tamen communi, eadem observatione, & in eorum testamentis adhibenda, quam in testamentis paganorum proxime exposuimus.* Alia plura, quæ spectant ad testamentum militare, fuse explicat Bossius *var. moral. par. 2. tit. 11. per totum*, & ibidem *tit. 9.* explicat ea omnia, quæ spectant ad testamentum factum tempore pestis.

DUBIUM VI.

Quinam possint, vel non possint facere Testamentum.

69. RESP. Quilibet habens usum rationis, & liberam bonorum suorum administrationem, facere potest testamentum, nisi jure aliquo specialiter prohibeatur. Ratio est, quia quilibet est rerum suarum moderator, & arbiter, & sic libere potest de illis disponere prout vult, nisi jure aliquo prohibeatur, prout jure naturali prohibentur infantes, furiosi, amentes, mente capti, & universaliter omnes, qui carent usu rationis; nam actus testandi est actus humanus, qui humano modo fieri debet; ut autem humano modo fieri valeat, jure naturale requiritur, ne agens careat usu rationis, *l. furiosum, C. qui testamentum facere non possunt.* Si autem amentes, & furiosi habeant lucida intervalla, cum tali tempore sint sanæ mentis, non prohibentur facere testamentum, ut habetur *dict. l. furiosum*, ibi: *Si vero voluerit in dilucidis intervallis aliquod condere testamentum, vel ultimam voluntatem, & hoc sana mente inceperit facere, & consummaverit, nullo tali morbo* (rationis usum impediente) *interveniente: stare testamentum, sive quamcumque ultimam voluntatem censemus: si & alia omnia accesserint, quæ in hujusmodi actibus legitima observatio requirit.* Similia habentur *§. 1. Instit. quibus non est permissum*, ibi: *furiosi autem, si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, jure testati videntur.* Multo magis validum est testamentum factum, & consummatum ante furorem, & amentiam.

70. Ut valeat testamentum amentis, & furiosi factum, durante lucido intervallo, constare debet, tunc eum fuisse sanæ mentis. Si dubium sit, inspicienda sunt verba, & modus testandi, quæ si videantur recte disposita, præsumitur fuisse factum tempore sanæ mentis; secus si ita non sint, ut cum Fragoso, & Trullench notat Anton. a Spiritu Sancto *tr. 19. disp. 16. num. 665.* Si dubium adhuc perseveret, an ille, quem constat amentem esse, habuerit lucidum intervallum, sufficiens ad testandum, præsumendum est, non habuisse, quia constat de amentia, non vero de cessatione, ut cum Fusco, Molina, & aliis tenet Bonac. *disp. 3. quæst. ult. punct. & nu. 2.* Si tamen antea erat sanæ mentis, non præsumitur mutatus, nisi probetur delirium, quia tunc constat de sana mente, non de mutatione, ut bene docet Lugus *disp. 24. num. 63.*

71. Si testamentum fuit inceptum tempore sanæ mentis, & lucidi intervalli, sed non completum, & absolutum; vel si, durante actu testandi, incipiat in furorem, & amentiam, tota dispositio redditur nulla, quamvis heredem jam sana mente instituerit, & alia legata fecerit,

cit.

cit. l. furiosum C. qui testamentum facere, ubi dicitur, *si coeptos testamentum hunc furor, vel alia privatio rationis invasit, tale testamento hominis, qui in ipso actu testamenti adversa valetudine tantus est, pro nihilo esse.* Excipiuntur legata pia, quæ sustinentur, quamvis testamentum remaneat imperfectum, juxta ea, quæ diximus *supra dub. 4. num. 49.*

72. Mutus simul, & Surdus a nativitate testari nequit, aut Codicillos facere, aut donationes caussa mortis, *§. Item surdus 3. Instit. Quibus non est permissum testamentum facere, l. Discretionis 10. Qui testamentum facere possunt.* Si vero non a nativitate, sed a casu sit simul mutus, & surdus, testamentum facere potest, si litteras edoctus sciat scribere, & voluntatem suam litteris exprimere valeat. Si dumtaxat sit surdus, sive a nativitate, sive ex morbo, non tamen mutus, si articulate loqui potest, testamentum, tam oretenus, quam in scriptis condere valet; si vero mutus sit, & non surdus, idem facere potest, si sciat scribere, & voluntatem suam litteris exprimere. Lugus *disp. 24. sect. 4. nu. 68.* Diana *par. 4. tr. 6. res. 23.* cum aliis ab ipso relatis. Cæci, sive a natura, sive ex morbo testari possunt, observata forma præscripta *l. Hac consultissima 8. Cod. Qui testamentum facere*, ut scilicet testator ultra septem testes, & alias Juris sollemnitates, adhibeat Notarium, qui testamentum, ore pronuntiatum a testatore coram testibus, conscribat, & ponat Sigillum, quod etiam omnes testes subscribere, & signare debent, &, si Notarius non habeatur, debet adesse octavus testis, qui munus obeat Notarii, ut habetur in *dicta l. 8. Qui testamentum facere.*

73. Lege Civili testari prohibentur impuberes, qui nondum expleverint decimumquartum annum, si sint Masculi, vel duodecimum si sint Feminæ, ut clare constat ex *l. Qua ætate 5. ff. qui testamentum facere*, ibi: *Qua ætate testamentum, vel masculi, vel feminæ facere possint, videamus, & verius est, in masculis quidem quartumdecimum annum spectandum, in feminis vero duodecimum completum*, quia nimirum ante illam ætatem regulariter judicium non est perfectum, etiamsi quandoque malitia suppleat ætatem, sufficit tamen ultimum diem esse inchoatum, quod verum est, etiamsi testator sit miles, *l. final. C. de milit. testam.*

74. Filius-familias jam puber testari potest de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, cum de illis libere disponere possit, tum in vita, tum in morte, ut diximus *supra tr. 1. c. 3. n. 23.* De adventitiis, & profectitiis testari non potest, nec etiam de consensu patris, *l. qui in potestate 6. ff. Qui testamentum facere*, ibi, *qui in potestate patris est, faciendi testamenti jus non habet, adeo ut quamvis pater ei permittat nihilo magis tamen Jure testari possit.* Idem dicendum de Filia existente sub patria potestate, quæ non potest de dote adventitia testari. Clarus *§. testamentum qu. 18.* Filius-familias quamvis testari non possit de bonis adventitiis ad caussas profanas, hoc tamen facere potest ad caussas pias, permittente patre. Si sit Clericus testari potest de adventitiis, quæ sibi post Clericatum obveniunt, tam ad caussas pias, quam profanas, etiam sine consensu patris, quia bona adventitia post Clericatum advenientia fiunt quasi castrensia, de quibus filius-familias testari potest, non sic de adventitiis acquisitis ante Clericatum. Lugus *num. 67.* Lessius *lib. 2. c. 19. dub. 4. n. 29.* Andreas a Matre Dei *tr. 14. c. 4. n. 36.* & alios referens Bonac. *pun. 2.*

75. Prodigus, cui bonorum suorum administratio prohibita est, testari non potest, quamvis validum sit ipsius testamentum antequam fieret prodigus, *Instit. quibus non est permissum facere testamentum §. prodigus.* Ita Molina *disp. 137.* Addit Julius Clarus *qu. 5.* & Tuscus *num. 8. concl. 504. n. 5.* cum communi, prodigum nec etiam ad caussas pias testari posse; hoc tamen non videtur admittendum, quia potestas sæcularis non se extendit ad ea, quæ ad salutem animæ pertinent, ut cum Lessio docet Bonacina. Universaliter omnes illi, qui solo jure civili sunt inhabiles ad testandum, licite, ac valide facere possunt ad caussas pias, quia testamentum ad caussas pias nullo modo subjacet dispositioni Juris Civilis, sed secundum Canones, & Jus naturæ, & gentium judicandum est, juxta cap. *Relatum 11. hoc tit.* si tamen rerum suarum perfectum habeant dominium, & de illis disponere possint citra præjudicium tertii, quibus Canones nocere non intendunt: hac ratione filius-familias de bonis adventitiis testari non potest, nec etiam ad caussas pias, cum illorum usufructus pertineat ad parentes.

76. Testari prohibentur omnes illi, qui crimen aliquod commiserunt, cui Jure annexa est pœna illos faciens ipso facto intestabiles, & intelligitur post sententiam declaratoriam criminis: hujusmodi sunt, qui Cardinalem hostiliter sunt insecuti, qui eum ceperunt, vel percusserunt, vel ad hoc fuerunt cooperati; hæretici, & eorum fautores, receptatores, & defensores, si intra annum non satisfecerint. Qui sunt damnati ob libellum famosum, vulgo Pasquinata, *l. si, cui 18. §. 1. ff. qui testamentum facere*, ibi: *si quis ob carmen famosum damnetur, Senatus Consulto expressum est, ut intestabilis sit.* Damnati ad mortem naturalem, vel civilem, ut ejecti in exilium perpetuum, vel damnati ad perpetuum carcerem. Usurarii manifesti, nisi prius usuras restituant, vel idoneam cautionem præstent de illis restituendis; hujusmodi Leges hodie pluribus in locis sublatæ sunt, & ideo damnati ad mortem testari possunt, si illorum bona non sunt confiscata, ut cum Tapia, Maldero, Villalob. & Vasq. tenent Andreas a Matre Dei *c. 4. n. 38.* sequitur Diana *p. 4. tr. 4. res. 120.*

77. Religiosi sollemniter professi ob votum paupertatis emissum, nec licite, nec valide testari possunt, sive ad caussas pias, sive profanas, nec etiam de licentia suorum Superiorum, cum nihil proprium habeant, de quo disponere possint, sicut nec proprium habent ipsi Superiores, ut diximus *tr. 1. c. 3. dub. 5. n. 89. & seqq.* unde, nec in vita, nec caussa mortis donare possunt, nisi forte aliquid modicum de licentia suorum Superiorum, quam concedere possunt, tum in vita, tum caussa mortis: certe si Religiosus de utensilibus, & aliis munusculis sibi concessis dispositionem faciat, non obligatoriam, sed deprecatoriam, rogando, ut post mortem suam hoc vel applicetur tali Ecclesiæ, vel donetur consanguineo, aut amico, talem dispositionem de re modici valoris approbare, ratificare, & exequi poterit Prælatus, ut docet Layman *l. 3. tr. 5. c. 3. n. 4.* Sanch. *l. 7. summæ c. 8. n. 11.* & alii satis communiter.

78. Religiosi vero non professi, seu Novitii testari possunt de rebus suis, tam ante, quam postquam sunt ingressi Religionem, sed ante emissam professionem absque omni licentia Episcopi, vel Superioris Regularis, ut cum Julio Claro *qu. 28.* tenet Bonac. *qu. ult. pun. 2.* Molina *disp. 139. n. 8.* Covarr. *de testam. c. 2. n. 5.* & alios referens Diana *p. 5. tr. 3. res. 228.* quia in Novitiis locum non habet Juris prohibitio, cum de rebus suis æque disponere possint, ac Laici. Nec obstat dispositio Concilii Trident. *sess. 25. de Regular. c. 16.* ubi videtur requirere consensum Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, ibi: *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque caussæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat, ante duos menses proximos ante professionem, ac non aliter intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione, aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, ac nullius effectus;* nam Tridentinum loquitur de obligatione, renuntiatione, seu donatione inter vivos, ne Novitii bonis temporalibus privati libertatem redeundi ad sæculum amittant, & manere cogantur in Religione, non autem loquitur de testamentis, quibus Novitii non privantur rebus suis, cum ante professionem possint semper revocari, ut constat ex quadam declaratione Cardinalium, quam affert Farinacius ad dictum caput 16. Concilii, versic. *Nulla quoque*, ut notat Andreas a Matre Dei supra *num. 40.* securius tamen erit, si Novitius servet dispositionem Concilii Tridentini, & juxta illam disponat de rebus suis.

79. Hic esset dicendum de testamentis Clericorum Beneficiatorum; an, & quatenus licite, & valide testari queant, non solum de bonis patrimonialibus, sed etiam de aliis bonis Ecclesiasticis, quæ superfluunt illorum honestæ sustentationi, sed de illis jam dictum est supra *tr. 1. c. 3. §. 6.* nec ibi dicta sunt hic repetenda.

DUBIUM VII.

Quinam possint institui Heredes, vel Legatarii.

80. RESP. Omnes homines, non tantum singuli, & privati, sed etiam Communitates, ac caussæ piæ, & profanæ esse possunt, & institui heredes, nisi jure specialiter prohibeantur, quia, ut aliquis instituatur heres nihil plus requiri videtur, quam ut adsit plena potestas in disponente, forma a Jure præscripta, & capacitas in herede. Sunt autem incapaces, nec possunt institui heredes, qui ob crimen aliquod intestabiles redduntur a Jure; ut sunt hæretici, eorumque receptores, & defensores, *l. Manichæos 4.* & *l. fin.* juxta *Authent. Credentes Cod. hæreticis*, ibi: *Credentes præterea, defensores, & fautores hæreticorum, nec testandi habeant potestatem, nec ad hereditatis successionem accedant*, quod idem valet de Apostatis a Christiana fide, *l. Hi, qui 3. C. de Apostatis*, ibi: *Apostatæ a Fide Christiana nulli in hereditate succedant, a nemine scribantur heredes.* Qui percutiunt, vel persequuntur Cardinales *cap. felicis de pœnis in 6.* & qui committunt crimen læsæ Majestatis, *l. Quisquis 5. Filii vero C. Ad legem Juliam Majestatis*, & alii nonnulli relati a Bonacina *qu. ult. pun. a n. 1.* & ab Andrea a Matre Dei *c. 3. num. 44.*

81. Fratres Minores Ordinis S. Francisci, qui vivunt in puritate regulæ, ut sunt Observantes, Reformati, & Capuccini, ratione strictissimæ paupertatis, quam profitentur, nequeunt institui heredes, nec legatarii, ut constat ex Clement. *Exivi, de verbor. significat. §. quia igitur*: Possunt tamen aliqui reditus relinqui titulo eleemosynæ pro fabrica, oleo, vino, cera, ornamentis Altaris, & Ecclesiæ, quia hoc nullibi vetitum est. Potest etiam in eorum favorem hereditas, seu legatum alicui relinqui, ut vendatur per alios, & pretium tradatur Fratribus, quia per hoc nullum jus Fratribus acquiritur, nec violant votum paupertatis. Ita Navarrus, Rodriq. & Lessius, quos affert, & sequitur Bonacina *loco cit.* Portel. verb. *Hereditas nu.* 4. Alii autem Religiosi possunt institui heredes, & legatarii; nam cum illis sit permissum bona possidere in communi, non sunt incapaces hereditatis. Quando tamen Religiosus instituitur heres, non sibi acquirit, sed Monasterio, quia Monachus nullum habet jus proprium. Trull. *l.* 2. *c.* 18. *Decalog. dub.* 6. *n.* 3. Bonac. *loc. cit.* & transit hereditas immediate ad Monasterium absque ullo facto ipsius Monachi, ut proinde, moriente Monacho antequam adeat hereditatem sibi relictam, vel si illam repudiet, adhuc succedere debat Monasterium, cui jus jam est acquisitum; quam sententiam sustinendam esse in foro Canonico, docet Clarus *qu.* 30. *de testamentis*, quamvis oppositum sustineatur in foro Cæsareo, ob varias Legistarum, & Canonistarum opiniones.

82. Non levis difficultas est de filiis naturalibus, & spuriis, an possint heredes institui? Pro quo nota, naturales illos dici, qui procreantur a parentibus solutis ad contrahendum matrimonium tempore conceptionis, seu nativitatis habilibus, seu inter quos nullum adest impedimentum dirimens matrimonium, non obstante, quod impedimentum habeant solum impediens, puta votum simplex castitatis, quia impedimentum solum dirimens matrimonium inter parentes tollit a filiis, quod sint naturales, ut habet Sanchez *lib.* 9. *de matrimon. disp.* 38. *num.* 8. Lugus *disp.* 24. *sect.* 3. *num.* 83. Lessius *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 6. *num.* 55. Spurii dicuntur illi, qui nascuntur ea parentibus impeditis, seu habentibus tempore conceptionis, seu nativitatis impedimentum dirimens matrimonium; ut si essent consanguinei, vel affines intra quartum gradum; si alter eorum sit junctus matrimonio: si constitutus in Sacris: si Religiosus Professus.

83. Resp. 1. Filii naturales de jure communi possunt institui heredes universales a parentibus non habentibus filios legitimos, relicta tamen ascendentibus legitima, *l. licet C. de filiis naturalibus.* Si autem filius naturalis non fuerit institutus heres a patre carente prole legitima, non succedit patri in tota hereditate ab intestato, sed tantum in sexta parte. *Authent. de heredibus ab intestato*, ut docent Molina *disp.* 166. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 626. Clarus *qu.* 31. quos sequitur Bonacina *supra num.* 3. Si vero pater moriatur intestatus, relictis filiis legitimis, tunc filius naturalis non succedit in dicta sexta parte, quamvis illi potuisset relinqui duodecima pars, ut asserunt Covarr. *cap.* 8. *§.* 4. *n.* 9. Lessius *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 6. *num.* 74. Gomez *l.* 9. *Tauri*, aliique communiter.

84. Matri autem succedit ab intestato filius naturalis in tota hereditate, si non habeat prolem legitimam, & si habeat, succedit æqualiter cum illis. *L. si qua illustris, Cod. ad S. C. Orficianum*, ibi: *Si autem concubina liberæ conditionis constituta, filium, vel filiam ab homine libero habita procreaverit, eos etiam cum legitimis liberis ad materna venire bona, quæ jure legitimo in suo patrimonio possidet, nulla dubitatio est.* Si vero mater testamentum faciat, non potest filium naturalem præterire, cum sit illius heres necessarius, qui vel debet necessario institui, vel cum caussa nominatim exheredari, eritque nullum, & irritum testamentum matris, in quo filius naturalis non sit institutus, vel nominatim exheredatus, ut communiter tenent DD. *in l. Modestinus* 8. *ff. unde cognati*, & *l.* 1. *§. sed & vulgo ff. ad Tertyll.* ubi filii naturales una cum legitimis necessario succedere debent.

85. Resp. 2. filius spurius, præter alimenta, nihil potest recipere de bonis patris, sive ex testamento, sive ab intestato, sive ex contractu, & donatione inter vivos, sive alio modo, *l. licet, Cod. de naturalibus liberis*, ibi: *Qui ex damnato sunt coitu, omni prorsus beneficio secludantur*: & Authent. *Ex complexu Cod. de incest. nupt.* ubi etiam alimenta eis denegantur, ibi: *Ex complexu nefario, aut incesto, aut damnato coitu liberi, nec naturales sunt nominandi, omnis paternæ substantiæ indigni beneficio, ut nec alantur a patre*, quamvis, quoad alimenta, Jus Civile mitigatum sit a Jure Canonico in cap. *Cum haberet* 5. *de eo, qui duxit in matrimon.* ubi dicitur, quod spurii sunt alendi de æquitate Canonica; unde si præter alimenta spurius aliquid accipit a patre, tenetur in conscientia legitimis heredibus restituere ante sententiam Judicis, cum sit incapax hereditatis, & successionis, & aliquid recipiendi a patre ultra alimenta. Covarr. *de matrim. p.* 2. *c.* 8. *§.* 5. *n.* 3. Julius Clarus *§. testamentum qu.* 31. Molina *disp.* 166. Antun. a Spiritu S. *disp.* 16. *num.* 674. Lessius *cap.* 19. *num.* 58. Lugus *disp.* 24. *sect.* 6. *num.* 92. Villalob. Dicastill. Tapia, & alii, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 5. *num.* 61.

86. Si pater heredem instituat Titium amicum, cum obligatione reddendi hereditatem filio spurio, licet talis dispositio sit illicita, & peccent mortaliter pater sic disponens, & filius hereditatem accipiens, quia fraudem faciunt in re gravi contra leges justissimas prohibentes hereditatem dandam filio spurio, ut cum aliis tenet Andreas a Matre Dei supra *nu.* 67. Dispositio tamen est valida, cum non sit conditionalis, sed absoluta, cum solo modo, & gravamine reddendi hereditatem filio spurio, quod gravamen, cum sit contra leges, est ipso jure nullum, & habetur tamquam non adjectum, ut bene advertit Lugus *de just. disp.* 24. *n.* 96. unde heres sic institutus libere potest hereditatem accipere, & retinere, nec tenetur illam tradere filio spurio, quamvis tradere promiserit, cum talis promissio facta contra leges non obliget.

87. Si tamen heres institutus dare voluerit hereditatem vel totam, vel partem filio spurio, non quidem ex pacto, & obligatione, quæ nulla est, sed sponte sua, & libere sciens, & cognoscens se ad id non teneri, licite hoc facere poterit, & spurius poterit eam capere, & retinere, cum illam non accipiat a patre, nec ex vi promissionis, sed ab extero, qui titulo institutionis jam factus est verus dominus. Ita Covarr. *c.* 8. *§.* 6. *num.* 8. *&* 9. Lugus *disp.* 24. *n.* 95. Diana *par.* 4. *tr.* 3. *res.* 121. *& par.* 10. *tr.* 11. *& miscel. res.* 59. Bonacina *disp.* 3. *qu. ult. pun.* 3. *n.* 6. Lessius *lib.* 8. *c.* 19. *num.* 60. Ant. a Spiritu S. *disp.* 16. *num.* 175. Villalob. Dicastill. Tapia, Sanchez, & alii, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 5. *num.* 72. Hic modus subveniendi spurio commendatur a Lugo, si fiat absque ullo pacto, ut si pater constituat heredem amicum, & illi commendet filium suum spurium, ut ex benevolentia post ejus obitum curam illius habeat, eique provideat, sicut ipse provideret.

88. *An vero pater instituere possit heredem suum nepotem, nempe filium ipsius spurii?* Responsio communis est affirmativa, si hoc non faciat contemplatione ipsius filii spurii, ut ex tali institutione commodum reportet, quatenus nepos habeat proprietatem, & spurius usumfructum; nam hoc esset agere in fraudem legis, juxta Clarum *§. testamentum qu.* 32. Secus si spurius ex tali institutione non habeat commodum, vel quia forte jam mortuus est, vel facta est cum prohibitione, ne spurius commodum reportet. Sed alii melius absolute affirmant, quia Leges solum loquuntur de filiis spuriis, qui nihil possunt a parentibus recipere, & cum sint pœnales, & odiosæ, non sunt ampliandæ, sed restringendæ, ut intelligantur solum de filiis, non de nepotibus. Vasq. *de testam. c.* 5. *§.* 6. *dub.* 7. *n.* 124. Lugus *disp.* 24. *n.* 213. Gomez *ad l.* 9. *Tauri num.* 17. Bonacina *supra pun.* 3. *§. Dixi filium, & seq.* quod intelligendum asserit, si nepos fuerit legitimus, sive illegitimus, quia non constat in lege, nepotem esse incapacem. Infert etiam cum Vasquez, & Gomez, Sacerdotem habentem filiam, quam collocavit in matrimonio cum Titio, bene posse ipsi Titio donatione, vel testamento relinquere ea bona, de quibus testari potest, quia sicut potest relinquere nepoti, multo magis relinquere potest conjugi filiæ spuriæ.

89. *An vero pater possit filium spurium pupillariter substituere filio legitimo, adeo ut succedere possit, & debeat pupillo in bonis paternis, si forte moriatur in ætate pupillari?* Negat Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 3. *dub.* 25. *n.* 2. Molina *disp.* 167. Lessius *cap.* 19. *dub.* 6. *num.* 59. Sed oppositum est satis probabile, quia tunc spurius non accipit hereditatem a patre, sed a fratre pupillo, cui in hereditate paterna succedit vigore testamenti, cui fuit pupillariter substitutus, nec ipsi prohibitum est, heredem esse fratris, sed patris. Ita Ant. a Spiritu S. *n.* 676. Villal. Tapia, Acosta, quos sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 5. *num.* 65.

90. Spurius non solum patri, sed nec etiam matri succedere potest, quamvis non adsit alia proles legitima, quia hoc solum conceditur filiis naturalibus, non spuriis. Affirmant tamen nonnulli, spurium retinere posse ea, quæ mater illi reliquit, donec per sententiam Judicis privetur, modo legitimis filiis notabiliter non noceat, quam sententiam approbat Lessius *n.* 66. & probabile putat Trull. *lib.* 7. *c.* 18. *dub.* 7. *n.* 6. sequitur Antonius a Spir. S. *nu.* 578. Debentur tamen spuriis alimenta, si aliunde non possint se sustentare, nimirum quæ per-

pertinent ad victum, veſtitum, medicinas, & habitationem, juxta qualitatem perſonæ, ex cap. *Cum haberet, de eo, qui duxit in matrim.* &c. & filiæ ſpuriæ debetur etiam dos, licet pater ſit Sacerdos, quia dos ſuccedit loco alimentorum, ut docet Navarr. *in cap. non liceat* §. 19. *nu.* 11. *nu.* 15. Mater tenetur alere puerum primo triennio, vel ſuis ſumptibus aliis tradere nutriendum, poſt triennium tenetur pater, donec filius ſua induſtria poſſit ſe ſuſtentare, ut habet Leſſius *ſupra n.* 70. & Covarr. *n.* 19. & patet ex *l. Nec filium C. de patria poteſtate*, quod ſi pater moriatur, ſuccedit in integrum in obligatione filios alendi ipſa mater, *l. ſi quis a liberis ff. de liberis agnoſcendis*, &, ſi mater non poſſit, ſuccedunt avi, & proavi ex parte patris, illiſque deficientibus, avi, & proavi ex parte matris.

DUBIUM VIII.

De Heredibus neceſſariis, & ſuccedentibus ab inteſtato.

91. HEredes neceſſarii dicuntur illi, quos teſtator præterire non poteſt, ſed eos debet neceſſario inſtituere, ſaltem quoad legitimam illis jure debitam, vel eos nominatim exheredare, cauſa legitima exheredationis expreſſa: hujuſmodi ſunt filii legitimi, &, illis deficientibus, nepotes, pronepotes, & ceteri deſcendentes in linea recta; Hiſque deficientibus, ſuccedunt aſcendentes in linea recta Pater, Avus, Proavus, ita tamen, ut aſcendentes non computentur inter heredes neceſſarios, ſi adſint Filii, & deſcendentes, ut habetur in *Novell.* 118. *c.* 1. vi cujus deſcendentes omnes totaliter excluduntur a ſucceſſione, quando exiſtunt deſcendentes: hujuſmodi autem heredes neceſſarii nullatenus poſſunt præteriri, eritque nullum, & irritum teſtamentum, ſi non inſtituantur, ſaltem in legitima; vel nominatim non exheredentur ex *Novell.* 115. *c.* 3. ibi: *Sancimus igitur non licere penitus Patri, vel Matri, vel Avo, vel Aviæ, Proavo, vel Proaviæ ſuum filium, vel filiam, vel ceteros liberos præterire, aut exheredes facere in ſuo teſtamento, &c. niſi probabuntur ingrati, & ipſas ingratitudinis cauſſas parentes ſuo inſeruerint teſtamento, &c. Si autem hæc obſervata non fuerint nullum exheredatis liberis præjudicium generari, ſed quantum ad inſtitutionem heredum pertinent, teſtamento evacuato ad parentum hereditatem liberos tamquam ab inteſtato, ex æqua parte pervenire.*

92. Fratres, & Sorores numquam ſunt heredes neceſſarii, ſed liberum eſt teſtatori heredem inſtituere extraneum, eritque validum teſtamentum alias legitime factum, etſi Fratribus, & Sororibus nihil penitus ſtatuen relinquatur, quia nullum jus habent, nec ullo jure conſtat, quod heredes inſtitui debeant a Fratribus. Molina *diſp.* 163. Homobon. de bonis *in Exam. Eccleſ. par.* 2. *tr.* 9. *c.* 20. *qu.* 27. Beja *in ſuis reſponſ. par.* 2. *caſu* 57. Lugus *diſp.* 24. *num.* 174. Diana *par.* 5. *tr.* 8. *reſ.* 85. & alios referens Bonac. *qu. ult. part.* 3. *num.* 13. poſſunt tamen fratres, & ſorores deſcendentes ab eodem patre teſtamentum impugnare per querelam Inofficioſi teſtamenti, ſi perſona turpis fuerit heres inſtituta, *l. Fratres* 27. *Cod. de inoffic. teſtam.* & *Inſtit. eod. tit. in princ. verſ. Soror autem.* Perſonæ turpes cenſentur omnes infames infamia juris, vel facti, ut ſunt concubinarii, meretrices, mimi, lenones, bonorum dilapidatores, & alii hujuſmodi, ut habetur ex *d. l. Fratres Cod. de inoffic. teſtam.* Gomez *tom.* 1. *variar. Reſ. c.* 11. *nu.* 38. Clarus *in addit. n.* 1. & alii communiter. Hoc jus inſtituendi querelam inofficioſi teſtamenti reſtringitur ad ſolos fratres, & ſorores, nec competit eorum liberis, nec item fratribus uterinis ex diverſo patre, ut habetur ex *cit. l. Fratres* 27.

93. Ab Inteſtato primo ſuccedunt filii, deinde nepotes, & deſcendentes in linea recta per ſtirpem, & non per capita. Si enim adſint nepotes, iſti ſuccedunt in quantum repræſentant patrem, ita ut omnes nepotes filii unius fratris unam tantum repræſentent perſonam, & omnes ſimul unam ſolum portionem accipiunt æqualem illi, quam ſinguli filii extantes accipiunt; quod verum eſt de omnibus filiis, ſive viris, ſive feminis; ſive ſint emancipati, ſive non: ſi non adſint deſcendentes in linea recta, ſuccedunt aſcendentes, Pater, Avus, Proavus ſuo ordine, & gradu. *Auth. de heredib. ab inteſt. Auth. defuncto Cod. ad Senatus conſult. Tertull.* §. *Item vetuſtas* Inſtit. *de hered. ab inteſt.* & hæc ſucceſſio locum habet reſpectu Matris filii poſthumi; nam ſi, mortuo patre, ab Uxore prægnante naſcatur poſthumus, qui ſtatim moriatur, ſuccedit Mater in omnia bona patris, quorum filius erat heres, &, ſi moriatur mater in puerperio, ſuccedit filius, ſi ſupervivat.

94. Si deficiant deſcendentes ſimul, & aſcendentes, ſuccedunt fratres, ſorores, & alii propinquiores per capita uſque ad decimum gradum incluſive, ita ut præferantur ſemper illi, qui ſunt in gradu proximiori; ſive ſint agnati, hoc eſt conſanguinei ex parte patris; ſive cognati, hoc eſt conſanguinei ex parte matris: fratri defuncto primo loco ſuccedunt illius fratres ex utroque parente, vel eorum filii, qui patres ſuos repræſentant; & excludunt fratres ex uno ſolum parente; iis deficientibus, ſuccedunt fratres ex uno tantum parente, excluſis aliis collateralibus: quando concurrunt ſimul fratres conſanguinei, & uterini, iſti præferuntur in bonis maternis, illi in bonis paternis, ut docet Molina *diſp.* 164. quamvis alii velint, illos æqualiter ſuccedere in omnibus bonis, ſive proveniant ex parte patris, ſive ex parte matris, quia illa bona, quæ ad defunctum pervenerunt, deſierunt eſſe bona paterna, vel materna, & ſunt facta propria ipſius defuncti, ut cum aliis notat Engel *lib.* 3. *tit.* 27. *n.* 12. Fratres ſpurii, & naturales ſibi invicem ſuccedunt, quando ſunt uterini, id eſt ex eadem matre; ſecus ſi non ſint uterini, quamvis ſint ex eodem patre, *l.* 2. & 4. *ff. Unde cognati.* Molina *diſp.* 167. *concl.* 12. Covarr. *in epit. p.* 2. *cap.* 8. §. 5. *fin.*

95. Quæres: *Quid ſit legitima; quibus, & quanta relinqui debeat?*

Reſp. hereditas tota, quæ a Jure vocatur *As*, dividitur in duodecim uncias, ſeu partes; quæ *aſſis* appellatione ſuſtinentur, & diſtinctis nominibus appellantur ab uncia uſque ad *aſſem*; puta *Sextans* ſignificat duas uncias, quaſi ſexta pars totius hereditatis: *Quadrans* continet tres uncias, quaſi quarta pars Aſſis: *Triens* continet quatuor uncias, quaſi tertia pars Aſſis: *Quincunx*, quinque: *Semis*, ſex, & ſignificat dimidiam hereditatem: *Septunx*, ſeptem: *Bes*, id eſt octo unciæ: *Dodrans*, novem: *Dextans*, decem, *Deunx*, undecim; & *As* duodecim uncias, & ſignificat totam hereditatem, §. *Hereditas* 5. *Inſtit. de Hered. inſtit.* & *l. Servum* §. *fin. ff. eod.*

96. Legitima igitur eſt illa portio hereditatis, quæ heredibus neceſſariis, puta liberis, nepotibus, & aliis deſcendentibus, iiſque deficientibus, parentibus in teſtamento relinqui debet. Eſtque hodie de Jure communi *triens*, ſeu tertia pars totius hereditatis, deductis expenſis funeralibus, & ære alieno, computanda, ſi filii non ſint plures, quam quatuor; ſi enim ſint quinque, aut plures, legitima erit *Semis*, id eſt dimidia pars totius hereditatis æqualiter dividenda inter filios, ſive maſculos, ſive feminas; *Novel.* 18. *c.* 1. & Authen. *Noviſſima cap. de inoffic. teſtam.* ibi: *Noviſſima lege cautum eſt, ut ſi quatuor ſint filii, vel pauciores, ex ſubſtantia deficientis Triens: ſi plures ſint, Semis debeatur, &c. ex æquo ſcilicet inter eos dividendus.* Debetur autem hæc legitima a patre, atque matre deſcendentibus legitimis, tam maſculis, quam feminis emancipatis, & non emancipatis, & eſt illis relinquenda titulo inſtitutionis, ſeu heredis, ad hoc, ut teſtamentum validum ſit; nec ſufficit, ut titulo donationis, aut legati relinquatur, ut habetur *Novel.* 115. *c.* 3. quod etiam de jure Canonico ſervandum eſt, quando teſtamentum inter liberos conditum eſt, ut probat Molina *diſp.* 175. Poteſt pro legitima certa res, aut pars aſſignari, dummodo portionem legibus debitam attingat; ſecus poſſet filius agere ad ſupplementum legitimæ, §. *ſed hæc* 3. *Inſtit. de inoffic. Teſtam.*, & *Novella* 115. *cap.* 3.

97. Quæres 2. *Quid ſit Falcidia, & Trebellianica?*

Reſp. Falcidia eſt quarta pars bonorum Teſtatoris, quæ poſt mortem illius, deducto ære alieno, & expenſis funeralibus, debetur heredi ſcripto nimis gravato legatis: ita habetur §. *Quantitas autem* 2. & §. *cum autem* 3. Inſtit. *de lege Falcidia*, quia nimirum heredi ſcripto debet libera relinqui quarta pars totius hereditatis: *Trebellianica* vero eſt quarta pars totius hereditatis, quæ libera debet remanere heredi gravato fideicommiſſo univerſali: & ſic Falcidia, & Trebellianica ſolum differunt in hoc, quod Falcidia detrahitur a nimiis, & exceſſivis legatis; Trebellianica vero ab exceſſivo fideicommiſſo univerſali. Illa nomen ſortita eſt, non a falce, ſed a ſuo Auctore C. *Falcidio* Tribuno Plebis, qui primus legem tulit, quæ a ſuo nomine dicta eſt *lex Falcidia*, ut quarta pars ſemper libera remaneret heredibus in teſtamento inſtitutis, detrahendo proportionaliter a ſingulis in teſtamento relictis. Hæc tamen non habet locum in legatis piis, & ad pias cauſſas relictis, nec quando teſtator prohibet illius detractionem, ut habetur ex *Authen. ſimiliter C. ad leg. Falcid.* & Authen. *ſed cum Teſtator Cod. eod.* Trebellianica vero dicitur a *Trebellio* Conſule, a quo prodiit Senatus conſultum Trebellianum diſponens, ut quarta pars totius hereditatis, deducto ære alieno, & expenſis funeralibus, libera remaneat heredibus inſtitutis.

98. Dixi, *Falcidiam* non habere locum in legatis piis, & ad pias cauſſas relictis, quod intelligi debet, quando ipſa cauſſa pia non ſit heres inſtituta; nam tunc ſtandum eſt diſpoſitioni Juris communis, & cauſſa pia tunc poteſt detrahere Falcidiam, quia nimirum una cauſſa pia

non habet privilegium contra aliam. Ita Sylvester verb. *Legatum 4. num. 6.* Nauldus verb. *testamentum num. 14.* Covarr. cap. *Relatum*, *2. de testam. num. 5.* Molina, Lessius, Reginaldus, quos sequitur Bonacina *quæst. & pun. ult. num. 30.* Cessat Falcidia quando aliqua res legata est ita, ut in perpetuum non possit alienari. Auth. *Sed in ea re Cod. ad leg. Falcid.* in aliis casibus Falcidia detrahenda est ad ratam a singulis legatis relictis a testatore.

99. *An vero filius gravatus fideicommisso universali, aut pluribus legatis, possit ultra legitimam, simul etiam detrahere Falcidiam, vel Trebellianicam*, satis controversum est apud Doctores; sed responsio communis est affirmativa, prout tenet Abbas, & Glossa in cap. *Raynutius*, & cap. *Raynaldus hoc tit.* Engel *hoc tit. nu. 7.* aliique communiter; & ratio est, quia legitima debetur liberis jure naturali, cit. cap. *Raynutius §. cum autem*, ibi: *legitima portio jure naturæ debita*; Trebellianica vero, seu Falcidia debetur Jure Civili, ut supra dixi. Cum autem hereditas regulariter in duodecim uncias, seu partes dividatur, si filius sit fideicommisso universali gravatus, potest in primis jure naturæ detrahere pro legitima tertiam partem, seu quatuor uncias, & ex aliis octo remanentibus poterit pro Trebellianica detrahere quartam partem, id est duas uncias, & sic sex uncias, ac proinde dimidiam partem totius hereditatis, ut explicat Abbas, & Gloss. *loc. cit.*

DUBIUM IX.

Ex quibus caussis Filius possit exheredari a Patre.

100. CAussæ, ob quas pater exheredare potest filios, & alios descendentes, quatuordecim assignantur a *Novella 115. c. 3. Prima* est injusta percussio parentum cum lethali culpa, sive percutiat fuste, lapide, allidendo ad parietem, aut alio simili modo: excusatur filius pro patris pugnans, si patrem ex adverso pugnantem feriat, vel etiam occidat, vel si faciat pro defensione vitæ, & membrorum contra patrem injuste, & immoderate castigantem, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ: Covarr. in cap. *Raynutius de testam. nu. 13.* II. Si gravem, & inhonestam injuriam eis intulerit. Quænam autem dicenda sit gravis, & inhonesta injuria, judicandum relinquitur arbitrio Judicis, habita ratione qualitatis parentum, filiorum, loci, & aliarum circumstantiarum. III. Si eos in criminalibus caussis accusaverit, quæ non sunt adversus Principem, vel Rempublicam, vel Catholicam Religionem: sic exheredari non potest filius, si patrem accuset de crimine hæresis, quod est contra Majestatem Divinam, & Rempublicam Ecclesiæ; caussa debet esse talis, ut propter illam pater sit morte plectendus, aut exilio perpetuo.

101. IV. Si cum maleficis hominibus, ut maleficus conversatur. V. Si vitæ parentum suorum per venenum, aut alio modo insidiari tentaverit. VI. Si novercæ suæ, aut concubinæ patris se immiscuerit, seu carnalem copulam habuerit. VII. Si delator contra parentes filius extiterit, & per suam delationem gravia eos dispendia fecerit sustinere, sive in corpore, sive in fama, sive in fortuna. VIII. Si pro persona, vel debito patris fidejubere noluit. IX. Si impediat, ne pater conficiat testamentum. X. Si inter mimos, & arenarios contra voluntatem parentum sese sociaverit, & permanserit, nisi forsan etiam parentes ejusdem professionis fuerint. *Arenarii* dicuntur, qui in arenam pugnandi caussa descendunt, ibique, sive cum bestiis, sive cum hominibus publice pugnant. XI. Si filia, cum parentes maritum dare, & pro sua substantia illam dotare voluerint, non consenserit, sed luxuriosam degere vitam elegerit. XII. Si patrem in furorem, vel dementiam lapsum, curare, vel nutrire neglexerit; si enim postea ad sanam mentem redierit, poterit filium, vel filiam exheredare. XIII. Si liberi parentem in captivitate hostis detentum non redimunt dum possunt. XIV. Si filius a Catholica fide defecerit, quæ omnes caussæ continentur in dicta *Nov. 115. c. 3.* Illas omnes caussas fuse, ac distincte explicat Leander *in 4. præcepto Decal. disp. 11.* per distinctas quæstiones.

102. *An vero pater ex aliis caussis præter enumeratas, possit exheredare filium, nimirum propter similia, vel etiam deteriora crimina?* Plures affirmant, quia licet Jus has caussas assignaverit, non tamen exclusit alias, in quibus similis, aut etiam urgentior ratio ingratitudinis reperitur: tum quia, *ubi est eadem ratio, eadem est legis dispositio*; lex siquidem rationi nititur, ac proinde eadem debet esse dispositio legis, ubi eadem est ratio. Ita Covarr. in cap. *Raynutius c. 16. de testam. n. 23.* Jul. Clarus *§. Testamentum qu. 41. vers. sed quæro.* Ant. Gomez *to. 1. var. res. c. 11. n. 12.* Molina *lib. 1. de primogen. c. 9. num. 32.* Sylvester, Fragosus, Villalob. Vasquez relati a Leandro supra *disp. 11. qu. 16.* Verum cum in pœnis non sit facienda extensio ad alia, quæ non sunt in lege expressa, quamvis æque gravia, seu graviora sint, & magis digna, quæ eadem pœna puniantur, non est cur pœna exheredationis ad alios casus præter expressos in Jure debeat extendi, maxime quia in *Novella 115. cap. 3. prin.* expresse dicitur, ut præter ipsas *nulli liceat ex alia lege ingratitudinis caussas opponere, nisi quæ in hujus Constitutionis serie continentur.* Ita tenent Hostiens. Alexander, & Greg. Lopez, quos refert, & sequitur Molina *disp. 176. n. 47.* Lugus *disp. 24. n. 178.* Bonac. *in 4. præcept. Decal. disp. 6. qu. un. punct. 6. §. 3. n. 2.* Andreas a Matre Dei *c. 5. n. 94.*

103. Hinc facile solvitur gravis illa difficultas; *an scilicet parentes possint exheredare filios, aut negare dotem filiæ nubenti contra illorum voluntatem, aut ipsis inscius, & inconsultis?* Dicendum enim est, hoc illos facere non posse, non solum quando nuptias celebrant cum persona honesta, in quo omnes conveniunt, ut videre est apud Jul. Clarum *qu. 41. n. 4.* arg. Authen. *sed si post Cod. de inoffic. testam.* ibi: *sed si, & sine consensu tuo, parentis, marito se, libero tamen, copulaverit, eam exheredare non potes*, sed etiam si nubant personæ inhonestæ, quia nullo in Jure probari potest, patrem eximi ab obligatione dotandi filiam, ipso invito nubentem, aut cum indigno contrahentem, prout tenent omnes illi, qui docent, præter caussas in *Nov. 115. c. 3.* expressas, nullam aliam esse, ob quam parentes possint exheredare filios; ergo dicendum est, patrem teneri filiam dotare juxta qualitatem personæ, maxime, quia dos succedit loco alimentorum, quæ negari non possunt a patre.

104. Conf. quia negatio dotis repugnat libertati matrimonii, ob quam, sicut non potest apponi pœna solvenda per frangentem fidem sponsalium, ut cum aliis tenet Bonacina *qu. 1. pun. ult. de matrim.* ita non potest filia privari dote in pœnam, eo quod matrimonium contraxerit, invito patre, vel cum indigno: ex quo infert Bonac. ob id non posse fieri Statutum, quo filii nubentes, invitis parentibus, priventur hereditate. Sanch. *lib. 4. de Matrim. disp. 26. n. 16.* & nos etiam, aliis allatis, diximus *c. 5. de Matrim. dub. 7. n. 45.* & tenent omnes illi, qui docent, præter caussas in *Novella 115. cap. 3.* allatas, & expressas, nullam aliam esse, ob quam parentes liberos exheredare possint.

105. Quæres: *an in casibus, in quibus pater potest exheredare filium, possit etiam alimenta negare?* Plures affirmant, quia sicut est de jure naturæ alimentorum subministratio, ita est successio titulo hereditario in bonis paternis; sed propter culpam, & ingratitudinem puniri potest filius, & privari jure succedendi in bonis paternis; ergo etiam jure alimenta consequendi, sicut alii delinquentes puniuntur in bonis propriis; quod etiam habetur ex *l. fin. Cod. de alendis liberis*, *l. si quis a liberis §. Idem Judex ff. de liber. agnoscend.* Hoc tamen intelligi debet, quando filii aliunde habent necessaria ad vitæ sustentationem, quamvis non habeant necessaria ad sui status decentiam; nam simpliciter necessaria ad vitæ sustentationem numquam pater filiis negare potest, argum. *l. necare ff. de liber. agnoscend.* ibi: *necare videtur, qui alimenta denegat.* Ita Vasq. Sylvest. Dicast. & alii, quos sequitur Andreas a Matre Dei *nu. 92.*

106. Cessat in patre jus exheredandi filium, si sequatur reconciliatio, & pater filium recipiat in pristinam amicitiam, & familiaritatem, quia tunc cessat caussa exheredationis, & per consequens jus, & facultas in patre filium exheredandi. Quod si, non obstante reconciliatione, sequatur exheredatio, tunc erit nulla, & irrita, utpote facta sine legitima caussa, quæ abolita est per reconciliationem, sive expressam, sive tacitam, quia *taciti, & expressi eadem est virtus* cap. 2. *de rescript. l. cum quis ff. de rebus creditis.* Tacite saltem remitti injuriam, & ingratitudinem, quando pater filium admittit ad pristinam amicitiam, & familiaritatem, satis constat ex *l. 3. §. ult.* juncta *l. 4. sequenti ff. de adimendis legatis.* & ex *l. in ipsum C. familiæ erciscundæ.* Si post exheredatum filium in testamento, pater moriatur, eo non revocato, succedit filius, sicut ante exheredationem, quia per reconciliationem cessat ingratitudo, & reddit ad pristinum statum, in quo erat heres necessarius. Molina *disp. 176. vers. mihi autem*, Lugus *disp. 24. nu. 167.* Bonac. *tom. 2. disp. 5. qu. un. pun. 6. §. 3. nu. 12.* ubi refert Rebellum, & Reginaldum.

107. Cessat etiam ingratitudo, & caussa exheredationis, ita quod non possit filius exheredari, si ante mortem patris filius professionem emittat in aliqua Religione approbata; & si ante professionem erat exheredatus, per illam redditur nulla, & invalida talis exheredatio, ut affirmat Gratian. in Decret. *cap. ult. q. 3.* ex quadam Novella constit. quam refert, in qua in favorem Religionis sancitum est, quod nullo modo talis filius possit exheredari; & quod, si ante professionem exheredatus erat, invalida reddatur talis exheredatio. Molina *supra n. 58.*

Bona-

Bonacina *num.* 12. Andreas a Matre Dei *n.* 95. Idem asserunt nonnulli, tolli caussam ingratitudinis, & exheredationis, si ante mortem patris filius poenitentiam agat patrati criminis. Ita ex cap. *Ferrum dist.* 59. tenent Abbas in cap. *Quintavallis Col.* 2. *de jurejur.* Alexander in *l.* 1. *n.* 33. *ff. soluto matrim.* sed alii merito negant, quia licet poenitentia tollat culpam apud Deum, & in foro conscientiæ, non tamen tollit poenam temporalem ex legum ordinatione inflictam, ac proinde post peractam poenitentiam criminis a filio commissi, adhuc potest puniri poena exheredationis. Ita Covarr. in cap. *Raynutius n.* 18. & 19. Molina *supra n.* 57. Bonac. *n.* 12. Lugus *n.* 168. Andreas a Matre Dei *n.* 96. Vasquez *Opusc. de testam. cap.* 6. §. 3. *dub.* 5.

108. Ex iisdem fere caussis, ex quibus parentes possunt exheredare filios, possunt etiam isti exheredare parentes, ubi habetur ex cit. *Novella* 115. *c.* 4. ubi octo sequentes causæ numerantur. *Prima*, si parentes ad interitum vitæ liberos suos tradiderunt, accusando nimirum illos de crimine poenam mortis inducente, nisi denunciet de crimine læsæ Majestatis humanæ, seu Divinæ, & de crimine hæresis, ut explicat Glossa *ibidem*. *Secunda* si venenis, aut maleficiis, aut alio modo parentes filiorum vitæ insidiari probentur. *Tertia*, si pater nurui suæ, aut concubinæ filii sui sese immiscuerit. *Quarta*, si parentes filios suos testamentum condere prohibuerint in rebus, in quibus habent testandi licentiam. *Quinta*, si pater uxori suæ, vel hæc illi venenum præbet, aut vitæ insidiatur, potest a liberis ejusdem exheredari. *Sexta*, si liberis, vel uno ex his in furorem constituto, parentes eos curare neglexerint. *Septima*, si filii in captivitate detenti negligantur a parentibus. *Octava*, si pater sit hæreticus potest illum filius Catholicus exheredare. Ex his omnibus caussis enumeratis, ob quas filii a parentibus, & parentes a filiis exheredari possunt, possunt etiam illis alimenta negari, seclusa extrema, & gravissima necessitate.

DUBIUM X.

De Substitutionibus.

109. Substitutio, de qua agimus in præsenti, *est vocatio unius, vel plurium ad hereditatem, ex defectu heredis, vel heredum institutorum a testatore*. Ita Covarr. *de testamentis* cap. *Raynutius* §. 4. estque communis quoad substantiam. Dicitur *unius*, *vel plurium*, quia non solum unus potest substitui loco alterius, sed etiam plures loco unius, vel plurium. Dicitur *ad hereditatem*, quia propriissime substitutio dicitur, si in locum unius heredis substituatur alius, casu, quo primus hereditatem adire nollet, vel non posset: non obstat tamen, quin etiam in legatis fiat substitutio, ut notat Covarr. de *testam. c.* 16. §. 4. *n.* 1. & constat ex *l. et heredibus* 50. *ff. de legatis* ibi: *ut heredibus substitui potest, ita & legatariis*. Dividitur autem substitutio in *Vulgarem*, *Pupillarem*, *Exemplarem*, *Reciprocam*, *Fideicommissariam*, & *Compendiosam*, seu *Breviloquam*, Covarr. *l. c.* Lessius *lib.* 2. *c.* 19 *dub.* 7. *n.* 76. Molina *disp.* 182. & alios referens Bonac. *qu. ult. pun.* 4.

110. Substitutio *vulgaris*, quæ dicitur etiam *simplex*, & *directa*, est, qua quisque testandi capax quemlibet jure non prohibitum substituere, seu in locum alterius vocare potest; estque directa institutio heredis loco alterius primo instituti, & continet imbibitam conditionem; ut si ille, qui fuit institutus heres, vel erat necessario successurus, non posset, vel nollet esse heres, aut moreretur ante testatorem, succedat substitutus; quæ conditio semper intelligitur in omni substitutione vulgari; ut si testator dicat: *Constituo Titium heredem, & ei substituo Sempronium*, semper intelligitur conditio, si Titius non posset ex quacumque causa, aut nollet esse heres. Ita Lessius, Molina, Covarr. Bonac. *l. c.* Hæc substitutio vulgaris finitur, & extinguitur, quando heres primo institutus hereditatem acceptat, & in illa de facto succedit, ut habetur *l. post aditam Cod. de impuber.* ibi: *Post aditam hereditatem directæ substitutiones non impuberibus filiis factæ expirare solent*. Extinguitur etiam si substitutus moriatur, vivente testatore, seu antequam institutus adeat hereditatem, quia hereditas non adita non transmittitur ad heredes. Molina *disp.* 183. *n.* 8.

111. Substitutio *pupillaris* est, qua parentes liberis adhuc impuberibus heredibus institutis alium heredem substituunt, casu quo moriantur in ætate pupillari, seu ante annos pubertatis, quæ in viris invenitur expletis quatuordecim annis, & in feminis expletis duodecim. Cum enim ante tale tempus ipsi non possint facere testamentum, jus concessit, ut parentes hoc pro illis facere possint, & heredem loco pupilli instituere, si forte moriatur ante annos pubertatis; unde in tali substitutione fit duplicatum, seu duplex testamentum: primum, quo pater pro se nominat filium suum heredem; alterum, quo nominat heredem pro filio, ut si dicat: *Instituo Titium filium meum heredem, eique, si moriatur ante annos pubertatis, substituo Cajum*. §. *Igitur* Instit. *de pupillari substit.* ibi: *In pupillari substitutione duo quodammodo sunt testamenta, alterum patris, alterum filii, tamquam si ipse filius sibi heredem instituisset*. Quare, mortuo filio in pupillari ætate, ad substitutum transeunt omnia bona pupilli, non solum ea, quæ accepit a patre, sed omnia quomodocumque ad eum pertinentia, perinde ac si fuisset institutus heres ab ipso pupillo. Lugus *disp.* 24. *sect.* 8. *n.* 146. Bonac. *pun.* 4. *nu.* 4. Ant. Gomez *l. var. c.* 4. *n.* 1. Lessius *c.* 19. *disp.* 1. *nu.* 77. Andreas a Matre Dei *c.* 5. *n.* 112.

112. Ad hoc, ut valida sit substitutio pupillaris tria requiruntur. Primo, ut testator habeat in sua potestate illum, cui substituit, *l.* 2. *ff. de vulg.* ibi: *Moribus introductum est, ut quis liberis impuberibus testamentum facere possit, donec masculi ad quatuordecim annos perveniant, feminæ ad duodecim. Quod sic erit accipiendum, si sint in potestate. Ceterum emancipatis non possumus; Posthumis plane possumus; Nepotibus etiam possumus, & deinceps, si qui recasuri non sunt in patris potestatem*. Inde mater numquam facere potest substitutionem pupillarem, quia liberi numquam sunt, nec dicuntur esse in potestate matris, sed patris, vel avi. Covarr. *hoc tit. c.* 16. §. 5. *n.* 18. Nec pater potest substituere filio illegitimo, nec extraneo, nec consanguineo collaterali, propter eamdem rationem, quia non sunt sub potestate testatoris. Secundo requiritur, ut ille, cui fit substitutio post mortem testatoris, fiat sui juris, & non reincidat in potestatem alterius, ut constat ex *cit. l.* 2. *ff. de vulg.* ibi: *& deinceps si qui non sunt relapsuri in patris potestatem*; unde avus non potest aliquem substituere nepoti impuberi, vivente patre, quia nepos post mortem avi non fit sui juris, sed remanet sub potestate patris: nec pater potest pupillariter substituere filio, si avus adhuc vivit; nam, mortuo patre, reincidit filius in potestatem avi. Gomez *c.* 4. *n.* 2. Bonac. *pun.* 4. *num.* 4. Tertio, ut fiat expressio conditionis, vel saltem tacite subintelligatur, *si in ætate pupillari decesserit*.

113. Hæc substitutio pupillaris tribus modis fieri potest. Primo, verbis generalibus, ut si testator loquens de filio suo impubere, non exprimendo filium esse impuberem, dicat: *Constituo filium meum heredem, & ei substituo Cajum*. Secundo, verbis specialibus mentionem facientibus pupillaris ætatis. Tertio, verbis specialissimis, exprimendo conditionem propriam hujus substitutionis, ut si dicat: *Instituo filium meum impuberem heredem, & in casu, quo post mortem meam decedat in pupillari ætate, substituo ei Sempronium*. Quocumque ex his modis fiat, substitutio valet, &, adveniente casu, substitutus excludit etiam matrem pupilli. Gomez *c.* 4. *n.* 7. Covar. §. 5. *n.* 20. Extinguitur substitutio pupillaris in puncto, quo pupillus accedit ad annos pubertatis, in quibus potest testari; vel si substitutus moriatur ante pupillum, & statim ac filius exit a patria potestate, & fit sui juris, vivente patre.

114. Substitutio *exemplaris*, ad exemplum pupillaris inventa, est illa, qua parens liberis furiosis, amentibus, mutis, surdis, prodigis, vel simili modo a lege testari prohibitis, heredibus institutis, alium heredem substituit, casu quo in tali statu moriantur, & talis substitutio fieri potest non solum a patre, sed etiam a matre, ab avo, avia, proavo, & proavia. *L. Humanitatis, Cod. de impuberum, & aliis substitutionibus*. Gomez *cap.* 6. *nu.* 13. cum Bart. & Bald. & aliis apud Lessium *dub.* 7. *n.* 84. & alii communiter. Ratio est, quia hæc substitutio non fundatur in patria potestate, sed in humanitate, & affectu parentum erga filios, *cit. l. Humanitatis*, ibi: *Humanitatis intuitu parentibus indulgemus*, &c. Hæc substitutio fieri potest omnibus, & singulis amentibus, aut alio modo testari impeditis, sive sint puberes, sive impuberes, sive emancipati, sive in patria potestate constitutis, in quo differt a substitutione pupillari. Debet observari ordo in personis substituendis; nam si ille, cui fit substitutio, habet filios, aut descendentes, hi necessario debent substitui: si isti deficiant, fratres sunt aliis præferendi: his etiam deficientibus, alius extraneus ad libitum testatoris substitui potest, ut constat ex *cit. l. Humanitatis, Cod. de impub. & aliis substit.* Gomez *n.* 6. Lessius *loc. cit.*

115. Substitutio *fideicommissaria* est illa, qua quis hereditatem non accipit immediate ab ipso testatore, sed mediante alio prius instituto, juxta dispositionem tamen testatoris, quia institutus gravatur a testatore, ut hereditatem totam, dimidiam, vel partem alteri restituat. Gomez *c.* 5. *n.* 1. Covarr. *de testam. c.* 16. §. 4. *num.* 2. Abbas *hoc tit. in cap. Raynutius*, Bonac. *pun.* 4. *nu.* 5. Lessius *num.* 85. Hæc substitutio non dicitur directa, sed obliqua, & indirecta, quatenus substitutus non accipit

hereditatem immediate a testatore, sed mediante alio prius instituto. Hæc substitutio fieri potest etiam in codicillo, licet in illo fieri non possit directa institutio heredis, quia nimirum in codicillo potest testator imponere aliquod onus heredi jam instituto, quod non posuit in testamento. Plura hic tractari solent spectantia ad fideicommissum, seu fideicommissarium, sed quia magis spectant ad Juristas, quam ad Theologum moralem, consulto omittimus.

116. Substitutio *reciproca*, seu *breviloqua* est illa, qua testator plures heredes instituit, eosque sibi invicem substituit, ut si dicat: *Instituo meos heredes Titium, & Sempronium, & eos invicem substituo*. Dicitur *reciproca*, quia plures heredes sibi invicem reciproce substituuntur. Dicitur *breviloqua*, quia fit brevibus verbis. Substitutio *compendiosa* est, quæ verborum compendio plures sub se continet substitutiones, secundum diversa tempora, & ætatem, id est *pupillarem*, & pubertatis, ut si testator dicat: *Instituo Titium filium meum heredem, eique quandocunque decesserit substituo Cajum*. Hæc substitutio erit *vulgaris*, si filius moriatur ante patrem testatorem, & Cajus succedit substitutione vulgari. Si filius fiat heres, & moriatur in ætate pupillari, substitutio erit *pupillaris*, & Cajus succedit ex substitutione pupillari. Si post pubertatem moriatur, substitutio erit *commissaria*, si verbis obliquis facta est, & detrahi poterit legitima, & trebellianica. Si filius fiat amens, & incidat in furorem, substitutio erit *exemplaris*. Covarr. *de testam. c.* 16. §. 9. Molina *disp.* 192. Lessius *dub.* 7. *nu.* 94. Bonacina *pun.* 4. *num.* 11. Plura de hujusmodi substitutionibus videri possunt apud Legistas.

DUBIUM XL.

An Testamentum possit revocari, ubi de Codicillis.

117. POtest testator semper, & pro libito suum testamentum, vel penitus revocare, mutare, aut corrigere, quia deambulatoria est voluntas hominis usque ad mortem, & solum *morte testatoris testamentum confirmatur*, ut ait D. Paulus *ad Hebræos* 9. Quod adeo verum est, ut nullo pacto, clausula, vel conditione obligari possit ad non revocandum testamentum; eo quod *nemo eam sibi potest dicere legem, ut a priore voluntate ei recedere non liceat*, ut habetur *l. si quis* 22. *ff. de legatis* 3. Ut autem valida sit revocatio primi testamenti facti cum clausula derogatoria secundi, necesse est, quod in secundo fiat expressa mentio talis clausulæ, ut magis communiter tenent Doctores, ex *cit. l. si quis*, ubi, post allegata verba, statim subjungitur: *Sed hoc ita locum habebit, si specialiter dixerit prioris voluntatis se pœnituisse*, ubi constat, necessariam esse specialem mentionem clausulæ derogatoriæ, nisi forte secundum testamentum sit jure confirmatum; nam tunc præsumitur pœnitere prioris voluntatis, quamvis nullam mentionem faciat prioris testamenti, & clausulæ in eo insertæ, ut habet Covarr. *de testam. p.* 2. *Rub. n.* 59. & Molina *disp.* 153. Si tamen primum testamentum ultra clausulas derogatorias haberet adjunctum juramentum illud non revocandi, tunc necesse erit in secundo testamento mentionem fieri primi, ejusque juramenti, secus non censeretur revocatum, sed deberet secundo præferri, quia juramentum est clausula specialissima, quæ non censetur derogata per generalem derogationem, & præsumitur testator ejus juramenti oblitus, ut cum aliis tenet Lugus *disp.* 24. *n.* 36. Andreas a Matre Dei *cap.* 5. *n.* 134.

118. Testamentum semper revocari posse, tum valide, tum licite, etiamsi testator juraverit, se non revocaturum, tenent communiter Legistæ, ut videre est apud Clarum § *testamentum qu.* 94. *nu.* 3. quia juramentum sequitur naturam actus, super quem cadit, cum sit velut accessorium sequens naturam sui principalis; sed actus, super quem cadit juramentum in proposito, est testamentum suapte natura revocabile, & ex sui institutione videtur habere tacitam conditionem, *nisi revocetur*, ergo testamentum, etiam posito juramento, valide, & licite revocari potest; tum quia juramentum de non revocando testamento est contra bonos mores, *l. stipulatio de verbor. obligat.* sed juramentum, quod est contra bonos mores, est invalidum, nullum, & non obligat; ergo testamentum licite potest revocari. Tuscus *tom.* 1. *concl.* 152. sequitur Azor. Gomez, & alii relati a Bonacina *pun.* 6. & Diana *par.* 10. *tr.* 15. *miscell.* 3. *resol.* 11.

119. Verum communis, & sequenda sententia docet, valide quidem, sed illicite tale testamentum revocari posse, ea ratione, qua, qui juravit, se alteri non vendíturum domum, si postea vendit, valida est, sed illicita venditio; & qui juravit ducere Bertam in uxorem, si postea ducat Cajam, valide contrahit cum Caja, sed illicite. Ratio est, quia testamentum, cum ex natura sua sit usque ad mortem revocabile, per additum juramentum non mutatur a sua natura, & sic remanet semper valide revocabile, Lugus *disp.* 24. *num.* 36. Trull. *lib.* 7. *c.* 18. *dub.* 9. *n.* 4. Bonac. *pun.* 6. *n.* 2. aliique communiter. Illicita tamen est talis revocatio, si fiat absque legitima caussa; ut tenet communiter sententia Canonistarum apud Clarum *l. c.* Arg. cap. *cum contingat* 28. & cap. *si vero* 8. *de jurejurando*, ubi universaliter statuitur, omne juramentum, quod non vergit in præjudicium tertii, & servari potest sine peccato, servandum esse, quamvis caderet super actu legibus infirmato; sed in casu nostro juramentum servari potest sine peccato, cum non teneatur testamentum revocare, & possit non revocare; ergo debet juramentum servari, ac proinde peccat graviter, estque perjurus, qui sine caussa revocat testamentum, quod juravit, non revocaturum.

120. Ad rationem oppositam dico, juramentum sequi naturam actus principalis, quoad tacitas conditiones, quando illæ non excluduntur expresse. In casu nostro jurans, se non revocaturum testamentum, excludit expresse tacitam conditionem testamenti; intendit enim non revocare testamentum, quod est ex natura sua revocabile, quamvis etiam in primo testamento apposita sit clausula derogatoria ulterioris testamenti, ut si testator in primo testamento dicat: *si aliud testamentum confecero, volo non valere*, ut diximus supra; & ita cum Dicast. & aliis tenet Diana *par.* 10. *tr.* 15. & *miscell.* 3. *res.* 11. Ad id, quod additur, responderi potest, juramentum de testamento non revocando dici ad summum posse contra bonos mores civiles, in quantum leges civiles volunt, testamentum semper esse revocabile; quia tamen non obligant testatorem ad illud revocandum, vel non revocandum, sed id relinquunt in illius libertate, nullum peccatum erit, maxime theologicum, nolle illud revocare, & juramento se obligare ad illud non revocandum; quod tamen adhuc poterit revocare sine peccato, si gravis caussa illud revocandi emergat; puta si graves inter testatorem, & heredem oriantur inimicitiæ; nam juramentum, sicut ceteri contractus habent tacitam conditionem, *rebus sic stantibus*, quibus mutatis, nullum erit peccatum testamentum mutare, ut colligitur ex cap. *Quemadmodum* 25. *de jurejur.* ubi expresse dicitur, quod licet quis juraverit certam ducere uxorem, non teneatur eam ducere, si post juramentum mulier, illa meretrix, vel leprosa, aut paralytica fiaret, vel oculos, vel nares amitteret. Molina *disp.* 151. ubi citat Clarum, & Covarr. Less. *cap.* 19. *n.* 65. Lugus *disp.* 24. *n.* 35. Bonac. *pun.* 6. *n.* 1. Diana *par.* 9. *tr.* 7. *miscell.* 2. *res.* 42.

121. Testamentum factum ab illo, qui nullos habebat, nec sperabat filios, revocatur, saltem quoad heredis institutionem, si postea filii nascantur, prout etiam diximus supra *dub.* 8. *n.* 64. de donatione caussa mortis facta ab illo, qui non habebat, nec sperabat filios, quæ revocatur per prolem de novo susceptam. Dixi, *saltem quoad heredis institutionem*, quia legata in eo facta nonnulli asserunt, de jure communi esse valida; sed melior sententia docet, non valere, iis exceptis, quæ pater probabiliter reliquisset, si scivet filios habere, vel habiturum, ut docet Lugus *disp.* 24. *n.* 52. & cum aliis Ant. a Spiritu Sancto *num.* 719.

122. Codicillus dicitur quasi parvus Codex, seu scriptura continens ultimam aliquam voluntatem, sine directa institutione heredis; in quo differt a testamento, quod fieri non potest absque directa institutione heredis. In codicillo fieri possunt donationes caussa mortis, legata, & fideicommissa, & testamentum potest declarari, & mutari, salva tamen heredis institutione, minui, & augeri, ut patet ex *tot. tit. Institut. & Cod. de codicill.* nec non ex *tit. ff. de jure codicill.* Dixi, *sine directa institutione heredis*, quia indirecte hereditas dari potest, ac transferri per fideicommissum. Ad validitatem codicilli requiruntur, & sufficiunt quinque testes, etiam non rogati, sive masculi, sive feminæ, eodem tamen tempore simul præsentes, *l. fin. Cod. de codicil.* Limitatur in codicillis inter liberos, & ad pias caussas factis, in quibus sufficiunt duo testes, sicut etiam sufficiunt in testamento inter liberos, & ad pias caussas.

123. Codicillum omnes illi, & solum facere valent, qui testari possunt; & quidem unum, aut plures facere possunt, modo inter se non sint contrarii; si enim sint contrarii, prior per secundum censetur revocatus. Codicillus fieri potest tum ab eo, qui moritur intestatus, tum ab eo, qui testamentum fecit, sive ante conditum testamentum, sive post; si enim testator in testamento subsequenti expresse confirmat codicillum prius factum, certe valebit, ex communi consensu Doctorum.

124. Testamentum carens aliqua sollemnitate, ac proinde nullum, sustinetur per modum codicilli, si in illo tacite, vel expresse fuit apposita clausula codicillaris, id est

id est *si non valet, ut testamentum, valeat ut codicillus, vel valeat eo meliori modo, quo valere potest*; secus si talis clausula non fuit posita, quia tunc testamentum remanet irritum defectu sollemnitatis, nisi sit ad caussam piam, vel inter liberos, ubi sollemnitates juris communis non requiruntur. Tres sunt effectus clausulæ codicillaris. Primus, ut, licet institutio heredis in tali testamento minus sollemni facta non valeat, heres tamen ab intestato succedens teneatur solvere legata. Secundus, quod heredes extranei ab intestato venientes, teneantur per modum fideicommissi heredi scripto in testamento irrito totam hereditatem restituere, sola dempta trebellianica, quam pro se deducere possunt, si fecerunt inventarium. Tertius, quod heredes necessarii, & liberi injuste præteriti, vel indebite exheredati in testamento parentum, teneantur & ipsi hereditatem restituere heredi scripto, detracta tamen legitima, & trebellianica, quia, virtute talis clausulæ, institutio directa vertitur in fideicommissum; & quia parens potuisset filium tali fideicommisso per codicillum gravare, ita hoc ipso censeatur gravatus, si clausula codicillaris est apposita. Molina *disp.* 132. Laym. *lib.* 3. *tr.* 5. *cap.* 8. *num.* 4. Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 16. *num.* 777. & alii communiter.

DUBIUM XII.

De obligatione heredis, & inventario conficiendo.

125. Cum liberum sit heredi hereditatem acceptare, seu repudiare, illi conceduntur a Jure tres menses ad deliberandum; an hereditatem adire velit, nec ne; quod quidem tempus currere incipit a die habitæ notitiæ, se institutum esse heredem, ut interim videre possit statum hereditatis, an debita existant, & sibi utile sit hereditatem adire, quo tempore molestari non potest a creditoribus, & legatariis, *l. ult. C. de Jure deliberandi*. Debet interim facere Inventarium, nisi certo constet, hereditatem sufficientem esse pro omnibus debitis solvendis, quo casu potest omitti; illudque incipere debet intra triginta dies a die habitæ notitiæ, se esse institutum heredem, & intra alios sexaginta illud terminare, si hereditas sit præsens; si autem bona hereditatis, vel major illorum pars sit extra locum, ubi habitat heres, intra annum absolvere debet, *l. fin. §. si autem dubitat* 2. *& §. sin autem a locis* 3. *C. de Jure delib.*

126. Inventarium faciendum est coram Notario publico, citatis creditoribus, & legatariis, ne objicere possint, minus fideliter esse factum, & debent in illo describi omnia bona defuncti mobilia, & immobilia, omnes actiones, tam activæ, quam passivæ, omnia debita, & credita tam activa, quam passiva, quia omnia deserviunt pro considerando valore totius hereditatis, & subscribere debet heres coram duobus testibus, & Notario, vel, si scribere nesciat, debet subscribere Notarius loco illius. Nec potest testator cum præjudicio creditorum heredi remittere obligationem inventarium conficiendi, cum non possit illis præjudicare, potest tamen cum præjudicio legatorum, & fideicommissorum, quia cum sit liberum testatori illa facere, vel non facere, ita determinare potest, ut stetur dicto, vel juramento heredis, ut cum Lugo, & Villal. notat Andreas a Matre Dei *nu.* 150.

127. Si heres hereditatem adeat, nullo confecto inventario, tenetur omnia debita, & legata solvere, etiam ultra vires hereditatis: nam jus præsumit, heredem plura occultasse, & accepisse, quæ essent sufficientia ad omnia debita solvenda: si autem confecit inventarium, tunc non tenetur ultra vires hereditatis creditoribus, & legatariis solvere, *cit. l. fin. §.* 4. *&* 5. *Cod. eod.* Alia commoda proveniunt ex confectione inventarii. Primo, non potest heres intra tempus a jure concessum ad confectionem inventarii conveniri, aut molestari. Secundo, potest detrahere falcidiam a legatis, etsi hereditas solvendo non sit; id est si sibi non supersit quarta pars bonorum defuncti, quam partem non deducet, non confecto inventario, *l. fin. §. sin autem Cod. de Jure delib.* Tertio potest, confecto inventario, cuivis creditori liquido solutionem præstare, nec tenetur examinare, quinam ex creditoribus sit præferendus, & potius, aut prius habeat privilegium, *cit. l. fin. §.* 5. *C. eod.* 4. Potest unum pro alio, puta rem pro pretio creditori, etiam invito solvere; si enim pecunia deficiat in hereditate, nec sit emptor, qui res hereditarias ea lege velit emere, ut heres non teneatur de evictione, potest compellere legatarios, & creditores, ut accipiant res ipsas hereditarias in solutum, *cit. l. fin. §. in vero Cod. eod.* ita cum Molina Antonius a Spiritu Sancto *n.* 706.

128. Heres tenetur solvere omnia debita realia defuncti; nam sicut succedit in omnia jura realia, ita obligatur ad omnia onera realia, *l. heres in omne ff. de acquir. hered.* & quia heres repræsentat personam testatoris, & sic obligatur ad illa omnia, ad quæ tenebatur testator, & sic ad solvenda omnia debita realia, non vero personalia, quæ per mortem testatoris extinguuntur. Quod si multi fuerint heredes, quilibet tenetur ad debita defuncti solum pro rata hereditaria, nisi aliter defunctus disposuerit, ut cum Sylvestro, Trull. & Villalob. tenet Andreas a Matre Dei *c.* 5. *n.* 152. Tenetur etiam heres satisfacere legatis a testatore relictis ex tacito contractu inter testatorem, & heredem, ut, si velit frui commodo hereditatis, debeat legata solvere; prius tamen satisfaciendum est creditoribus, quam legatariis, si bona hereditatis non sufficiunt pro omnibus, quia debita onerosa prius solvenda sunt, quam gratuita, ut diximus *tr.* 2. *c.* 5. *n.* 38. Prius etiam solvenda sunt vota realia facta a testatore, quam legata, ut Sanchez *lib.* 4. *sum. c.* 15. *n.* 39. tenet Bonacina *pun. ult. n.* 27.

129. Heres in foro externo habet annum ad solvenda legata profana, *Authen. hoc ff. amplius Cod. de fideicommiss.* ita ut cogi non possit ea solvere, nisi eo transacto; in foro tamen conscientiæ tenetur ea solvere statim, ac primum potest, maxime si sint legata pro Missis, vel eleemosynis, unde peccat mortaliter, indebite, & sine legitima caussa differendo, nec excusari potest, ex permissione anni a Jure concessi, quia talis concessio solum respicit forum externum, ne cogatur ea solvere in foro externo; in foro autem conscientiæ tenetur statim, ac commode potest; & ideo in *l. Nulli C. de Episc. & Cleric.* dicitur absque ulla cunctatione debere talia legata impleri; unde peccant graviter heres, & testamentarius si absque caussa differant ad annum, vel etiam ad plures menses adimplere legata pia. Lugus *disp.* 24. *nu.* 205. Diana *par.* 3. *tr.* 5. *miscell.* 1. *res.* 59. & *part.* 8. *tr.* 5. *res.* 52. Trullench *lib.* 7. *c.* 17. *dub.* 11. *n.* 7. Tapia, Villalob. & alii, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 5. *num.* 155.

130. *An heres, qui non confecit inventarium, teneatur in conscientia solvere ultra vires hereditatis, solet controverti*; sed facile responderi potest, non teneri, quia de suo nullus tenetur solvere aliorum debita, & quia leges fundatæ in præsumptione fraudis non obligant in conscientia, si constet de contraria veritate, quia juxta vulgarem axioma *Præsumptio cedit veritati*, ut diximus *tr.* 3. *de Legibus cap.* 2. At Leges obligantes heredem ad solvenda debita, & legata ultra vires hereditatis fundantur in præsumptione fraudis, & fallaciæ, quod scilicet heres fundaverit bona, de quibus non fecit inventarium: si ergo contrarium constet, & absit fraus, & fallacia, non tenetur heres in conscientia solvere debita, & legata relicta a testatore, nisi juxta vires hereditatis, quod verum est, etiam post sententiam Judicis, quia etiam talis sententia nititur præsumptioni doli, aut fallaciæ. Ita tenent Gomez, P. Navarrus, Sanch. Emmanuel Sa, Menochius, Graffius, aliique plures, quos affert, & sequitur Bonacina *disp.* 3. *qu. & pun. ult. nu.* 3. Diana *par.* 3. *tr.* 5. *miscell.* 1. *res.* 56. §. 3. ex eadem ratione, & cum Trullench, Villalob. & aliis, Andreas a Matre Dei *cap.* 5. *num.* 151.

131. Hinc pariter quæri solet: *utrum anima defuncti existentis in Purgatorio patiatur, si non statim persolvantur legata a defuncto relicta?* Error hic est vulgi non parum communis, inquit Andreas a Matre Dei *nu.* 158. Animas solvi a pœnis ob solutionem factam creditoribus, & detineri in Purgatorio donec omnia debita solvantur. Dicendum enim est, non pati per hoc præcise, quod legata non statim persolvantur; secus perpetuo deberent puniri, si legata numquam solverentur. Est enim alienum ab omni ratione, & a Divina pietate, quod animæ in Purgatorio puniantur ob alienam malitiam, aut negligentiam, ob quam puniri debet executor, qui est negligens in persolvendis, & adimplendis legatis, non anima defuncti, cui tamen nocet negligentia heredum per hoc, quod non exhibeantur debita suffragia, & remedia expiationis, quibus exhibitis, anima defuncti liberari posset a pœnis, ut habet Bonac. *sup. num.* 29. ubi notat, graviter peccare executores legatorum, quoties debitam non præstant operam, & diligentiam in exequendis, & persolvendis legatis, quia faciunt contra propriam obligationem in materia gravi, cum præjudicio defuncti, qui solutione legatorum sublevari posset ab igne purgante. Idem, aliis allatis, tenet Andreas a Matre Dei *num.* 155.

DUBIUM XIII.

De Legatis, & Legatariis.

132. Legatum est quædam donatio a defuncto relicta, & ab herede præstanda, ut habetur §. 1. *Instit. de legatis*; fieri autem potest non solum in testamentis, sed etiam in codicillis, unde qui possunt testari, & codicillare, possent etiam legata relinquere; & qui non pos-

possint testari, nec codicillare, nec etiam possunt legata relinquere: quinam autem testari possint diximus *supra dub. 6.* ubi *dub. 7.* vidimus, quinam possint heredes institui; qui enim sunt incapaces recipiendi hereditatem, regulariter nequeunt recipere legatum, *§. Legari 24. Instit. de legat.* ibi: *legari autem illis solum potest, cum quibus testamenti factio est.* Potest legatum fieri non solum in scriptis, sed etiam oretenus, & etiam nutu, ut si testator interrogetur; an suum equum Petro relinquat, & ipse capite annuat, aut quovis alio signo suam exprimat voluntatem, ut cum Sylvestro notat Anton. a Spiritu S. *tr.* 10. *disp.* 16. *nu.* 731.

133. Legatum aliud est *purum, & absolutum*; aliud *conditionale, modale*, & *in diem*. Purum, & absolutum est quod caret conditione, modo, & in die, cujus natura est, ut post mortem testatoris statim acquiratur legatario, cui debetur ab herede, &, posita acceptatione legatarii, jus ad illud transit ad suos heredes. Conditionale est, quod sub conditione fuit relictum, nec debetur nisi adimpleta conditione, quæ debet esse honesta, & possibilis; si enim sit turpis, vel impossibilis, habetur pro non adjecta, & legatum debetur legatario statim, ac si sine omni conditione factum fuisset; purificata autem conditione, legatum statim transit in absolutum.

134. Legatum modale est illud, cui additur modus, importans gravamen, & onus exequendum a legatario, ut si testator mille relinquat Cajo, ut sibi post mortem construat sepulcrum, modus solet explicari per particulam, *Ut*, vel per aliam æquipollentem, qualis est *Ad*, *Ne*, *Pro*, *In*, ut, relinquo tibi meam domum, ne aliam inhabites; relinquo centum pro restauranda Ecclesia, pro celebrandis Missis. Legatum modale peti non potest, nisi caveatur de modo adimplendo, promittendo opus injunctum a testatore; modus tamen non suspendit, nec vitiat legati substantiam, sed differt, donec sit præstita cautio de modo implendo; Legatarius autem non cogitur subire onus adjectum a testatore, nisi soluto legato cum cautione: *l. cum cui 8. ff. de fideicom. libert.*

135. Legatum in diem est illud, in cujus dispositione assignatur tempus, & dies, quo solvendum est; ut si testator dicat: *Lego Titio centum aureos ei tradendos biennio elapso post mortem meam*, hoc legatum transmittitur ad heredes, si legatarius post mortem testatoris moriatur ante diem solutioni determinatam, quia heres post mortem testatoris statim contrahit obligationem solvendi, non quidem statim, sed pro die, vel tempore per testatorem assignato, *l. 1. §. cum dies ff. de condit. & demonstrat.*

136. Legatum perpetuum est illud, quod relinquitur sine limitatione temporis; quod enim habet tempus limitatum, dicitur temporale; in dubio an legatum sit perpetuum, vel ad tempus, dicendum est esse perpetuum, cum non appareat conditio restringens tempus. Rota *par. 4. to. 3. res. 563. initio*, ubi plures citantur; & inde si testator relinquat Missam singulis annis celebrandam, censetur esse legatum perpetuum, etiamsi non exprimatur *in perpetuum*, quia virtualiter continetur in ly *singulis annis*; ubi enim solutio est reiterabilis, ibi legatum est perpetuum, *l. annum 20. §. annuat de annuis legat.* & in *l. cum quidam 23. eod. tit.* ubi quod legatum relictum in diem reiterabilem intelligitur esse annuum, & perpetuum, ut cum Pasqual. *de Sacrif. Missæ q. 1005. n. 2.* tenet Bordonus *cap. 1. de testam. n. 206.*

137. Legatum regulariter sumendum est de manu heredis, eoque legatarius privatur, si capiat auctoritate propria, *l. Non dubium 5. Cod. de Legat.* ibi: *Non est dubium denegari actionem legatorum ei pro portione competenti in his rebus, quas subtraxisse eum de hereditate apparuerit.* Idem habet Gloss. *V. Petendo* cap. *Raynaldus 18. de testam.* nisi forte faciat ex licentia, aut dispositione testatoris; nam quilibet, cum sit rei suæ moderator, & arbiter, apponere potest, quod sibi placet. Idem valet, si capiat de licentia heredis, quia tunc non dicitur capere auctoritate propria, *arg. l. si ex stipulatione 5. ff. de acquir. possess.* Molina *disp. 194.* Gomez *tom. 1. var. resol. cap. 12. num. 10.*

138. Si dubium oriatur circa mentem testatoris, quia verba legati sunt obscura, & dubia, nec ex circumstantiis, & conjecturis satis potest constare de mente testatoris, strictissime sunt interpretanda, ut minorem inducant obligationem, salva verborum proprietate, secundum communem modum accepta. Fieri debet interpretatio in favorem heredis, ut minus gravetur, quam sit possibile, quia obligatio non est imponenda, quando de illa clare non constat; unde si Ecclesiæ legatus fuit Calix, sufficit dare argenteum, quoad cuppam superiorem, si hujusmodi Calices in tali Ecclesia sint in usu, vel argenteum totum, non vero aureum, quia talis præsumitur voluntas testatoris, habito respectu ad qualitatem Ecclesiæ, prout etiam colligitur ex *l. Titia testamento §. Seja ff. de auro, & argento*, ubi, quia erat dissensio, utrum quædam imago aurea, vel argentea, aut ænea danda esset Ecclesiæ, definitum fuit, dandam esse argenteam, tum ex conjectura mentis testatoris, tum quia in illa Ecclesia non extabant imagines æneæ, ut tenet Bonacina *pun. ult. num. 7.*

139. Legatum relictum Dignitati, vel Soli debetur etiam successori; secus si fiat personæ habenti dignitatem. Relictum Canonicis non censetur relictum Ecclesiæ, nec singulis Canonicis, sed Collegio Canonicorum; unde dividendum est secundum diversitatem graduum, prout fieri solet distributio in ea Ecclesia. Covarr. in cap. *Requisiti num.* 10. Vasquez *de testam.* & alii, quos sequitur Bonacina *loco cit.* ubi cum communi ait, relictum Canonico illi soli deberi; nam legatum non excedit voluntatem testatoris.

140. Legatum relictum pauperibus, distribuendum est inter pauperes illius loci, in quo testator habebat domicilium, quia testator præsumitur habuisse majorem propensionem ad illum locum, nisi reliquerit heredi potestatem eligendi pauperes, quia tunc dare poterit etiam aliis, nec tenetur eligere pauperiores, sed sufficit ut pauperes eligat quoscumque etiam Religiosos mendicantes, & habet locum gratificandi, ut cum Mantica tenet Bonacina. Non potest tamen se ipsum eligere, nisi gravi prematur necessitate, nec in proprios usus convertere, cap. *Tua nos de testamen.* si tamen & ipse sit pauper potest aliquam partem sibi retinere, ut docet Navar. in *summ. cap. 25. nu. 122.* quia non est deterioris conditionis, quam alii pauperes.

141. Quæres: *cuinam dandum sit legatum alicui factum, quando duo sunt, qui habent idem nomen?*

Resp. in eo casu nulli deberi, sed legatum esse nullum, quando ex circumstantiis, & conjecturis nullo modo discerni potest, an uni potius, quam alteri sit factum, quia incertitudo personarum vitiat legatum, *l. cum ex pluribus 32. ff. de manum. testam. l. si ita 11. ff. de reb. dub. l. si duo Titii ff. de testam. vol.* Id tamen in praxi raro contingere solet, quia ex conjecturis, & qualitatibus expressis a testatore solet determinari persona, cui dandum sit legatum, quia persona non est amplius incerta. Si enim duo sint ejusdem nominis, & cognominis, sed alter eorum sit consanguineus, affinis, vel amicus, & non alter, illi dari deberet legatum, ex præsumpta voluntate testatoris, qui censetur amico, vel consanguineo voluisse gratificari, ut docet Riccius *par. 2. dec. 213.* Rota *par. 5. dec. 245.*

142. Quamvis in foro externo, stante incertitudine personæ, nulli legatum sit persolvendum, etiamsi unus alteri cedat jus suum, vel conveniant, ut inter illos dividatur: in foro tamen conscientiæ valde probabile est, heredem teneri legatum inter illos dividere, quia ex Cajet. 2. 2. *qu. 62. art. 5. ad 3.* debitor certus de debito, sed incertus, an debeat Petro, vel Joanni, tenetur utrique solvere dimidium: & ita terminis docent Molina *disp.* 197. Joan. Valerus *in differentiis utriusque fori, V. legatum diff. 5. n. 2.* quos sequitur Diana *par. 3. tr. 5. & Miscell. 1. resol.* 58. etiam in foro externo tale legatum esse dividendum tenet Lugus *disp. 24. num.* 250. & Escobar *in Decalog. lib. 38. nu.* 458. quia ambo habent certum jus illius, & in tali casu non est in arbitrio heredis eligere unum ex illis duobus, quem voluerit, eique dare legatum, quia quando neuter probat, testatorem fuisse locutum de se, heres non habet fundamentum probabile, ut huic soli totum legatum tribuatur, notat Lugus *nu.* 251.

143. Legatum factum Ecclesiæ, seu Monasterio S. Mariæ, seu alterius Sancti, & in eo loco plures sint Ecclesiæ ejusdem nominis, tunc in dubio, si una sit Parochialis, non altera, vel una habeat sepulcrum testatoris, legatum dandum erit Parochiali, seu illi, in qua testator habet sepulturam, quia ad illam præsumitur habere majorem affectionem, dum ubi ejus cadaver sepelitur, anima majora suffragia percipiat; si neutra sit Parochialis, nec habeat sepulcrum testatoris, tunc legatum dandum erit pauperiori, quia talis præsumitur voluntas testatoris, voluisse scilicet consolere animæ suæ per majus opus caritatis resultans, si legatum tradatur Ecclesiæ pauperiori. Sic Genuen. *cap. 57. in addit. num. 14. & 15.* Gomez *tom. 2. var. cap. 11. nu. 8. concl. 8.* Diana *supra resol.* 58. Barbosa ad cap. *Indicante 4. de testam. num.* 5. Si Ecclesiæ sint æquales, quia ambæ sunt Parochiales, vel ambæ divites, aut pauperes, dicunt, Episcopum posse gratificari Ecclesiæ, cui voluerit. Barbosa *nu.* 6. & Covarr. *de testam. nu.* 2. & Panorm. *ibidem num.* 4. Quando concurrunt duo Monasteria Virorum, & Mulierum ejusdem nominis, Barbosa *loco cit. in fine*, cum aliis a se relatis, ait, dandum esse Monialibus, quia uberior videtur ejus caritas apud Deum, attentis ejus Virginibus, & Sponsis: idem docet Miranda in *Man. tom. 1. qu. 32. art. 8.*

144. Legatum relictum pro maritandis Virginibus

dari

dari posse Religionem ingredienti, si relictum fuit determinatæ personæ, tenet communis sententia, ex Auth. *de Sanctiss. Episcop.* §. *sed & hoc præsenti col.* 9. Auth. *Nisi rogati C. ad Trebell.* quia si non constat expresse de contraria mente testatoris, præsumi debet, eum non voluisse legatarium obligare, ut non sumeret meliorem statum Religionis, ut docent Molina *disp.* 207. Covarr. 1. *var. c.* 9. *n.* 10. Menoch. *l.* 4. *de præsumpt.* 148. Si autem legatum non sit relictum determinatæ personæ, sed in genere pro Virginibus maritandis, tunc plures asserunt, non posse dari ingredientibus Religionem, quia si non verificaretur voluntas testatoris, qui legatum reliquit pro matrimonio carnali, non spirituali, pro maritandis feminis, non pro ingredientibus Religionem. Nec obstant Jura citata, quia ibi sermo erat de legato relicto certæ personæ, non vero de relicto indefinite pro feminis maritandis, ut patet ex illis verbis, *sive reliquerit suis liberis, sive alii cuicumque personæ*; quare cum Auth. citata sit exorbitans a jure communi, postulante, conditiones impleri non in ficta, sed in vera, & specifica forma, non est extendenda ad legatum relictum incertis personis. Ita Bonacina *disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 4. *n.* 10. *addunt aliqui*, Sanchez *de matrim. l.* 1. *disp.* 33. *n.* 32. Lugua *disp.* 24. *n.* 293. Trullench *l.* 7. *c.* 18. *dub.* 12. *n.* 14. & *c.* 16. *dub.* 9. *n.* 25. Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 83. *n* *n.* 27.

145. Verum probabilius est, legatum relictum maritandis virginibus dari posse Religionem ingredientibus, sive relictum sit determinatæ personæ, sive indeterminatæ, & vage pro feminis maritandis, quia in utroque casu militat eadem ratio, favor scilicet Religionis, ne deferatur melior Religionis status ob consecutionem legati facti sub tali forma, scilicet pro matrimonio carnali; cuius enim eadem ratio, sive in particulari, sive in generali relinquatur: & ita tenent Natta *consil.* 296. *n.* 4. Boerius *decis.* 3. *n.* 13. Ochagavia *de Sacram. tr.* 1. *de matr. q.* 15. *n.* 17. Basilius Pontius *de matr. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 11. quos affert, & sequitur Diana *p.* 5. *tr.* 14. *miscel.* 2. *resol.* 35. Andreas a Matre Dei *num.* 185. Homob. *p.* 3. *exam. tr.* 13. *c.* 8. Bossius *de matr. contr. cap.* 11. *numer.* 638.

146. Ex hoc verum est, etiamsi expressis verbis legatum relictum sit pro matrimonio carnali, seu pro nubentibus carnaliter in sæculo, prout colligitur ex cit. Auth. *Sed & hoc præsenti C. de sanct. Episcop.* ubi talis conditio habetur pro non adjecta; non enim est verosimile, testatorem voluisse retrahere a meliori, & perfectiori statu, & eam impedire a tali statu per matrimonium carnale, si enim talia fuisset expressa mens testatoris, ut perderet legatum per ingressum Religionis, conditio esset turpis, nec vitiaret legatum, sed ipsa vitiaretur, & haberetur pro non adjecta. Surdus *l.* 2. *cons.* 192. *n.* 19. Barbosa *cit. allegat.* 83. *n.* 27.

147. Dices: *mens testatoris servanda est in specifica forma, quando de illa expresse constat; ergo ille, qui profitetur in Religione, consequi non potest legatum expresse relictum pro nubentibus carnaliter in sæculo; tum quia conditio, si nupserit, non est turpis, licet enim melius sit non nubere, tamen nubere non est turpe, cum matrimonium sit institutum a Deo in usum propagationis humanæ, ac proinde conditio, si nupserit, adjuncta legata non est excludenda, sed adimplenda, juxta expressam mentem testatoris.* Sed contra dico, mentem testatoris omnibus modis servandam esse in specifica forma, quando non adversatur legibus, & conditio inserta non est reprobata a legibus. In nostro casu particula, & conditio *si nupserit* reprobatur *in cit. Auth.* repetita etiam *C. ad Senat. Trebell.* §. *Nisi rogati*, & habetur pro non scripta favore Religionis, in quantum retrahere potest a majori, & perfectiori bono; quapropter qui Religionem ingreditur, non dicitur facere contra voluntatem testatoris, quæ debet præsumi rationabilis, & nolle contrariari dispositioni Juris communis talem conditionem rejicientis, per quod patet ad id quod additur.

148. Eadem ratione, si puellæ relictum sit legatum mille aureorum, si nubat in sæculo; quingentorum vero, si Religionem ingrediatur, dicendum videtur, illam consequi debere integrum legatum mille aureorum, si Religionem ingrediatur, quia illa dispositio, utpote retrahens a meliori, & perfectiori bono, & adversa Religioni videatur turpis, & sic tamquam non adjecta, prout docent Sylvester *V. Legatum* 1. *n.* 13. Donatus *p.* 2. *tr.* 11. *q.* 21. Diana *p.* 1. *tr.* 3. *resol.* 125. & *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 29. *vers.* 6. *si quis*, Lezana *V. Legatum n.* 17 In praxi tamen dicendum est, ingredientem Religionem non posse consequi mille, sed tantum quingentos aureos, nec talis dispositio est turpis; nam testator id non fecit ad retrahendam puellam a Religione, sed consideravit, quod majora onera incumbunt nuptis, quam Monialibus, ex quo dos detur pro oneribus matrimonii sustentandis, & ideo secundum communem observantiam, & naturalem æquitatem minor dos dari solet ingredienti Monasterium, quam nubenti in sæculo, cum Monialis non egeat familia, careat libertate, & non quærat pompam, aut honores, & dos a Monasterio recipiatur titulo eleemosynæ pro alimentis tantum, juxta exigentiam Monasterii, ut consideravit Rota *p.* 1. *Recent. decis.* 480. *p.* 2. *decis.* 249. & ita tenent Sanch. *de matrim. l.* 1. *disp.* 34. *n.* 14. Covar. *l. t. var. c.* 19. *n.* 10. *in fine* quos affert, & sequitur Cæsar Panimol. *in suo Prausinomo Constit.* 7. *n.* 25.

149. Legatum relictum uxori quamdiu statum vidualem servaverit, eidem in conscientia debetur, si Religionem ingrediatur, quia vere statum vidualem servare dicitur. Si vero eidem, aut alteri fiat legatum, *si caste vixerit*, legatum consequi potest si secundo nubat, quia matrimonium contrahere est honeste, & caste vivere. Bonacina *disp.* 3. *q.* & *punct. ult. n.* 22. Molina, Sanch. Trullench quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *c.* 5. *n.* 183.

150. Legatum pro maritandis orphanis dari potest puellæ habenti parentes pauperes, & inutiles, quæ eam dotare non valent. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 140. quia orphana dicitur puella habens parentem inutilem. Arg. c. *Inter cetera de transl. Episc.* ubi Glossa vers. *inutilem* inquit, *inutilem, mortuum reputari*; unde Ecclesia vidua dicitur, quæ inutilem habet Episcopum, tum quia in utroque casu militat eadem ratio, deficientia parentum, a quibus possint habere auxilium. Eadem ratione legatum pro viduis pauperibus dari potest mulieri habenti virum inutilem. Diana *l. c.* Legatum pro dotanda paupere dari posse nuptæ absque dote, tenet Sanch. Trullench, & Diana, & Andreas a Matre Dei *n.* 188. quia vere est pauper, & indotata.

151. Legatum relictum pro ingredientibus Religionem dari non potest carnaliter nubenti, quia favore Religionis transferri potest legatum a statu inferiori ad superiorem, non e contra a superiori ad inferiorem. Covarr. *c.* 19. *n.* 10.

152. Legato principali, censetur pariter legatum accessorium illi adhærens, per se loquendo, quia principale trahit ad se accessorium: sic, legato lecto, censentur legata ornamenta illius; legato viridario, censentur legatæ arbores in eo contentæ; legata domo, censetur legatum viridarium illi adhærens: legatis vestibus, censentur legata ornamenta aurea, & argentea ipsarum vestium. Quod si accessorium non extat, adhuc debetur principale, quia ornamenta non ponuntur taxative, & limitative, sed accessorie; secus si ponantur taxative, & limitative, ut si dicatur: relinquo Petro equum, qui habet talem notam, seu tale ornamentum; nam tunc si non detur equus habens tale ornamentum, non debetur legatum: ita Bonacina *n.* 15. ubi ponit hanc regulam, ad cognoscendum, an demonstratio sit posita *taxative*, vel *demonstrative* tantum, quando scilicet legatum relictum est cum demonstratione loci, dicens, censeri positam demonstrative tantum, quando legatum celebratur duplici oratione, ut si dicatur; *Lego decem Titio, quæ volo solvi ex redditibus talis fundi*, in quo casu cum fundus apponatur demonstrative, decem solvenda sunt, etiamsi totidem ex tali fundo non percipiantur: si vero legatum concipiatur una tantum oratione, ut si dicatur: *volo dari decem Titio ex fructibus talis fundi*; tunc demonstratio videtur posita taxative, & sic non debentur decem, si non percipiantur ex fructibus talis fundi, nec tenetur heres, aliunde compensare, sed solum tenetur tradere id, quod ex tali fundo percipitur. Ita Bonacina, qui citat Sanch. & Cechium.

153. Cessat legatum, primo si legatarius præmoriatur leganti, ut si moriatur post testatoris mortem, debetur heredibus legatarii, etiam hereditate non adita, quia legatarius habet jus ad legatum a morte testatoris, & heres succedit in jure legatarii. Secundo cessat per notabilem ingratitudinem legatarii, nisi postea expresse, vel tacite se reconciliaverit, & hoc procedit, etiamsi testator inimicitiæ conscius habuerit tempus revocandi, & fecerit Codicillum, & non revocaverit, adhuc enim censetur revocatum, ut ex Sanch. tenet Ant. a Spiritu S. *disp.* 16. *n.* 760. Tertio, si legaverit rem alienam, putans esse suam; præsumitur enim, rem non legaturum: si scivisset esset alienam, quamvis legatum sit pium; secus si testator sciebat, rem esse alienam, quam scientiam legatarius probare debet, nam tunc heres debet eam emere, vel si id non potest, æstimationem dare legatario. Lugus *disp.* 24. *n.* 226. & cum illo Anton. a Spiritu S. *n.* 761. Quarto cessat, extincta re legata per ipsum legatorem; unde si quis postquam legavit triticum, quod in horreo habebat, illud consumpsit, ad nihil heres tenetur; si tamen aliud substituit loco illius, vel illi novum addidit, nam tunc debetur cum suo augmento, ut habet Anton. a Spiritu S. *n.* 743.

DU-

DUBIUM XIV.

De Legatis Piis.

154. LEgatum pium dicitur illud, quod relinquitur Ecclesiæ, Monasterio, Hospitali, Confraternitatibus institutis ad exercenda opera pia: item relictum pauperi pro alimentis, pro dote ad maritandas, vel monachandas pauperes puellas, & factum miserabilibus personis; pro redimendis captivis, & pro excarcerandis carceratis, & quidquid fit, relinquitur, vel promittitur intuitu obsequii, seu cultus Divini, pro bono, & salute animæ propriæ, vel alienæ, & quidquid spectat ad obsequium Dei, ad salutem animæ, & ad sublevandam proximi miseriam spiritualem, vel temporalem, ut cum Bossio diximus *supra dub.* 4. & tenent alii communiter apud Dianam *p.* 7. *tr.* 6. *resol.* 29. & 30. Verba testatoris, indicantis legatum pium, sunt hæc: *Pro cultu Divino; pro salute animæ; pro exoneratione conscientiæ; pro male ablatis; pro amore Dei.*

155. Inter legata pia numerantur etiam, quæ relinquuntur ad utilitatem publicam, puta pro constructione sive refectione pontium, & viarum, saltem quando necessitatem patiuntur hujusmodi loca, ut asserunt Doctores apud Dianam *p.* 7. *tr.* 6. *resol.* 30. vel si fiant intuitu pauperum, seu ratione caussæ piæ. Item pro custodia Civitatis, & publicorum locorum, si adsit necessitas; nam tunc præsumuntur legata illa pro bono publico, & personarum utilitate, & consequenter pro salute animæ relicta; secus si nulla adsit hujusmodi necessitas.

156. Judex competens in legatis piis est Episcopus loci, etiam respectu laicorum, & contra laicos; est insuper legitimus executor ultimarum voluntatum, & piorum legatorum, tam ex Jure Civili, quam Canonico. Cap. *nos quidem*, cap. *tua nobis*, cap. *si heredes de Test.* & ex Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 8. *de Reform.* Ant. de Butrio in *cap. Relatum* 1. *n.* 6. *de testam.* cum aliis *ibid.* relatis, Tiraquel. *de privil. Caussæ piæ privil.* 149. si alius executor non sit a Testatore dispositus, vel si sit male dispositus, aut deficiat, seu negligenter se gerat, quia tunc Episcopus exequitur. Garc. *de benef. p.* 1. *c.* 2. *n.* 98. quem refert Diana *p.* 1. *tr.* 2. *resol.* 84. ubi tamen limitat, quando in casu negligentiæ fundator, seu testator alios executores substituit; nam tunc excluditur Episcopus, donec substituti constituantur in negligentia. Antonel. *de Regim. Eccles. l.* 1. *c.* 10. *n.* 16.

157. Potest Episcopus heredes negligentes ad solvenda legata pia cogere per censuras, præfixo termino et bene viso, puta unius anni, aut sex mensium, quo transacto, potest devenire ad declarationem censurarum, & eisdem interdicere administrationem hereditatis. Thesaur. *de pæn. Eccles. p.* 2. *V. testam. c.* 1. Eamdem potestatem habet circa legata non pia, si non sit præventus a Judice laico, quia circa legata profana compulsio heredum, aut executorum testamentariorum, est mixti fori. Thesaur. *dict. c.* 1. *n.* 3. Abbas in cap. *si heredes n.* 7. & in c. *cum esset n.* 33.

158. Heredes, seu executores habent annum ad solvendum legata, sive pia, sive profana, quando nullum tempus a testatore fuit præfixum. Auth. *Hoc amplius C. de fideicom.* cap. *nos quidem de testam.* & cum Genuen. notat. Antonell. *n.* 19. ubi dicit, quod annus currere incipit post unicam saltem monitionem a Judice personaliter faciendam, ut colligitur ex dict. cap. *nos quidem*, ibi, *ut eum commoneat*, & cap. *tua nobis*, ibi: *monitione præmissa, de testam.* Potest tamen Episcopus ex justa caussa hujusmodi annum restringere, tam in legatis piis, quam in profanis, ut diximus num. præc. in foro tamen conscientiæ tenetur heres, seu executor illa solvere statim, ac primum potest, ut diximus *supra dub.* 12. *num.* 129. Dixi, *quando nullum tempus fuit a testatore præfixum*; nam in eo casu sufficit voluntatem exequi tempore per testatorem designato, quamvis licitum sit illud prævenire, cum talis præventio non sit contra testatoris voluntatem. Molina *disp.* 251. Abbas in cap. *Nos quidem* 3. *n.* 10. *hoc tit.*

159. Legata ad unum usum relicta, nec etiam de consensu heredis possunt in alium usum converti absque justa, & rationabili caussa, ac legitimi Superioris consensu, quia voluntas testatoris tamquam lex est sectanda. Cap. *ultima voluntas* 13. *q.* 2. ibi: *ultima voluntas defuncti omnibus modis observari debet.* Clement. *Quia contingit de Religiosis domibus*, ubi expresse dicitur: *Quod ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate) converti.* Summus Pontifex licite, & valide potest ex justis, & rationabili caussa commutare, etiam in opus minus pium, etiamsi voluntas defuncti adimpleri commode possit, ut habetur ex cit. Clement. *Quia contingit*, ibi: *Salva Sedis Apostolicæ auctoritate*; & ita tenent Doctores communiter. Ratio est, quia quælibet voluntas, & pia dispositio testatoris tacite se submittit ordinationi, ac dispositioni Summi Ecclesiæ Capitis, & tacitam habet clausulam, salva auctoritate Summi Pontificis.

160. Episcopus ex justis, & rationabili caussa potest legatum aliquod in æquale, aut melius commutare, requisito prius consensu heredis, & Ecclesiæ, cui legatur, etiamsi posse impleri de facto, & de jure. Ratio est, quia nulli fit injuria, non heredi, aut loco pio, supposito illorum consensu, neque testatori, quia hoc est conforme ipsius voluntati, licet enim mens testatoris sit omnino implenda, ex cit. can. *ultima voluntas* 13. *q.* 2. & illa pro lege sit habenda, *Authent. de nuptiis §. disponat*, hoc tamen non repugnat rationabili testatoris voluntati, qui si loqui posset, libentissime annueret, atque id ipsum Episcopo mandaret, qui cap. *tua nos de test.* & in Concil. Trid. *sess.* 22. *c.* 8. dicitur piarum dispositionum executor. Ita expresse Bonacina *q. ult. punct. ult. n.* 43. & apud ipsum Covarr. *cap. tua de testam. c.* 7. & 9. Molina *disp.* 249. Sylvester *verb. Legatum* 4. *n.* 11. & alii plures, quibus addi potest Diana *p.* 2. *tr.* 17. *miscell.* 3. *resol.* 26. Antonell. *de Regim. Eccles. lib.* 1. *c.* 10. *n.* 78. Barbosa *de offic. & potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 83. *n.* 5.

161. Inde legatum pium, si non potest applicari ad usum a testatore designatum, vel non sufficiat, vel converti nequeat, eo modo, quo voluit testator, potest, ac debet Episcopus, accedente consensu heredis, vel executoris deputati, in aliud pium opus commutare: ita tamen, ut quantum fieri potest, servetur defuncti voluntas. Item commutare potest, si absque commutatione legatum fieret caducum: puta si quis pro anima sua legasset certum Bertæ, ut fieret monialis, si hæc nubat, aut moriatur, tunc potest alteri puellæ, quæ monialis fiat, applicari; nam subsistit pietas, quæ fuit caussa legati. Dixi, *pro anima sua*, quia si legatum fuisset relictum Bertæ intuitu, & affectu personæ, tunc, ea mortua, evaderet caducum, & cederet heredi legantis. Pecunia alicui Ecclesiæ relicta ad emendos calices, si eis non indigeat, eo quod quamplures habeat, converti poterit ab Episcopo in aliquid aliud, quod sit eidem Ecclesiæ magis necessarium. Ita Bertach. *in tr. de Episc. p.* 4. *l.* 4. *n.* 52. Rodriquez *in sum. p.* 2. *c.* 72. *n.* 8. Pari modo si pecunia sit relicta pro Ecclesia, seu Capella fabricanda, poterit converti in alterum usum pium, si Ecclesia, seu Capella non possit construi ob aliquod notabile impedimentum, vel quia pecunia non sit sufficiens. Legatum relictum pro celebratione Missarum potest ad tempus converti in sacrarum Vestium emptione, aut reparatione, si illis, aut earum reparatione indigeat Ecclesia: & legatum annuum relictum pro fabrica Ecclesiæ potest ad tempus expendi pro ornamentis, & aliis Divino cultui necessariis. Si commutatio non sit perpetua, sed ad tempus, potest facilius, justa concurrente caussa, fieri. Sic Clericatus in suis Erotem. Ecclesiasticis *c.* 102. *n.* 14. ait, Cardinalem Barbadicum Episcopum Paduanum, ipso proponente, concessisse, ut legatum annuum relictum pro ornamentis Altaris Deiparæ in Ecclesia Parochiali Baptaleæ, posset per decem annos expendi pro ornamento Altaris Sanctissimi Sacramenti, attento quod Altare Deiparæ erat ditissime ornatum, Altare vero Sanctissimi Sacramenti erat ornamentis omnino destitutum, & nulla erat facilior via providendi illius nuditati. Additque ibidem in casu dubio, quando testator non expressit sufficienter, quomodo sit expendendum legatum, Episcopum posse declarare.

162. Hanc potestatem commutandi legata pia habet etiam Capitulum, Sede Episcopali vacante, quia succedit in omnia jura Episcopis de jure communi concessa: unde potest commutare legata in omnibus casibus; in quibus de jure communi potest Episcopus, ut cum Diana *p.* 8. *tr.* 4. *resol.* 34. tenet Antonellus *de Regim. Eccles. l.* 1. *c.* 10. *n.* 80. Moneta *de ult. volunt. c.* 5. *n.* 427. Barbosa *allegat.* 83. *n.* 16. Idem facere possunt Cardinales in suis Titulis, quia in illis habent jurisdictionem quasi Episcopalem, & ita possunt commutare sicut Episcopi. Moneta *supra n.* 452. & ex illo Barbosa *allegat.* 83. *n.* 16. *vers. Capitulum.*

„ *De potestate, quæ Episcopis conceditur, reducendi;*
„ *post Testatoris commissionem, onera Missarum, juxta*
„ *temporum, & necessitatum varietatem, vide eruditissi-*
„ *mum Lambertinum in sua Synod. Diœces. l.* 13. *cap. ult.*
„ *Edit. Rom. §.* 30. *& seq.*

„ XXX. Si aliquis levissimam hanc; simulque salu-
„ berrimam curam assumeret percunctandi ex iis, qui
„ testamento, vel codicillis, seu etiam quocumque actu
„ inter vivos, perpetua Missarum onera imponunt, &
„ fundum pro eorum implemento constituunt, an eve-
„ niente casu, quo minuantur hujusmodi fundi reditus,

„ seu

seu ex alia caussa impares evadant eleemosynæ præstandæ pro singulis Missis, testamento, vel alio actu præscriptis, an, inquam, velint, ut id, quod deerit, ex reliquo suo patrimonio suppleatur; an potius consentiant, ut Missarum numerus reducatur ad mensuram reliquorum ejusdem constituti fundi redituum; acceptoque super hoc a pio benefactore responsum referretur in actum illum, quem ipse exarari jubet; præcideretur sane perniciosissima seges tot litium, quæ & olim agitatæ fuerunt, & nunc quoque apud Judicum tribunalia effervescere conspiciuntur. Verum, cum id hactenus præstitum non fuerit, jure pertimescendum est, ne in posterum etiam negligi pergat; atque hinc est illa necessitas, ut Superiori Ecclesiastico perspectæ sint receptæ judicandi regulæ, quas sequi debet, ut justa interpretatione piorum benefactorum voluntati se se conformet, rectoque judicio definiat, an, ubi reditus per eos relicti ad perpetui Missarum oneris implementum impares reperiantur, debeant ipsorum heredes ad supplementum ex reliquo patrimonio conferendum urgeri, vel potius factus sit locus demandati oneris reductioni.

„ XXXI. Jam illud inficiari non posse videtur, si pius fundator numerum expresserit Missarum in animæ suæ expiationem celebrandarum, exempli caussa, unam, pluresve in dies singulos, vel tot Missas in annum, licet in eum finem nominatim hunc, aut illum fundum addixerit, nihilominus in favorem animæ amplectendam esse præsumptionem, sive conjecturam, per quam præscriptus Missarum numerus integer, nihilque imminutus relinqui debet: quidquid vero ad earum implementum desideratur, supplendum; præstandumque est ab herede: quemadmodum satis recte adnotant Genuensis *in praxi q.* 180. *per tot.* & nominatim *num.* 5. Pasqualig. *de Sacrificio novæ Legis q.* 1023. *n.* 4. *& per tot.* Passerinus *de statu hominum tom.* 2. *q.* 187. *art.* 4. *n.* 984. Pas Jordan. *Elucubrat. Eccles. tom.* 2. *l.* 4. *tit.* 1. *n.* 574. Rota *decis.* 117. *a n.* 7. *usque ad fin. p.* 17. *recent.* Sed, cum præsumptio, seu conjectura cedere debeat non solum veritati, sed etiam aliis oppositis fortioribus præsumptionibus; mirum nemini videri debet, si, ad accurate investigandam pii benefactoris voluntatem, monentur Episcopi, ut diligenter expendant tum singula, tum universa dispositionis verba: hæc enim est tutissima regula, per quam voluntates disponentium facilius assequi, & certius interpretari poterunt.

„ XXXII. Opinati sunt nonnulli, quoties testator uno, eodemque verborum contextu præscripserit Sacrificiorum offerendorum numerum, simulque fundum pro necessariis ad id eleemosynis designaverit, hujusmodi fundum non quidem *demonstrative*, ut ajunt, sed *taxative* designatum censeri debere; adeo ut, eo imminuto, locus non sit coactivo supplemento, sed potius Missarum reducendarum facultate uti oporteat. Ita docent Rom. *in singular.* 430. Mantica *de Conjecturis lib.* 12. *tit.* 6. *n.* 24. *&* 25. Menoch. *de Præsumptionibus l.* 4. *præsumpt.* 147. *n.* 48. *& seq.* Castill. *Controvers. Juris l.* 4. *c.* 34. *n.* 20. *& seq.* Rota *decis.* 456. *n.* 34. *& seq. coram Merlino.* Alii vero, non plene huic conjecturæ fidentes, suadent, ut pii fundatoris dispositio sub alio veluti aspectu consideretur; observando nimirum, an exordiatur ab oneris impositione, vel potius a fundi designatione: &, siquidem dispositio exordiatur a designatione fundi, seu dotis, cujus reditus in præscripti oneris implementum sint erogandi, indeque progrediatur ad exprimendum, definiendumque Missarum onus, tunc ajunt dotalis fundi constitutionem videri *taxative* factam; ita ut, eo evicto, seu alias reditibus imminutis, vel aucta stipendii taxa, non ad supplementum; sed ad reductionem Missarum Superioris cura converti debeat. Si autem ab onere incipiat dispositio, indeque pergat ad fundum constituendum, tunc obstringi debere heredes ad supplendum, quod deest, juxta theoricam Felini *in c. Super litteris, de rescriptis*, quam optime illustratam videre est ab olim Congregationis Secretario de Vecchis in suo voto impresso apud Crispin. *in Visitatione Pastorali p.* 2. §. 18. *n.* 6. a qua nihil deflectere debet Episcopus, quoniam in ipsa etiam instructione, per Congregationem transmitti solita, cum alicui facultas conceditur reducendi Missarum onera, eadem pro regula præscribitur; ut ex sequentibus verbis apparet: *Quomodo autem se gerere debeat in executione quoad legata taxative, vel demonstrative concepta, Sanctitas Sua Amplitudini tuæ notificandum jussit, quod, mature pensatis, ac perlectis dispositionibus, & fundationibus quibuscumque, quibus præfata Missarum onera annexa reperiuntur (exceptis instrumentis, seu contractibus, super quibus manus apponere non debeat, nisi in casu judicialis instantiæ pro illarum rescissione, titulo læsionis) illa legata, seu fundationes, erunt taxative conceptæ, si fundatores legando, aut aliquo modo disponendo, orationem, seu dispositionem prius inchoaverint ab assignatione fundi; & subinde Missarum onus adjecerint, & hoc casu hujusmodi onera, ad rationem eleemosynæ manualis, ut supra, moderari possis; secus vero, si fundatores orationem, seu dispositionem inceperint ab impositione oneris, & subinde fundum assignaverint; tunc enim onus dicitur demonstrative conceptum, ac fundatorum heredes per Amplitudinem tuam cogendi sunt ad perpetuam dicti oneris manutentionem, & ad supplendam summam deficientem tam de præterito, quam pro futuro tempore.* Nec etiam ab hujusmodi regula recedere licet iis, qui ad reductiones faciendas facultatem obtinuerunt ex amplistione induiti in Concilio Romano concessi, quantumvis de ea in ipso Concilio nullum verbum fiat; est enim hæc instar juris regulæ, atque ideo semper interposita censeri debet, quamvis litteris expressa non legatur.

„ XXXIII. Si autem pius testator jubeat, suum heredem dare legatario, non fundi reditus, sed fundum ipsum, ut ex fructibus inde obvenientibus Missarum celebrandarum stipendia desumat, ad nihil ultra cogitur heres, quam ad ipsum fundum, seu bona legata extradenda: nec potest ulla ratione urgeri, ut suppleat, quod succedentibus temporibus ad integrum, absolutumque Missarum oneris implementum deesse contingat, veluti fusius demonstrat Pasqualig. *de Sacrificio novæ Legis q.* 1026. *n.* 3. confirmatque Rota *decis.* 453. *per tot. coram Cerro.* Heres quippe id tantummodo præstare debet, quod ei demandatum est a testatore. Quod si, progrediente tempore, traditi fundi reditus imminuantur, ad legatarium pertinet, omisso herede, apud legitimum Superiorem instare pro oneris reductione; ad eamque obtinendam, docere tum de obveniente sibi damno, tum de redituum imminutione, cui ipse propria culpa caussam non dederit, tum denique ostendere, integrum sibi non esse urgere heredem, ut præstet id, quod deesse compertum est, ad hoc, ut piæ testatoris voluntati cumulate satisfiat. Legimus, & sedulo quidem, vota Præsulis Altoviti, qui per plures annos magna cum sui nominis laude munus Secretarii Congregationis Concilii sustinuit, & cujus sententiæ, ac judicio ipsa quoque Congregatio in variis caussis discutiendis, ac definiendis plurimum detulit; ibique agnovimus superius allatam distinctionem pro norma propositam, & solide assertam. Ita in quodam illius voto elucubrato in caussa *Firmana Reductionis Missarum*, proposita die 24. Augusti 1685. hæc habentur: *Ubi legatur species, per heredem consignanda legatario, si illa pereat, vel diminuatur, postquam fuit consignata, peremptio, & diminutio hujusmodi cedit damno legatarii; neque heres ad aliud quidpiam tenetur; si vero pereat, vel diminuatur penes heredem, antequam legatario tradatur, peremptio, & diminutio cedit damno heredis, qui proinde tenetur supplere.* Atque alio in voto exarato in caussa *Brixien.* proposita prima Decembris 1685. postquam pro regula posuerat, in dubio existimandum esse, fundum demonstrative, non autem taxative, designatum fuisse, ita pergit: *Attamen hæc regula procedit, vel quando fuit legata quantitas, vel quando fuit legata res in genere, vel quando fuit legata res in specie, quæ remanet penes heredem habentem onus curandi celebrationem; vel quando res legata fuit ab herede consignata legatario, non quidem ex præcepto testatoris, sed ex propria voluntate, & ad effectum tantummodo se eximendi a præfato onere curandi celebrationem. At secus est, quando testator gravavit heredem ad tradendam legatario rem legatam, & eidem legatario injunxit onus curandi celebrationem: hoc enim casu heres, consignata legatario re legata, liberatur, & eveniente casu, quo illius annuus reditus evadat impar oneri Missarum, non tenetur supplere.* Consulto autem superius diximus, immunem heredem fieri ab onere præstandi supplementi, si morem gesserit testatori, qui jusserit, designatum fundum tradi legatario, nam, si testator mandasset, ut legatario tot præstarentur fructus, quot satis esset ad injunctam Missarum celebrationem, quantumvis heres bona stabilia reditus satis idonei semel tradidisset, attamen supplementi onus declinare non posset, si forte subinde contingeret, ut, ob subsecutam fructuum imminutionem, vel ob augmentum taxæ, traditi fundi reditus imposito oneri sustinendo impares evaderent: uti subdit idem Præsul Altovitus in voto, quod ipse conscripsit, & Congregatio probavit in quadam caussa *Lucana Reductionis Missarum*, proposita die 15. Decembris 1685. *Quando enim testator mandat, ab herede suo consignari tot bona, quorum reditus sufficiant pro celebrando certo numero Missarum, tunc dicitur legata species, quæ stat in obligatione taxa-*

tive,

tivo, cui satisfit per consignationem. Quando vero mandat, consignari tot fructus, qui sufficiant pro dicta celebratione, tunc dicitur legatum genus; & fructus sufficientes sunt in obligatione demonstrative; unde, licet heres assignet tot bona, quorum reditus de tempore assignationis sufficiant, attamen, illis pereuntibus, vel ad minorem quantitatem redactis, teneatur heres supplere ex reditu aliorum bonorum. Novimus quidem, has esse subtiliores forensium disquisitionum commentationes, nihilo tamen minus ab iis afferendis abstinendum nobis esse non diximus, cum usui esse possint Episcopis, ad hoc ut, in reductionibus Missarum peragendis, hujusmodi regulis, ac veluti recepti juris principiis insistentes, tutas, & a quacumque cavillatione immunes præstare valeant Missarum reductiones, quas ipsi suis decretis statuerint.

„ XXXIV. In qualibet recte constituta, ordinataque Diœcesi, certa taxatione definitæ sunt Missarum eleemosynæ; quemadmodum monuimus quoque *superiori l. 5. c. 8. n. 11.* & alia quidem perpetuis Missarum oneribus constituta est taxatio, alia vero Missis manualibus. Si autem pro eleemosyna Missæ cantatæ nulla extat synodalis taxatio, adest tamen vel certe adesse debebit in unaquaque Diœcesi recepta quædam consuetudo, ad cujus normam eleemosynæ quantitas determinetur. Qui perpetuas Missas reducunt vigore facultatum sibi indultarum per viam ampliationis Concilii Romani, Missarum reductionem ita componunt, ut pro quotidiana Missa perpetua annuam statuant eleemosynam sexaginta scutorum monetæ Romanæ: *Unamquamque Missam perpetuam moderari valeant, & reducere ad rationem scutorum sexaginta monetæ Romanæ pro qualibet.* Cum autem inter Missas reducendas repertæ sunt Missæ cum cantu celebrandæ, Congregatio Concilii in caussa *Romana* 3. Februarii 1725. ita provide rescripsit, uti videre est *l. 75. Decretorum pag. 75. a tergo, & seq. = Sac. Congregatio &c. censuit, quoad Missas cantatas, quæ habent reditus sufficientes ad rationem eleemosynæ currentis pro Missa cantata, juxta morem Regionis, & cujuscunque Diœcesis, in qua siti sunt Conventus, esse omnino celebrandas, & applicandas, juxta præscripta in legatis, seu fundationibus: quo vero ad alias Missas cantatas, quæ non habent reditus sufficientes, ut supra, juxta morem cujuscumque Diœcesis, faciendam esse illarum reductionem in unoquoque Conventu ad eum numerum, qui celebrari poterit, habita ratione redituum cujslibet legato, seu fundationi assignatorum, & supradictæ eleemosynæ de præsenti vigentis in unaquaque Diœcesi pro Missis cantatis: factaque modo præmisso reductione, quidquid ex reditibus cuicumque legato, seu fundationi assignatis supererit, erogandum esse in celebrationem tot Missarum lectarum; & tam Missas cantatas reductas, quam lectas, esse collective applicandas pro animabus, & juxta intentionem eorum, qui Missas cantatas reliquerunt.* Verum, quia nonnullis reperiuntur onera Missarum cum cantu celebrandarum, quibus aliud adnexum est onus, ut aliquot præterea celebrentur Missæ privatæ, seu lectæ; ideo, proposita quæstione, quænam adhibenda esset methodus in reductione peragenda, ubi eleemosyna pro Missis cantatis addicta magnam relictorum fructuum partem absorberet, eadem Congregatio die 4. Augusti memorati anni rescripsit: *Sacra Congregatio censuit, quando aliquod legatum est complexivum Missæ cantatæ, & Missarum lectarum, tunc omnes legati reditus, si non sufficiant pro utroque onere adimplendo, erogandos esse in celebrationem tot Missarum lectarum, deleto onere Missæ cantatæ:* uti videre est *lib. 75. decretorum pag. 431. a tergo.* Insuper, cum reductio fit in vim præmemoratæ Concilii Romani ampliationis, magna quoque animadversione dignum occurrit aliud, quod in concessis facultatibus continetur; nimirum, ut remitti, seu condonari possint Missæ retroacto tempore nec celebratæ, nec applicatæ, hac tamen adjecta lege, ut infra Octavam Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum singulis annis anniversarium celebretur in expiationem animæ illorum, pro quibus, ex lege perpetuarum fundationum, offerri, & applicari debuissent memorata Sacrificia præcedenti tempore omissa: *Ab hactenus omissa Missarum perpetuarum celebratione misericorditer absolvit &c. Uno die infra Octavam Commemorationis omnium Fidelium defunctorum unum anniversarium, in tabella onerum monasteriorum describendum; celebretur, & applicetur pro animabus illorum, pro quibus præfatæ Missæ perpetuæ erant celebrandæ, & applicandæ, & hactenus non fuerint celebratæ, & applicatæ.*

„ XXXV. Cum vero Missarum perpetuarum reductio, ob insufficientiam redituum, ab Episcopo fit vigore facultatum in sæpe dicta Instructione contentarum, tunc sane reductio componi debet *ad manualem*, ut inquiunt; nimirum statuendum est, ut tot in posterum celebrentur Missæ, quot celebrari possunt, non quidem constituta pro iis eleemosyna ad eam mensuram, qua Missarum perpetuarum eleemosyna in Concilii Romani indulto taxatur, sed juxta eam quantitatem, quæ vel ex Synodali taxatione, vel ex recepta regionis consuetudine præstatur pro singulis Missis, quas Fideles diurnam, ad manus tradita Sacerdotibus eleemosyna, celebrari curant: *Juxta proportionatam cujuscumque legati redituum quantitatem, ad rationem eleemosynæ manualis, inspecto regionis more, pro suo arbitrio, & conscientia, reducere, ac moderari possit, & valeat:* idque etiam faciendum decernitur, quamvis ea esset piæ dispositionis forma, ut vel expresse, vel tacite impositum præseferret onus supplendi reditus casu aliquo imminutos; si, opportunis adhibitis diligentiis, vel heredes ad id obstricti, vel bona ab ipso fundatore provenientia reperiri non possint: *In casu vero, quo, factis judicialibus, & possibilibus diligentiis, etiam per edictum sub pœna censurarum, vel heredes cogendi, vel fundatorum bona non reperiantur, aut fundationes ipse haberi nequeant, tunc onera ipsa ad eamdem rationem eleemosynæ manualis reducere possit.* Hujusmodi autem reductioni peracta, & absolutæ, nulla alia adjungitur clausula, præter hanc unam: *Quod si reditus augeantur; augeri quoque debeat Missarum numerus.* Denique has omnes reductiones aggredi, & perficere potest Episcopus, non solum dum, sacra instituta Visitatione, Diœcesim perlustrat, sed etiam cum ab ea cessaverit: *tam in actu visitationis, quam extra;* ut habent ipsa Instructionis verba. Quærit tandem Pasqualigus *de Sacrificio novæ Legis quæst.* 1182. an Episcopus, qui ab Apostolica Sede obtinuit facultatem reducendi Missas suæ Diœcesis, possit etiam reducere perpetua Missarum onera Regularibus in eadem Diœcesi commorantibus imposita; idque eidem licere non dubitat, quotiescumque Regulares ipsi hac in re illius delegatam auctoritatem implorent: neque id putat aut ipsorum Regularium exemptionem, aut Sanctæ Sedis jura ullo modo lædere: *Possunt in hoc se subjicere, neque præjudicant Romanæ Sedi, quia possunt se subjicere cum consensu ejusdem Romanæ Sedis. Dum autem Pontifex concedit Episcopo, ut possit reducere onera Missarum suæ Diœcesis, concedit etiam implicite, quod Regulares Diœcesis possint se subjicere Episcopo in ordine ad obtinendam reductionem.*

163. Superiores Regulares Majores, scilicet Provincialis, Generalis, & Abbates localis ex officio suo possunt commutare legata eorum Monasteriis relicta, quia & ipsi dicuntur habere potestatem quasi Episcopalem. Glossa *verb. Regularis cap. ut pro defectu 41. de elect.* Rodriq. *qu. 17. art. 17. & qu. 20. art.* 10. Portellus *verb. Prælatus, initio,* ubi citat Divum Thomam 2. 2. *q. 23. art. 7. ad 5.* & ex illis Bordonus *cap. 15. de legatis num. 12. ait num.* 14. extendit hanc facultatem commutandi legata suis Monasteriis, aut Ecclesiis facta ad Regulares locales, quando non possunt exequi ad eum usum, ad quem testator destinaverat, quia habent & ipsi, licet sint Superiores locales, jurisdictionem quasi Episcopalem.

D U B I U M XV.

De Executoribus Testamentorum.

164. EXecutores testamenti, vel alterius ultimæ voluntatis dicuntur illi, qui ex dispositione Testatoris, aut Legis, seu Judicis exequuntur defuncti voluntatem; unde alii dicuntur *Legitimi*, qui dantur a Lege, seu quibus a Jure competit manus exequendi: alii *Testamentarii*, qui a Testatore designantur: alii *Dativi*, qui dantur a Judice, quando nullus est, qui defuncti voluntatem exequatur. Executores *Dativi* alii sunt universales, quibus totius ultimæ voluntatis executio committitur: alii particulares, quibus non integræ voluntatis, sed unius, vel alterius tantum dispositionis particularis executio committitur.

165. Si nullus in testamento sit a testatore constitutus executor, ipso jure hoc munus spectat ad heredem, qui potest, ac tenetur exequi totam, & integram voluntatem defuncti, & solvere legata, tum profana, tum pia, & alia exequi, quæ disponuntur in testamento. Molina *disp.* 247. Abbas *in c. 3. hoc tit. n.* 4. Andreas a Matre Dei *c. 5. n.* 161. In defectu aliorum munus exequendi spectat ad Episcopum, maxime in iis, quæ relinquuntur ad caussas pias; nam Episcopus in Concil. Trident. *sess. 22. cap. 8. de reform.* dicitur piarum voluntatum executor, quando nimirum nullus ex nominatis a testatore hoc munus acceptavit, & idem valet, quando nominati vel jure, vel absentia impediuntur: tunc enim hoc munus devolvitur ad Episcopum, qui

potest

potest hoc munus alteri delegare, quia pertinet ad ipsum, tamquam ad Judicem ordinarium, ut cum Sanch. *lib. 4. consil. dub. 42. & 43.* notat Anton. a Spiritu S. *disp. 16. n. 766.*

166. Potest testator unum, aut plures deputare suæ voluntatis executores, sive masculos, sive feminas, sive Laicos, sive Clericos, sive ex heredibus, sive ex extraneis, quin etiam Laicum, & Clericum, & etiam Feminam. Quando tamen aliquis suos fratres executores nominavit, intelligendi sunt masculi, non feminæ, nisi forte unus solus esset masculus simul cum femina; nam tunc etiam ipsa intelligitur. Potest etiam ad hoc munus deputari minor viginti quinque annis, si decimum septimum complevit. Molina *disp. 247. fin.* Sanchez *supra dub. 40.* Vasquius *c. 9. de testam. §. 3. dub. 1.* Ant. a Spiritu S. *num. 762.* & Andreas a Matre Dei *cap. 5. num. 161.*

167. Religiosi etiam quicumque (si excipias Fratres Minores) deputari, & esse possunt executores testamentarii, tam quoad caussas pias, quam ad profanas; debent tamen habere licentiam sui Superioris, & sufficit licentia tacita Superioris immediati, qui potest semper datam licentiam revocare, quando res adhuc est integra; secus si jam sit cœpta, nam tunc cogi potest ab illis, quibus interest, ut datam licentiam non revocet. Sanch. *in Decal. cap. 11. n. 12.* Religiosus tamen etiam exemptus tenetur reddere rationem Episcopo de munere executionis peracto, ut habetur *c. 2. hoc tit. in 6.* & *Clem. un. hoc tit.* Sanch. *n. 15. & 16.*

168. Nemo cogi potest, ut munus executoris in testamento sibi relicto acceptet, & exequatur, etiamsi dispositio sit ad caussam piam, quia hoc non est officium publicum, sed particulare, ad quod nemo tenetur: si tamen expresse, vel tacite illud acceptavit; compelli potest, etiam invitus, ad illud exequendum, ex cap. *Joannes 19. de Testam.* ubi habetur: *Post susceptum mandatum cogi debent.* Ratio est, quia universaliter mandatum non suscipere cuivis liberum est, susceptum autem consummandum est. Molina *disp. 248. n. 3.* Covarr. *de testam. cap. 19. n. 3.* estque communis aliorum. Censetur autem tacite acceptare, quando incipit solvere debitum aliquod, vel legatum, vel alio modo in defuncti bona se intromittere. Non debetur testamentariis aliquod salarium ob administrationem sui officii, quia nulla lege cavetur, estque officium voluntarie susceptum, quod potest recusari, & solo titulo pietatis suscipitur, ut constat ex ipsa praxi; si tamen propter hoc damnum aliquod pateretur, puta si sit artifex, aut aliter occupatus, & cogatur relinquere officinam, aut alia negotia, tunc potest petere damnum, quod sibi emergit, aut lucrum cessans, cum non debeat præstare tale munus cum suo damno, ut cum Azevedo docet Andreas a Matre Dei *supra num. 165.*

169. Executores tenentur quamprimum possunt exequi ultimam voluntatem defuncti, nisi certum tempus ab ipso Testatore sit designatum, cap. *si heres 6. hoc tit.* & *l. cum res 47. ff. de legat. 1.* ubi exprefse præcipitur, ut legata sine mora præstentur, & in *l. Nulli C. de Episc. & Cleric.* dicitur absque ulla cunctatione debere talia legata impleri, & Can. *Qui oblationes 1. & 2. 13. q. 2.* dicuntur *interfectores animarum, qui detinet legata pia.* Ratio est, quia statim, adita per heredem hereditate, legatarius fit dominus legati, & inde peccant mortaliter executores, si ex negligentia diu differant exequi legata, & ultimam voluntatem defuncti. Nec obstat, quod a Jure concedatur annus executoribus ad exequenda legata profana, & sex menses ad legata pia, quia talis concessio solum respicit forum externum, ne pœnas incurrant, non autem forum conscientiæ, ut diximus *supra dub. 12. num. 129. & dub. præc. num. 158.* & ita tenent Abbas in cap. *si heres 6. numer. 5.* Covarruv. *ibidem num. 4.* Layman *lib. 3. tract. 5. cap. 11. num. 12.* Lugus *disp. 24. num. 296.* aliique relati *supra num. 129.*

170. Quando in testamento committitur executori facultas aliquas eleemosynas distribuendi inter pauperes, illas uni soli conferre non potest, quia facultas sibi concessa, seu onus sibi impositum est, ut inter plures pauperes eas distribuat; poterit tamen dare quibus maluerit, quando sibi facta est libera facultas distribuendi; unde poterit etiam dare consanguineis, vel etiam sibi aliquam partem retinere, si vere sint pauperes, cum non debeant esse deterioris conditionis, ac alii pauperes, ut supra dixi. Quod si executor sit Religiosus, poterit proprio Conventui applicare, cum nomine pauperum veniant etiam Hospitalia, Monasteria, & Religiosi ipsi singulariter accepti, ut cum aliis tenet Diana *part. 8. tract. 5. resol. 45.* quia sic satisfit voluntati testatoris; solum intendenti eleemosynam erogari veris pauperibus, & in Hospitali, Monasterio, & Religiosis viget paupertas, si non necessitatis, quæ angit pauperes sæculi, saltem voluntatis, quæ non debet esse deterioris conditionis in ordine ad favores, & privilegia, quibus gaudent ceteri pauperes. Ita Giaff. *part. 1. lib. 2. cap. 10. n. 3.* ita etiam Tapia, Villalob. Dicastill. Sanch. & alii, quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *cap. 5. num. 169.*

171. An quando, & a quo legata relicta in aliquem usum pium determinatum, commutari, & converti possint in alterum usum pium, quando legatum ad designatum usum pium non sufficit, vel applicari non potest, diximus *dub. præc.* non enim executor habet liberam facultatem transferendi, prout sibi magis libuerit, quia voluntas defuncti semper adimpleri debet in propria specie, & in usum destinatum a testatore, commutatio vero fieri debet ab Episcopo, vel alio legitimo Superiore, ut dixi supra.

CAPUT XVI.

De Rebus, & Bonis Ecclesiæ non Alienandis.

DUBIUM I.

De Jure, & quæ Bona prohibeantur alienari.

Alienatio rerum, & bonorum Ecclesiæ utroque Jure, Cæsareo nimirum, & Canonico prohibetur. Jure quidem Cæsareo in *l. jubemus 2.* & in *Authent. hoc jus porrectum C. de Sacrosanct. Eccles.* & *§. Nos igitur Collat. 2. Auth. de non alienandis, &c.* Jure Canonico *tot. tit. de reb. Eccles. non alienand. lib. 3. Decretal. & Clement. 2. eod. tit.* ubi in specie prohibetur alienatio rerum Monasterii, & aliis Juribus relatis a Donatio *in praxi rerum Regal. tom. 1. p. 2. tr. 24. q. 2.* Præcipue autem a Paulo II. in Extrav. *Ambitiosæ cupiditati*, communiter dicta *Paulina*, ubi præmissis malis, quæ sequuntur, *si immobilia, & mobilia pretiosa Deo dicata*, profanis usibus applicantur, & ita alienentur cum maximo Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque locorum piorum, ac Divini cultus detrimento, inter alia Pontifex sic statuit: *Omnes rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur: concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium: necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus a Jure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis: & cum Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura Constitutione præsenti fieri prohibemus, Prædecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus, & Decretis aliis, super hoc editis, quæ tenore præsentium innovamus, in suo nihilominus robore permansuris.*

2. Deinde alienatio aliter facta ipso facto irritatur, additis pœnis contra alienantes, prout sequitur; *Si quis autem contra hujus nostræ prohibitionis seriem de bonis, & rebus eisdem quicquam alienare præsumpserit: alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi nullius omnino sint roboris, vel momenti. Et tam qui alienat, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat. Alienanti vero bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis Constitutionis tenorem, si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus.* Alias pœnas deinde statuit pro inferioribus Prælatis, de quibus infra, additque: *quod nihilominus alienatæ res, & bona hujusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem hujusmodi pertinebant, libere revertantur. Nonnulli ergo &c.*

3. Hæc Paulina Constitutio confirmata fuit per Julium III. per aliam suam, quæ incipit: *Cum sicut accepimus, sub anno 1541.* & per Paulum IV. sua Constit. incipit: *Injunctam nobis desuper, meritis licet imparibus 1555.* per S. Pium V. in sua Constit. incipit: *Etsi de singulis*, per Clemen. VIII. sua Constit. incipit: *Ad Romani Pontificis 1592.* & per Urbanum VIII. in sua Bulla *de non alienan.* & prius per Concilium Trident. *sess. 22. c. 11. de Ref. & sess. 25. c. 11. de Ref.* prout refert Donatus *l. c.*

4. At quia post hæc jura Religionibus concessa fuerunt varia privilegia alienandi bona Monasteriorum, etiam immobilia, & mobilia pretiosa, de quibus Rodriquez *tom. 1. q. Regul. qu. 27.* quibus forte Regulares nimis laxe utebantur cum notabili Monasteriorum detrimento; ideo Sacra Congregatio Tridentini Concilii *die 7. Septembr. 1624.* jussu Urbani VIII. Decretum edidit,

in

in quo, abrogatis omnibus indultis, & privilegiis quomodolibet Religionibus concessis, eadem S. Congregatio alienationem omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, præterquam in casibus a Jure permissis, Generalibus, & Provincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, & quibuscumque Superioribus Regularibus cujusvis Ordinis intra fines Europæ existentibus, sub pœna *nullitatis ipso jure, absque ipsius Congregationis expressa licentia prohibuit, sub pœna privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant*. Cujus tenorem de verbo ad verbum, sicut alias Constitutiones, & jura, refert Hyacinthus Donatus *l. c. quæst.* 2.

5. Cum autem post hæc compertum esset, quod Regulares, qui tali Decreto prohibebantur census imponere super bonis ad ipsorum Monasteria pertinentibus, loco censuum hujusmodi pecunias ad cambium, vel mutuo accipiebant, cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis, hoc ipsum prohibuit Sacra Congregatio, approbante Urbano VIII. per Decretum sequentis tenoris: *Cum post editum Decretum de rebus Regularium non alienandis compertum sit, Regulares, qui eodem Decreto prohibentur census imponere super bonis ad eorum Monasteria pertinentibus, loco censuum hujusmodi, pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis. Cumque ex hujusmodi contractu eludatur mens Sacræ Congregationis, cui in primis in votis fuit consulere Religionum indemnitati, quæ ex impositione censuum hujusmodi plurimum læduntur, SS. D. N. approbante, decrevit, & declaravit, hujusmodi contractus esse contra mentem Decreti, ut supra editi; ideoque non licere Regularibus pecunias, ut præponitur, accipere, &, si acceperint, in ipsius Decreti pœnas ipso facto incidere. Datum Romæ 21. Maji 1626.*

Cosmus Card. de Torres.

Locus ✠ *Sigilli.* *P. Fagnanus.*

Hanc declarationem per extensum refert Donatus supra *quæst.* 68.

6. Bona, quæ in Extravag. Pauli II. & aliis Juribus supra relatis prohibentur alienari sine consensu Apostolico, sunt bona immobilia, & mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt. Mobilia dicuntur, quæ moveri possunt, ut pecunia, vestis, navis, equus, & hujusmodi: immobilia vero dicuntur illa, quæ loco moveri non possunt, ut domus, ager, vinea: & ex istis alia dicuntur corporalia, quæ sunt modo assignata, alia incorporalia, cujusmodi sunt actiones, jura, nomina debitorum, & servitutes, quæ, licet in rigore nec sint mobilia, nec immobilia, sed constituant tertiam speciem, tamen in præsenti actiones, & jura inter bona immobilia connumerantur, loquendo de juribus, & actionibus ad immobilia: nam actiones ad mobilia, puta actio ad debitum certæ pecuniæ, dicitur res mobilis, sicut & ipsa pecunia. Lugus *disp. 6. de just. & jure n.* 66. Inter immobilia numerantur etiam servitutes prædiorum, jura piscandi, venandi, & census, seu annui reditus, quando ex fundatione vel aliunde in perpetuum constituti sunt pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, ut habetur ex Clem. *Exivi §. cumque annui de verb. signif. ibi: cumque annui reditus inter immobilia censeantur a jure.*

7. Mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, sunt vasa aurea, argentea, vestes pretiosæ, ornamenta, gemmæ, grex ovium, armentum bovum, præsepium equorum. Ricc. *in prax. for. Eccles. p. 1. resol.* 58. Barbosa *de offic. & potest. Episc. p.3. allegat.95. n.39.* Antonell. *c.4. n.* 3. Unde Prælatus vendere libere potest, ac distrahere frumentum, vinum, oleum, & animalia superflua, agnos, arietes, hircos, hædos, & vitulos, non tamen alienare potest totum gregem sine sollemnitate, ut habet Antonell. *l. c.*

DUBIUM II.

Quænam alienatio prohibeatur.

8. Alienatio sumitur aliquando stricte, prout importat actum, quo rei alicujus dominium in alterum transfertur: ita per Textum *in l. un. C. de fundo dotali, & in l. alienationis verba, de verborum significatione* tradunt communiter Doctores, sive deinde transferatur dominium directum, ut sunt venditio, donatio, permutatio, sive dominium utile, ut est emphyteusis, in qua fundi alicujus transfertur dominium utile, retento directo, ut cum aliis docet Ludovicus Molina *de primog. l. 1. c. 20. n.* 24. In præsenti, favore Ecclesiæ, sumitur late, prout complectitur omnem actum, quo rei alicujus dominium directum, vel utile, aut usufructus, seu jus in alterum transfertur, & per quem ad alienationem dominii deveniri potest. Ita Panormit. in c. *Nulli de reb. Eccl. non alien.* August. Barbosa *collect. ad caput Nulli per totum*, & ad caput *sequens n. 3. de reb. Eccl. non alien.* Molina *disp.*464. Palaus *p. 2. tr. 12. disp. un. punct. 15. §. 2.* & alii, quos affert, & sequitur Bossius *varior. moral. tom. 3. tit. 6. n.* 242.

9. Locatio rei Ecclesiasticæ facta ad longum tempus ultra triennium expresse prohibetur in Extrav. *Ambitiosæ*, c. *Nulli*, & Clement. 1. *de reb. Eccl. non alien.* & tenent Doctores communiter. Dubium solum est: *An si fiat locatio ad longum tempus ultra triennium, puta ad novem annos, tota sit invalida, & nulla, etiam quoad primum triennium, vel pro tali primo triennio sustineatur, & valida sit*: in quo variant Doctores, quos pro utraque parte lato calamo refert Bossius *supra a n. 336. & seq.* & ipse *n.*340. cum aliis *ib.* citatis tenet, locationem invalidam esse totam, etiam quoad primum triennium, quia textus in Extrav. *Ambitiosæ*, & in *Clem.* 1. *hoc tit.* sine distinctione tale contractum annullat, & dicitur esse *nullius momenti, & roboris*, & per talem contractum accipienti nullum jus acquiri, & consequenter omnino, & in totum esse nullum.

10. Resp. invalidam esse, ac totaliter nullam etiam quoad primum triennium, si una tantum indivisibiliter locatio facta sit, quia quando contractus est unus, & individuus, non potest sustineri, si una pars sit nulla, & invalida, quoniam in individuis utile per inutile viciatur; quod enim tangit putridum putrescit, prout sæpe fuit in Rota Rom. decisum, prout refert Genuensis *in praxi c. 75. in novissimis n. 11. & 15.* Ricc. 1. *p. prax. decis.* 117. *in 1. edit.* Quod autem contractus sit unus individuus, & inseparabilis, colligitur ex circumstantiis; si enim una tantum pensio constituta sit pro toto novennio, aut ex aliis conjecturis appareat, locatorem non aliter locasse, & conductorem non aliter conducere voluisse, quam per integrum novennium, tunc talis locatio tota corruere debet, quia circa triennalem locationem deficit contrahentium voluntas.

11. Si autem locatio sit dividua, & facta pro tempore separabili, & pro annua pensione divisibiliter ad primum, secundum, & tertium, & reliquos annos, tunc sustinetur, & valida est locatio pro primo triennio, licet quoad illud tempus, quod triennium excedit, remaneat nulla. Ratio est, quia juxta Regul. 37. Juris in 6. *Utile per inutile vitiari non debet* in his; quæ separabilia sunt; sed in casu posito potest separari tempus permissum a prohibito; ergo debet esse valida locatio pro primo triennio, pro quo jure permittitur: ea ratione, qua de jure civili, si quis una vice donaverit ultra 500. solidos, valet donatio quoad 500. non autem quoad excessum, *l. Sancimus 34. C. de donat.* Ita Gutierez *can. q. l. 2. c. 13. n. 7.* quem sequitur Engel. *l. 3. tit. 13. n.* 12. Donatus *supra q.*41. & alii plures relati a Bossio.

12. Nec obstant verba posita in Extrav. *Ambitiosæ*, nempe quod *alienatio, concessio, & locatio hujusmodi sint omnino nullius roboris, & momenti*; nam intelligi debent respectu temporis illiciti, non autem liciti, prout ex multis docet Barbosa *p. 3. de offic. & potest. Episc. allegat.*95. *n.* 16. quia leges generaliter loquentes non censentur improbare, quod aliis legibus est permissum, *l. sciendum ff. qui satisdare coguntur* & *l. Decurionibus C. Silentiariis l.* 12. Cum autem locatio triennalis permissa sit a lege, & solum reprobata ea, quæ diuturnior est, dicendum est, jura dicentia nullam esse locationem, debere intelligi respectu temporis a lege reprobati, non autem respectu temporis a lege permissi.

13. *An vero valida sit locatio facta ad novennium cum clausula, ut singulis trienniis sit nova locatio, & tot sint locationes, quot sunt triennia?* Affirmant Baldus in *l. voluntas 4. C. de Fideicomm.* & alii multi apud Manticam *de ambiguis conventionib. l. 5. tit. 5. n.* 19. eo quod interveniant plures locationes, & singulæ non extendantur ultra tempus a lege permissum. Sed opposita sententia videtur verior, quia tale pactum inventum est in fraudem legis locationem ultra triennium prohibentis. Parum enim refert, an res absolute locetur ad novem annos, an dicta clausula adjiciatur, quia in utroque casu separantur fructus, & conceduntur ultra triennium contra intentionem legis; facere autem contra legem, & in fraudem legis, seu contra ejus intentionem, æquiparantur *cap. fin. de Regul. Jur. in* 6. Nec obstat, quod dicantur plures locationes verbotenus, cum in effectu sit locatio ultra triennium, siquidem Prælatus se obligat, quod post primum, immo secundum triennium finitum denuo rem apud conductorem relinquere velit. Ita Mantica *l. c. n.*20. Covarr. 2. *var. c. 16. n.*4. Barbosa *de potest. Episc. allegat. 95. n.* 17. & alii plures, quos affert, & sequitur Bossius *n.*332. ubi refert, hanc locationem, tamquam

quam factam in fraudem legis, esse prohibitam, tenere Rotam Romanam in *Placentina bonorum* 1. *Septembr.* 1585. *coram Bubalo*,

14. Asserit cum aliis Bonacina *de reb. Eccles. non alien. q. un. p.* 2. *n.* 24. in contractu locationis ad triennium inito, posse per publicam scripturam addi, seu fieri promissionem de renovanda locatione, transacto triennio, eo quod hæc promissio non sit locatio, nec alienatio, sed obligatio personalis locandi, seu alienandi. Verum hoc etiam videtur factum in fraudem legis, non solum quando tale pactum, seu promissio ponitur in instrumento publico locationis, sed etiam si fiat alia distincta scriptura publica, quia tunc virtualiter ultra triennium res Ecclesiæ locatur. Sustineri potest, si promissio sit solum personalis, & privata, quia tunc non censetur nec formalis, nec virtualis locatio, & sic ex vi illius res non locatur ultra triennium, sed adest solum privata obligatio personalis, qua quis promittit, se locaturum. Hoc tamen non admittit Bossius, quia, prohibita locatione ultra triennium, debet censeri prohibita etiam promissio locationis ultra triennium.

15. *An vero locatio fructuum ultra triennium sit valida?* affirmant nonnulli, quos sequitur Molina *disp.* 368. Cov. 2. *var. c.* 16. *n.* 6. quia sicut non est prohibitum fructus vendere, ita nec illos locare; sed contrarium est probabilius, quia hoc est contra legem, & in fraudem legis prohibentis locationem ultra triennium: frustra enim prohiberetur locatio bonorum, si admittatur locatio fructuum, cum quis in ipsis fructibus etiam fundus aliquo modo dicitur obligatus; & in Clement. 1. *de reb. Eccl. non alien.* expresse prohibetur venditio, & locatio fructuum ad longum tempus. Quare fructus, licet possint successive vendi, juxta Extrav. *Ambitiosæ*, non tamen ad longum tempus. Ita Garzia *de Benef.* 2. *p. c.* 1. *n.* 33. Guttier. *l.* 1. *Canon. quæst. c.* 8. *n.* 15. Riccius *decis.* 114. *n.* 3. Boerius *decis.* 224. *n.* 2. quos sequitur Bonacina *supra punct.* 2. *n.* 25.

16. Quamvis locatio ultra triennium licite fieri non possit absque assensu Apostolico, ut modo diximus, quando prædia, & bona Ecclesiæ fructus afferunt quolibet anno; si tamen talis conditionis sint, ut alternis tantum annis fructificent, ut regulariter contingere solet in olivetis, tunc fieri potest locatio ad sex annos; &, si solum singulis trienniis fructificent, ita ut ex eis quolibet triennio unus tantum fructus percipiatur, locari poterunt ad novennium, quia primum triennium æquivalet primo anno, & ita secundum, & tertium; siquidem locatio præfinita in dicta Extrav. *Ambitiosæ* respicit fructus triennales, non autem temporis spatium sine fructu. Hac ratione sylva cædua Ecclesiæ, quæ fructum affert solum singulis quinquenniis, locari poterit ad quindecim annos, quia quinquennium pro uno anno computari debet, dummodo tamen hoc non fiat anticipatis solutionibus, juxta dispositionem Concilii Tridentini *sess.* 25. *c.* 2. *de ref.* quia fieret in præjudicium successoris. Et ita tenent Cov. *c.* 16. *n.* 6. Donatus *q.* 39. Antonell. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 6. Bonac. *n.* 24. Navar. Mantica, Riccius, Genuensis, Barbosa, & alii, quos affert, & sequitur Bossius *p.* 3. *tit.* 6. *n.* 325.

17. Hoc idem locum habet in emphyteusi rei Ecclesiasticæ, quæ non fructificat, nisi tertio quoque anno, ut non cadat in commissum, & res devolvatur ad Ecclesiam, si non solverit per quinquennium, neque per octo annos, juxta terminos cap. *Poterit de locat.* & *l.* 2. *C. de jure emphyt.* ut tradit Covarr. *ib.* Ricc. *resol.* 111. *nu.* 4. &, aliis relatis, Bossius *d. n.* 325. Quod si prædium Ecclesiæ bis in anno fructus afferat, ipsa locatio fieri potest ad triennium, sine auctoritate Apostolica, juxta præscriptum Extrav. *Ambitiosæ*; per eam enim non prohibetur, locationem fieri citra triennium, quia non præcipit fieri usque ad triennium, sed prohibet, ne ulterius protrahatur, sine sollemnitate, & beneplacito Apostolico. Potest tamen per statuta Episcoporum limitari ad annum, vel duos annos, ut cum aliis notat Bossius *n.* 326.

18. *An vero Prælatus, & Superior Ecclesiasticus, seu Beneficiatus stare teneatur locationi factæ a suo prædecessore?* sufficienter constat ex iis, quæ diximus *supra c.* 7. *n.* 42. & late tradit Bossius *tit.* 6. *n.* 360.

19. Bona Ecclesiastica sine sollemnitate, & beneplacito Apostolico dari non possunt in feudum, vel emphyteusim, quia specialiter in dicta Paulina *Ambitiosæ* id prohibetur, & idem habetur respectu Regularium *in cit. Decreto Urbani VIII.* quia esset vera alienatio, ex *l. ult. C. de reb. alien. & non alien.* Molina *disp.* 470. sed si res soleat dari in emphyteusim, poterit etiam de novo dari absque sollemnitate, sed antequam incorporetur, & fiat de mensa, & sit cum evidenti utilitate Ecclesiæ. Molina *disp.* 648. Cov. *var. c.* 17. Julius Clarus *q.* 6. *&* 13. & nos diximus *supra cap.* 6. *numer.* 9. ubi etiam constat, quandonam res dicatur solita locari, seu dari in emphyteusim; idque late tradit, & explicat Bossius *n.* 292. *& seq.* ubi etiam tradit, terras Ecclesiæ incultas, steriles, infructuosas, ac modici valoris, quæ nullam afferre videntur Ecclesiæ utilitatem, & quæ existunt in loco remoto, & incommodo, & suos modici fructus, absque assensu Apostolico, & sollemnitatibus posse per Prælatum, Ecclesiam, seu Monasterium concedi in emphyteusim ad meliorandum, citat Ricciuμ, Molinam, Barbosam, Redoanum, Camillum Borellum, & alios.

20. Eadem ratione bona immobilia, & mobilia pretiosa absque beneplacito Apostolico non possunt oppignorari, nec specialiter hypothecari, cum id expresse prohibeatur in dicta Paulina *Ambitiosæ*, & Decreto Sac. Congreg. ibi: *hypotheca*, quod intelligi volunt nonnulli non solum de hypotheca, & pignoratione speciali, sed etiam de generali; quia jura allata loquuntur absolute, nulla facta restrictione, ut notat Cov. 2. *var. c.* 16. *n.* 7. cui favet Quaranta *verb. Alienatio* n. 17. Rodriq. *t.* 1. *q.* 27. *art.* 1. & Bonacina *n.* 23. & expresse probat Bossius *tit.* 5. *n.* 6. Verum satis probabile est; prohiberi dumtaxat hypothecam specialem, non vero hypothecam, seu obligationem generalem omnium bonorum Monasterii, prout docent Cov. *d. n.* 7. Redoanus, Molina, Pyrrhus, Corradus, Layman, Lezana, & Ciarlinus, relati a Bossio *supra n.* 5. sequitur Bordonus *res.* 27. *n.* 13. *& resol.* 126. *n.* 47. & Fagnanus *l.* 3. *Decretal. c. Nulli liceat* 5. *de reb. Eccl. non alien.* ubi prohibetur hypotheca specialis; unde non debet fieri extensio ad generalem; nam Paulina, & Decr. S. Congr. non opponuntur juri communi: & ita est dicendum, ne videantur jura discrepare, nam expedit jura juribus concordare, *c.* 26. *de elect. in* 6. & quia alias Regulares nullum contractum alias permissum possent inire, quia in omni contractu apponitur clausula obligatoria bonorum, & sic contractus claudicarent. Hanc sententiam firmat Fagnanus *nu.* 32. Decreto Sacr. Congreg. ut sequitur: *Denique hanc sententiam probavit meo tempore Sac. Congreg. Concilii in contractibus Regularium; nam proposito dubio: An in prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis, comprehendatur generalis hypotheca, nec ne? Sac. Congr. censuit non comprehendi.*

DUBIUM III.

De caussis, & sollemnitatibus ad licitam, & validam alienationem requisitis.

21. AD licitam, & validam alienationem bonorum immobilium, vel pretiosorum mobilium Ecclesiæ, duo copulative requiruntur, scilicet justa caussa, & debita sollemnitas, ut constat ex Paulina *Ambitiosæ*, Decreto Sacræ Congreg. & aliis Juribus allatis, & Can. *sine exceptione* 12. *q.* 2. cap. *Nulli de reb. Eccles. non alien.* & Clem. 1. *eod. tit. in* 6. & tenent Doctores communiter. Caussa est triplex: necessitas, non quidem Rectoris, sed ipsius Ecclesiæ: utilitas Ecclesiæ, quando per alienationem major fructus procurari potest: & pietas, si pauperes alendi, & captivi ab hostibus liberandi sint; quibus addi solet quarta, nempe incommoditatis. Ab aliis duæ tantum caussæ assignantur, scilicet urgens necessitas, & evidens utilitas; nam ad caussam urgentis necessitatis revocatur caussa pietatis, & ad caussam evidentis utilitatis revocatur incommoditas, quando res magis damnosa est Ecclesiæ, quam utilis, & plus incommoditatis affert, quam fructus.

22. Prima igitur caussa rite alienandi res Ecclesiasticas alienari prohibitas, est urgens necessitas Ecclesiæ, cui aliter subveniri non potest, ut cum gravatur ære alieno, quod de ejus fructibus solvi nequit, nisi per alienationem dictorum bonorum, aut quando Ecclesia reparanda est, ut si patiatur imminentem ruinam, aut defectus ornamentorum, paramentorum, vel vasorum sacrorum, & fructus ejus non sufficiunt, si enim adessent Ecclesiæ fructus pro solvendo ære alieno, vel pro aliis necessitatibus, bona Ecclesiæ non possent alienari; quamvis enim Beneficiarius recipere possit fructus sui beneficii, & pro se retinere, nihilominus tenetur ex illis fructibus satisfacere, & providere, quæ sunt necessaria, quamvis non remaneant fructus sufficientes pro sustentatione Rectoris, ut habet Riccius *decis.* 22. §. *caussæ n.* 3. *& decis.* 123. *verb. Alienari.* Tabiena *verb. Alienatio n.* 4. & ita fuisse decisum in Rota testatur Riccius, & Genuensis in praxi, & docet Bonacina *punct.* 3. *n.* 1.

23. Secunda caussa est evidens utilitas Ecclesiæ, quæ tunc censetur adesse, quando ex alienatione conditio Ecclesiæ melior fit, & locupletior, ut si res aliqua alienatur ad meliorem emendam, ut Can. *sine exceptione* 12. *q.* 2. ibi: *Nisi forte aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ.* Idem habetur in cap. *Ut super* 8. §. *fin. hoc tit.* ibi: *Possessiones vero, quæ Ecclesiæ tuæ minus sunt utiles, pro aliis uti-*

utilioribus de Fratrum suorum, & sanioris partis consilio, & ass nsu alienandi, seu commutandi liberam concedimus facultatem; & in Clemente c. *de reb. Eccles. non alien.* ibi: *nisi necessitas, aut utilitas Monasterii*. Hæc utilitas debet esse manifesta, ita quod conditio Ecclesiæ certo, & evidenter fiat melior: unde non sufficit, quod Ecclesia non damnificetur, sed requiritur lucrum de tempore alienationis, & assensus Apostolici, & interpositionis Decreti; secus contractus non diceretur celebratus cum evidenti utilitate, sed cum spe utilitatis, ut late Genuens. *in praxi c.* 107. *de utilitate requisita n.* 3. Barbosa *l.* 3. *Juris Eccl. univ. c.* 30. *n.* 17. citans Rotam *in Bonon. devolutionis* 16. *Novemb.* 1621. *Coram D. Coccino Decano*, & late tradit Bossius *tit.* 6. §. 3. *per totum*.

24. Tertia est pietas, quæ in tribus casibus potest procedere; pro redimendis captivis, pauperibus tempore famis alendis, & Ecclesiis ædificandis, vel augendis Cœmeteriis pro fidelium sepultura, ut habetur ex D. Ambrosio relato in can. *Aurum* 12. *q.* 2. ibi: *Aurum habet Ecclesia, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus*, & infra: *Nemo enim potest dicere; cur pauper vivit: nemo potest queri, quia captivi redempti sunt: nemo potest accusare, quia Templum Dei ædificatum est: nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt: nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies Defunctorum est. In his tribus generibus vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet*. Hæc ibi.

25. Ultra caussam legitimam in alienatione Ecclesiæ immobilium, & mobilium pretiosarum requiritur etiam sollemnitas, ad quam de Jure antiquo requiruntur quatuor. Primo requiritur tractatus, ut scilicet Superior volens alienare, prius cum suo Capitulo discutiat, an expediat, necne, & ad illum convocandi sunt omnes illi, quorum interest, ut Canonici in Ecclesia Capitulari, & Monachi de Conventu in Monasterio, cap. *sine exceptione* 12. *q.* 2. c. *Tua de his, quæ fiunt a Prælato*, cap. *ut super de reb. Eccl. non alien.* & cap. 1. *hoc tit. in* 6. ubi declarata fuit nulla quædam alienatio, *quia tractatus sollemnis, & diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, & alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus*, & sufficit unus tractatus publice, & collegialiter factus, ut constat ex *cit. Juris*. ubi fit mentio tractatus in singulari, ut notat Cov. *l.* 1. *var. c.* 17. & Riccius *decis.* 51. *n.* 4. ubi refert, ita fuisse resolutum per Rotam *in una Placentina aquarum* 10. *Febr.* 1597. *coram Urano*.

26. Secundo requiritur consensus Capituli illius Ecclesiæ, de cujus bonorum alienatione tractatur, & debet esse expressus, nec sufficit tacitus; & quidem totius Capituli, seu majoris, & sanioris partis ipsius, cap. *ut super hoc tit.* ibi: *de fratrum tuorum, & sanioris partis consilio, & consensu*, juncto Can. *sine exceptione* 12. *q.* 2. & hoc ad evitanda plurima damna, quæ ex facili, & indiscreta alienatione per nonnullos Prælatos Ecclesiis erant illata.

27. Tertio requiritur subscriptio singulorum de Capitulo. Sic habetur in dicto Canone *sine exceptione* 12. *q.* 2. & cap. *tua nuper de his, quæ fiunt a Prælato*, sufficit tamen, quod subscriptio fiat manu Notarii, ut cum Lessio, Molina, Quaranta, & aliis notat Bonacina *punct.* 4. *num.* 3.

28. Quarto requiritur consensus Superioris, cujus nomine antiquitus veniebat proximus Superior, ut in alienatione ab Abbate facienda Episcopus, can. *Abbatibus* 12. *q.* 2. & can. *in venditionibus* 17. *q.* 4. & in alienatione Episcoporum olim solus consensus Capituli requirebatur, can. *sine exceptione* 12. *q.* 2. Hodie tamen ultra consensum Episcopi in Ecclesiis non exemptis, ut Generalis, seu Provincialis in Ecclesiis Regularibus, in alienationibus rerum immobilium, aut mobilium pretiosarum, requiritur consensus Summi Pontificis, ut constat ex *cap.* 2. *hoc tit. in* 6. ibi: *Absque Capituli sui consensu, & Apostolicæ sedis licentia speciali*, & ex Paulina *Ambitiosæ*, & ex Decreto Sacræ Congreg. quoad Regulares, ubi statuuntur pœnæ alienantibus bona Ecclesiarum, Monasteriorum, piorumque locorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, sine cujus consensu alienatio est nullius roboris, & momenti.

29. Habito consensu Apostolico, examinanda, & probanda est evidens utilitas Ecclesiæ coram Commissario, cui caussa fuit commissa, qui judicialiter procedendo debet examinare testes, & alias legitimas probationes adhibere; nam in Brevi Commissionis semper ponitur: *Si tibi legitime constiterit*. Illud autem dicitur legitime constare, quod constat, caussa cognita, & examinata per testes. Ita Quaranta *Verb. Alienatio, n.* 12. Genuens. *in praxi c.* 89. *n.* 3. & Riccius *decis.* 50. §. *caussæ, num.* 2. Probata caussa coram Commissario, ex ejus Decreto, & auctoritate fit legitime alienatio: ita etiam Bonacina, qui *punct.* 4. *numer.* 7. observat, consensum Summi Pontificis supplere quidem sollemnitates Jure antiquo requisitas, non tamen supplere caussam, nisi exprimat, quia Pontifex semper consensum præstat sub hac tacita, vel expressa conditione; *si in evidentem*, Rota 2. *p. divers. decis.* 178. *n.* 2. Redoanus *q.* 22. *n.* 75. Quaranta *n.* 7.

30. *An vero assensus Apostolicus ex lapsu longissimi temporis præsumatur interfuisse in alienatione? lapsus decem annorum dicitur longi temporis, lapsus vero triginta, aut quadraginta annorum dicitur longissimi temporis leg. fin. C. de præscriptione longi temporis*. Communis opinio docet ex diuturnitate temporis triginta, vel quadraginta annorum præsumi, beneplacitum Apostolicum intervenisse in alienatione rei Ecclesiæ, quamvis non fuerit enuntiatum in Instrumento; & ita tenent Doctores communiter, quos refert, & sequitur Bossius *part.* 3. *var. Moral. tit.* 6. *num.* 202. dicens, ita semper fuisse decisum in Rota Romana, cujus nonnullas affert Decisiones, & hanc communem opinionem asserit procedere, quamvis beneplacitum esset reservatum in vim conditionis, ut quando in Instrumento alienationis dicitur, *Salvo beneplacito Apostolico impetrando*, dummodo tamen toto dicto tempore triginta, vel quadraginta annorum possessor fuerit in bona fide, quæ necessario requiritur; *quoniam nulla antiqua dierum possessio juvat aliquem malæ fidei possessorem*, cap. *Vigilanti de præscript.* nec ulla fuerit mota lis in contrarium, sed contractus semper fuerit in observantia; nam tunc debet præsumi, omnia legitime præcessisse, cap. *cum sicut* 16. *de Sent. & re judicata*, Rota, & alii allegati a Bossio *n.* 203.

31. Contractus alienationis factus sub conditione assensus Apostolici impetrandi, ad summum valet quoad obligationem personalem, quatenus sic contrahentes videntur se obligare ad procurandum dictum assensum, non tamen valet quoad obligationem realem, nec est sufficiens ad transferendum dominium rei Ecclesiasticæ; cum ea, quæ sunt de essentia, & forma contractus, præcedere omnino debeant; assensus autem Apostolicus est de essentia contractus alienationis, qui remanet nullus, & irritus sine tali consensu. Panormit. in cap. *Ut super de reb. Eccles. non alien. num.* 17. Quaranta *V. alienatio n.* 8. Riccius *p.* 1. *praxis aureæ resol.* 24. Bossius *num.* 205. ubi affert Decisionem Rotæ Romanæ dicentis, alienationem rei Ecclesiæ factam cum reservatione beneplaciti Apostolici non tenere, nec transferri dominium, donec beneplacitum sit obtentum. Colligitur etiam ex *d. extr. Ambitiosæ* ibi: *Nulla alienatio fiat, inconsulto Romano Pontifice*; per quod ostenditur, actum esse nullum, nisi præcedat assensus: unde, obtento assensu, iterum fieri debet contractus alienationis, quia primus nihil valet, cum ea, quæ sunt de essentia, & forma contractus, præcedere omnino debeant.

32. Quare alienans res Ecclesiæ immobiles, salvo assensu Apostolico, etiam cum clausula, *nec aliàs, aliter, & alio modo* incidit in censuras, & pœnas extr. *Ambitiosæ*, si ante obtentum beneplacitum Apostolicum tradiderit possessionem, eo quod illa clausula, *non aliter, nec alio modo*, sit protestatio contraria facto; per traditionem enim transfertur dominium, supposito contractu habili. Genuensis *in praxi Neapolit. c.* 44. ubi refert decis. Clem. VIII. Bossius supra *n.* 216. Bonacina cum aliis *disp.* 2. *punct.* 4. *n.* 5.

33. Nec dicas: *factum tempore inhabili, sed relatum in tempus habile validum est, saltem pro tempore habili*, l. in tempus ff. de heredum institut. *ergo contractus alienationis rei Ecclesiasticæ factus sub illa forma, salvo beneplacito Apostolico, dicendus est validus, quia refertur ad tempus habile, in quo scilicet obtentus fuerit assensus Sedis Apostolicæ*. Sed contra dico, quod factum tempore inhabili, sed relatum in tempus habile, validum est pro tempore habili, si jure illud non irritetur, ut contingit in casu nostro, ubi alienatio facta ante obtentum consensum Apostolicum irritatur; nam talis consensus requiritur tamquam forma ad validam alienationem; secus dicendum de tractatu alienationis faciendæ, *si Papa consenserit*, quia non est alienatio. Idem valet si fiat contractus alienationis, quod non incidat in censuras, & pœnas *Ambitiosæ*, si non tradiderit pacificam possessionem, quia per contractum alienationis, nulla secuta traditione, non censetur translatum dominium, ut cum aliis tradit Bossius *n.* 218.

DUBIUM IV.

An prædictæ Sollemnitates requirantur in quacumque Alienatione.

34. RESp. eas dumtaxat requiri sollemnitates in alienatione rerum Ecclesiasticarum immobilium, & mo-

& mobilium pretiosarum, de quibus solum loquuntur Jura tales sollemnitates requirentia, ut clare constat ex sæpe cit. extr. *Ambitiosæ*, ibi: *immobilia, & pretiosa mobilia Deo dicata*. Excipiuntur res exigui valoris, & minus utiles, quæ alienari possunt absque sollemnitate, & consensu Apostolico, cum solo consensu Episcopi, aut Superioris, juxta Can. *Terrulas* 12. *quæst.* 2. ibi: *Terrulas, aut Vineolas exiguas, & Ecclesiæ minus utiles, aut longe positas, parvas, Episcopus sine consilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habet potestatem*, cui non est derogatum per Paulinam *Ambitiosæ*, nec per Concilium Trident. *sess.* 25. *cap.* 11. *de reform.* prout declarasse Sacr. Congreg. Concilii *die* 11. *Januarii* 1596. refert Fagnanus cap. *Nulli* 25. *hoc tit.* quod idem dixit eadem Sacra Congreg. anno Domini 1601. respondens Episcopo Faventino; ut refert Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 95. *casu* 4. *num.* 51. & tenent Doctores communiter, quos affert, & sequitur Bossius *num.* 294. & 295. Idem valet de Decreto Sacræ Congr. adducto supra *num.* 5. pro Regularibus edito, cum sit explicatio, & confirmatio Paulinæ pro Regularibus, eorum privilegiis sublatis.

35. Hinc sequitur, Prælatum, qui juravit non alienare bona Ecclesiæ, inconsulto Romano Pontifice, non esse perjurum, si, eo inconsulto, terrulas, & res Ecclesiæ modici valoris alienavit, vendidit, vel ad longum tempus locavit; quod enim potest vendi sine sollemnitate, multo magis potest locari, nec juramentum extenditur ad alienationem in casibus a Jure permissis, sed solum ad alienationem in casibus illicitis, & non permissis. Panormit. in cap. *ut super num.* 15. Molina *disp.* 468. Ricc. 1. *p. praxis decis.* 36. *num.* 8. & *part.* 2. *var. resolut.* 383. numquam tamen potest alienari absque sollemnitate modica pars magni prædii, quoniam partes sapiunt naturam illorum, quorum sunt partes, & quia fieret in fraudem legis, & cederet in damnum Ecclesiæ, cujus omnia prædia possent paullatim alienari; debent ergo terrulæ, seu res exiguæ esse sejunctæ, & separatæ ab aliis prædiis, seu terris Ecclesiæ, & parum utiles; si enim essent utiles Ecclesiæ, quamvis exiguæ non possent in eo casu alienari, sine consensu sedis Apostolicæ, ut per Textum in d. Can. *Terrulas* tradunt Quaranta, Ugolinus, Præsecius, Barbosa, & Genuensis relati a Bossio, Riccius *decis.* 22. *p.* 2. & Genuens. *in prax. cap.* 60. *num.* 4. *in fine*, & Lezana *Verb. Alienare num.* 7.

36. Quænam autem dicenda sit res exigua, quæ vendi, & alienari potest sine sollemnitate, & consensu Apostolico, non omnes conveniunt; nam Glossa in d. Can. *Terrulas ver. exiguas*, ait, illas posse dici terrulas, quæ non valent ultra viginti solidos, id est ultra viginti scuta auri de Camera; nam scutum successit loco ipsius solidi, & censetur eadem moneta, & ejusdem valoris, ut cum Archidiacono, Salicetto, & aliis notat Bossius *supra n.* 295. Antonellus *lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 6. referens Sacr. Congregationem, 23. Maji 1601. declarasse, valorem rei quæ alienatur, si non excedit summam viginti quinque aureorum, esse modicum: idem habet Silvanus *in Man. Episc. verb. Alienatio n.* 24. Idem Genuens. *verb. Alienatio n.* 24. Stephanus Gratianus *discept. forens. tom* 3. *cap.* 452. *num.* 19. ait, summam dici modicam, quando non excedit quadraginta scuta, idque esse conforme dictæ Glossæ, quia juxta tempora antiqua magis æstimabantur scuta viginti, quam hodie quadraginta, Scarfilcus *de Litteris gratiæ fol.* 552. *num.* 5. dicit, quod d. Can. *Terrulas* extenditur ad valorem centum aureorum, aut ad annuum censum quinque ducatorum, & ita fuisse practicatum refert Zerola in *prax. Episcopali ver. Alienatio* in Curia Archiepiscopali Salernitana tempore Marci Antonii Marsilii Columnæ tunc temporis Archiepiscop. illius Ecclesiæ, & alii, quos refert Riccius in d. *resol.* 383. *num.* 9.

37. Magis communis, & in praxi recepta opinio docet, quod cum nihil in Jure definitum sit, id esse relinquendum Judicis arbitrio, qui, consideratis Ecclesiæ alienantis facultatibus, valore rei alienatæ, & loci consuetudine, æstimabit, & judicabit, an hujusmodi res sit modica, nec ne, Textum in cap. *Ceterum* 3. *de donat.* & tradit Abbas *cap.* 1. *n.* 8. *de in integr. restitut.* Menochius *de arbitr. Judic. lib.* 2. *cas.* 145. *num.* 4 Cardinal. de Luca *de alienat. discur.* 1. *num.* 127. & 128. Fagnanus in cap. *Nulli n.* 26. *hoc tit.* allegans pro hac Sententia Decis. Sacr. Congregat. Concilii.

38. In permutatione rerum unius Ecclesiæ cum bonis alterius Ecclesiæ non requiri assensum Apostolicum, sed sufficere decretum Episcopi, plures affirmant, eo quod iste casus sit a jure permissus in *cap.* 1. *hoc tit.* ubi permittitur Episcopo, ut si terram unius Ecclesiæ commutare voluerit cum terra alterius Ecclesiæ, id (subsistente tamen caussa rationabili) facere possit, neque plus requiritur, nisi, ut istud faciat cum consensu ambarum partium. Nec obstat dispositio extr. *Ambitiosæ*, quia videtur loqui de permutationibus faciendis cum laicis, *ne res Deo semel dicatæ ad profanos usus applicentur*, ut colligitur ex illis verbis *profanis usibus applicare*; in hoc autem casu non transfertur dominium in profanos usus cum detrimento Divini cultus, & ita tenent Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 95. *num.* 55. & *seqq.* Trevisanus *decis.* 56. *p.* 2. Riccius *in praxi rerum fori Eccles. decis.* 38. & 74. & 1. *p. praxis aureæ resol.* 35. & 71. Ludovicus Engel *hoc tit. num.* 16. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 223. Bossius *tit.* 6. §. 1. *num.* 3. Antonell. *cap.* 8. *num.* 7.

39. Sententia opposita, requiri scilicet assensum Apostolicum in alienatione, ab una Ecclesia alteri facta, videtur probabilior, & in praxi sequenda, ut habetur ex Can. *sine exceptione* 12. *quæst.* 2. & cap. *Nulli* 5. *hoc tit.* ubi generaliter, atque indistincte prohibetur donatio, venditio, permutatio, aliaque alienatio rerum Ecclesiasticarum sine justa caussa, & non servatis sollemnitatibus Juris; & sic censetur illa etiam prohibita, quæ fit ab una Ecclesia ad aliam, non servatis sollemnitatibus. Ita Sperellus *decis.* 154. *foro Eccles. nu.* 22. Grattianus *discept. forens. cap.* 527. *n.* 9. *tom.* 3. Rota *in Trevirens. Bonorum* 11. *Maji* 1621, coram Dunozetto Seniore, & *in Perusina oblationum* 27. *Januarii* 1640. coram Mollina, Cardinal. de Luca *de alienat. discur.* 1. *num.* 104. & ita observari de stylo Curiæ Romanæ, & consuetudine generali tenent etiam Doctores primæ Sententiæ, Antonellus *loco cit.* Barbosa *num.* 57. *in fine* Ricc. d. *resol.* 35. & 71. *in fine*, ac proinde semper recurrendum est pro licentia ad sedem Apostolicam, quando agitur de summa notabili.

40. Sine consensu Apostolico prohibetur quælibet alienatio, venditio, permutatio, hypothecatio, & quicumque contractus transferens dominium directum, seu utile rerum Ecclesiasticarum immobilium, & mobilium pretiosarum, quæ servando servari possunt, de quibus dixi *supra n.* 6. & 7. Ut res dicatur pretiosa, & inalienabilis, Castro Palaus *tract.* 18. *quæst. unica de reverentia debita Ecclesiis, punct.* 15. *num.* 2. ait, debere esse valoris centum aureorum, ac proinde res illas mobiles alienabiles esse, quæ valorem centum aureorum non attingunt, quæque nec durant triennio, sed usu consumuntur, cujusmodi sunt triticum, vinum, oleum, lana, & pro se citat Navarr. Genuensem, Quarantam, Molinam, & Barbosam; sed melius hoc relinquendum est judicio viri prudentis, attenta qualitate rei, & facultatibus Ecclesiæ, ut in simili diximus de alienatione rerum immobilium, & tenet Bossius *num.* 392. ubi ait, rem non dici pretiosam, nisi, vel excedat valorem viginti, vel viginti quinque aureorum, juxta declarationem Sacræ Congregat. ita etiam Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 223. & alii magis communiter.

41. Res mobiles pretiosæ, quæ servando servari possunt, quæque immobilibus æquiparantur quoad sollemnitatem, & pari passu ambulant, juxta d. extravang. *Ambitiosæ*, sunt illæ, quæ fructificant, & durant ultra triennium absque deteriorationes; si enim triennio non durant absque deterioratione, vel usu consumuntur, & non fructificant, alienari possunt absque sollemnitate, ut cum aliis tenet Bossius *nu.* 391. tales sunt fructus, triticum, vinum, oleum, & ceteri fructus, etiam pecorum, & equorum, quos Superiores Monasteriorum libere possunt alienare in magna quantitate, ut declaravit S. Congreg. *in Nullius* 18. *Septembris* 1627. tales sunt vestes, quamvis pretiosæ, quæ sunt usu attritæ, & quotidie magis ac magis corrumpuntur, & veterascunt: licitum est vendere Arietes, Agnos, Hircos, Hædos, animalia vetera, inutilia, & morbo affecta, & quæ superabundant, non tamen licitum est alienare totum gregem, sine sollemnitate, & licentia Pontificia. Ita Quaranta, Genuensis, Riccius, & alii apud Donatum *quæst.* 49.

42. Pecunia de se, & regulariter non computatur inter res mobiles, quæ servando servari possunt, unde potest etiam in magna quantitate alienari, siquidem pecunia non est inventa, ut conservetur, sed ad expendendum, & emendum, & ut inserviat usui quotidiano; unde usus non distinguitur a pecunia, sed est constitutivum formale pecuniæ, argentum vero, aut aurum est purum materiale; inde D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. ait, *quod sicut usus vini est bibi, & ita usus pecuniæ alienatio, seu distractio, & sicut vinum consumitur per ejusdem usum, nempe per ly bibi, ita & pecunia per ly alienari*, nec de se est fructifera, ut diximus supra de usura, & ita tenent Doctores communiter, quos affert, & sequitur Bossius *num.* 410.

43. Si tamen pecunia est relicta Monasterio cum obligatione emendi rem stabilem, aut eam investiendi super re stabili ad censum annuum percipiendum, seu fructificandum, tunc alienari non potest, nec consumi sine consensu Apostolico, quia licet de se non sit mobile pretiosum, quod ser-

servando servari possit; si tamen est destinata ad emptionem rei immobilis, censetur res immobilis, sicut destinata ad emptionem mobilis pretiosi reputatur mobile pretiosum, ut proinde non possit alienari, & consumi sine assensu Apostolico. Bonacina *de alienat. rerum Eccles. quæst. Unica punct. 2. num. 5.* & alios referens Bossius *num.* 413. eadem ratio valet de pecunia, quæ est recepta ex venditione alicujus stabilis Monasterii, quæ debet in emptionem alterius rei stabilis applicari, Redoanus, Genuensis, Riccius, quos sequitur Bossius n. 412. Idem videtur dicendum de pecunia, quæ datur pro dote Monialium ad illas sustentandas, quia, professione emissa, debet in bonis stabilibus, aut censibus ad Monasterii utilitatem implicari, ut a Sacra Congregatione, cum Barbosa *collect. ad c. 2. sess. 25.* Concilii Trid. de Regul. n. 36. decisum referunt Bossius, & Bonacina; verum, ait Mendo n. 8. video, consuetudine introductum in pluribus Monasteriis, quod insumantur in solvendis debitis, & in sustentationem illarum.

44. Pecunia restituta Monasterio ex extinctione alicujus census non potest consumi, & alienari, sed necessario debet applicari ad alium censum, vel ad emptionem alicujus stabilis fructiferi, puta domus, prædii, vel quid simile; nam pecunia data ad censum, vel cambiis tradita, aut in Montibus collocata non potest distrahi sine beneplacito Apostolico, quia est fructuosa, & inter immobilia computatur; est enim pecunia hujusmodi jus quoddam incorporale exigendi quotannis certam pecuniæ quantitatem, quod rei immobili æquiparatur, quæ proinde, si restituatur, debet iterum investiri ad commodum Monasterii. Notat hic Riccius 1. p. *decis. Cur. Archiep. Neapol. decis.* 134. annuos census, & reditus diminui non posse, vulgo *calare*, sine assensu Apostolico, si contractus in suo robore maneat, & non fuit rescissus, quia diminutio est species alienationis; secus si contractus fuit rescissus, & capitale fuit depositatum, quia tunc si Monasterium non inveniat meliorem conditionem, investitio fieri potest pro minori, quia est novus contractus. Ita refert, & sequitur Donatus *qu.* 58.

45. An vero Prælatus sine sollemnitate, & assensu Apostolico repudiare possit legatum, hereditatem, vel quid simile relictum Ecclesiæ: negant plures, quia sicut Prælatus sine sollemnitate non potest alienare bona Ecclesiastica, ita nec impedire acquisitionem, prout docent Molina, Quaranta, Lambertinus, & alii relati a Bonacina *punct.* 2. *nu.* 33. Sed probabilius videtur, Prælatum repudiantem legatum, & hereditatem Ecclesiæ relictam, non tamen adhuc adeptam, acquisitam, & incorporatam, non incurrere pœnas Extravagantis, licet possit ex alio titulo peccare, & teneatur de proprio satisfacere, si sine justa caussa Monasterium, seu Ecclesiam privat iis bonis acquirendis. Ratio est, quia prædicta sollemnitas requiritur solum in alienatione bonorum Ecclesiæ, quæ scilicet sunt Ecclesiæ, seu Monasterio incorporata, & actu ab eo possidentur; sed Prælatus renunciando legatum nondum acceptatum non dicitur alienare bona Ecclesiæ, quia illa bona, antequam sint incorporata non dicuntur bona Ecclesiæ, sed dicuntur bona acquirenda, seu proxime acquisibilia, non acquisita, unde non incurrit pœnas extravag. *Ambitiosæ.* Inde valet illa Regula, quæ dicitur, quod Prælatus non potest præjudicare suæ Ecclesiæ in acquisitis, bene tamen in acquirendis; sed hereditas delata, nondum tamen Ecclesiæ incorporata, dicitur jus quærendum, non autem acquisitum; & sic illam repudians non dicitur incurrere pœnas extravag. Paulina, quæ loquitur de Jure quæsito, & proprio Ecclesiæ. & ita docent Sanchez *de Matrim. lib.* 6. *disp.* 4. *nu.* 15. Panormit. cap. *Tua, de his, quæ fiunt a Prælatis*, Rebellus *lib.* 18. *q.* 44. *nu.* 5. Quaranta *V. Alienatio n.* 43. & alios referens Bossius *n.* 276.

46. Verum tamen est, Prælatum peccare mortaliter contra justitiam, & obligationem sui Officii, sine caussa repudiando, & non acquirendo, ac proinde teneri in utroque foro conscientiæ, & judiciali ex justitia de suo damnum Ecclesiæ ex tali repudiatione, & cessione secutum resarcire, sicut & Tutor, qui negligentia sua Pupillo non acquirit, tenetur de suo satisfacere Pupillo, *l. quidquid Cod. arbitr.* ut in terminis tradunt Panormit. & Bossius *loc. cit.* sequitur Bonacina *punct.* 2. *n.* 35. & Ecclesiæ competit beneficium restitutionis in integrum, si ob dictam renuntiationem læsa sit; modo res illa non fuerit acquisita alteri Ecclesiæ; nam tunc melior videtur conditio possidentis, ut cum Molina, Vasquez, Quaranta, & Riccio notat Bonacina *loco cit.* Excusaretur Prælatus a peccato, si repudiaret hereditatem ex justa, & rationabili caussa, quia est magis damnosa, quam utilis, & subjecta vexationibus, aut litibus inextricabilibus, cum obligatione vagandi per tribunalia sæcularia, ut notat *ibidem* Bossius.

47. Bona donata, seu relicta Ecclesiæ, seu Monasterio bonorum immobilium capaci, sub conditione, quod possint alienari sine consensu Apostolico ad libitum Prælati, seu Monasterii, tali conditione non obstante, non possunt alienari absque consensu Apostolico. Ratio est, quia talis conditio, tamquam illicita, & turpis, habetur pro non adjecta, eo quod sit contra Jura, & Constitutiones Pontificias, quæ prohibent alienationem rerum Ecclesiæ sine sollemnitate: tum quia illarum rerum dominium cum sit quæsitum Ecclesiæ, factæ sunt Ecclesiasticæ, & pertinent ad Judicem Ecclesiasticum, & non amplius ad legantem, & consequenter in earum alienatione requiritur sollemnitas a Jure requisita in alienatione rerum Ecclesiasticarum. Ita late Covarr. in *cap. Tua, n.* 6. *de testamentis*, Quaranta *V. Alienatio n.* 31. Bonacina *punct.* 4. *n.* 11. & cum aliis Bossius *n.* 378. E contra vero relicta, seu donata Ecclesiæ sub conditione, ut non possint alienari, talis particula habetur pro non apposita, & in casu necessitatis alienari potest, servatis sollemnitatibus: excipiuntur bona immobilia relicta, vel donata Monasterio incapaci retinendi, etiam in communi, quæ alienari possunt absque sollemnitate, ut late tradit Donatus *q.* 63. & decisum refert a Sacra Congregat. cujus Decretum affert *ibidem*.

D U B I U M V.

De aliis Bonis, quæ prohibentur alienari.

48. Inter bona immobilia Ecclesiæ, quæ servando servari possunt, computantur etiam arbores, quæ si sunt prædio necessariæ, & utiles, non possunt incidi sine beneplacito Apostolico; nam, illis sublatis, prædium graviter redderetur deterius, sive sint arbores fructiferæ, & feraces, ut sunt olivæ, ficus, vites, & similes ferentes poma, inter quas numerantur etiam quercus fructum afferentes pro animalibus, ut ex Afflicto docet Quaranta verb. *Alienatio*, vel etiamsi non sunt fructiferæ, nec feraces, ut populus, salix, fraxinus, ulmus, platanus, & similes, saltem quando ex illarum incisione fundus redditur deterior. Ratio est, quia hæ arbores solo cedunt, & jure soli judicantur, *l. adeo §. alienam ff. de acquiren. rer. dom. §. si Titius Instit. de rerum division.* & censentur pars fundi, quem Prælatus alienare non potest, nec reddere deteriorem, prout ex arboribus excisis deterior efficitur, Natta *consil.* 481. *nu.* 4. tum quia arborum incisio æquiparatur demolitioni domorum, *l. eleganter §. non solum ff. de dolo*, Surdus *decis.* 300. *nu.* 6. Ciarlinus *contr. forens. cap.* 2. *& cap.* 51. *num.* 3. *&* 4. ac proinde non potest Prælatus, aut Beneficiatus sine assensu Apostolico incidere arbores fundi Ecclesiastici. Ita Navarr. *consil.* 6. *tit. de reb. Eccles. non alienan.* Quaranta *verb. alienatio n.* 32. Gavantus *in man. eod. tit. num.* 18. Riccius *p. praxis decis.* 23. Barbosa, Redoanus, & alii, quos affert Bossius *n.* 422. *&* 419.

49. Limitatur responsio, ut non procedat in sylva cædua, nemore, arundineto, & aliis cæduis, quæ per incisionem sunt in fructu, & renascuntur ex stirpibus, & radicibus; nam per hujusmodi incisionem non deterioratur fundus, sed potius melioratur, ut ostendunt Riccius, & Quaranta; siquidem sylva per hoc dicitur cædua, ut cædatur, & ut succisa rursus ex stipite, aut radicibus renascatur, ita describitur, *l. Sylva* 30. *ff. de verb. signific.* & late ostendit Bossius *n.* 424. ubi ait: sylvam tunc intelligi cæduam, quando est matura, non quando est immatura, ita quod quæ de tempore in tempus, puta de quinquennio in quinquennium cædi solet, ante illud tempus non dicitur cædua; nec cædi posse intempestive in damnum aliorum, ad quos scit pertinere, vel pervenire debere.

50. Limitatur secundo in fructiferis, si hæ arbores sint vetustæ, & inutiles, atque inde indigent renovari, & in loco earum aliæ utiles plantantur, quia tunc non deterioratur, sed melior efficitur fundus. Limitatur tertio, si ex incisione fundus fieret fructuosior, quam esset antea, utpote cædendo arbores opacas, & nimis densas, nam opacitas, & densitas valde fructibus nocet, ut experientia constat; tunc enim illarum incisio redditur licita, dummodo remaneant arbores sufficientes pro necessitate, ac utilitate fundi, ut cum aliis tradit Bossius *n.* 444.

51. Limitatur quarto, ut quamvis non sit licitum arbores non cæduas totaliter extirpare, licitum tamen est ex arboribus non cæduis cædere ramos, & pedamenta, seu palos ad usum vineæ, quando pali aliunde non possint haberi. Licitum etiam est arbores non cæduas incidere pro reparatione villæ, seu domus, seu fundi, adeo tamen, ut fundus non ita deterioretur, ut majus sit damnum incisionis, quam beneficium reparationis, ut cum Redoano, Grasso, Ciarlino, & aliis late tradit Bossius *limit.* 6. *num.* 446.

52. Limitatur etiam, quando sumus in parva materia, ut si Prælatus faciat incidere in fundo unam, aut duas arbores fructiferas. Ciarlinus *d. cap.* 2. *num.* 52. ubi

am-

ampliat id ad quinque, vel sex arbores, quia incisio, seu deterioratio debet esse notabilis, & perpetui detrimenti circa substantiam rei, prout habetur ex decisione Rotæ Romanæ, quam ex Farinacio, & Lezana refert Donatus *quæst.* 69. *num.* 16. ubi determinatur; *quod ad incurrendas pœnas dict. Extrav. requiritur non solum, quod incisio arborum sit in magna quantitate, & quod arbores sint destinatæ ad afferendum fructum annuum, & quod non sint caduæ, sed etiam requiritur, quod deterioratio fundi sit notabilis.*

53. Inter bona Ecclesiastica, quæ sine assensu Apostolico alienari non possunt, connumerantur etiam ipsæ Ecclesiæ materiales, & Oratoria fundata auctoritate Episcopi ad perpetuum Ecclesiasticum usum, quia tunc sunt loca Sacra, quæ nec alienari, nec illis servitus imponi potest; licet enim secundum esse materiale sint pretio æstimabilia, non tamen alienari possunt sine consensu Apostolico. Ita Quaranta *ver. alienatio n.* 29. Ugolinus *de potest. Episcopi cap.* 14. Bonac. *pun.* 8. *n.* 11. ubi advertit, Oratoria facta in domibus privatis alienari posse, cum sint quid accessorium domui; accessorium autem sequitur principale, sicut, vendito fundo, Juspatronatus transmittitur in emptorem, quamvis ob id non sit augendum pretium fundi, ut constat ex alibi dictis.

54. Capellæ vendi, & alienari non possunt, nec alicui concedi, cum translatione dominii, & juris proprietatis, sicut nec locus sepulturæ potest concedi, cum translatione juris sepeliendi in eo mortuos suos, & impediendi, ne alii in eo sepeliantur, quia sunt res, & jura Ecclesiæ, quæ comprehenduntur in Extravag. *Ambitiosæ*, ut non possint alienari sine beneplacito Apostolico, ut habet Hyacinthus Donatus *quæst.* 79. *num.* 11. & cum aliis Bossius *tom.* 3. *tit.* 6. *num.* 389. Potest tamen Capella, sicut & Sepultura sine beneplacito Apostolico concedi quoad usum facti, & commoditatem, absque tamen titulo venditionis, aut alio, quo transferatur dominium, ad se ibi, & suos sepeliendos; ad Capellam suis sumptibus ampliandam, paramentis ornandam, & decorandam, ita ut non deducatur in pactum aliqua solutio in pretium facienda pro Capella, & Sepultura; hujusmodi enim concessio non est alienatio, cum nullum jus transferatur, sed concessio ad usum destinatum, ut habet Donatus *loco cit.* Bonacina *num.* 12. Quaranta *verb. Alienatio num.* 29. Usus tamen obtinuit, ut pro Capella, & Sepultura aliquid accipiatur ratione situs, seu melioris, & dignioris loci, quia tunc non venditur sepultura, sed dignior locus in Ecclesia, & honor humanus, qui pendet ex hominum existimatione, quique per accidens rei spirituali conjungitur, ut diximus in materia de Simonia *cap.* 2. *dub.* 3., ubi habes plura ad hanc materiam spectantia.

55. Reliquias Sanctorum, maxime ubi perpetuæ sepulturæ sunt traditæ, aut muro inclusæ, non posse alienari absque beneplacito Apostolico, quia sunt mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, docent Genuens. *in praxi cap.* 56. Riccius *p.* 1. *praxis aureæ resol.* 60. Sellius *in selectis canon. cap.* 58. *num.* 3. Carolus Maranta *Consil.* 3. *p.* 3. Hyacinthus Donatus *quæst.* 56. Bossius *num.* 408. & Palaus *tom.* 2. *tract.* 11. *disp. unica p.* 15. §. 1. *num.* 8. Quoad Reliquias insignes, quia Reliquiæ sunt mobilia pretiosiora, quam Vasa sacra, nam exponuntur adorandæ, non sic Vasa sacra, & per illas magis illustrantur Ecclesiæ, & per illas a Deo plura beneficia præstantur hominibus, ut dicit Conc. Trident. *sess.* 25. de invocatione, Veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & ita in praxi tenendum est propter stylum Romanæ Curiæ, qui est altera lex. Ceterum si quis Reliquias alienaret, puto non fore poniendum excommunicatione lata in Extravag. *Ambitiosæ*, & aliis pœnis impositis alienantibus bona Ecclesiastica, quia ibi sermo est de mobilibus pretiosis temporalibus, & in ratione valoris, seu pretio æstimabilibus, & quæ Ecclesiis, vel ejus Ministris inserviunt, non autem de pretiosis spiritualibus, & in ratione honoris. Ita Bordon. *dec. Regul. tom.* 1. *res.* 27. *n.* 62. Antonell. *l.* 1. *c.* 4. §. 7. Diana *par.* 4. *tr.* 4. *res.* 223. *versic. Notandum est*, Fagnanus *lib.* 3. *Decr. cap. cum ex eo* 2. *de reliquiis*, *n.* 35. Donatus *cit. qu.* 56. *n.* 8. putat, Superiorem Ecclesiæ posse absque beneplacito aliquod frustulum Reliquiæ, pietatis caussa, personæ exteræ, & benemeritæ elargiri, si partes Reliquiæ ejusdem Sancti in ea remanserint, quia, ut ait Donatus, *Ecclesiæ decor non deficit, & pietas dilatatur.*

56. Dispositio Extravag. *Ambitiosæ* non procedit in alienatione Patrimonii, ad cujus titulum quis fuit sacris Ordinibus ordinatus, quis licet alienari non possit sine consensu Episcopi, ut habetur ex Trid. *sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* alienando tamen non incurrit pœnas Extrav. quia non sunt bona Ecclesiæ, sed personæ Ecclesiasticæ, cujus intuitu gaudent privilegio fori. Ita Paris. *de Resignat. Benef. lib.* 2. *quæst.* 6. *num.* 1. & 35. Navarr. *cons.* 14. *num.* 2. *de temp. ordin.* & in *manual. cap.* 22. *num.* 18. *vers.* 3. Riccius *in praxi part.* 1. *resolut.* 82. ubi habet, quod Clericus absque licentia Episcopi libere poterit alienare Patrimonium, ad cujus titulum fuit ordinatus, si tempore alienationis habeat congruam sustentationem, vel ratione Beneficii adepti, vel aliunde: sequuntur alii apud Bonac. *de Sacram. disp.* 8. *qu. unica*, *pun.* 5. *num.* 41. quia illa particula posita Conc. Trid. *loco cit. donec aliunde habeant unde vivere possint*, est restrictiva temporis, & suspendit facultatem ad tempus, *leg. Legatum ff. de ann. leg.* Bonacina de alienat. *punct.* 2. *numer.* 28. Diana *p.* 9. *tract.* 8. *resol.* 23.

57. Bona Confraternitatis, vel Collegii, vel Congregationis, aut Hospitalis fundati auctoritate Episcopi, non possunt alienari sine debita sollemnitate, & beneplacito Apostolico, nam sunt loca pia; nam ea loca pia, quæ auctoritate Episcopi sunt fundata, & in quibus exercentur opera pietatis, & caritatis, sicuti est infirmos curare, pauperes alere, peregrinos hospitari, captivos redimere, & similia opera pietatis, dicuntur loca pia, quorum bona non possunt alienari sine sollemnitate, & caussa, prout tradunt Redoanus *qu.* 28. *num.* 1. *quæst.* 41. *num.* 27. & *quæst.* 49. Quaranta *ver. Alienatio num.* 28. Ugolinus *de potest. Episcop. cap.* 14. §. 4. *num.* 6. August. Barbosa *Collect. ad Cap. si quis presbyterorum num.* 5. *de reb. Eccles. non alienan.* Bonacina *pun.* 2. *num.* 12. Antonell. §. 6. secus dicendum asserit Bonacina de Hospitalibus, vel Confraternitatibus, aliisque locis erectis sine licentia, & auctoritate Episcopi, quia hæc non censentur loca pia, & illorum bona sine sollemnitate possunt ad libitum alienari ab Administratoribus, & Confratribus: & ita tenent Redoanus *d. quæst.* 28. *quæst.* 41. & *qu.* 49. Riccius *decis.* 48. Quaranta *loco cit. num.* 28. & 41. Parisius *consil.* 34. *tom.* 3. Idem dicendum est de alienatione bonorum Capellæ, quæ non fuit fundata auctoritate Episcopi, nam hujusmodi Capella non censetur beneficium Ecclesiasticum, ut cum Riccio *decis.* 82. notat Bonacina.

58. Verum probabilius est, & in praxi sequendum, Hospitalia, & Confraternitates, in quibus exercentur opera pietatis, & ad Divinum cultum promovendum institutas, esse loca pia, locorumque piorum privilegiis gaudere, quamvis non constet, fuisse fundata auctoritate Episcopi, & sic eorum bona alienari non posse sine assensu Apostolico, prout asserunt Doctores, quos affert, & sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 37. Antonell. *lib.* 1. *cap.* 4. *de regimine Eccles.* §. 6. *num.* 14. & aliis pluribus allatis, Bossius *tit.* 6. *num.* 485. ubi *num.* 486. late disserit de signis, ex quibus dignosci, seu præsumi possit, Ecclesiam, Hospitale, Oratoria, & alia loca pia fuisse auctoritate Episcopi constructa.

59. Vasa aurea, argentea, Lampades, Candelabra, Calices cum Patenis, Ampulæ, & vasa aquæ benedictæ cum Aspersorio, & similia Sacrificio Missæ inservientia, numerantur inter mobilia pretiosa, quæ non possunt alienari sine beneplacito Apostolico, ut constat ex sæpe cit. extrav. *Ambitiosæ*, ibi: *& mobilia pretiosa Deo dicata*. Difficultas solum est, quando seorsim sumpta non sunt pretiosa, quia non attingunt valorem 25. aureorum; *an tunc possint alienari sine beneplacito Apostolico?* juxta disp. cap. *Terrulas* 12. *qu.* 2. Resp. negative, quando hæc omnia simul sumpta valorem 25. aureorum excedunt. Ratio est, quia in hujusmodi rebus mobilibus, ad faciendum unum mobile pretiosum non requiritur unitas physica, nempe, ut res sit una numero, sed sufficit unitas moralis oriens ex ordine, seu habitudine plurium rerum ad eumdem finem, & usum, ut patet in grege ovium, & insigni bibliotheca alicujus Ecclesiæ, & Monasterii, quæ nec successive vendi potest; sed Lampades, Calices, & similia simul accepta ordinantur ad unum, & eumdem finem, nempe ad Dei cultum, & Ecclesiæ ornatum; ergo, licet singulæ non tanti valeant, adhuc tamen nequeunt alienari sine sollemnitate: & ita cum Peregrino tenet Hyacinthus Donatus *quæst.* 54. & cum aliis Bossius *num.* 401. Non tamen hoc titulo videtur prohibitum, quin Prælatus possit aliqua pocula argentea minus utilia absque aliis sollemnitatibus Juris alienare, seu Calices veteres, & ornamenta pro novis æque bonis, & pretiosis commutare, prout consuetudo, optima legum interpres, passim declarat; talis enim commutatio non est ita periculosa Ecclesiæ, vel damnosa, sicut absoluta venditio, aut donatio, ut docet Engel. *tit.* 13. *num.* 5.

60. Donaria, oblationes, & vota, quæ fiunt alicui Sacræ Imagini, quæ seorsim, aut simul dictum valorem excedunt, non cadere sub prohibitione, sed posse alienari sine consensu Apostolico, probabilius putat Donatus

cit. quæst. 54. *num.* 5. quia hæc vota solum a vovente redduntur, ut suo voto satisfaciat, & non ordinantur ad aliquem usum Ecclesiæ, sed otiosa manent in testimonium gratiæ acceptæ: subdit tamen, tutius esse assensum Apostolicam petere, loquendo maxime de oblationibus aureis, & argenteis magni valoris, quia de illis, quoad alienationem, judicandum videtur sicut de rebus pretiosis, quæ servando servari possunt, & ita cum Bonacina, & Diana sentire videtur Bossius *n.* 405. Certum tamen est, reliquas oblationes, & vota, puta ceræ eleemosynarum &c. posse alienari sine assensu Apostolico, ut cetera mobilia non pretiosa, quæ servando servar non possunt, ut habet Donatus *loco cit.*

61. Bibliotheca alicujus Monasterii numeratur inter mobilia pretiosa, nec alienari potest sine consensu Apostolico, si excedat valorem 25. aureorum, quamvis singuli libri talem valorem non attingant, quia, ut supra dixi, ad constituendum mobile pretiosum, non requiritur unitas physica, quod scilicet sit una numero res, sed sufficit unitas moralis, & per aggregationem plurium rerum habentium aliquam habitudinem inter se, & in ordine ad eumdem usum, & finem, cujusmodi se habent libri ejusdem bibliothecæ. Limitat dupliciter Donatus *quæst.* 50. primo, ut non procedat, quando libri paullatim venduntur, & in meliores, & utiliores commutantur, ex cap. sine exceptione 12. *qu.* 2. Secundo, quando libri successive venduntur, & inter unam, & aliam venditionem interponitur magna temporis mora; sicut enim furta minima in tali casu non censentur continuari, ita nec hujusmodi venditiones. Primam limitationem facile admittit Bossius *num.* 402. de secunda dubitat, quia, hoc dato, facile posset fieri fraus, & libri unius bibliothecæ distrahi cum gravi præjudicio Monasterii.

DUBIUM VI.

De Pœnis male alienantium.

62. Relictis Juribus antiquioribus, quæ videri possunt apud Bossium in Extravag. Pauli II. quæ incipit *Ambitiosæ*, quatuor continentur pœnæ, quarum prima est nullitas contractus sine sollemnitate celebrati, ibi: *Si quis autem contra hujus nostræ prohibitionis seriem, de bonis, & rebus ejusdem quidquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi, nullius omnino sint roboris vel momenti.* Hanc nullitatem contractus sine sollemnitate celebrati, sola Ecclesia potest allegare, cum talis dispositio intelligatur facta in favorem Ecclesiæ, si ipsa fuerit læsa, & contractum rescindere voluerit; non autem in favorem emptoris rei Ecclesiasticæ, qui non potest allegare nullitatem contractus; ac proinde, licet ultro velit rem male alienatam restituere, non tamen Ecclesia cogitur eam recipere; sed, si putat sibi utile, poterit confirmare contractum, supplendo sollemnitates omissas, & impetrando beneplacitum Apostolicum, prout, ultis allatis, tradit Bossius *tit.* 6. *num.* 496. & intelligitur post actum consummatum; nam ante actum alienationis consummatum potest opponi defectus sollemnitatis, & nullitas contractus, etiam invita Ecclesia, ut *ibidem* tradit Bossius.

63. Si Ecclesia patitur damnum, & fuit graviter læsa per alienationem, & contractum validum, illi subveniendum est per restitutionem in integrum: si autem fuit graviter læsa per contractum invalidum, defectu sollemnitatis, & beneplaciti Apostolici, non solum Prælatus, qui male alienavit, aut ejus successor, sed quilibet Clericus agere potest ad restitutionem rei Ecclesiasticæ male alienatæ, & hanc revocare, ut constat ex cap. *Si quis Presbyterorum* §. *fin. hoc tit.* ubi Pontifex in casu talis illegitimæ alienationis decernit, quod *liceat quibuscumque Ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, & ut cum fructibus possint alienata reposcere, & Ecclesiastica auctoritate fulciri*, ut tradunt Doctores communiter, quos fuse refert Bossius *num.* 500.

64. Secunda pœna est excommunicatio latæ sententiæ inflicta, tam contra male alienantes, quam contra recipientes, ibi: *& tam qui alienat, quam is, qui alienata bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat*, nisi celeri restitutione, hoc est, antequam lædatur Ecclesia ex tali alienatione, sibi prospexerint, ut habetur cap. *Si quis Presbyterorum*, juncta Glossa *verb. Celeri, hoc tit.* Hanc excommunicationem nemini esse reservatam docet Donatus *q.* 92. & constat ex lectura dict. *Extravag.* ubi excommunicatio ibi expressa nemini reservatur, proinde absolvi potest a quovis Confessario, approbato tamen ab Ordinario loci, & satisfacta parte; quod idem valet de interdicto respectu Episcoporum. Idem sentire videtur Navarr. *consil.* 4. & 18. Angel. *verb. Excommunicatio* 7. *nu.* 48. Suarez *tom.* 5. *disp.* 22. *sect.* 6. *num.* 6. Del Bene *cap.* 17. *dub.* 22. *num.* 9. & Gavant. *in Man. Episcop. verb. Alienatio num.* 28. Nec obstat, quod, ut ait Quaranta *num.* 49. aliquando per Brevia Pœnitentiariæ, vel Signaturæ obtineatur absolutio; nam hoc fieri solet pro foro exteriori, ad obviandum molestiis, quæ oriri possent, vel etiam pro foro interiori ad majorem cautelam, & securitatem, ut omittam, aliquos id facere ex ignorantia auctoritatis, quam habent ipsorum Superiores, ut notat Del Bene.

65. Nec obstat, quod ait Thesaurus *in praxi part.* 2. *verb. Alienatio* §. *Nota circa*, quem sequitur Bonacina *punct.* 5. *num.* 3. quod licet excommunicatio lata contra male alienantes bona Ecclesiastica non sit reservata in Extravag. *Ambitiosæ*, est tamen reservata in Trident. *sess.* 22. *cap.* 11. non obstat, inquam, quia Decretum illud Concilii loquitur solum de occupantibus bona Ecclesiastica, vel ea usurpantibus, seu in proprios usus convertentibus, ut constat ex verbis dicti Decreti; nec debet extendi ad simpliciter alienantes, prout cum Lezana tenet Donatus *quæst.* 92. *num.* 4. Del Bene *num.* 11. Bossius *num.* 568.

66. Sub hac pœna excommunicationis non comprehenduntur Episcopi, vel Abbates, qui non præfata excommunicatione, sed sequenti pœna interdicti afficiuntur, ut intelligunt Doctores communiter. Molina *disp.* 466. *num.* 8. Lezana *verb. Alienatio num.* 20. & 21. Bonacina *punct.* 5. *num.* 1. Bossius *num.* 554. Tertia igitur pœna est interdicti ab ingressu Ecclesiæ, pariter latæ sententiæ contra Episcopos, & Abbates, qui, si per sex menses immediate sequentes sub interdicto hujusmodi animo indurato perseveraverint, ipsis mensibus elapsis, afficiuntur ipso facto suspensione ab administratione suæ Ecclesiæ, seu Monasterii in spiritualibus, & temporalibus, ibi: *Si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate, &c.*

67. Quarta pœna, item latæ sententiæ, est contra alios Prælatos inferiores, qui privantur ipso facto Prælaturis, & Beneficiis illius Ecclesiæ, cujus bona alienarunt, quæ etiam sine alia declaratione vacare censentur, atque adeo conferri libere possunt ab Ordinario, ad quem eorum collatio pertinet, & hoc ultra excommunicationem supradictam, ibi: *Inferiores vero Prælati Commendatarii, & aliarum Ecclesiarum Rectores, Beneficia, vel administrationem quomodolibet obtinentes, &c.* prout clare constat ex d. *Extravaganti*. Regulares autem, ultra pœnam excommunicationis, incurrunt etiam in pœnas privationis omnium officiorum, vocisque activæ, & passivæ, & inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, ut dicitur in Decreto Urbani VIII. *de rebus Regularium non alienandis.*

68. Nota, prædictas pœnas locum non habere in Religiosis subditis, aut aliis bonorum Ecclesiæ administrationem non habentibus; nam dicta Paulina solum loquitur de Prælatis, Beneficiariis, & aliis administrationem habentibus: & in materia pœnali Constitutio non extenditur ad non expressa, tum quia Paulina prædicta loquitur *de alienantibus*; Religiosi vero subditi, qui nullam habent administrationem, non dicuntur alienare, sed solum præstare consensum in alienationem: & ita tenent Zabarella *Clem.* 1. *de reb. Eccl. non alienan. qu.* 21. *num.* 28. Felinus, & Sopranus apud Filliuc. *tract.* 44. *cap.* 6. *quæsita* 4. *num.* 4. quos sequitur Bonacina *punct.* 5. *num.* 1. inde inferens, quod Religiosus subditus, aut alius quicumque, qui nullo jure administrationem habet, qui alienat, destruit, demolitur, non ligatur ista excommunicatione, seu pœnis Extravagantis, quia ibi sermo est de Prælatis, Beneficiariis, & aliis administrationem habentibus. Quod idem valet de Decreto Sacræ Congregationis, edito pro Regularibus, de quo supra *num.* 4. quod comprehendit solum Capitula Generalia, vel Provincialia, & Superiores eorumdem, non autem alios, propter eamdem rationem, quia illi tantum possunt alienare, non alii particulares, qui aliis pœnis mulctandi essent. Ita etiam Donatus *quæst.* 89. & Bossius *num.* 559.

69. Nota secundo, quod ab his pœnis incurrendis excuset bona fides ex probabili ignorantia, tam juris, quam facti, quia pœnæ Extravag. feruntur contra eos, qui *alienare præsumpserint*; præsumptio enim denotat dolum scientiam, temeritatem, & contemptum, & sic feruntur contra illos, qui alienationem fecerint ex dolo, malitia, & præsumptione, non autem eos, qui fecerint bona fide, ex probabili ignorantia juris, vel facti; & ratio esse potest, quia simplicitas, bona fides, & ignorantia probabilis excusat a peccato mortali, & consequenter ab omnibus pœnis, quæ supponunt peccatum mortale, uti sunt pœnæ graves. Et ita tenent Navarrus, Quaranta, Azorius, Bonacina, Sopranus, & alii, quos affert, & sequitur Bossius *cit. n.* 559. ubi addit, ignorantiam juris, vel facti, etiam culpabilem, & crassam, excusare in foro conscientiæ alienantem a pœnis prædictis;

nam idem verbum *præsumere* significat malitiam, & præsumptionem excludentem omnem ignorantiam, & sic a pœna contra præsumentes aliquid facere excusat ignorantia etiam crassa, ut habet Navarr. *in man. cap. 27. num.* 141.

70. Excusat etiam opinio probabilis, quando pro alienatione dantur aliquæ Doctorum opiniones, vel jus non est ita clarum, & indubitabile; & inde, si alienatio facta esset sine sollemnitatibus, adesset tamen justa caussa, seu evidens utilitas Ecclesiæ, cujus conditio effecta esset melior, & alienans, saltem in foro conscientiæ, non incideret in præfatas pœnas Paulinæ, cum sit opinio probabilis multorum Doctorum, talem alienationem esse saltem in foro conscientiæ validam, ut ostendit Bossius *tit. 6. num.* 97. *& tit. 3. num.* 161. *&* 164. Stephanus Gratianus *tom. 5. cap.* 931. nu. 2. Reginaldus *lib.* 30. *n.* 69. Diana *part. 1. tract.* 8 *resol.* 77.


71. Excusat etiam revocatio facta ante traditionem rei. Siquidem ad incurrendas pœnas requiritur, ut res sit tradita parti recipienti alienatum, licet etiam contractus alienationis esset perfectus, & de eo factum instrumentum; excusat tamen ab incursu pœnarum revocatio alienationis, & pœnitentia ante realem, & pacificam possessionem, ut constat ex cap. *Si quis Presbyterorum de reb. Eccles. non alienandis*, ibi: *Nisi forte, & alienator, & qui receperit, celeri restitutione sibi prospexerint*, ubi Glossa *verb. Celeri*, antequam lædatur Ecclesia. Ratio est, quia non dicitur facta alienatio, seu res alienatæ, donec traditio facta fuerit: & ita tenent Covarr. 2. *var. c.* 16. n. 7. *fin.* Quaranta *verb. Alienatio nu.* 50. Riccius *resol.* 132 n. 3. & aliis relatis, Bossius n. 561. licet contrarium teneat Bonacina *p.* 5. n. 2.

72. *An vero prædictas pœnas tum respectu Regularium, quam respectu aliorum incurrant transgressores in foro conscientiæ ipso facto ante sententiam Judicis; & ratio dubitandi est, quia tam in Paulina, quam in Decreto Urbani VIII. habetur, ipso facto, absque alia declaratione.*

Resp. negative. Ratio est, quia licet pœna censurarum latæ sententiæ, statim ac committitur delictum, incurratur in foro conscientiæ, tamen pœna privationis bonorum, vel officiorum, etsi ipso jure inflicta delinquenti, in foro conscientiæ de facto non habet effectum, nisi post sententiam declaratoriam criminis. Et etiam ejus executionem, ut diximus in *tract.* 3. *de Legibus c.* 2. *n.* 45. *&* 49. & late tradit Bossius *tom. 2. var. moral. tit.* 12. *num.* 166. *&* 168. & etiam in præsenti *tit. 6. num.* 564. Ita pariter tenent Henriquez *lib.* 13. *cap.* 56. Quaranta *num.* 49. Riccius *resolut.* 133. Navarrus *in man. cap.* 27. *num.* 150. Ex quo sequitur, Beneficiatos male alienantes bona suæ Ecclesiæ, non teneri abstinere se a beneficiis, dignitatibus, & officiis, nisi præcesserit sententia declaratoria, & executio sententiæ. Quod si pro absolutione a censuris, & pro retentione beneficii ab aliquibus obtineantur Brevia Pœnitentiariæ, vel Signaturæ, hoc fit vel ex ignorantia, vel pro foro exteriori ad obviandum molestiis, vel etiam pro foro interiori ad majorem securitatem, ut notavit Quaranta *cit. numer.* 49.

73. Adsunt etiam aliæ pœnæ contra Delegatos, Commissarios, aut Judices, quibus a Sede Apostolica commissa est caussa alienationis faciendæ, si illam permittant fieri cum detrimento Ecclesiæ, per favorem, aut timorem, aut sordes, scilicet prævia pecunia, vel ejus promissione, alienationi consentiendo, vel Decretum, aut auctoritatem interponendo, & est excommunicatio latæ sententiæ, quæ nulli reservatur, & afficit tantum Clericos Commissarios Episcopo inferiores; & pœna suspensionis per annum ab executione officii latæ sententiæ contra Commissarios Episcopos, vel Superiores Episcopis, qui Decretum interponunt, & alienationi consentiunt, ut patet ex Bulla Pauli II. quæ incipit: *Cum in omnibus judiciis*, edita anno 1465. ibi: *Si autem Commissarius, vel Delegatus conscientiæ suæ prodigus in gravamen, vel detrimentum Ecclesiæ, per gratiam, aut timorem, vel sordes alienationi consenserit, aut Decretum, vel auctoritatem interposuerit, inferior quidem Episcopo sententiam excommunicationis incurrat; Episcopus vero, aut Superior ab executione officii per annum noverit se suspensum, &c.*

74. *An vero prædicta Extravagans hodie sit usu recepta, & obliget?* Certum est, non obligare, si alicubi forte non fuit usu recepta, vel per contrariam consuetudinem abrogata, quia lex non acceptata, vel abrogata non obligat, ut dicitur in materia de Legibus: eam esse usu receptam, & ita præsumi, eo quod inserta sit corpori Juris, sicque Jus commune facere censeatur, tenent Quaranta *verb. Alienatio num.* 48. Redoanus *quæst. num.* 1. *& quæst.* 58. *num.* 25. Peregrinus *decis.* 225. *lib.* 2. Garzias, Riccius,Ciarlinus, & alii apud Bossium, & sæpe Rota Romana apud eumdem. Alii vero asserunt, eam esse quidem usu receptam quoad nullitatem contractus, non vero quoad pœnas excommunicationis, aliasque extrinsecas, prout refert Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 95. *num.* 49. & *in collect. ad Extravag. Ambitiosæ num.* 3. *hoc tit. inter communes.* Ita etiam tenent Rebellus, Fachineus, Sarmiento, Ugolinus, Toletus, Sayrus, Vasques, & alii relati a Bossio *tit. 6. num.* 581. quare servanda erit locorum consuetudo, & praxis legitime introducta.



TRACTATUS QUARTUS DE CENSURIS, ET POENIS ECCLESIASTICIS.

ABsolutis jam iis, quæ ſpectant ad moralem notitiam Sacramentorum, Præceptorumque Divinæ Legis, humanorum Contractuum, Reſtitutionis, & Dominii, reſtat, ut eadem brevitate, ac facili methodo explicemus ea, quæ ſpectant ad notitiam Cenſurarum, & Pœnarum Eccleſiaſticarum, quarum notitia valde utilis, & neceſſaria eſt non modo Confeſſariis, & Parochis pro recta Sacramentorum adminiſtratione, ſed etiam Eccleſiarum Prælatis, qui hujuſmodi Cenſuris, & Pœnis errantium ſubditorum mores corrigere, & coercere debent. De iis proinde Cenſuris, tum in communi, tum in particulari tractabimus in præſenti pro complemento totius Operis moralis: proinde ſit

CAPUT PRIMUM.

De Cenſuris in Communi.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex ſit Cenſura.

1. NOmen *Cenſuræ* a cenſendo derivatum, olim apud Romanos ſignificabat Sententiam Cenſoris mores corrigentis, & pœnam decernentis; unde Cenſuræ nomen ab Eccleſiaſticis Scriptoribus translatum eſt ad ſignificandam pœnam ſpiritualem, quam Eccleſiæ Prælati inobedientibus, & contumacibus infligunt, & bene definitur: *Cenſura eſt pœna ſpiritualis medicinalis ab Eccleſiaſtica poteſtate propter culpam inflicta, privans hominem baptizatum uſu aliquorum bonorum ſpiritualium ad hoc, ut corrigatur, & a contumacia deſiſtat*; ita in ſe, & quoad ſubſtantiam eſt communis, & facile patebit ex illius explicatione.

„ *Adhuc clarius in Synod. Diœceſ. lib. 2. cap. 1. Edit. Rom.*

„ I. Cenſura, uti eam deſcribit Suarez *de Cenſuris diſp. 1. ſect. 1.* eſt pœna ſpiritualis, & medicinalis, qua homini baptizato, delinquenti, ac contumaci, quorumdam ſpiritualium bonorum uſus aufertur ab Eccleſia, donec a contumacia recedat. Omnium graviſſima, teſte Auguſtino *lib. de correp. & gratia cap. 15.* eſt excommunicatio, per quam Fidelis, non hoc, aut illo ſpirituali bono privatur, ſed tamquam putridum membrum ab Eccleſia abſcinditur, atque a Fidelium communione, & conſortio ſeparatur. Quocirca Cyprianus *epiſt. 62.* eam appellat *gladium ſpiritualem, quo ſuperbi, & contumaces necantur, dum de Eccleſia ejiciuntur. Neque enim*, ait, *vivere foris poſſunt, cum domus Dei una ſit, & nemini ſalus eſſe, niſi in Eccleſia poſſit.* Cui concinit Hieronymus *epiſt. olim 1. nunc 14.* ad Heliodorum ſcribens *n. 8. In veteri quidem lege, quicumque Sacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus lapidabatur a populo, aut, gladio cervice ſubjecta, contemptum expiabat cruore; nunc vero inobediens ſpirituali mucrone truncatur, aut ejectus de Eccleſia rabido Dæmonum ore diſcerpitur.*

2. Dicitur *pœna ſpiritualis*, per quod cenſura diſtinguitur a pœnis corporalibus, & temporalibus, cujuſmodi ſunt pœnæ pecuniariæ, exilii, carceris, & hujuſmodi, quæ non ſunt cenſuræ; nam hæc, cum ſit pœna ſpiritualis, nec corporis afflictionem, nec privationem bonorum temporalium per ſe primo, & principaliter importat, quamvis per accidens, & ſecundario has quoque quandoque ſecum trahat, ut quando excommunicatio privat hominem communione politica, & civili, aut fructibus ſui beneficii. Dicitur *medicinalis*, quia cenſura non eſt pœna vindicativa ſceleris jam patrati, ſed potius eſt pœna medicinalis, intendens correctionem, & futuram emendationem delinquentis, & inobedientis poteſtati Eccleſiaſticæ, ſub cenſura aliquid præcipientis, ſeu prohibentis. Dicitur *ab Eccleſiaſtica poteſtate inflicta*, ad excludendam poteſtatem ſæcularem, cui non competit poteſtas ferendi cenſuras. Dicitur *privans hominem baptizatum uſu quorumdam bonorum ſpiritualium*, quia talis pœna, cum procedat ab Eccleſiaſtica poteſtate, non poteſt afficere, niſi hominem baptizatum, qui ſolus eſt ſubditus Eccleſiæ, non ſic infidelis, qui, cum non ſit ſubditus Eccleſiæ, non eſt capax cenſuræ. Privat autem uſu quorumdam bonorum ſpiritualium, non enim privat bonis ſpiritualibus mere internis, ut ſunt gratia, virtutes, & dona. Non privat charactere, nec poteſtate Ordinis, ſed uſu quorumdam bonorum, puta activa, & paſſiva adminiſtratione Sacramentorum, uſu Ordinum, & Beneficiorum, communibus Eccleſiæ ſuffragiis, & commercio cum baptizatis, quod præſtare poteſt Eccleſia, ferendo cenſuras, quæ in dictorum bonorum privatione conſiſtunt, ut tradit Suarez *diſp. 5. ſect. 1. nu. 6.* Bonacina *de cenſuris q. 1. punct. 1. n. 2.* Ant. a Spiritu S. *tr. 12. diſp. 1. n. 1.* Filliuc. *tr. 15. cap. 2.* Hurtado *de cenſur. in com. diff. 3.* Caſtro Palaus *diſp. 1. punct. 3.*

3. Cenſura eſſentialiter dividitur in tres ſpecies, ſcilicet in Excommunicationem, Suſpenſionem, & Interdictum. Sic enim videtur definitum ab Innocentio III. in cap. *Quærenti, de verb. ſignific.* ubi interrogatus Pontifex, quid per cenſuras intelligeretur, reſpondit, intelligi *Interdictum, Suſpenſionem, & Excommunicationem*, quæ reſponſio Pontificis eſſet imperfecta, ſi præter tres cenſuras ab ipſo enumeratas aliæ ſpecies cenſuræ poſſent aſſignari. Ratio vero eſt, quia ſolis prædictis convenit definitio cenſuræ, non aliis pœnis, quæ non ſunt medicinales, ordinatæ ad correctionem, & emendationem delinquentis, ſed punitivæ, & vindicativæ ſceleris. Sic Irregularitas, ſi provenit ex defectu, non eſt cenſura, cum non ſit pœna, ſed canonicum impedimentum, ſeu inhabilitas ad Ordines ſuſcipiendos, & exercendos: ſi provenit ex delicto, non eſt pœna medicinalis, ſicut nec depoſitio, nec degradatio, ſed punitiva, & ex ſe perpetua; unde non tollitur abſolutione, ſicut cenſura, ſed diſpenſatione, & ob peccatum præteritum, etiam emendatum, poteſt infligi, ut ex communi ſententia tenet Palaus *tract. 27 diſp. 1. p. 1. num. 4.* Ant. a Spiritu S. *loco cit.* & alii communiter.

4. Ceſſatio a Divinis, ſi ab Interdicto diſtinguitur, non eſt proprie pœna, ſed ſimplex prohibitio, ſeu impedimentum quoddam, quo Miniſtri Eccleſiæ prohibentur in univerſum celebrare Divina Officia, miniſtrare Sacramenta, & ſepelire Laicos in loco ſacro, in ſignum mœſtitiæ Eccleſiæ, propter injuriam, quæ illi fuit illata; non autem in pœnam, & vindictam formaliter illius, ac proinde non eſt proprie cenſura; unde ſi quis celebraret dum adeſt ceſſatio a Divinis, peccaret quidem, quia faceret contra prohibitionem Eccleſiæ, ſed non incurreret irregularitatem, quam incurrit, qui cenſura irretitus celebrat, ſeu miniſtrat in Sacris. Bonacina *ſupra num. 4.* Antonius a Spiritu S. *num. 2.* Palaus *num. 4.* Diana *part. 1. tract. 11. reſol. 27.* Leander *tract. 1. de cenſur. diſp. 1. q. 7.*

5. Diſtinguuntur inter ſe hujuſmodi cenſuræ, Excommunicatio, Suſpenſio, & Interdictum, ſecundum diverſum modum, quo hominem privant bonis ſpiritualibus, participatione Sacramentorum, Divinis Officiis, Eccleſiaſtica ſepultura, & hujuſmodi; nam interdictum, ſive locale, ſive perſonale, tollit talia bona ab homine, ſeu a loco, in quo exercentur. Suſpenſio illis privat, prout ſunt actus officii, vel ordinis, ſeu uſus Eccleſiaſticæ poteſtatis. Excommunicatio privat bonis ſpiritualibus, ut ſunt bona communia, quibus Fideles inter ſe communicant, quatenus excommunicatum rejicit a Fidelium communione, vel convictu communi, & ſic privat bonis, quæ ſunt communia Fidelibus.

6. Accidentaliter dividitur cenſura in eam, *quæ eſt a jure*, & in eam, *quæ eſt ab homine*. Illa dicitur *a jure*, quæ fertur a Legiſlatore, cum intentione condendi legem, ſeu ſtatutum generale perpetuum, injuncta tranſgreſſoribus pœna cenſuræ; unde talis cenſura de ſe eſt perpetua, nec ceſſat, mortuo, aut ſuſpenſo Superiore, a quo fuit lata, vel ſi quocumque modo ille perdiderit juriſdictionem; ſed ſemper durat quouſque contraria lege abrogetur, & ſemper ligat præceptum ſub tali cenſura impoſitum. Illa vero dicitur *ab homine*, quæ fertur medio aliquo præcepto temporali, & tranſitorio lato a Judice per ſententiam generalem, aut particularem

circa

circa factum aliquod particulare, aut certas perſonas; unde, mortuo Judice, ſuſpenſo, aut remoto ab officio, ceſſat cenſura ab eo lata, quia nimirum valor cenſuræ pendet a poteſtate ferentis, & ſic ea ablata, vel ſuſpenſa tollitur, aut ſuſpenditur cenſura, niſi forte fuerit jam incurſa, quia tunc ſemper durat uſquedum relaxetur, & abſolutio obtineatur, ex jure communi decernente, cenſuram ſemel incurſam, uſque ad abſolutionem durare, ut docet Leander *quæſt.* 19. Andreas a Matre Dei *tract.* 10. *de cenſur. punct.* 1. *nu.* 16. & cum aliis Bonacina *num.* 5.

7. Differunt etiam hujuſmodi cenſuræ in eo, quod cenſura a jure ſolum reſpicit tempus futurum; fertur namque ſemper ſub conditione peccati futuri, puta *ſi quis percuſſerit Clericum, ſit excommunicatus*. Cenſura vero ab homine reſpicit peccatum præteritum, ut homo commiſſam culpam emendet. Differunt inſuper, quia cenſura, quæ eſt ab homine, trinam exigit monitionem cum intervallo competenti inter unam, & aliam, aut unam pro tribus, includentem ſcilicet tres monitiones, cum trino, eoque competenti intervallo, tum ut contumacia delinquentis magis appareat, tum ut habeat ſpatium, vel ad ſatisfactionem præſtandam, vel ad proponendam ſuam defenſionem. Cenſura vero, quæ eſt a jure, ſolum exigit promulgationem, ut cum Navarro, Soto, Suarez, Sayro, & aliis tenet Leander *qu.* 19.

8. Subdividitur cenſura, ſive ab homine, ſive a jure in eam, quæ eſt *latæ ſententiæ*, & in eam, quæ eſt *ſententiæ ferendæ*. Illa dicitur *latæ ſententiæ*, quam reus ipſo facto incurrit, patrato crimine, ſine alia Judicis ſententia; cenſura vero *ſententiæ ferendæ* eſt tantum comminatoria, quæ non incurritur ipſo facto, patrato delicto, ante ſententiam Judicis, ſed per ſententiam Judicis infligi debet, ſicut aliæ pœnæ. Bonacina *num.* 5. Palaus *p.* 2. *n.* 5. Toletus *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. Candidus *diſquiſit.* 22. *art.* 2. *dub.* 2. Leander *qu.* 12.

9. Dignoſcitur autem cenſura, an ſit *latæ*, vel *ferendæ ſententiæ* ex verbis, quibus profertur. Si enim cenſura feratur per verba indicativi modi temporis præſentis, aut præteriti, cenſetur eſſe latæ ſententiæ, ut ſi dicatur: *excommunicamus, ſuſpendimus, ſciat ſe eſſe excommunicatum, noverit excommunicationem incurriſſe*. Similiter, ſi in ea ferenda dicatur: *ipſo jure, ipſo facto excommunicatus, ſuſpenſus, &c.* item ſi addatur *latæ ſententia, ſine alia declaratione*. Si autem per verba futuri temporis, tunc eſt *ferendæ ſententiæ*, & requirit ſententiam Judicis, ut ſi dicatur: *excommunicabitur, ſuſpendetur; qui hoc fecerit excommunicabitur illum, excommunicetur, ſuſpendatur arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ*, ut cum Palao *diſp.* 1. *p.* 2. *num.* 5. tenet Leander *quæſt.* 14. vel ſi verba ſint comminatoria ſub pœna excommunicationis, ſuſpenſionis, aut anathematis, ſub interminatione, aut interpoſitione excommunicationis.

10. Quando in cenſura apponuntur illa verba, *ſtatim, protinus, confeſtim, mox, illico, continuo*, cenſet Bonacina, eam eſſe *latæ ſententiæ*; ſed alii melius dicunt, non ſemper eſſe latæ ſententiæ, ſed judicandum eſſe de dictis particulis ſecundum exigentiam verborum, quibus adjunguntur; ſi enim dicatur, *illico excommunicetur, aut ſuſpendatur*, eſt ſententiæ ferendæ; ſi autem dicatur, *ſub pœna excommunicationis illico, & ſtatim incurrenda*, continebit cenſuram latæ ſententiæ, ut cum aliis tenet Leander *q.* 17. Si dicatur, *excommunicationem, aut ſuſpenſionem noverit incurſurum*, cenſetur latæ ſententiæ, quia licet verba ſint de futuro, cenſura tamen illico incurritur ex vi legis. Similiter cenſetur latæ ſententiæ, ſi dicatur, *anathema ſit*, aut *ſit excommunicatus*, quæ forma anathematizandi eſt frequens in Conciliis Generalibus, & noviſſime in Tridentino contra hæreticos, de quibus ait, *anathema ſit*, hoc eſt *ipſo facto ſit excommunicatus*.

11. Si dicatur, *indignationem Dei Omnipotentis, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, aut noſtram incurrat*, cenſet Leander, non eſſe cenſuram latæ ſententiæ, quia ſicut, inquit, benedictio Papæ non eſt abſolutio, ita nec maledictio importata per illa verba, eſt cenſura latæ ſententiæ. Similiter ſi dicatur, *præcipio hoc ſub pœna excommunicationis*, & nihil amplius addatur, erit ſolum comminatoria, quia nullum datur verbum indicans eſſe latæ ſententiæ. Verba enim ſunt indifferentia, & abſtrahunt a cenſura lata, vel ferenda, & ideo intelligi debent potius de ferenda, quam de lata, quia odia ſunt reſtringenda, & in mitiorem partem interpretanda: & univerſaliter, quando dubium eſt, an cenſura ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ, judicandum eſt, eſſe ſententiæ ferendæ; nam odia non ſunt amplianda, ſed reſtringenda, & in mitiorem partem accipienda, & interpretanda, ut habet *Regul.* 49. *Juris in* 6. ut cum Suarez, Sayro, Azorio, aliiſque communiter tenet Bonacina *p.* 1. *num.* 5. *fin*, & cum Sanchez, Navar. Layman, & aliis Antonius a Spiritu S. *num.* 7.

DUBIUM II.

De cauſa efficiente Cenſurarum, ſeu quinam poſſint ferre Cenſuras.

12. CErtum eſt, ac fide ſanctum dari in Eccleſia poteſtatem ferendi cenſuras, prout definitum fuit in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. & 9. & in Bulla Martini V. & poſtea contra Lutherum a Leone X. idque conſtat ex verbis Chriſti Domini Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*, id eſt ſegregatus ab omni communione Fidelium, & ab omni participatione ſuffragiorum communium. Sicut Ethnicus eſt ſegregatus ab omni communicatione cum Chriſtianis, & ſicut a publicanis avertebantur Judæi, cum quibus vel cibum ſumere nefas judicabant. Conſtat etiam ex antiquiſſima praxi Eccleſiæ, quæ ſemper a tempore Apoſtolorum uſa fuit poteſtate ferendi cenſuras, ut conſtat ex illo Pauli ad Corinthios 5. *Judicavi tradere hujuſmodi hominem Satanæ, ut ſpiritus ſalvus ſit*, quibus verbis Apoſtolus excommunicavit quemdam inceſtuoſum, qui noverca uxore Patris ſui abutebatur, ut tradunt DD. communiter; unde conſtat, dari in Eccleſia poteſtatem ferendi cenſuras.

13. Hanc poteſtatem ferendi cenſuras habet Eccleſia immediate a Deo conceſſam, unde eſt Juris Divini, non humani, ut habetur in Extrav. *Unam ſanctam de majorit. & obedient.* & tradunt Patres, inter quos Chryſoſt. *Homil.* 4. *in Epiſt. ad Hebræos*, relatus in cap. *Nemo contemnat*, 11. *q.* 3. ait: *Nemo contemnat Eccleſiæ vincula; non enim homo eſt qui ligat, ſed Chriſtus, qui nobis hanc poteſtatem dedit*. Si ergo Chriſtus eſt qui ligat, & qui Eccleſiæ hanc poteſtatem dedit, conſequens eſt, ut poteſtas ferendi cenſuras ſit juris Divini, deſcendens a Chriſto Domino, qui talem poteſtatem dedit Eccleſiæ, prout docent communiter Theologi, & Canoniſtæ.

14. Inſtitutio tamen cenſurarum non eſt de jure Divino, ſed Eccleſiaſtico, ſiquidem ritus, & modus ferendi cenſuras non fuit datus, nec inſtitutus a Chriſto, ſed ab Eccleſia compoſitus, per poteſtatem ab ipſo acceptam; quod idem valet de applicatione cenſuræ, ad hanc, vel illam perſonam, ad hoc, vel illud crimen; nullum enim datur crimen, nec etiam crimen hæreſis, cui jure Divino impoſita ſit cenſura, quamvis oppoſitum docuerint aliqui relati a Leandro *diſp.* 2. *qu.* 4. ſed omnes cenſuræ inſtitutæ fuerunt ab Eccleſia; unde obligatio non operandi contra cenſuram eſt de jure humano ſimpliciter, & immediate: nam obligatio conſurgit ex prohibitione Eccleſiæ; ſed prohibitio Eccleſiæ immediate eſt de jure humano, licet mediate ſit de jure divino; ergo obligatio non operandi contra cenſuram eſt de jure humano. Ex quo fit, Pontificem diſpenſare poſſe in actibus ex cenſura prohibitis, ut excommunicatus, ſi aliàs ſit diſpoſitus, & in gratia, poſſit recipere Sacramenta, quia nimirum Pontifex diſpenſare poteſt ſupra jus poſitivum. Ita Suarez *diſp.* 2. *ſect.* 1. *n.* 6. Filliuc. *tr.* 11. *cap.* 2. *n.* 27. Leander *diſp.* 2. *qu.* 6. Candid. *diſquiſit.* 22. *art.* 6. Raſſellius *de Cenſur. in gen. quæſt.* 2. *art.* 1.

15. Reſp. 1. Illi ſoli poteſtatem habent ordinariam ferendi cenſuras, qui habent juriſdictionem ordinariam in foro externo, eo quod talis poteſtas ferendi cenſuras pertineat ad poteſtatem coërcitivam, ad puniendа delicta, & ſubditos coercendos in foro exteriori, ac proinde qui habet juriſdictionem ordinariam in foro exteriori, habet poteſtatem ferendi cenſuras, quibus ſubditos coerceat, alias talis poteſtas eſſet nimis infirma, & inermis. Juriſdictio ordinaria dicitur illa, quam quis habet ratione Officii, Beneficii, ſeu Dignitatis, cui annexa eſt talis juriſdictio, & acquiritur per electionem ad tale Beneficium, ſeu Prælaturam; eo enim ipſo, quod eſt electus, ex vi proprii muneris, ſeu officii habet juriſdictionem ordinariam in foro exteriori in ordine ad dirigendos, & gubernandos ſubditos. Juriſdictio vero delegata dicitur illa, quam quis habet per delegationem, & commiſſionem ſibi factam ab Ordinario. Sic Alterius *lib.* 3. *diſp.* [illegible] *c.* 1.

16. Poteſtatem [illegible] cenſuras jure ordinario in primis habet Summus Pontifex reſpectu omnium fidelium, ſibi immediate conceſſam a Chriſto Matth. 18. & Joan. 22. *Paſce oves meas*. Deinde habet Concilium Generale legitime congregatum auctoritate Summi Pontificis, cum quo tamquam cum ſuo capite unum efficit corpus: illam habent Epiſcopi in ordine ad proprios ſubditos, *cap.* 1. & cap. *conquerente* 16. *de offic. ordinar.* juncto Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 3. & *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. *de Reform.* competit etiam Cardinalibus in Eccleſiis ſui Tituli, ut conſtat ex cap. *his, quæ de majorit. & obed.* quia in his ſolum in foro externo habent juriſdictionem. Legatis a Latere in territorio ſuæ Legationis, & Vicariis Epiſcoporum, durante illorum officio, quia faciunt unum tribunal

cum Episcopo, Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, Sede vacante, & illius Vicario, quia succedit in jurisdictionem Episcopalem; illam non habent Parochi, quia non habent jurisdictionem in foro exteriori. Illam habent Prælati Regularium Generalis, Provincialis, & Superiores locales, quales sunt Priores, Rectores, Guardiani, & Præpositi respectu suorum subditorum, & omnes illi, qui jurisdictionem habent in foro exteriori. Navarr. c. 27. num. 5. Suarez disp. 2. sect. 2. num. 9. Bonacina p. 3. num. 5. Leander quæst. 15.

17. Resp. 2. potestatem delegatam ferendi censuras habent illi, quibus fuerit concessa ab habente potestatem ordinariam; nam jurisdictio, seu potestas ordinaria potest alteri delegari, non sic delegata, nisi sit communicata cum facultate subdelegandi, l. More majorum ff. de Jurisd. ordin. Judic. & dependet, tum in fieri, tum in conservari a delegante, adeo ut, si re integra delegans moriatur, delegatio extinguitur; secus si res non sit integra, caussa inchoata, cap. gratum, & cap. Licet de offic. delegat. Suarez disp. 2. sect. 2. Alterius lib. 3. disput. 7. cap. 1. Rastellius qu. 2. art. 2. num. 7.

18. Ut autem quis potestatem habeat sive ordinariam, sive delegatam ferendi censuras primo requiritur, ut sit homo viator: nam censura est gladius militantis Ecclesiæ, & sic per ministros in ea militantes exerceri debet; unde nec Angeli, nec Beati sunt capaces istius jurisdictionis, ut cum D. Thoma 3. p. quæst. 64. art. 7. tradunt Ugolinus tab. 1. cap. 2. §. 2. Reginaldus lib. 9. nu. 114. Alterius lib. 3. disp. 7. cap. 6. Secundo, ut sit compos usus rationis, quia carens usu rationis jurisdictionis actum ad censuram necessarium exercere non potest; & inde nec puer ante usum rationis, nec perpetuo amens, aut stultus potest recipere hanc potestatem. An vero saltem committi possit puero carenti usu rationis, ut illam exerceat postea factus adultus, seu recuperato usu rationis, affirmat Alterius loco cit. col. 3. eo quod cap. ex ratione, de ætat. & qualit. Pontifex non declaraverit irritas collationes Ecclesiarum factas pueris a quodam Episcopo, sed solum dixerit administrationem dictarum Ecclesiarum Clericis idoneis esse committendam, donec pueri pervenerint ad ætatem congruam; sed probabilius est, non posse committi puero, quia ad recipiendam talem potestatem requiritur consensus, quem habere non potest incapax usus rationis. Nec obstat ratio desumpta ex c. ex ratione, quia Ecclesia non fuerat collata puero ante usum rationis, sed habenti usum rationis, ante tamen legitimam ætatem, quam Pontifex supplere voluit. Ita Suarez disp. 2. sect. 2. nu. 4. Rastellius quæst. 2. art. 2. vers. secunda condit. Antonius a Spiritu Sancto disp. 1. numer. 23. & alii apud ipsum.

19. Tertio requiritur, ut sit baptizatus; quia sine baptismo quis non est membrum Ecclesiæ, nec capax jurisdictionis Ecclesiasticæ necessariæ ad ferendas censuras. An vero de plenitudine potestatis possit a Pontifice delegari non baptizato, negant Suarez sect. 3. numer. 12. Candid. disquis. 22. art. 6. dub. 2. dicto 5. Bonacina p. 2. vers. fit tertia conditio. Sed alii probabilius affirmant, quia infidelis solum jure Ecclesiastico, non jure Divino est incapax ferendi censuras, & jurisdictionis; si enim jure Divino potest conferre baptismum, poterit etiam ferre censuras, si ei potestas, & jurisdictio delegetur. Ita Lugus de fide disp. 23. sect. 3. n. 112. Ugolinus tabula 1. c. 2. §. 9. Hurtad. diff. 4. num. 3. Candid. disquis. 21. art. 6. dub. 2. dicta 3. Diana part. 8. tr. 1. resol. 39. Leander disp. 3. q. 32.

20. Quarto requiritur, ut sit Vir, quia femina de jure ordinario nullam potest habere jurisdictionem Ecclesiasticam, ut constat ex cap. de Monialib. de senteat. excommunicat. & cap. dilecta de majoritate. An vero de plenitudine potestatis possit Pontifex committere feminæ facultatem ferendi censuras, disputant pro utraque parte Doctores; prima sententia negat, quia talis potestas, saltem mediate spectat ad clavem Ordinis, cujus feminæ sunt incapaces jure Divino, in quo Pontifex dispensare non potest. Avila 2. punct. de censur. dub. 6. concl. 1. Coninch disp. 13. dub. 4. nu. 33. Andreas a Matre Dei pun. 5. num. 4. quia nulli unquam feminæ, nec Beatissimæ Virgini, fuit sive a Christo, sive ab Ecclesia concessa talis facultas. Nec obstat, quod in cap. dilecta de Majoritate, dicatur, Abbatissam suspendisse Clericos sibi subjectos ab officio; nam talis suspensio non fuit censura, sed mera prohibitio, ob cujus violationem non fuisset contracta irregularitas: ex quo sequitur, Abbatissam, seu Prælatam Monialium imponere non posse præcepta spiritualia, seu in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ, quia hæc præcepta sunt actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, seu spiritualis, sed solum politica, ac domestica, ut Mater familias, aut Pater filiis, & civibus Magistratus, quibus subditi tenentur obedire in conscientia juxta gravitatem, & qualitatem rei præceptæ, si ex intentione obligandi procedunt, ut cum Pellizario, Portel. Candido, Bonacina, & aliis tenet Andreas a Matre Dei supra n. 49. sequitur Diana part. 5. tr. 9. resol. 15.

21. Sed alii etiam probabiliter affirmant, cum non sit contra Jus Divinum, vel naturale, Summum Pontificem posse hujusmodi facultatem concedere, quia nec remote spectat ad clavem Ordinis, sed solum jure Ecclesiastico sit illis hoc prohibitum. Nec obstat, quod nec a Christo, nec ab Ecclesia umquam fuerit talis facultas feminæ concessa, quia numquam adfuit publica, aut privata necessitas id concedendi. Sic Palud. in 4. dist. 19. q. 2. Sotus dist. 20. q. 1. art. 4. Henriquez lib. 13. c. 24. Suarez Saynus, Salas, Ugolin. Layman, & alii, quos longa serie refert, & sequitur Leander disp. 2. q. 31.

22. Quinto requiritur, ut sit Clericus, saltem primæ tonsuræ, quia censura ab eo ferri debet, qui jurisdictionem habet Ecclesiasticam, ex cap. Decernimus de Judiciis, & cap. Ecclesia de constit. non est tamen necesse, quod sit in Sacris constitutus, aut habeat Ordines Minores, ex cap. transmissam de sententia excom. cap. cum contingat de ætat. & qualit. ordinand. sed sufficit, ut habeat primam tonsuram, per quam homo redditur capax jurisdictionis Ecclesiasticæ, non tamen debet esse conjugatus, quia ille non est capax administrationis Ecclesiasticæ, quamvis cum unica virgine contraxerit, & deferat habitum, & tonsuram Clericalem, & gaudeat privilegio Canonis, & Fori, ex cap. 1. de Cleric. conjug. in 6. & cap. 2. de Cler. conjug. Idem a fortiori dicendum est de Laicis, ex cap. bene quidem dist. 96. juncta Gloss. Abbas in cap. Ecclesia S. Mariæ, n. 5. de constit. & cap. judicatum dist. 89. Immo nec Religioso professo laico, seu qui non est Clericus, committi potest hæc potestas, ut est communis sententia tradunt Doctores relati a Leandro disp. 3. q. 21. Non obstat tamen, quin Pontifex de plenitudine potestatis illam possit conferre laicis, quia Jurisdictio Ecclesiastica, & potestas ferendi censuras, quod solis Clericis committatur, & delegetur, non est de jure Divino, sed de jure Ecclesiastico, ex cap. decernimus de Judiciis, ac proinde potest ex justa caussa Pontifex etiam laicis illam committere; Navarr. cap. 27. n. 6. Ugolinus tab. 1. cap. 2. §. 10. Suarez disp. 2. sect. 3. num. 12. Alterius lib. 3. disp. 7. cap. 6. col. 6. Hurtad. de Censur. in communi diffic. 4. num. 13. Henriquez, Fillincius, Layman, & alii, quos affert, & sequitur Leander qu. 27.

23. Sexto requiritur, ut usus Jurisdictionis non sit impeditus per excommunicationem, suspensionem, vel appellationem; non enim potest publice suspensus, & excommunicatus non toleratus ab Ecclesia, exercere jurisdictionem Ecclesiasticam, aut ferre censuras, cum sit tali jurisdictione privatus, ut fusius dicam inferius suo loco. Similiter si ante prolatam censuram fuit interposita legitima appellatio, non potest Judex amplius illam proferre, cum per legitimam appellationem remaneat suspensa facultas, & jurisdictio in Judice, ut habetur in cap. Romana, & cap. Si a Judice de appellat. in 6. juncta Gloss. verb. temeris. Nec item potest Judex censuram ferre in se ipsum, quia actus ferendi censuras est actus jurisdictionis per modum sententiæ coactivæ, cap. a nobis de sentent. excomm. quam nemo potest ferre in se ipsum, sed in sibi subditum; unde si Episcopus sub excommunicatione generaliter prohibeat ludum, aut furtum, non remanet ipse excommunicatus, si ludat, aut furetur. Ita cum aliis Andreas a Matre Dei cap. 1. num. 40. Nec item Judex, seu Prælatus potest ferre censuram per modum judicii in caussa propria, ut constat ex cap. inter querelas 23. quæst. 4. quia nemo potest esse Judex in caussa propria, nec possit esse actor, & Judex, quia qua parte est actor debet esse subditus, & qua parte est Judex debet esse Superior, nisi quando caussa est adeo publica, ut negari non valeat, vel quando censura fertur in propriam defensionem, ad vitandam injuriam, quam subditus vult irrogare Superiori, quia cum vim repellere liceat, poterit quis uti propriis armis ad id faciendum, cap. dilecto de sent. excom. in 6. Andreas a Matre Dei num. 44. Antonius a Spiritu Sancto disp. 1. num. 17. Bonacina quæst. 1. punct. 2. num. 4. Suarez disp. 2. sect. 7. num. 1. Diana part. 5. tract. 9. resol. 50. Leander quæst. 42.

DUBIUM III.

De caussa materiali remota, seu subjecto Censuræ.

24. RESP. subjectum capax, in quod ferri potest censura, est homo viator, baptizatus, adultus, doli capax, determinatus, & subditus jurisdictioni ferentis censuram, est communis, & certa, & facile patebit ex sola explicatione. Ad hoc igitur, ut subjectum sit capax censuræ debet esse homo viator, cujus nomine venit etiam femina: excluduntur creaturæ irrationales, quæ, cum sint incapaces culpæ, sunt etiam incapaces censuræ, quæ fertur propter culpam; & si aliquando locusta, bru-

bruta, & animalia nociva anathematizantur, & excommunicantur, hoc non fit ex intentione ferendi censuras, sed ex intentione detestandi, execrandi, & illis maledicendi, postulando a Deo, ut illa destruat, & ad nihilum redigat: unde superstitiosa est aliquorum locorum consuetudo, seu corruptela præcipiendi locustis, & animalibus nocivis, ut intra certum dierum spatium sub pœna excommunicationis latæ sententiæ discedant a talibus locis. Navarr. *cap. 27. nu. 13. & Consil. 52. de sentent. excomm.* Suarez *disp. 5. sect. 1. n. 2.* Bonacina *punct. 4. n. 5.* Palaus *disp. 1. punct. 6. n. 1.* Antonius a Spiritu Sancto *disp. 1. num. 20.* Leander *disp. 3. q. 1.* Excluduntur etiam dæmones, qui, sicut sunt incapaces emendationis, ita sunt incapaces censuræ, quæ fertur propter delictum, & contumaciam, ad emendationem ipsius contumacis: quando autem exorcismis anathematizantur, sumitur *anathema* non pro censura, sed pro maledictione, & detestatione, quia exorcistæ virtute, & potestate Ordinis, & orationum ab Ecclesia institutarum volunt compellere Dæmones, ut exeant a corporibus obsessis, aut aliis locis, & nocere desinant.

25. Debet esse *Viator*, quia mortui, sicut sunt extra Ecclesiam militantem, ita non possunt ligari censuris, quæ sunt arma Ecclesiæ militantis, quibus utitur contra delinquentes contumaces, ut resipiscant, & emendentur; solus autem homo viator est contumax contra Ecclesiam, solusque potest emendari; non defunctus, qui, si est jam condemnatus, non potest amplius emendari; tum quia Ecclesia non habet jurisdictionem in mortuos, sed in viatores solum, ut habetur ex verbis Christi Matth. 18. *quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlis*; sed mortui non sunt amplius super terram; & sic non possunt ligari censura: non enim potest afficere corpus, quod est incapax rationis, & emendationis, nec animam separatam, quæ jam est extra forum Ecclesiæ militantis. Unde quando mortui absolvuntur ab excommunicatione, quam in vita incurrerunt, non est, quia adhuc sint ligati censura, quæ cum vita expiravit, sed hoc solum fit, ut fideles possint eos sepelire in loco Sacro, & pro eis orare; sicut quando Ecclesia publicum peccatorem mortuum privat Ecclesiastica sepultura, & suffragiis, hoc non facit exercendo directam jurisdictionem in mortuum, sed indirectam, quatenus præcipit vivis, ne pro mortuis suffragia ferant, aut illos sepeliant in loco Sacro, ut cum Navarr. Suarez, Sayro, Vasquez, & Ugolino tenet Bonacina *punct. 4. num. 5.* Antonius a Spiritu Sancto *n. 20.* Andreas a Matre Dei *punct. 13. n. 163.* Palaus *punct. 6. n. 5.* Candidus *disquis. 22. art. 9.* & alios referens Leander *disp. 3. qu. 4.*

26. Hinc sequitur, non incurri excommunicationem ab illo, qui mandavit percussionem Clerici, si ante percussionem moriatur, quia post mortem non est amplius capax excommunicationis; si enim decessit in gratia, jam est liber coram Deo, si decessit in peccato, non eget suffragiis; ut enim mandans incurrat excommunicationem debet esse vivus, non solum quando mandatum dedit, sed quando delictum fuit consummatum. Bonacina *n. 3.* Leander *qu. 6.*

27. Debet esse *baptizatus*, quia Judæi, Pagani, & alii infideles non baptizati, quamvis Cathecumeni, non pertinent ad Jurisdictionem Ecclesiæ, nec sunt capaces censuræ, quia de illis Ecclesia judicare nequit, juxta illud Apostoli ad Corinth. 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Hæretici autem, Apostatæ, & Schismatici, cum sint baptizati, sunt subjecti jurisdictioni Ecclesiæ, & sic possunt ligari censuris, si legem, vel præceptum Superioris sui Ecclesiastici v. gr. Papæ sub censura positum transgrediantur, arg. can. *de Judæis 5. dist. 45.* cap. *Majores 3. de Baptismo* Bonacina *nu. 6.* Palaus *disp. 1. punct. 6.* & alii communiter.

28. Debet esse *adultus, & doli capax*, nam infantes, furiosi, & amentes, cum non sint capaces rationis, veræ culpæ, & contumaciæ, nec etiam sunt capaces censuræ; si tamen adulti habeant lucida intervalla, tunc sunt capaces censuræ pro illo tempore, quo habent lucida intervalla, vel si ante amentiam, & furorem, vel insaniam aliquod delictum perpetrarunt, cui est annexa censura, illam incurrere possunt tempore amentiæ; puta si quis habens usum rationis mandavit servo percutere Clericum, idque servus exequatur, postquam mandans incidit in amentiam, tunc excommunicationem incurrit tempore insaniæ propter culpam antecedenter commissam; sicut eam incurreret, si percussio sequatur, dum dormit, aut ebrius est, quia mandatum per amentiam, aut somnum non fuit revocatum.

29. Pueri post septennium ratione utentes possunt ligari censuris, tum a jure, tum ab homine latis, si Ecclesia vellet eos censuris ligare, quia cum sint capaces peccandi mortaliter, & obligationis præcepti, ita possunt ligari censuris, si sint contumaces, & Ecclesia velit censuris illos ligare. Sic Suarez *disp. 5. sect. 1. nu. 18.* Coninch. *disp. 13. dub. 6. num. 41.* Palaus *disp. 1. punct. 6. num. 2.* Bonacina *num. 7.* De facto tamen pie credendum est, piam matrem Ecclesiam nolle pueros ante pubertatem, id est masculos ante 14. annum, & feminas ante 12. censuris cogere ad sua præcepta servanda, nisi exprimatur, & transgressores censuris punire, quamvis id possit, quia impuberes potius virgis, quam censuris sunt corrigendi, ut cum Ægidio, Coninch. *disput. 13. dub. 6. n. 45.* tenet Leander *disp. 3. quæst. 13.* Andreas a Matre Dei *cap. 1. num. 168.* Antonius a Spiritu Sancto *num 22.* Bonacina *num. 7.* Diana *punct. 5. tr. 9. resol. 46.* & alii communiter.

30. Idque etiam colligitur ex *cap. 1. & 2. de delictis puerorum*, ubi, etsi pueri ante pubertatem peccare possint, ex benignitate tamen Ecclesiæ a pœna peccato debita excusantur, ut cum aliis tenet Palaus *de legib. pun. 24. §. 2. n. 8.* ubi etiam illos excusat a pœnis a jure, & ab homine generaliter latis, præterquam a sententia excommunicationis ipso jure lata ob percussionem Clerici, quam, propter ejus gravitatem, ait contrahi etiam a pueris ante pubertatem, ex cap. *super eo*, cap. *pueris*, *c. quamvis de sent. excommunicationis.* Verum quia *cap. 1. de delictis puerorum* generaliter loquitur, & generaliter eximit pueros a pœna debita delictis, asserunt nonnulli, pueros eximi etiam a pœna excommunicationis propter percussionem Clerici, quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Ex quo sequitur, pueros Clericos mutuo pugnis se se percutientes non incurrere excommunicationem, Can. *si quis suadente*, immo nec Censuras Bullæ Cœnæ, & consequenter, nec reservationem dictorum Casuum, quia in Bulla Cœnæ casus non est reservatus, nisi cum excommunicatione conjunctus.

31. Debet esse *persona determinata*, si loquamur de sententia excommunicationis, quæ ferri non potest in totam aliquam Civitatem, Collegium, aut Universitatem, sed ferri debet in personam determinatam, seu in singulos seorsim, quos constiterit esse culpabiles, ut habetur cap. *Romana de sent. excommunic. in 6.* Cum enim excommunicatio non feratur, nisi propter peccatum mortale, & hoc sit actio personalis, non Communitatis, in qua sunt plures innocentes, & innoxii, & ideo tota Communitas, seu Universitas excommunicari non potest, ne innoxii sine culpa puniantur, quæ ratio indicatur in dicto cap. *Romana*, ubi Pontifex statuit, sententiam excommunicationis, non in totam Universitatem, sed in singulos inventos culpabiles promulgari debere: *Volens animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret, innoxios hujusmodi sententia irretiri.* Palaus *disp. 1. punct. 6. num. 3.* Bonacina *num. 8.* Andreas a Matre Dei *n. 169.* Si excommunicatio feratur indeterminate in aliquem de Communitate, qui tale delictum fecit, nullum determinando in particulari, nulla erit censura, quia est sententia incerta, & indefinita, quæ nullum parit effectum, ut cum communi sententia tenet Suarez *disp. 5. sect. 2. n. 3.* Filliuc. *cap. 5. n. 137.* Anton. a Spiritu S. *num. 28.*

32. Potest tamen excommunicatio ferri per modum præcepti contra totam Communitatem, seu Collegium; ut si Superior dicat, qui de tali Communitate fecerit hoc delictum, sit excommunicatus; nam tunc excommunicatio non afficit ipsam Communitatem, sed singulares personas talis Communitatis, quæ per suum delictum sufficienter determinantur. Similiter si Superior prohibeat sub pœna excommunicationis, ne aliquis exeat de Collegio, tunc si omnes contravenianı præcepto, singuli manent excommunicati; nam excommunicatio non cadit supra Collegium in communi, sed in singulos delinquentes. Ita ex communi sententia Bonacina *num. 8.* Ant. a Spiritu S. *num. 29.*

33. Potest tamen tota Civitas, Collegium, & Universitas interdici, & suspendi, ut habetur cap. *Si sententia §. in universitatem, de sent. excomm. in 6.* Ratio disparitatis est, quia suspensio, & interdictum non sunt pœnæ ita graves, sicut excommunicatio, quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragiis, sicut excommunicati, nec requirunt contumaciam personalem, sed sufficit contumacia in capite; unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur, sicut & totum Regnum ponitur sub interdicto pro peccato Regis, ut cum Divo Thoma tenet Andreas a Matre Dei *nu. 170.* Sotus *quæst. 2. artic. 2.* Navarrus *in man. cap. 27. num. 168.* Candidus *disquisit. 22. art. 9. dub. 7.*

34. Debet esse *subditus jurisdictioni ferentis censuram*, quia censura, cum spectet ad jurisdictionem coactivam, ferri non potest, nisi in subditum, & inferiorem, cum par in parem non habeat imperium, cap. *Innotuit, de elect.* nec inferior in Superiorem, cap. *Cum inferior 16. de Major.* Hac ratione diximus supra *n. 25.* neminem posse ferre censuram in se ipsum, quia nullus est inferior se ipso, nec habet potestatem coactivam contra

tra se ipsum, nec etiam videtur capax hujusmodi potestatis, ut bene notat Bonacin. *punct.* 4. *n.* 12.

35. Hinc sequitur, Papam non posse ligari censuris, nec a jure, nec ab homine, cum nulli sit subjectus, nec habeat in terra Superiorem; & quamvis legibus Ecclesiasticis sit subjectus quantum ad vim directivam, non tamen quantum ad vim coactivam, estque auctor juris positivi, & illo superior, ut constat ex Can. *Cuncta per Mundum 9. quæst.* 3. cap. 1. *de constitut.* cap. *Proposuit, de concess. Præben.* Quod si forte Papa incideret in hæresim, tunc posset a Concilio Generali judicari, & deponi, & censuris ligari, ut colligitur ex cap. *si Papa dist.* 40. Ita Sylvester *verb. Excommunicatio num.* 8. Sotus in 4. *dist.* 22. *quæst.* 2. *art.* 2. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 25. *num.* 3. Andreas a Matre Dei *num.* 159. Leander *disput.* 3. *quæst.* 18.

36. Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi ligantur censuris a jure latis, nisi specialiter eximantur, quia omnes habent Papam superiorem, & illi subjiciuntur; non ligantur tamen interdicto, & suspensione generaliter, nisi specialiter exprimantur, ut habetur ex cap. *Quia periculosum de sentent. excommunic.* in 6. & tradit Bonacina *n.* 11. Imperatores, & Reges, secundum jus commune, tum antiquum, tum novum, possunt non solum a Papa, sed etiam ab Episcopis ligari censuris; & de facto nonnulli Imperatores fuerunt ab Episcopis censuris ligati, quia licet non habeant superiorem in terris quoad potestatem sæcularem, illum tamen habent quoad potestatem spiritualem, ut proinde possint ligari censuris. Alterius *lib.* 3. *disp.* 10. *c.* 5. Covarr. *cap. Alma in princ.* & *lib.* 2. *var. cap.* 6. D. Antonin Avila, Henriquez, quos sequitur Leander *quæst.* 19. & 20. Hodie tamen ex privilegio particulari Reges, & Imperatores sunt exempti a jurisdictione Episcoporum, ita ut non possint ab Episcopis sine auctoritate Papæ censuris ligari. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 25. *num.* 5. Avila 2. *part. cap.* 4. *disp. unica, dub.* 4. Palaus *disp.* 2. *punct.* 6. *num.* 3. Bonacina *punct.* 4. *num.* 15. Anton. a Spiritu S. *num.* 26. Leander *quæst.* 22.

DUBIUM IV.

An una Censura ligatus possit aliis pluribus ligari.

37. Certum est, eumdem hominem posse simul ligari pluribus censuris diversæ rationis, & speciei. Sic excommunicatus adhuc potest suspendi, aut interdici, aut e contra; cum enim sint diversæ rationis, nil obstat quo minus in eodem subjecto simul reperiri possint, cum singulæ sint diversorum bonorum privationes, & sic, saltem propter diversa crimina, possunt incurri. Possunt etiam plures censuræ, non solum diversæ, sed etiam ejusdem rationis simul reperiri in eodem subjecto; & qui semel excommunicatus est propter Clerici percussionem, potest iterum excommunicari, vel propter novum delictum, vel propter novam percussionem ejusdem, vel alterius Clerici, ut colligitur ex cap. *Cum pro causa de sent. excommunic.* cap. *Engeltrudam* 3. *q.* 4. cap. *Ita quorumdam de Judæis*, & Clement. 1. *de sepulturis*; & ita tenent D. Thomas *in addit. q.* 22. *art.* 6. Palaus *pun.* 6. *num.* 5. Bonacina *punct.* 5. *n.* 1. Suarez *disp.* 5. *sect.* 2. *num.* 5. Anton. a Spiritu S. *disp.* 1. *n.* 31. Sotus *disp.* 22. *art.* 1. *concl.* 3. & alios referens Leander *q.* 33.

38. Nec dicas: *Censura est privatio bonorum spiritualium; sed semel privatus non potest iterum eisdem bonis privari, sicut semel cæcus non potest iterum privari visu; ergo semel excommunicatus, non potest iterum privari bonis spiritualibus, quibus jam per primam censuram est privatus.* Sed contra dico, censuram esse impedimentum quoddam morale, privans hominem bonis spiritualibus. Non implicat autem, quod hæc impedimenta possint in eodem subjecto multiplicari, quibus novo titulo subjectum privetur illis bonis; sicut privatus gratia habituali per peccatum mortale potest novo titulo privari, si novum peccatum superveniat, juxta ea, quæ dicuntur in *tract. de peccatis.*

39. Tot autem multiplicantur censuræ, sive ejusdem, sive diversæ rationis, quot sunt transgressiones, & actus moraliter distincti sub censura prohibiti; secus si talem distinctionem non habeant, quamvis sint physice diversi, ea ratione, qua *tract.* 7. *de Sacram. Pænit. cap.* 7. *n.* 27. diximus, multiplicari numero peccata per moralem interruptionem. Inde, qui pluries Clericum graviter percussit cum morali interruptione, plures excommunicationes incurrit, quia plura committit peccata: si autem pluries sine interruptione morali eum percutiat, unicam incurrit excommunicationem, licet gravius peccet, quia moraliter hæc censetur una tantum percussio, & unum peccatum, ut constat ex cap. *Cum pro causa, de sentent. excommunic.* ubi, qui Clericum in dormitorio verberavit, & eumdem verberando per claustrum traxit, semel excommunicatum fuisse dicitur. Qui tota nocte ludit contra prohibitionem, semel tantum lusisse videtur, ut inquit Bartolus, quem sequitur Navarr. *de pœnit.* cap. *Consideret*, *n.* 49. & sic unam tantum incurrit excommunicationem, si ludus sit sub excommunicatione prohibitus. Ita Bonacina *punct.* 5. *num.* 5. Suarez *disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 3. Candidus *disquisit.* 22. *art.* 10. *dub.* 12. Leander *disp.* 3. *qu.* 38.

40. Qui facit actum realiter unum, habentem plures malitias specie distinctas, omnes, & singulas sub censura prohibitas, tot incurrit censuras, quot sunt in illo actu malitiæ specie distinctæ. Inde si lata sit excommunicatio contra fures, & contra sacrilegos, duplicem censuram incurrit, qui rem sacram furatur in Ecclesia. Qui tempore interdicti publice excommunicatum sepelit in Ecclesia, duplicem incurrit excommunicationem, immo quadruplicem, si ille erat etiam nominatim interdictus & publicus usurarius, ut patet ex *Clement.* 1. *de sepulturis*, ubi sub excommunicatione latæ sententiæ ista quatuor prohibentur, nempe sepelire in loco sacro usurarium denuntiatum, excommunicatum, & interdictum, & quemlibet sepelire tempore interdicti extra casus concessos. Suarez *disp.* 5. *sect.* 3. *num* 13. & 14. Bonacina *punct.* 5. *num.* 10. Candidus *disquisit.* 22. *artic.* 11. *dub.* 3. Saytus *de censuris cap.* 10. *num.* 10. Diana *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 60. Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *nu.* 178. Leander *quæst.* 40.

41. Qui unica explosione bombardæ plures occidit Clericos, unicam incurrit excommunicationem, quia probabile est, quod ibi unum tantum reperiatur peccatum, & unica transgressio, ut diximus *loco cit. de pœnit.* nam qui unico impetu decem occidit homines; unico verbo lædit famam multorum; optat mortem Petri cum tota sua familia; qui maledicit Deo, & duodecim Apostolis, unum tantum peccatum committit, quia, licet sint plura subjecta, sumuntur tamen per modum unius ad specificandum unicum actum. Similiter, qui plures simul extrahit ab Ecclesia, aut simul cum pluribus versatur excommunicatis, unicam contrahit excommunicationem, quia est unica actio, & unica transgressio, ut diximus *loco cit. de pœnit.* Suarez *sect.* 3. *nu.* 8. Bonacina *punct.* 5. *n.* 7. quamvis in fine dicat, oppositum esse probabilius, & in praxi sequendum Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *n.* 180. Leander *qu.* 41. & 42.

42. Qui percutit Monachum, qui simul est Clericus, duplici ligatur excommunicatione, quia cum status Clericalis, & Monasticus inter se sint distincti, talis percussio duplicem continet malitiam specie distinctam, & censetur duplex transgressio; una contra reverentiam debitam statui Clericali, altera contra reverentiam debitam statui Religioso; nam circumstantia Monachi diversa est specie a circumstantia Clerici, & sic duas incurrit excommunicationes, ut cum Suarez tenet Bonacina *pun.* 5. *n.* 9. Candid. *disquisit.* 22. *art.* 3. *dub.* 2. Diana *part.* 9. *tr.* 9. *resol.* 60. & alios referens Leander *q.* 48. Secus tamen dicendum est, si quis percutiat Clericum habentem plures Ordines, quia cum talis pluralitas ad eumdem statum Clericalem spectet, una tantum censetur specie percussio, & sic unam tantum infert excommunicationem. Suares, Bonacina, Candid. Diana, Leander *loc. cit.*

43. *An vero plures incurrat censuras, qui facit actum pluries ab eodem, vel a pluribus Superioribus sub censura prohibitum.* Resp. non incurrere, nisi unam censuram, qui facit actum ab eodem Superiore pluries sub censura prohibitum, nec si faciat actum prohibitum a pluribus Superioribus eamdem potestatem habentibus, puta a diversis Pontificibus, quia moraliter censetur unus Superior, ut si diversæ sint personæ, & unica excommunicatio, licet pluries repetita; secus si talis actus prohibitus sit a diversis Superioribus distinctam potestatem habentibus v. g. a Summo Pontifice, & ab Episcopo prohibitus sit, propter duplicem contumaciam formalem in eo actu repertam: modo tamen Superior novam intendat ferre censuram tamquam suam; nam si alter vult, & intendat solum alterius censuram innovare, aut publicare, non nisi unicam censuram incurreret. Unde qui peccat contra aliquod præceptum Bullæ Cœnæ, non nisi unicam censuram incurrit, quamvis hæc Bulla in ipsius Diœcesi singulis annis publicetur, & innovetur, quod verum est, etiamsi secundus Superior censuram reservet, quæ non erat a primo Superiore reservata, quia reservatio non mutat speciem censuræ, vel transgressionis, vel contumaciæ. Sic Suarez *disp.* 5. *sect.* 3. *n.* 13. Coninch *de pœnit. disp.* 7. *dub.* 6. *n.* 46. Saytus *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 11. Bonacina *punct.* 5. *n.* 55.

44. Nec dicas: *qui facit contra plures leges, & præcepta ex eodem motivo imposita, etiam a diversis Superioribus, non nisi unum committit peccatum, & unam transgressionem, & sic unam solum incurrit censuram, ut tenet Antonius a Spiritu Sancto disp. 1. de censuris n. 34. ubi pro se citat Alcasem, Bonaventuram, Ricardum, & alios.*

Sed

sed contra dico, quod licet realiter sit unicum peccatum, & unica transgressio, continet tamen duplicem contumaciam, & inobedientiam, cum sit transgressio duplicis Superioris diversam potestatem habentis. & sic transgressor, cum sit multipliciter contumax, pluresetiam censuras incurrit, ut tenet Bonac. & cum Suarez, & Palao, Leander *qu.* 34. *&* 35.

D U B I U M V.

De caussa, ob quam ferri potest Censura.

45. RESP. Censura gravis, cujusmodi est Excommunicatio major, Suspensio personalis, & Interdictum, quod ferri non potest, nisi ob peccatum mortale consummatum externe contumaciter contra præceptum Ecclesiasticæ potestatis, est communis, & certa. Et quidem quod requiratur peccatum aliquod, ex eo patet, quod censura est pœna spiritualis, quæ infligi non potest, nisi propter aliquod peccatum; nam pœna supponit culpam, unde non sufficit ad incurrendam censuram sola Prælati voluntas, sed prærequiritur delictum subditi. Si enim pro arbitrio suo, nulla existente rationabili caussa extrinseca contra aliquem, Prælatus ferret censuras, graviter peccaret, quia abuteretur potestate sibi tradita in destructionem, non in ædificationem, & censuræ essent prorsus nullæ, & irritæ, sicut nulla, & irrita est sententia voluntarie prolata a Judice contra innocentem, ut cum Avila *1. p. dub.* 9. notat Bonac. *pun.* 3. *num.* 2.

46. Peccatum, & contumacia, ob quam fertur censura, debet esse propria illius, contra quem fertur, si loquamur de majori excommunicatione: idem valet de interdicto, & suspensione personali, quæ cum sit pœna spiritualis gravissima, ferri non potest, nisi ob peccatum proprium, & in personas singulares, & contumaces, ad differentiam suspensionis, & interdicti, quæ generaliter ferri possunt ob peccatum alienum, nam sæpe feruntur in Communitatem, ob delictum tantum unius illius Communitatis; cap. *Si sententia, de excom. in* 6. quo casu non proprie fertur in pœnam illius, qui non peccavit, sed in pœnam delinquentis, ut resipiscat, videns quod innocentes sua caussa gravantur, cujus signum est, quod innocentes, si mutant domicilium, ita ut non sint amplius pars talis Communitatis, non sunt amplius interdicti, quod non valet de illo, qui est specialiter interdictus, qui quocumque vadat, est semper interdictus, donec absolvatur, cap. *si habes qu.* 3. & ita cum Suar. Ugolino, Sayro, & aliis tenet Bonac. *pun.* 3. *n.* 3. Diana *pun.* 3. *tr.* 6. *resol.* 51. *& par.* 5. *tr.* 4. *resol.* 8. Ant. a Spiritu S. *num.* 39.

47. Nec dicas: *innocentes quandoque puniri propter peccatum alterius; nam Deus multoties punit filios propter delicta parentum, & subditos propter peccata Principum; ergo potest quis excommunicari, & censura innodari propter peccatum alterius.* Sed contra dico, filios, & subditos proprie, & rigorose non puniri propter peccata parentum, & Principis; nam pœna in rigore sumpta supponit culpam, gravantur tamen pœnalitatibus, & malis in quantum sunt aliquid patris, aut pars communitatis, & malum illud pœnæ conducit ad majus bonum: qua ratione infirmus privatur membro, si conducit ad majus bonum totius corporis; & in bello justo innocentes occiduntur, in quantum hoc conducit ad tranquillitatem Reipublicæ, & pacem publicam tuendam. Sic puniuntur filii, & subditi ob delictum parentum, aut Principum, ut alii hoc videntes abstineant a malo perpetrando, dum propter illorum delictum puniuntur etiam filii, & subditi.

48. Hoc peccatum debet esse grave, & mortale, quia pœna, ut sit justa, debet esse proportionata culpæ; sed excommunicatio est pœna gravissima, cap. *Cum non ab homine* 10. *de judiciis*; ergo ferri non potest, nisi pro culpa gravi, ut habetur can. *Nemo Episcopus* 39. can. *Nullus Sacerdotum* 11. *qu.* 3. Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.* dum monet, *excommunicationem non debere ferri, nisi propter peccata gravissima*; & inde non valet excommunicatio major, aut alia censura gravis lata pro peccato veniali, puta pro levi furto, aut verbo otioso. Certe imprudens esset, ac severus medicus, qui pro infirmitate levi acerbissimas pœnas applicaret ægroto, & membrum secare, aut exurere vellet, quando leviori, & minori medicamine posset sanare. Suarez *disp.* 4. *sect.* 4. *n.* 1. Navarr. *cap.* 27. *n.* 253. Ant. a Spiritu S. *n.* 36. Candid. *disquisit.* 22. *art.* 27. *dub.* 2. *&* 3. Bonacina *pun.* 3. *num.* 6.

,, *Vide auctoritates adhuc, & rationes, quas Lambertinus Pontifex loco superius cit. §. II. congerit ad hanc veritatem magis magisque comprobandam.*

,, II. Quare, cum rationis, & æquitatis principia suadeant, pœnam esse commensurandam culpæ, & pro culpæ modo imponendam, consequens inde est, non nisi propter graviorem culpam esse excommunicationem ferendam. Id jampridem edixerant Conc. Aurelianense V. anni 594. *can.* 2. & Arvernense II. paullo post celebratum, *can.* pariter 2. relato a Grattano *in can.* 42. XI. *quæst.* 3. inquiens: *Nullus Sacerdotum, quemquam rectæ fidei hominem, pro parvis, & levibus caussis a communione suspendat.* Et Conc. Meldense anni 845. *can.* 56. *Quia anathema est æternæ mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine.* Sed quoniam hæc saluberrima monita e memoria exciderant quorumdam Ecclesiæ Prælatorum, qui frequenter ob culpas, si non leves, minus tamen graves, anathematis gladio suas oves percellebant, de quo sæpius conquestus est infra allegandus Joannes Gerson; ideo Concilium Provinciale Coloniense anni 1536. *part.* 13. *cap.* 5. (*tom.* 9. *collect. Harduin. col.* 2015.) illa renovare, atque in omnium Prælatorum memoriam redigere curavit, ita decernens: *Cum excommunicatio pœna sit, qua nulla major est in Ecclesia, nec sit excommunicandus quis, nisi pro peccato lethali, quod anathema sit æternæ mortis damnatio, nec infligendum veniat, nisi his, qui aliter corrigi non possunt: debebit Judex non ante excommunicare quempiam, quam cognoverit, id vel caussæ gravitatem, vel ejus, qui extra communionem puniendus est, apertam contumaciam, præcepto justo acquiescere nolentis, exigere.* Ac demum Tridentina Synodus *sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.* omnes Ecclesiarum Antistites in hunc modum admonuit: *Quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris; sobrie tamen, magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem.*

,, III. Quæ porro de excommunicatione dicta sunt, intelligi etiam debent de suspensione, & interdicto. Quamquam enim pauci quidam Doctores, inter quos Cajetanus *in Summ. verb. Suspensio*, & Medina *Summ. lib.* 1. *cap.* 11. §. 8. affirment, suspensionem ob levem culpam ferri posse; idemque de interdicto sentiant Emmanuel Sa *verb. Interdictum*, *num.* 7. & Gaspar Hurtado *tract. de interdicto*, *difficult.* 13. rectius tamen Suarez *de censuris*, *disp.* 4. *sect.* 4. *num.* 7. *& disp.* 36. *sect.* 3. *n.* 2. Vasquez *in* 1. 2. *disp.* 158. *num.* 49. Layman *lib.* 1. *Theolog. moral. tr.* 5. *part.* 3. *num.* 2. *& part.* 4. *cap.* 4. *n.* 4. docent, suspensionem a Divinis, seu ab Officio, & Beneficio, ad longum tempus, atque interdictum, etiam personale, nisi partiale sit, sed integrum, & totale, nec valide propter culpam levem, nec prudenter propter lethalem, quæ gravioribus non accenseatur, irrogari. Quamvis igitur Episcopus ordinariam potestatem habeat ferendi censuras, easque in suarum Constitutionum transgressores decernendi, non tamen expedit, ut hunc suæ potestatis gladium exerat, nisi ad coercenda graviora crimina. Scimus profecto, necesse non esse, ut ante Superioris legem, qua aliquid sub censura prohibetur, illud jam esset lethaliter malum, sed quandoque contingere, tunc primum graviter malum fieri, cum a Superiore prohibetur sub pœna censuræ, quæ certe ejusdem intentionem ostendit obligandi sub mortali. At non decere dicimus, ab Episcopo aliquid sub gravi præcipi, vel prohiberi, statuta in transgressores censura, nisi materia præcepti, sive ratione sui, sive ratione circumstantiarum, quas inferius indicabimus, talis, & tanta sit, ut hanc pœnam exposcat. De Prælatis hæc ait Gerson *tract. de vita spirituali*, *lect.* 4. *coroll.* 7. (*tom.* 3. *oper. col.* 41.) loquens de excommunicationibus latæ sententiæ: *Qui pro solis incommodis temporalibus evitandis, aut commodis politicis conservandis, æternam vult infligere mortem, cui quæso similis erit? illi nimirum, qui volens abigere muscam a fronte vicini, eam securi percutiens, vicinum stultus excerebravit: aut ei parem dixerim, qui studens curationem modici vulneris in pede equi sui, pedem confestim abrupit, & scidit, equumque peremit.*

,, IV. In eumdem fere sensum, longe ante Gersonem, ad Alexandrum II. scripserat S. Petrus Damiani *epist.* 12. ubi morem reprehendens, qui tunc temporis inoleverat, ut cunctis fere Constitutionibus Apostolicis subjungeretur anathematis pœna in earumdem transgressores, inquit: *Delinquit igitur, quisquis ille est, in illud Apostolicæ Constitutionis edictum, & aliquando levi quadam, ac pertenui offensione transgreditur; & continuo, veluti hæreticus, & tamquam cunctis criminibus teneatur obnoxius, anathematis sententia condemnatur. Et cum, dictante justitia, alia sit ultione plectendus qui plus delinquit, alia qui minus excedit; hic graviter, leviterque peccantibus æqua cunctis, & in-*

diffe-

„ *differens pęna, solius scilicet anathematis irrogatur . . .*
„ *Quamobrem , si sunctæ prudentiæ vestræ placet , hunc*
„ *morem de cetero a Decretalibus paginis amoveri præci-*
„ *piat, & vel damni pecuniæ , vel alterius cujaslibet*
„ *ultionis calculum in earum transgressione præfigat , ne*
„ *quod utile est ad tuitionis munimentu provisum, aliis ad*
„ *perniciem proveniat animarum.*

49 Excommunicatio minor licet privet usu passivo quorumdam Sacramentorum , quia tamen non censetur censura gravis , sed levis , eo quod facile tolli possit a quovis Sacerdote , ferri potest propter solam culpam venialem , & de facto contrahitur excommunicatio minor per communicationem in humanis cum publice excommunicato denuntiato , vel notorio Clerici percussore , cap. *Nuper de sententia excom.* quæ communicatio est venialis relatione levitatis materiæ, prout docent Doctores communiter. Similiter propter levem culpam imponi quandoque potest levis aliqua suspensio , puta ab uno actu electionis, a celebranda Missa per unum, aut alterum diem. Suarez *disp.* 4. *sect.* 4. *nu.* 2. Coninch *disp.* 13. *num.* 67. Candid. *disq.* 22. *art.* 7. *dub.* 1. *concl.* 3. Bonac. *num.* 6.

50. Nota, materiam alias ex se levem posse fieri gravem propter aliquam circumstantiam adjunctam, vel ratione scandali , vel ratione periculi procedendi ad graviorem culpam, vel ex fine intento a Superiore ,ad quem maxime conducit , vel ex aliis circumstantiis, & sic ex aliqua circumstantia facta gravis poterit prohiberi sub peccato mortali, & sub excommunicatione, ut si alicubi grave oriatur scandalum ex eo, quod Clerici comam nutriant , vel arma deferant , si Episcopus sub gravi censura prohibeat Clericis, ne ibi comam gestent, vel arma ferant, violator talis præcepti peccatum mortale, & censuram incurret. Ita cum Soto, Vasquez , Avila, Valentia, & Sayro tenet Bonac. *pun.* 3. *n.* 9.

51. Qui furatus est materiam levem simul cum aliis, quorum singuli abstulerunt etiam materiam levem , ita tamen , ut ex eorum omnium furtis fiat materia gravis sufficiens ad mortale, incurrit excommunicationem latam contra fures, quia simul cum aliis, communi consilio , & conspiratione inferendo damnum grave , peccat mortaliter cum obligatione restituendi , & sic ligari potest censura; secus si damnum causarunt absque ulla conspiratione, & incitatione aliorum in alios, quamvis unusquisque sciat furtum alterius, quia non obstante tali cognitione , est solum causa partialis damni a se illati , quod cum sit leve, non est nisi peccatum veniale , nec obligat ad restitutionem , nisi sub veniali ; cum autem pro culpa veniali non imponatur excommunicatio major, sequitur , quod talem excommunicationem non incurrat, ut diximus *in septimo præcepto Decalogi dub.* 4. *num.* 32. quamvis alii oppositum sentiant, & doceant, omnes excommunicationem incurrere , si non restituant , quia omnes peccant mortaliter .

52. Ad ferendam censuram non sufficit peccatum mortale grave, sed illud debet esse externum, quia Ecclesia, cum non possit cognoscere peccata mere interna, ea neque judicare, nec punire potest per censuras, sed ea relinquuntur soli Deo punienda; sic habetur cap *Tua nos* , & cap. *Sicut tuis in fine de Simonia* cap *erubescant dist.* 32. cap. *consuluisti* 2. *qu.* 4 can. *cogitationes de pænit. dist.* 1. Unde habet axioma Juris : *Non habent latentia peccata vindictam* . Et quamvis Ecclesiæ potestas sit spiritualis , tamen residet in hominibus , qui humano , & sensibili modo debent operari , unde non nisi circa res exteriores , & sensibiles possunt talem potestatem exercere; ea ratione , qua potestas conficiendi Sacramenta , licet sit spiritualis, tamen , quia residet in hominibus , ordinatur ad sensibilia, quia homines non nisi circa sensibilia , & modo sensibili possunt operari. Unde censura, sive lata ab homine , sive a Jure non nisi pro actu externo ferri potest , quia de illo tantum Ecclesia potest judicare : & ita tenent Doctores communiter cum D. Thoma 2. 2. *qu.* 91. *art.* 4. Cajet. 2. 2. *qu.* 11. *art.* 3 & *q.* 104. *art.* 1. Navar. *de pænit. cap. cogitationes dist.* 1. & *in Man. cap.* 23. n. 38. Suarez *disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 1. & 16. Candid. *disquis.* 22. *art.* 7. *dub.* 1. Diana *par.* 6. *tr.* 9. *resol.* 48. Ant. a Spiritu S. *num.* 44. & alios referens Leander *disp.* 1. *quæst.* 3.

53. Quod si actus internus consideretur, ut conjunctus cum externo , sic potest ab Ecclesia puniri , & præcipi sub censura: hac ratione in *Clem.* 1. §. *verum de hæret.* excommunicantur Inquisitores , qui odio , vel amore , aut spe lucri aliquid faciunt , vel facere omittunt ; qui Textus intelligi debet non de solo interno odio , vel amore, sed de illo, prout conjungitur cum actu exteriori indicante pravum affectum internum; si enim aliquid faciunt Inquisitores ex pravo amore, vel odio pure interno, excommunicationem non incurrunt ; bene tamen si aliquo signo exteriori indicant facere ex pravo affectu interiori ; eadem ratione in sententia communiori asserente, attentionem internam esse necessariam in recitatione Divini Officii, dicendum est ,excommunicationem ferri posse in eos, qui voluntarie sine attentione recitant Officium , quia sine attentione non ponitur substantia præcepti . Sic tenent Navarr. Suarez , Candid. Leander mox citati : ita etiam Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *nu.* 139. Palaus *tr.* 29. *disp.* 1. *p.* 7. n. 4. Covar. *in Regul. Peccatum par.* 2. n. 7. Alterius , Vasquez ,Layman , Sanchez , & alii communiter, relati a Leandro.

54. Quamvis ferri non possit censura propter actum per se occultum pure internum , & solo corde commissum , potest tamen ferri propter actum per se externum , sed per accidens occultum, id est voce , aut opere manifestatum , sed sine teste, ut colligitur ex cap. *Porro de sentent. excom.* cap. *Clericis de immunit. Eccles.* in 6. & Extrav. *Cum detestabile de Simon.* ubi non solum peccata interna , sed externa , & occulta per accidens censuris excommunicationis, & suspensionis plectuntur , quia illa peccata , cum solum per accidens sint occulta , per se subjiciuntur Ecclesiæ judicio, & possunt in foro exteriori censuris puniri. Unde excommunicantur hæretici occulti, si hæresim aliquo signo exteriori sufficienter manifestaverint : secus si hæresis fuit mere interna , nullo signo exteriori manifestata. Candid. *loc. cit. dub.* 2. Suarez *loco cit. n.* 18. Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. Diana *par.* 6. *tr.* 6. *res.* 51. Non tamen potest Ecclesia aliquem censura ferire per modum sententiæ , & nominatim , quamdiu delictum manet occultum ; nam quamdiu delictum manet occultum, non potest puniri pęna publica, & exteriori, cum legitime probari nequeat, ut recte docet Leander, alios referens , *disp.* 6. *qu.* 4.

55. Non sufficit ad censuram inducendam , quod actus externus habeat malitiam moralem , nisi conjunctus sit cum actu interno proportionato ; unde , si mente retenta fide , de eaque bene sentiens exterius proferat aliquam hæresim, vel ob metum mortis incensum offerat Idolo, non incurrit excommunicationem , quia non est vere , sed apparenter tantum hæreticus , poterit tamen ab Ecclesia puniri, ut hæreticus , quia præsumitur vere hæreticus, & consentire tali actui , ut cum Navar. Suarez , Filliuc. & aliis tradit Diana *par.* 5. *tr.* 5. *reso* . 1. & *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 145. sequitur Ant. a Spiritu S. *disp.* 1. *n.* 47. Bonac. *disp.* 1. *qu.* 1. *pun* 3. n. 14.

56. Actus exterior inducens censuram debet esse signum manifestativum malitiæ actus interioris sub ea ratione , sub qua opus externum prohibetur sub censura , quia signa externa , quæ non sunt manifestativa malitiæ actus interni , puta hæresis , sed indifferentia , non sunt hæresis externa , cum per illa hæresis non sit expressa , & sic non est caussa sufficiens, ut quis incurrat in censuram excommunicationis ; & inde , si quis male sentiens de fide , manu percutiat mensam , aut femur , dicens , *ita est* , non incurrit excommunicationem , nam ille actus exterior , cum sit indifferens , non significat hæresim internam. Ita sentit Castro *lib.* 2. *de justa hæretic. punit. cap.* 18. apud Leandrum *quæst.* 5. ita loquens : Neque omnes etiam hæretici sententiæ excommunicationis subjiciunt , sed soli illi , qui hæresim , quam mente conceperunt , foris quomodolibet manifestant , ut si aliquis esset præsens, posset cognoscere illum in talem hæresim fuisse lapsum . Ita Castro, sequitur Diana *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 49. Raffellius *quæst.* 4. *artic.* 1. *numer.* 9. Vasquez , Simanc. , Suarez , quos sequitur Leander *quæst.* 5.

57. Debet insuper actus exterior , ob quem incurritur censura , esse in sua specie morali gravis , completus , & consummatus, nisi aliter exprimant verba, quibus lex imponitur , ut si quis affectu malo , & animo Clericum occidendi , emitteret sagittam in ipsum, sed casu leviter solum illum tetigit , aut vulneravit , ita ut absolute ex parte effectus, talis læsio esset omnino levis, non incurreret excommunicationem , Can. *si quis suadente* , quia læsio debet esse gravis, non solum in affectu , sed etiam in effectu . Suarez *sect.* 3. *n.* 5. Bonac. *pun* 3. *num.* 7. Palaus *disp.* 1. *pun.* 7. *n.* 8. Ant. a Spiritu S. *num.* 48. Sanchez 2. *Decalog. c.* 8. *n.* 7. multo minus excommunicationem incurrit, qui projecit lapidem contra Clericum, sed ipsum nec leviter tetigit , quia in Can. *si quis suadente* fertur censura sub verbis includentibus percussionem. Si censura sit lata contra *præsumentes* , non ligat si desit perfectum voluntarium ; & inde Confessarius , absolvens pœnitentem a casu reservato in Bulla Cœnæ , non incurrit excommunicationem , si ex ignorantia , inadvertentia , vel quia putabat , illum non contineri in Bulla , quia deest perfectum voluntarium, & præsumptio requisita in Bulla. Suarez *disp.* 4. *sect.* 3. Bonac. *pun.* 3. n *nu.* 12. ubi plura explicat ad casum pertinentia , Ant. a Spiritu S. *nu.* 48. Andreas a Matre Dei *c.* 5. *num.* 143. Leander *disp.* 8, *quæst.* 8.

58. Tandem requiritur ad inferendum , & incurrendum censuram , ut peccatum conjunctum sit cum inobedien-

dientia, & contumacia, per quam auctoritas Ecclesiæ præcipientis contemni videatur; non quidem requiritur contumacia expressa, & formalis contemptus, sed sufficit virtualis, & interpretativus, in eo consistens, ut quia non abstineat a peccato, sciens, illud ab Ecclesia sub gravi pœna prohiberi. Talia enim jam censetur contemnere auctoritatem præcipientis: ex quo sequitur, ob peccatum solo Jure naturali, aut divino prohibitum nullam contrahi censuram, sed requiritur contumacia, qua præceptum Ecclesiæ adjunctum spernatur; nam censura est pœna inobedientiæ, contemptus, & contumaciæ contra potestatem Ecclesiasticam, ut patet ex verbis Christi Matth. 18. *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*; multa tamen peccata jure naturali, & divino prohibita, possunt etiam jure Ecclesiastico sub censura prohiberi.

59. Sequitur ulterius, censuram infligi non posse ob peccatum mere præteritum, quod nullam præsentem contumaciam adjunctam habet, vel habuit; nam ad incurrendam censuram requiritur contumacia, quæ appellat futuram existentiam in peccato, licet contumacia sit de præsenti; tum quia censura est pœna medicinalis intendens emendationem, non punitionem delinquentis; si autem feratur propter peccata præterita non esset medicina, sed vindicta: unde qui non recitavit horas Canonicas, aut Missam non audivit, licet puniri possit in pœnam talis peccati, non tamen potest excommunicari, vel alia censura affici, si talis recitatio, & auditio non erat præcepta sub censura. Quod si pro peccato præterito quis pro aliquo tempore suspendatur, seu privetur dignitate, vel officio, talis privatio non est censura proprie dicta, nec illius transgressor incurrit irregularitatem, cum non feratur in detrimentum animæ, sed ob incommodum temporale, etsi detrimentum aliquod afferat animæ, dum privat Divinis officiis, hoc se habet per accidens, ut cum Soto, Henriquez, Sayro, Suarez, & aliis notavit Bonac. *pun. 3. n. 19. & 20.* quem sequitur Ant. a Spiritu S. *disp. 1. n. 43.*

„ *Plura adhuc videri possunt de iis loc. citat. quæ omnia in unum hoc loco collecta, studiose Lector, invenies.*

„ V. Quod si omnium Doctorum consensu, grave, & enorme crimen requiritur ad irrogandam censuram, etiam quam vocant *comminatoriam*, & *ferendæ sententiæ*, multo sane gravius, & execrabilius esse oportet delictum, ob quod infligatur censura latæ sententiæ, qua nimirum homo, per solam legis transgressionem, nulla prævia monitione, ejusdem legis ministerio, statim perstringitur. Ejusmodi censuras, præcipue vero excommunicationes latæ sententiæ, visi sunt improbare nonnulli Doctores. Godscalcus Rosemundus Theologus Lovaniensis *in suo Confessionali cap. 20.* eas e medio prorsus auferri vellet, inquiens: *Valde inconsultum, & periculosum est, quod Episcopi in suis statutis, ceteri quoque Judices tam faciles sint in multiplicando censuras; unde expediens esset, ut etiam inquit Gerson, ut omnes Constitutiones sententiæ excommunicationis latæ sententiæ, in jure, vel statutis contentæ, quarum usus nullus est, aut plus obest, quam prodest, expressa revocatione cassaretur, in Provinciis, & Diœcesibus, & in Ecclesia universali. Expediens etiam esset, ut nulla excommunicationis sententia ferretur de facto a jure, vel Judice, neque pro præsenti, neque pro futuro, nisi pro manifesta contumacia, qua quis ostendit, se non paratum audire Ecclesiam.* Verum hæc Godescalchi assertio; qua parte omnes excommunicationes latæ sententiæ tamquam perniciosas deleri, & abrogari vellet, audax est; communem enim Ecclesiæ usum condemnat, & Concilia, summos Pontifices, omnesque Ecclesiarum Præsules tacite carpit. Neque eidem adstipulatur, quem citat, Gerson: hic siquidem *loc. cit.* totus est in explicando, qua ratione excommunicationis vinculo, ipso facto, irretiatur, qui ex mera ignorantia, quamquam culpabili, aut infirmitate peccatum commisit, etsi ceteroquin contumax non sit, sed paratus sit stare correctioni Ecclesiæ; & postquam multa ad hanc rem explicandam adduxit, concludit (*col. 49.*) eas excommunicationes latæ sententiæ *tantumdem operari, ut absque processu alio judiciali, aut nova Constitutione, possit Judex, statim, probato facto, vel confessato, ferre juris sententiam, & tandem publicare; non sic ubi Canones essent solum ferendæ sententiæ; quoniam monitiones, & processus, secundum terminos juris prærequirerentur multiplices.* Unde apparet, non improbari a Gersone excommunicationes latæ sententiæ, sed ad eas requiri sententiam declaratoriam criminis, quæ utique est necessaria pro foro externo, in quo nemo est reputandus censura innodatus „ nisi legitime probetur reus criminis, cui est censura jure ipso alligata. In foro autem interno, & coram Deo, cujus oculis omnia nuda sunt, & aperta, ad incurrendam in censuram latæ sententiæ, nulla est necessaria Judicis declaratio, sed sat est crimen perpetrare, cui illa est annexa. Suam quippe contumaciam, & Ecclesiæ contemptum satis aperte manifestat, qui in legem delinquit, quam scit in sui transgressores censuræ vinculum statim, & illico injicere, sicuti egregie ratiocinantur Suarez *de censuris disp. 3. sect. 8. n. 3.* & Gonzalez *in cap. 48. de sent. excommunic. nu. 6.* sed præ ceteris legendus est, de hac re ex professo differens, Theophilus Raynaudus (*oper. tom. 14. pag. 574.*) ubi scribens adversus Ayalam, censuras latæ sententiæ hoc nomine reprehendentem, quod illis non præcedat canonica admonitio, egregie ostendit, admonitionis loco esse promulgationem legis, aliquid fieri præcipientis, vel prohibentis, sub pœna censuræ.

„ VI. Godscalco, & Ayalæ assentiri videtur Van-Espen *jur. Eccl. univ. part. 3. tit. 11. cap. 6. nu. 19.* ubi, etsi non audeat absolute damnare excommunicationes latæ sententiæ, eas tamen recens adinventas, & per decem omnino sæcula ignotas Ecclesiæ fuisse, affirmat: At Van-Espenium falli, facile demonstrabimus. Atque in primis nullam petamus fingi posse excommunicationem illa severiorem, qua homo baptizatus perpetuo arceatur a Sacramentorum perceptione, omnique excidat spe consequendæ ab Ecclesia reconciliationis; & tamen prioribus sæculis, quorumdam atrociorum criminum reos, facto ipso, seu sola criminis perpetratione, in hanc pœnam incurrisse, præter alibi laudatos, Petavium, Morinum, Albaspinæum, aliosque plures, tradit Cardinalis Bona *rer. liturgic. lib. 1. cap. 17. num. 1.* inquiens: *In exordio Christianæ religionis tantum erat pietatis studium, tantum odium improbitatis, ut quibusdam sceleribus, quæ atrociora visa sunt, omnis prorsus veniæ spes, omnis pœnitentia denegaretur, adeo ut qui ea commisisset, quamvis a Divina misericordia eorum remissionem, veræ contritionis subsidio obtineret; numquam tamen posset cum Ecclesia reconciliari. Ea erant idololatria, homicidium, & adulterium.* Quid quod, si actu Pœnitentes, aut jam semel pœnitentia functi, in aliud, cujuscumque generis peccatum, quamvis privatim, & occulte, relaberentur, numquam deinceps veniam, & pacem ab Ecclesia impetrarent? Nonne & hæc species erat severissimæ excommunicationis? Et tamen hanc relapsis fuisse ipso facto inustam, & pluribus demonstrat doctissimus Morinus *de Pœnit. lib. 5. cap. 27. 28. & 29.* & liquet ex plurium Conciliorum decretis, occulte etiam relapsos ab omni, etiam civili, Fidelium consortio segregantibus. Siquidem Concilium Turonense I. anni 461. *can. 8.* (*collect. Hard. tom. 2. col. 795.*) decrevit: *Si quis vero post acceptam pœnitentiam, sicut canis ad vomitum suum, ita ad sæculares illecebras, relicta, quam professus est, pœnitentia, fuerit reversus, a communione Ecclesiæ, vel a communione Fidelium extraneus habeatur.* Concilium Veneticum, circa annum 465. celebratum, *can. 3.* (*collect. Hardum. tom. 2. col. 797.*) statuit: *Pœnitentes quoque, qui susceptam publice pœnitentiam intermiserint, & ad prioris erroris consuetudinem revoluti, vitæ se sæculari, conversationique reddiderint, non solum a communione Dominicorum Sacramentorum, sed etiam a convivio Fidelium submovendos.* Concilium Aurelianense I. anni 511. *can. 11.* (*collect. Hard. tom. 2. col. 1010.*) *De his, ait, qui, suscepta pœnitentia religionem suæ professionis obliti ad sæcularia relabuntur, placuit, eos & a communione suspendi, & ab omnium Catholicorum convivio separari.* Quare, quod Siricius Papa *epist. 1.* ad Himerium Tarraconensem Episcopum *cap. 5.* (*collect. Hard. tom. 1. col. 848.*) relapsis permiserit, *ut sola intra Ecclesiam Fidelibus oratione jungantur, & sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint: a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur*; id ex mera indulgentia, & communis legis relaxatione factum, existimat Morinus *cit. cap. 29.* Ad hæc Auctor operis de vita contemplativa (quem alii Prosperum Aquitanicum, qui medio sæculo V. scripsit, alii Julianum Pomerium, qui eodem sæculo labente floruit, fuisse contendunt) *lib. 2. cap. 7.* diserte affirmat, ea ætate Clericos, grave aliquod facinus occulte admittentes, statim in foro conscientiæ, & coram Deo, in suspensionem incidisse, quam Albaspinæus *observat. lib. 1. cap. 2.* & Suicer *Thesaur. Eccles. tom. 1. pag. 601.* pro quadam excommunicationis specie habitam, non immerito notarunt. Ait quippe Pomerius: *Hi, qui aliquo gradu Ecclesiastico consistunt, aliquod occulte crimen admittunt, ipsi se vana persuasione decipiunt, si eis videbitur propterea communicare, & officium suum implere debere, quod homines, occultatione sui criminis, fallunt ..... qui autem ea commiserint, & ideo prodere metuunt, ne*

„seu-

sententiam justæ excommunicationis accipiant, sine caussa communicent: immo vero dupliciter contra se iram Divinæ indignationis exaggerant, quod & hominibus innocentiam fingunt, & contempto Dei judicio, abstinere se ab Altari propter homines erubescunt.

„ VII. Quod si hæc nondum satis esse videantur ad probandum, Majoribus nostris inusitatum non fuisse morem decernendi censuras latæ sententiæ, alia statim proferemus antiquissima, & certissima ejusdem rei monumenta. Norunt omnes viri docti, tres olim fuisse species excommunicationis majoris, de qua sola in præsens res est; prima dicebatur *Excommunicatio simplex*: altera *Anathema*: tertia *Maranatha*, de qua frequens mentio occurrit in annalibus Sancti Benedicti, conscriptis a Patre Mabillon *tom. 4. in appendice*, In historia Lotharingiæ, Calmet *tom. 1. part. 2. pag.* 390. & in nova editione glossarii Caroli Dufresne *tom. 4. in verb. Maranatha*. Simplex excommunicatio, & anathema in hoc dumtaxat inter se differebant, quod illa solo verbo proferretur; anathema vero pronuntiaretur celebri quadam sollemnitate, pluribusque adhibitis cæremoniis, quæ aptæ forent ad ostendendam perpetrati sceleris enormitatem: *Maranatha* autem hoc *anathemati* addebat, ut excommunicatus solius Dei judicio relictus, ab Ecclesiæ communione separatus permanere juberetur, usque ad adventum Domini, seu ad diem Judicii; quod ex ipsa nominis etymologia elicuit Augustinus, apud Suarez *de censuris disp. 8. sect. 2.* & explicarunt Patres Concilii Toletani IV. statim allegandi. Jam vero antiquissima Synodus Gangrensis, paullo post Nicænam habita, omnes suorum viginti canonum transgressores anathemate perculit, his verbis: *Anathema sit* (*collect. Hard. tom. 1. col. 533. &c.*) quibus sententiam latam importari, nemo facile inficiabitur. Patres autem Concilii Toletani IV. habiti anno 633. cui Episcopi sexaginta duo interfuere, *cap. 75.* (*collect. Harduin. tom. 3. col. 594.*) *anathema, maranatha* in eos pronuntiarunt, qui adversus Regnum, vel Regem conjurarent, in quos hanc formidandam sententiam, ter repetitam, protulerunt: *Hoc etiam tertio acclamamus, dicentes: Quicumque amodo ex nobis, vel cunctis Hispaniæ populis, qualibet meditatione, vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ salute, gentisque Gothorum statu, vel incolumitate Regiæ potestatis pollicitus est, violaverit, aut Regem nece attrectaverit, aut potestate Regni exuerit, aut præsumptione tyrannica Regni fastigium usurpaverit, anathema sit in conspectu Spiritus Sancti, & Martyrum Christi; atque ab Ecclesia Catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, & ab omni communione Christianorum alienus, neque partem Justorum habeat, sed cum Diabolo, & Angelis ejus, æternis suppliciis condemnetur, una cum eis, qui eadem conjuratione nituntur: ut par pœna perditionis constringat, quos in perniciem prava societas copulat. Et ideo, si placet omnibus, qui adestis, hæc tertio reiterata sententia vestræ vocis eam consensu firmate. Ab universo Clero, & Populo dictum est: Qui contra hanc nostram definitionem præsumpserit, Anathema, Maranatha, hoc est, perditio in adventu Domini sit, & cum Juda Scarioth partem habeat, & ipsi, & socii eorum. Amen.* Eamdemque anathematis sententiam, eodem ritu, ac iisdem fere verbis, in eosdem Regni, & Regis proditores denuo latam, legimus in Concilio Toletano XIV. anni 593. *cap. 10.* (*eod. tom. 3. collect. Harduin. col. 1801.*) Qui autem prædictæ sententiæ ritum, quo tribus vicibus, veluti trium monitionum loco, fuit repetita, consideret, multoque magis, si illorum verborum *Anathema sit, in conspectu Spiritus Sancti, & Martyrum Christi*, vim, & efficaciam attentius expendat, minime dubitabit, Patrum morem fuisse, excommunicatione latæ sententiæ percellere, quotquot in posterum, in patriam, aut Regem, rebellionem intentarent.

„ 8. Non itaque recenter adinventæ, nec primis decem Ecclesiæ sæculis, ignotæ prorsus fuerunt excommunicationes latæ sententiæ, sicuti sibi finxit, rerumque Ecclesiasticarum minus peritis imposuit Van-Espen, ut illarum usum improbaret, easque parvi faciendas suaderet, quod certe alibi non obscure insinuavit.

„ *Sequitur Cap. II.*

„ I. Vindicata Ecclesiæ potestate infligendi censuras latæ sententiæ, illud affirmamus, quod nemo negabit, nimirum frequentius, quam rectæ disciplinæ ratio exposcat, censuras ejusmodi irrogari. Enimvero Navarrus *manual. cap. 27. nu. 49.* notat, ante annum 1298. quo promulgatus est textus Decretalium, vix numeratas fuisse triginta sex excommunicationes latæ sententiæ, quæ etiam ad viginti sex poterant commode redigi, eo quod plures unum, eumdemque fere casum respicerent: *Per solum autem sextum Decretalium*, pergit Navarrus, *inductæ fuerunt triginta duo, & per solas Clementinas quinquaginta. Postea per Bullam Cœnæ, per Extravagantes impressas, & non impressas, per Constitutiones Synodales, & Provinciales, per visitationes, & reservationes Sæcularium, & Religiosorum, pœnæ innumeræ*; additque: *Valde utilem, immo & necessariam fore aliquam earum limitationem, saltem quoad forum conscientiæ*. A Navarro in hunc modum edocti, ac præfatum Concilii Tridentini decretum præ oculis habentes, cum Nos Sacræ Congregationis Concilii Secretarii munere fungebamur, semper Episcopis Nos antea consulentibus, auctores fuimus, ut parce, & magna cum circumspectione censuras infligerent, præsertim latæ sententiæ: sæpe etiam, cum iidem suas Synodales Constitutiones, priusquam promulgarentur, ad Nos transmiserunt, eos hortati sumus, ut ab illis censuras delerent, quibus earumdem transgressores ipso facto innodabantur. Hanc eamdem fuisse mentem comperimus Præsulis Altoviti, nostri in eodem munere Prædecessoris: ille quippe in caussa Neapolitana, proposita die 18. Maji 1686. cum ageretur de edicto, ab Archiepiscopo edito, quo sub pœna suspensionis, ipso facto incurrenda, interdicebatur Parochis, ne in sepeliendis pauperum cadaveribus, quædam peragerent, quæ videbantur minus decentia, hæc in suo voto adnotavit: *Verum mihi semper absonum visum est imponere pœnam suspensionis, ipso facto incurrendæ, pro qualibet levi culpa, præsertim contra Parochos, non minus in præjudicium animarum, eorum curæ commissarum, quam ipsorum Parochorum delinquentium.*

„ II. Item, cum in Congregatione, habita die 20. Decembris 1687. examinanda essent Synodalia decreta Episcopi Vasionen., & controversia præcipue verteretur circa unum decretum, quo sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibebantur Sacerdotes ludere aleis, vel taxillis, quocumque modo, & cum quacumque persona, postquam Altovitus in suo suffragio Doctores retulit asserentes licere quandoque Sacerdotibus, animi relaxandi caussa, aleis, & taxillis ludere, modo id non frequenter, & sine scandalo faciant; attamen quia ludus, qui juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *qu. 168. art. 2.* ad virtutem pertinet Eutrapeliæ, facile degenerat in vitium, eo quod ludentes, aut nimium illi indulgeant, aut a conditionibus deficiant, quas idem D. Thom. *ibid. & art. seq.* ad ludum cohonestandum requirit, ideo addidit Altovitus, posse Episcopum in sua Synodo edicere, ne Sacerdotes, & Clerici aleis, vel taxillis ludant; sed quantum attinet ad censuras, hæc prudenter animadvertit, *Pœnam excommunicationis latæ sententiæ, ut nimis rigidam, etiam nullo reclamante, ex officio tollendam esse, & per consequens, decretum in hac parte reformatione indigere censerem: licet enim sacrum Trid. Conc. cap. 1. sess. 22. de reform. tribuerit Episcopis facultatem procurandi observantiam eorum, quæ per antiquos Canones disposita fuere circa vitam, & honestatem Clericorum, non solum sub pœnis, per dictos Canones statutis, sed etiam aliis, eorum arbitrio imponendis: attamen arbitrium hujusmodi regulari debet a jure, juxta cujus dispositionem non est imponenda pœna excommunicationis, præsertim latæ sententiæ, nisi in casu, quo committitur culpa lethalis, quæ ex supradictis non contrahitur per Clericos, raro, vel recreationis caussa, & citra scandalum ludentes.* Putavit nimirum Altovitus, nullam in casu, de quo res erat, adfuisse circumstantiam, ob quam potuerit ludus prohiberi sub gravi, quod ceteroqui posse aliquando evenire, paullo post demonstrabimus.

„ III. Sed numquam magis se a censuris multiplicandis alienum ostendit Altovitus, quam in caussa Melitensi, quæ fuit ejusmodi. Episcopus Melitensis in sua Synodo excommunicationi latæ sententiæ subjecerat Clericos, occulte detinentes arma prohibita. De hoc decreto, adversus quod Clerici reclamaverant, disputandum erat in sacra Congregatione Concilii, die 16. Decembris 1684. at Altovitus in suo suffragio, quod pro suo Secretarii munere, ut moris est, exaravit, acriter decretum impugnavit: ajebat enim usum armorum vetitum quidem esse Clericis *in cap. Clerici, de vit. & honest. Cleric.* & propterea recte posse iterum illum ab Episcopo Clericis interdici, sub pœnis arbitrariis, etiam pecuniariis, locis piis applicandis, quemadmodum tradunt Antonell. *de regim. Eccles. l. 6. cap. 5. n. 2.* & Bellet. *disquisit. Cleric. part. 2. tit. de pœnis Cleric. §. 1. nu. 2.* sed quod attinet ad censuras, eas a jure irrogatas dicebat Clericis arma gestantibus, non autem illa domi retinentibus; & præterea prædictas censuras esse ferendæ, & non latæ sententiæ, quemadmodum bene ponderavit Raynaudus *de Reli-*

ligioso

giose loricato, vers. Jure tamen communi, oper. tom. 17. pag. 193. Et quamquam, pergebat Altovitus, in Constitutionibus summorum Pontificum, videlicet 49. *Pii IV.* & 145. *S. Pii V.* excommunicatio latæ sententiæ feratur adversus Clericos deferentes, aut domi detinentes arma prohibita, hæ tamen Constitutiones solos complectuntur Clericos, degentes in temporali ditione Romani Pontificis; cumque versentur in materia odiosa, & pœnali, non sunt extendendæ ad Clericos alibi commorantes. Etenim, quamvis in Clementina *Ne in agro*, *§. Quia vero, tit. de statu Monachorum*, excommunicatio latæ sententiæ decernatur in Monachos arma detinentes intra septa Monasterii sine licentia Abbatis, non propterea sub ea comprehensi censentur Canonici Regulares, licet isti sæpius in jure confundantur cum Monachis, & expresse nominentur in præcedenti Clementinæ periodo, ubi excommunicatione ipso facto declarantur irretiti tam Monachi, quam Canonici Regulares, qui relictis Claustris, per Principum Curias evagantur, quemadmodum post Glossam *in ead. Clement. verb. Monachos*, advertit Suarez *de censuris disp. 25. sect. 5. n. 8.* ex quibus omnibus, concludebat Altovitus, Synodalem Constitutionem Melitensem esse ita temperandam, ut excommunicationem, non latæ, sed ferendæ tantum sententiæ Clericis arma detinentibus inureret. Non fuit causa, præfata dia, definita, nec deinceps in sacræ Congregationis regestis proposita apparet; fortasse quia Constitutionis Defensores, a contrario suffragio Secretarii periculum causæ suæ metuentes, Episcopo suaserunt, ut ipsemet Synodale decretum reformaret.

IV. Nihil enimvero hoc exemplo efficacius adduci poterat, ad indicandam, & suadendam Episcopis cautelam, & circumspectionem, quam adhibere debeant, in decernendis censuris latæ sententiæ, ne secus sua decreta reformare, aut etiam prorsus delere cogantur: etenim nihil magis est apud Doctores receptum, quam quod Episcopus queat jus commune adjuvare, pœnasque augere ab illo inflictas, quod fuse probat Romaguera ad Constitutiones Synodales Gerundenses *lib. 1. tit. 2. cap. 1. n. 25.* & nihilominus ex iis, quæ enarravimus, perspicuum fit, non semper congruum reputari, ut quæ a jure communi sunt vetita, atque interdum etiam sub censurarum comminatione interdicta, iterum ab Episcopo prohibeantur, statuta in transgressores censura latæ sententiæ. Sed hæc tamquam extremum remedium est tantum adhibenda, cum malum gravissimum est, neque aliter præcidi, aliisque pœnis cohiberi potest. Hanc pariter fuisse, esseque constantem sententiam sacræ Congregationis Concilii, ex eo colligitur, quod paucis antea annis accidit Episcopo Larinensi. Habita ab eo fuerat Diœcesana Synodus anno 1728. adversus cujus nimium severas Constitutiones Clerici Larinenses appellarunt; sed san. mem. Benedictus XIII. appellatione rejecta, eas ad unguem servari jussit. Benedicto e vivis erepto, ab ejus Successore Clemente XII. facultas facta est Larinensibus Clericis sua jura deducendi ad sacram Congregationem Concilii, quæ cum in prima ex Synodalibus Constitutionibus, a Clero impugnatis, sancitum deprehenderit, ut omnes indiscriminatim Ecclesiastici tenerentur interesse Congregationi, de quæstionibus, ad forum conscientiæ spectantibus, haberi consuetæ, atque in earum altera injunctum viderit Sacerdotibus, ut quotiescumque prædictæ Congregationi non interessent, insequenti die abstinerent a celebratione Missæ; die 30. Augusti 1732. rescripsit, primam Constitutionem non sustineri, quoad Clericos nondum Sacris initiatos; ex altera vero deleri jussit præfatam pœnam suspensionis; etsi enim hæc levissima esset, & unica tantum die Sacerdotes arceret a sacro Altaris ministerio, levior tamen sacræ Congregationi visa est culpa, propter quam infligebatur, quod videri potest *in Thesaur. Resol. tom. 5. pag. 387.*

Sequitur Cap. III.

I. Verum contingere potest, ut res, quæ in se spectata levis esse videtur, gravis tamen appareat, si circumstantiæ perpendantur, quibus circumvestitur, & præsertim si consideretur periculum, ne abusus, qui ab uno, vel altero in Diœcesim induci cœpit, nisi statim præfocetur, totam paullatim Communitatem contaminet, quemadmodum notavit Gibalinus *de censuris, discept. 2. qu. 2. consect. 7.* in hoc autem rerum eventu, si Episcopo alius non suppetat modus, licebit profecto etiam censurarum ense illum præcidere. Novum quippe non est, ut quod in paucis dissimulandum prudentia dictat, in tota Communitate tolerari non debeat. Plura hujus rei exempla nobis suppeditant Conciliorum Canones. Etenim Conc. Carthaginense IV. anni 398. *can. 24. relat. in can. Sacerdote, de consecrat. dist. 1.* excommunicandum statuit, qui *Sacerdote verbum in Ecclesia faciente, egressus de auditoria fuerit.* Gregorius II. in Concilio Romano, anno 721. cui Episcopi triginta duo interfuere, *can. 17. relat. dist. 23. can. 23. & in cap. 4. de vit. & honest. Clericor.* anathema pronunciavit adversus Clericos comam nutrientes, inquiens: *Si quis ex Clericis laxaverit comam, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.* Bonifacius VIII. *in Extravag. Detestandæ, de sepulturis, inter comm.* excommunicatione percussit; quicumque cadavera exenterarent, & conciderent: nulla autem ex his actionibus, si nude inspiciamus, tantam præsefert culpam, ut excommunicationis pœna debuerit coerceri. Quinimmo, etiamsi assentiamur Suarez *de censuris disp. 24. sect. 1. num. 6.* docenti: *Interdum in antiquis juribus excommunicationem vocari solam privationem Eucharistiæ, cujus usus per antonomasiam dicitur Communio*; atque in hoc sensu excommunicationis vocabulum usurpatum intelligamus a citato Concilio Carthaginiensi IV. adhuc videri non poterant tanti criminis rei, qui a concione recedebant, ut propterea debuerint sacra mensa prohiberi. Quare, ne credamus sacros Canones a justitiæ, & æquitatis tramite deviasse, dubitandum non est, quin illæ actiones gravitatem acceperint ab adjunctis circumstantiis; quod certe de concisione cadaverum, quæ non sine enormi barbarie, & maximo Fidelium horrore fiebat, ex prædictæ Decretalis lectione apparet.

II. Hinc pariter in recentioribus Synodis, præcipue Hispalensi, Toletana, & Abulensi, relatis a Thoma Sanchez *consil. lib. 5. cap. 1. dub. 14. num. 6.* Leandro *qq. moral. part. 3. tract. 5. disp. 2. quæst. 30.* & Sancio *in select. disp. 51.* excommunicatio lata est adversus eos, qui cum ex legitima causa, jejuniorum diebus, carnibus vescerentur, pisces simul comedebant: quamvis enim ea admixtio, seu carnium una cum piscibus comestio, priusquam a Nobis, nostris Apostolicis litteris, datis die 3. Maji 1741. confirmatis die 22. Aug. ejusdem anni, & luculentius explicatis in nostra responsione ad quæstiones Nobis propositas ab Archiepiscopo Compostellano die 8. Julii 1744. quæ extant *tom. 1. nostri Bullarii Constit. 19. Constit. 27. & Constit. 93.* severa lege prohiberetur, fortasse secundum se, gravi culpa vacaret; attamen ob adjunctum scandalum, a quo vix sejungi poterat, jure, ac merito, etiam sub pœna excommunicationis, fuit in præfatis Synodis interdicta, quemadmodum bene ponderat Daniel Concina Ord. Præd. Theologus *in suo comment. Theologic. in præfatum nostrum Rescriptum ad postulata Archiepiscopi Compostellani §. 1. num. 56.* Levissimam quoque turpitudinem, etiam priusquam a fere communi hominum consuetudine cohonestaretur, præseferre potuit usus pulveris Nicotiani, vulgo *Tabaci*, & nihilominus Urbanus VIII. Constitutione, quæ incipit *Cum Ecclesia*, edita die 30. Januarii 1642. sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, *Tabacum* sumere vetuit in Ecclesiis civitatis, & diœcesis Hispalensis: quia ejusdem diœcesis Sacerdotes non verebantur *Tabacum* sumere in altari, ex quo sacra lintea indecenter fœdabantur, & Fideles nondum assueti *Tabaci* graveolentiæ, illius fœtorem abhorrentes, ab Ecclesiis se subducebant; eademque de causa Innocentius X. & Innocentius XI. sub eadem excommunicationis pœna latæ sententiæ, ejusdem *Tabaci* usum interdixere, intra Vaticanam Basilicam, plures que Episcopi hisce permoti exemplis, excommunicatione innodarunt non solum quotquot intra quamlibet suarum diœcesium Ecclesiam *Tabacum* sumerent, sed etiam Sacerdotes, qui ante Missæ celebrationem, & Laicos, qui ante Eucharisticam Communionem eodem pulvere extra Ecclesiam uterentur, de quibus Constitutionibus plura inferius.

III. Quod si res, quæ in se leves sunt, ob adjunctas interdum circumstantias scandali, prudenter sub censura latæ sententiæ prohibentur; multo magis excommunicatione latæ sententiæ cohiberi poterit peccatum, quod & in se jam grave est, & insuper grave affert scandalum. Sanctus Toribius *in sua prima Synodo Provinciali, habita anno 1582. (tom. 4. C. Hispanæ Card. de Aguirre pag. 244.) act. 3. cap. 4.* ipso jure excommunicatos decrevit Clericos operam dantes Mercaturæ. Contra hanc Constitutionem appellavit Clerus ad sacram Congregationem Concilii, ad quam Synodus, de more, missa fuerat examinanda; sed sacra Congregatio, etsi alias plures censuras ex ejusdem Synodi Constitutionibus deleri jusserit, hanc tamen sustinendam censuit, non solum quia sciebat, omnem negotiationem, sub *interminatione anathematis* prohibitam esse Clericis, præsertim Sacris initiatis, *tract.*

Ne

Ne Clerici, vel Monachi, verum etiam quia audierat, Infideles Indos plurimum offendi, cum Ministros Evangelicos vident, impensam operam dare negotiationi. Inde enim occasionem arripiunt suspicandi, Evangelicæ prædicationis, si non unicum, saltem præcipuum scopum esse, viam aperire Europæis ad negotiationem illis in regionibus exercendam, atque ingentem auri copiam ex iis in Europam asportandam, quemadmodum narrat idem Cardinalis de Aguirre *loc. cit. pag.* 261.

„ IV. Ad idem prævendum scandalum, Evangelique præconum consulendum famæ, & dignitati, summus Pontifex Clemens IX. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, prohibuit quibuscumque Ecclesiasticis, tam Sæcularibus quam Regularibus, degentibus, sive in insulis, provinciis, & regnis Indiarum Orientalium, sive in partibus Americæ, tam australibus, quam septemtrionalibus, ne unquam cujusvis caussæ, occasionis, & tituli prætextu, quæstuosam exerceant negotiationem, sive per se, sive per alios, sive nomine proprio, sive Religiosorum Ordinum, quorum forte sint alumni: Voluitque, statutas a se in prædictos Negotiatores pœnas, neque eum evadere, qui semel tantum mercaturam facit: quod videre est ex Constitutione ejusdem Pontificis, impressa inter Apostolicas Constitutiones, respicientes Missiones Sinarum, & Tunquini, in unum volumen collectas, editasque Parisiis anno 1676. *pag.* 73.

„ V. Ex quibus omnibus conficitur, impossibile esse, ut Episcopis certa præscribatur norma, ad quam tuto, & sine offendiculo, conformare se queant, in decernendis censuris latæ sententiæ, cum res pendeat a rerum, locorum, & temporum conditionibus, quas perpendere ad ipsorum prudentiam pertinet. Neque enim, quod Nos sciamus, aliquam censuram, ab aliquo Episcopo latam, etiam Clero contradicente, ratam habitam a sacra Congregatione Concilii, inferre possumus, eamdem, si alibi feratur, ratam pariter habendam. Scimus etenim, sacram Congregationem jussisse edictum quondam editum ab Episcopo Comensi, quo sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda, prohibebatur Clericis in Sacris constitutis ingressus in Ecclesiam, sine veste nigra oblonga, quam *Talarem* vocant, uti habetur, *lib.* 43. *decretor. pag.* 128. sed simul *lib.* 58. *pag.* 288. admiratum legimus, eamdem sacram Congregationem e simili edicto, promulgato ab Episcopo Rabensi, expungi jussisse pœnam censurarum, earumque loco subrogandam pœnam solutionis quinque librarum ceræ albæ, & solum in subsidium adjiciendas censuras, ferendæ tamen, non vero latæ sententiæ: quia nimirum in diœcesi Rabensi usus vestis brevioris non adeo apud Ecclesiasticos invaluerat, sicut in diœcesi Comensi, in qua, uti Episcopus sacræ Congregationi significaverat, usus vestis talaris, quam propriam esse Ecclesiasticorum infra dicemus, omnino fere obsoleverat, non sine populi admiratione, & scandalo. Quare iterum concludimus, non posse certam regulam tradi in infligendis censuris ubique servandam, sed rem totam relinqui prudentiæ, & circumspectioni Episcoporum.

DUBIUM VI.

An Censura lata contra facientem aliquam actionem, comprehendat Consulentes, & Mandantes.

60. RESP. censura lata contra facientes aliquam actionem, non comprehendit Mandantes, vel Consulentes, nisi in sententia talis censuræ exprimantur Mandantes, & Consulentes. Ratio est, quia ad incurrendam censuram requiritur actus perfectus quantum lex requirit, sed mandatum, vel consilium non est actus perfectus, prout lex requirit; siquidem lex requirit actionem physicam, qualis non est mandatum, vel consilium, cum sint actiones morales: ergo non comprehenduntur, nisi exprimantur, saltem virtualiter, & implicite, ut si lex dicat; quicumque fuerit caussa talis delicti per se, vel alium directe, vel indirecte, aut mediate, seu immediate hoc fecerit, sit excommunicatus, tunc enim censura comprehendit etiam consulentes, & mandantes, qui mediate, & per alium operantur. Si dubium sit, an mandantes, & consulentes comprehendantur sub præcepto nec ne, dicendum est, non comprehendi, quia pœnæ sunt restringendæ, & in dubio benignior pars est amplectenda, ut cum Navar. *cap.* 23. *n.* 51. & *tr.* 9. *Consil. de sent. excom. consil.* 55. tenet Bonac. *pun.* 6. 22, 1. Ant. a Spiritu S. *nu.* 49. Palaus *de censuris disp.* 1. *pun.* 7. *num.* 12. Avila 2. *pap. cap.* 2. *disp.* 3. *dub.* 2. & 6. & alii communiter.

61. Posito, quod in censura exprimantur mandantes, & consulentes, illi non incurrunt censuram, nisi vere, & in effectu mandatum, vel consilium influat in tale opus sub censura prohibitum. Ratio est, quia non ligatur censura lata contra facientes, qui opus prohibitum non fecit; sed quando mandatum, vel consilium non influit in effectum, mandans, vel consulens non dicitur fecisse opus prohibitum, & sic non ligatur censura; inde qui consuluit, seu mandavit percussionem Clerici non remanet excommunicatus, quando per suum consilium, vel mandatum nihil influxit in percussionem Clerici, quia nimirum alter jam erat paratus, & determinatus, eratque commissurus delictum independenter a tali consilio, vel mandato; idque cognosci poterit, tum ex confessione ipsius delinquentis, si constanter asserat, se non fuisse motum a tali consilio, vel mandato, vel si delinquens jam minatus erat delictum, puta percussionem, aut homicidium; vel jam omnia erant parata ad tale delictum committendum; tunc enim consulens, aut mandans non dicitur influxisse, & sic immunis est a censura. Si dubium sit, an influxerit, nec ne, dicendum est, non influxisse in ordine ad censuram, quia odia sunt restringenda, & in pœnis benignior pars est amplectenda. Bonac. *dub.* 2. Navar. *cap.* 27. *n.* 51. Ant. a Spiritu S. *nu.* 51. Andreas a Matre Dei *n.* 147.

62. Quod si consulens per suum consilium auxit voluntatem delinquentis ad citius, & ardentius præstandum effectum prohibitum sub censura, tunc Bonac. *n.* 4. tenet, consulentem incurrere excommunicationem, quamvis delinquens jam esset paratus ad præstandum effectum prohibitum sub excommunicatione, quia tunc verificatur, consulentem influxum moralem præstitisse in illum actum, vel secundum modum, vel secundum substantiam; oppositum tenet Ant. a Spiritu S. *n.* 52. quia si mandans, vel consulens solum auxit voluntatem percutientis ad idem vulnus, ad quod delinquens jam erat determinatus, non influxit in substantiam criminis, sed in modum, vel celeritatem; influere autem in modum non est caussa censuræ, nisi expresse prohibeatur, & pro se citat Covarruviam, & Christophorum a S. Joseph *in censura dub.* 2. *§.* 5. *n.* 3.

63. Qui consuluit minus malum parato facere majus, puta, qui volenti occidere Clericum, jussit tantummodo percutere, non incurrit in excommunicationem, nam dedit consilium bonum, ipsum retrahendo a majori malo, & sic non peccat consulendo minus malum parato facere majus, quia consilium non est absolutum, sed conditionatum, ut diximus *suo loco*, ac proinde non incurrit excommunicationem, qui tale consilium dedit. Ita Sotus, Avila, Sanchez, quos sequitur Bonac. *n.* 5. Ant. a Spiritu S. *n.* 52. Diana *par.* 5. *tr.* 9. *res.* 58. Candid. *disquis.* 22. *art.* 14. *dub.* 1. *concl.* 3.

64. *An vero censuram incurrat mandans, aut consulens percussionem Clerici, si ante patratum delictum, mandatum, seu consilium revocavit, & nihilominus percussio sequatur?* Responsio communis tenet, mandantem non incurrere excommunicationem, si percussio sequatur post revocatum mandatum, si talis revocatio fuit mandatario intimata, quia tunc mandans censetur non habere amplius influxum in talem percussionem, cum influxum revocaverit, revocando mandatum, secus si revocatio non innotuit mandatario, quia durat influxus, & mandatarius adhuc operatur virtute mandati. Bonac. *pun.* 6. *nu.* 6. Molina *tom.* 4. *disp.* 52. *nu.* 2. Ant. a Spiritu S. *num.* 53. Consulentem vero ligari censura, quamvis consilium revocaverit, & talis revocatio fuerit intimata ei, cui fuit datum consilium ad patrandum delictum sub censura prohibitum, quia non censetur revocasse influxum, saltem quando consilium est verum. Navarr. *cap.* 27. *nu.* 253. Molina, & Bonac. *loc. cit.* Alii, dicunt, retractationem mandati intimatam illi, cui fuit datum consilium, sufficere ad censuram evadendam; addunt tamen, consulentem debere monere percutiendum, ut sibi caveat. Ita Sylvester *verb. Homicidium num.* 11. & 12. Sayr. *lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 25. Palaus *disp.* 1. *punct.* 7. *num.* 15. Suarez *disp.* 44. *sect.* 3. *num.* 11. de mandante, & *nu.* 13. de consulente. Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *num.* 150. hanc assignans rationem, quia Ecclesia non intendit, immo non potest censuris ligare, nisi rebelles, aut contumaces; sed in tali casu ille non est rebellis, & contumax; ergo non ligatur censura lata ab Ecclesia.

65. Major difficultas est, quando revocatio mandati, vel consilii non innotuit mandatario, aut illi, cui fuit datum consilium, quia longe aberat, nec revocatio potuit intimari: *an tunc mandans, seu consulens, qui propriam voluntatem revocavit, & fecit quantum potuit, ut crimen impediret, incurrat excommunicationem, si accisio, seu percussio Clerici sequatur?* Si potuit intimare revocationem mandati, seu consilii, & sic crimen impedire, & noluit, certum est, secuto effectu, ipsum ligari censura, quia censetur virtualiter perseverare in mandato, & consilio, ac proinde vera caussa talis effectus, & sic censuram in-

incurrit; si autem revocationem non potuit insinuare, quia mandatarius, seu executor consilii longe aberat, nec inveniri potuit, tunc adest duplex sententia, & utraque probabilis, tum propter rationem, tum propter auctoritatem Doctorum.

66. Prima sententia negat, illum censuras incurrere, quando prava voluntas fuit revocata, & quantum potuit procuravit effectum impedire. Ratio est, quia censura incurri non potest sine peccato, sed quando sequitur mors, aut percussio Clerici, non datur peccatum, quia jam fuit per pœnitentiam retractatum, & deletum, ut supponitur; ergo, secuto effectu, non potest incurri excommunicatio. Deinde, quia censura est pœna medicinalis, non ad punitionem, sed ad emendationem ordinata; ergo qui jam est emendatus, & sanus, non est illa dignus. Item excommunicatio, & aliæ censuræ requirunt contumaciam in subjecto, sed qui voluntatem retractavit, & modis, quibus potest, conatus est effectum impedire, jam non est contumax; ergo non potest tunc censuram incurrere. Idem valet de illo, qui propinavit venenum ad procurandum abortum, seu occisionem alicujus; sed antequam sequeretur effectus, animum retractavit, & quibus modis potuit procuravit talem effectum impedire, qui tamen ex tali caussa de facto secutus est, & aliis similibus casibus. Ita tenent Diana *p. 8. tr. 7. resol.* 85. & apud ipsum Hurtad. *disp.* 15. *n.* 73. Palaus *disp.* 2. *punct.* 3. *n.* 2. Bonacina *punct.* 6. *n.* 6. Anton. a Spiritu S. *disp.* 1. *n.* 45. Salmantic. Montesinus, Arauxo, Filliuc. & alii, quos affert, & sequitur Andr. a Matre Dei *c.* 1. *n.* 153.

67. Secunda sententia æque probabilis, affirmat, incurrere excommunicationem, & irregularitatem, effectu secuto. Ratio est, quia ille, qui dedit mandatum, vel consilium, aut propinavit venenum, vere peccavit, applicando caussam sub excommunicatione prohibitam, ex qua sequitur mors, abortus, aut percussio; illud peccatum est sufficiens, ut incurratur excommunicatio, secuto effectu, cum sequatur ea caussa sub excommunicatione prohibita, quamvis effectus sequatur sine nova culpa. Siquidem Ecclesia juste punire potest per censuras peccatum illud, & de facto punit per excommunicationem, & irregularitatem, quas tamen incurri non vult, nisi secuto effectu, & sub conditione, quod effectus sequatur; ergo, posito tali effectu, tamquam conditione, sine qua non, incurritur excommunicatio, & irregularitas sine novo peccato. Nec obstat, quod, effectu adveniente, homo jam pœniteat, & sit in gratia, quia sicut excommunicatus, licet per contritionem justificetur, adhuc manet excommunicatus, donec absolvatur, ita potest, quando jam est in gratia, & contritus, incurrere de novo excommunicationem propter peccatum præteritum. Lugus *de pænit. disp.* 16. *n.* 453. Coninch *disp.* 14. *dub.* 15. *n.* 176. ubi asserit, omnes hanc sententiam tenere, & nos in simili diximus probabiliorem *in tract.* 7. *de pænit. c.* 8. *n.* 162.

68. Ad fundamenta opposita respondetur, censuram non incurri sine peccato præsenti, aut præterito, quia peccatum illud potest Ecclesia punire per censuram incurrendam sub conditione, quod sequatur effectus, & non aliter, verificata conditione, censura incurritur sine novo peccato; nam per primum peccatum jam contraxit debitum incurrendi censuram, si effectus sequatur. Censura utique est pœna medicinalis, quia & peccantem arcet in futurum a similibus excessibus, & metu illius incurrendæ arcentur fideles a ponenda caussa illius effectus, per quam incurritur censura. Ad tertium dico, censuram requirere contumaciam in subjecto præsentem, aut præteritam, sitam in eo, quod sciens, & cognoscens, factum aliquod esse prohibitum sub censura, libere, & voluntarie illud ponit, sicut explicavi *dub. præced.* quæ omnia explicata sunt a nobis in *tract.* 7. *de pænit. cap.* 8. *n.* 163.

DUBIUM VII.

De forma, & modo ferendi Censuras.

69. Certum est, ad censuram ferendam necessariam esse actionem aliquam sensibilem manifestativam voluntatis Superioris volentis Censuram aliquam ferre, nec sufficere actum voluntatis internum, nisi voce, scripto, aut alio sensibili signo manifestetur, quia Censura pertinet ad forum externum, & est gladius Ecclesiæ, quæ est sensibilis, adeoque debet esse sensibilis, seu externa manifestari, ut possit obligare subditum; sicut enim præceptum mente retentum non obligat, ita nec Censura: in quo conveniunt Doctores communiter. Nulla tamen sunt præscripta certa, & determinata verba, quibus Censura feratur, sed sufficiunt quæcumque verba, aut etiam signa, quibus Superior sufficienter suam intentionem exprimat, & manifestet, quia nullo jure cautum est, Censuram esse ferendam per certa aliqua verba, sed illa sufficiunt, quibus intentio, & voluntas Superioris manifestatur. Navarr. *c.* 27 *n.* 12. Suar. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 5. Candid. *disq.* 22. *art.* 16. *dub.* 3. Palaus *disp.* 1. *punct.* 2. *n.* 6. Bonacina *punct.* 7. *n.* 1.

70. Verba, quibus fertur censura, exprimere debent censuram aliquam in particulari, & non tantum in genere, puta, qui hoc fecerit sit censura ligatus, quia censura in genere non existit, neque hominem afficere potest. Inde si Superior aliquid prohiberet sub censura in genere, & non in specie sub excommunicatione, suspensione, vel interdicto, nihil efficeret: valebit tamen, si aliquid præciperet, seu prohiberet sub excommunicatione; nam licet excommunicatio sit indifferens ad majorem, & minorem, simpliciter tamen prolata stat pro majori, ut patet ex usu communi, & habetur Textus expressus in cap. *si quem de sent. excomm.* Anton a Spiritu Sancto *disp.* 1. *num.* 59. Suar. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 3. Leander *disp.* 4. *qu.* 6. qui tamen asserunt, non esse idem dicendum de suspensione, quæ cum habeat sub se tres species subalternas, scilicet ab Officio, a Beneficio, & ab utroque, nisi Superior exprimat a quo suspendere velit, sed tantum dicat: *suspendo te*, nulla erit, & invalida, unde necessario debet dicere, *suspendo te ab officio, vel a beneficio:* vel *ab officio, & beneficio simul*. Oppositum tamen cum aliis tenet Bonacina *disp.* 3. *de suspensione q.* 2. *n.* 1. dicens, suspensionem absolute probatam intelligendam esse, tum ab officio, tum a beneficio, quia verba generaliter prolata sunt generaliter intelligenda, & inde dum Superior dicit: *suspendo te*, intelligitur de suspensione totali, tum ab officio, tum a beneficio, prout etiam tenent Sylvester, Tolet. Avila, Sayrus relati a Bonacina, & fusius explicabitur infra suo loco.

71. Si censura feratur sub disjunctione, ut si Episcopus dicat: *Clericus, qui portaverit arma, sit excommunicatus, vel suspensus*, aut Clericus, qui portaverit arma, *sit suspensus ab officio, vel beneficio*, plures asserunt, esse invalidam, & Clericum arma ferentem neutra ligari, nec suspendi, nec ab officio, nec a beneficio: & ratio est, quia sententia sine certa quantitate prolata non meretur nomen sententiæ, ex *l.* 3. *C. de sententia, quæ sine certa quantitate profertur*, tum quia per illa verba disjunctiva, cum nulla in specie censura determinetur, non est major ratio, cur una, & non altera incurratur, & sic invalida est, & nulla. Navarr. *c.* 27. *n.* 161. Sylvester *verb. suspensio quæst.* 6. *num.* 5. Ugolin. *tabul.* 1. *c.* 10 §. 3. *n.* 4. Sayrus *l.* 4. *c.* 7. *n.* 3. & alios referens Ant. a Spiritu S. *n.* 60.

72. Verum probabilius est, validam esse censuram tali modo prolatam, & reo liberum esse eligere, quam maluerit pœnam, & sic quam elegerit incurret, & non aliam, ea ratione, qua in judicio civili potest Judex reum condemnare, vel ad carcerem perpetuum, vel ad triremes, vel ut solvat centum aureos, aut per biennium includatur in carcere, eritque in illius arbitrio eligere pœnam, quam voluerit, & in Confessione potest pœnitenti injungi, aut jejunium, aut eleemosyna, nullusque dicet, hanc pœnitentiam esse indeterminatam, cum vere Confessarius unam determinare intelligat eligendam ab ipso pœnitente. Quod si reus neutram partem eligere velit, utrique parti subjacere debet ex intentione Judicis sententiam sic proferentis; vel, ut ait Suarez, si unam partem negligit, alteram eligere censetur, quia quando ex disjunctiva una pars destruitur, manet altera, per quod patet responsio ad rationem oppositam: & ita tenet Suar. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 12. Bonac. *punct.* 7. *n.* 4. Candid. *disq.* 22. *art.* 17. Diana *p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 63. Leander *disp.* 4. *q.* 8.

73. Si autem censura non determinat personam, sed tantum Superior disjunctive dicat; *excommunico unum ex his duobus, Petrum, aut Paulum*, tunc invalida est talis excommunicatio, quia verba censuræ sunt operativa, & faciunt id, quod significant; ergo si nullam personam determinate significant, & non constat ad quam intentio Superioris referatur, nullum efficiunt, & nullus remanet excommunicatus. Debet autem persona determinari quoad proprium nomen, aut pronomen, si cognoscatur, vel illam designari quoad delictum, ut si dicatur; *Clericus, qui gestaverit comam sit suspensus;* hæc enim verba sunt sufficienter determinata ad Clericum, qui gestat comam, & illum sufficienter designant per tale delictum. Ita cum communi sententia Suar. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 16. Bonacina *punct.* 7. *n.* 6. Candid. *disq.* 22. *art.* 16. *dub.* 16. Filliuc. Rastellius, Banner, quos sequitur Leander *disp.* 4. *q.* 10.

74. Debet censura ferri per verba temporis præsentis, dicendo; *sit excommunicatus*, non autem per verba futuri temporis dicendo; *excommunicabo*, vel *excommunicandus*, si enim feratur per verba temporis futuri, non erit censura latæ sententiæ, sed ferendæ: valet tamen censura

lata sub conditione de futuro pertinente ad materiam, & caussam censuræ, ut si Superior dicat; *excommunico Petrum, si intra mensem non satisfecerit, non restituerit*, ut patet ex cap. *Præterea 2. de appell.* cap. *Romana de sent. excom. in 6.* Ratio est, quia censura semper habet imbibitam, & inclusam conditionem de futuro circa materiam & caussam illius: siquidem censura non fertur, nisi ratione delicti, vel futuri in ordine ad observantiam alicujus mandati; vel præteriti in ordine ad satisfactionem faciendam, unde semper habet inclusam conditionem de futuro, *si quis fecerit*, aut *non satisfecerit intra mensem*. An vero valeat censura lata sub conditione, de futuro impertinente ad caussam censuræ, dubium est apud Auctores: sed quia res est parvi, aut nullius momenti, id consulto omisimus; probabilius est esse validam, sed illicitam. Suarez *disp. 3. sect. 4. a nu. 2. & sect. 7. per totam*. Alterius *l. 3. disp. 9. c. 2.* Anton. a Spiritu S. *disp. 1. n. 62. & 65.*

75. Censura sive a Jure, sive ab homine lata sub conditione peccati in futurum committendi, non solum valida, sed etiam licita est, & nonnumquam fulminatur, non solum pro delicto præterito, sed etiam futuro, sed non incurritur, nisi post adventum conditionis, quia tunc solum censura suas habet vires, & tunc solum censetur proferri a Judice, ut habetur in cap. *Licet, de sent. excomm.* & docent Archid. Panormit. quos sequitur Covar. in cap. *Alma Mater p. 1. §. 10. n. 6.* Ugolinus *tab. 1. c. 2. §. 2. n. 3.* Alterius *l. 3. disp. 5. c. 1.* Anton. a Spiritu Sancto *n. 68.* Leander *q. 15.* Suspenditur per legitimam appellationem illius, in quem lata est, si appellatio fiat ante impletam conditionem, ut habetur in cit. cap. *Præterea 2. de appell.* & inde, si post interpositam appellationem impleatur conditio, non incurritur censura, & si post talem appellationem pronuntietur sententia excommunicationis, est nulla, quamvis donec constet de nullitate, concedenda sit absolutio ad cautelam, ut habetur ex prædicto cap. & ex cap. *Licet*, cap. *Ex venerabilibus, de excom. in 6.* ut ex communi Doctorum docet Leander *q. 16.* sequitur Anton. a Spiritu S. *n. 67.*

76. Appellatio suspendit effectum, si sit interposita ante impletam conditionem, etiamsi decem dies dati ad appellandum sint elapsi, quia censura non incipit obligare, nisi post impletam conditionem: & sic quocumque tempore fiat appellatio ante impletam conditionem, suspendit censuram, ac si appellatio fieret ante prolatam sententiam, ut cum Navarro, & aliis tenet Leander. Post impletam conditionem non amplius habet locum appellatio, ut habetur in cap. *Pastoralis §. verum de appell.* & cap. *Is qui, num. 15 §. ult. de sent. excomm. in 6.* nam censura secum affert executionem, ut habetur ex primo capite; a sententia autem jam executioni mandata non est licitum appellare, sed absolutionem quærere; sed censura conditionalis, post impletam conditionem, transit in absolutam; & sic non licet ab illa appellare, saltem ad effectum suspensivum. Suarez *disp. 3. sect. 6. n. 6.* Filliuc. *tr. 11. c. 3. q. 9. n. 78.* Leander *quæst. 18.*

77. Censura sub conditione lata suspenditur etiam per consensum partis, in cujus favorem fuit lata, si consensum præstet ante impletam conditionem, quamvis id faciat absque consensu Judicis; sicut enim tollitur, & cessat censura, condonato debito, quia cessat caussa, ob quam lata est, ita suspenditur, prorogato termino, per consensum partis, in cujus favorem fuit lata. Suar. *sect. 6. n. 8.* Hurtadus *disp. 13. de censur. diff. 5.* Antonius a Spiritu Sancto *nu. 69. & 70.* Quod si debitor non solvat intra terminum a parte prorogatum, incurrit dictam censuram a principio latam a Judice, absque novo decreto, & consensu Judicis, ex vi præcepti facti a principio sub censura, quod adhuc perseverat pro tempore prorogato, quia Judex non præfixit terminum ad finiendum intra illud suum præceptum, & censuram ei annexam, sed solum ad finiendam permissionem differendi impletionem sui præcepti, nisi alias ex consensu partis terminus prorogetur, quo prorogato, intendit Judex præceptum, & censuram prorogari, quousque terminus a parte prorogatus finiatur, quo finito, & non facta solutione, seu satisfacta parte, præceptum habet tunc suum effectum, & a debitore incurritur censura, quæ fuit usque ad illud tempus prorogata, & suspensa. Suar. *disp. 3. sect. 6. n. 11.* Bonac. *disp. 1. q. 2. p. 4. num. 2.* Hurtad. *disput. 13. diff. 5. numer. 15.* Leander *quæstion. 21.*

78. Quæres: *An censura lata sub conditione afficiat illum, qui mutavit domicilium?*

Resp. quod licet quis mutet domicilium, adhuc tamen censura ligatur, si illa fuit lata cum respectu ad factum præteritum, & commissum tempore prioris subjectionis, & fori; ut si Judex dicat: *Qui furati sunt ornamenta Ecclesiæ, si intra mensem non restituant, sint excommunicati*; tunc enim, qui jam furatus est, & ante completum mensem non restituat, ligatur excommunicatione, quamvis domicilium mutet ante completum mensem. Ratio est, quia licet mutet domicilium, adhuc tamen manet subditus, ratione delicti antea patrati, cap. *fin. de foro compet.* multo magis remanet subditus, si domicilium mutet, quando jam fuit citatus, & caussa inchoata, ut expresse dicit Gregor. IX. in cap. *Proposuisti de foro compet.* Secus dicendum, si censura lata fuerit, sive per statutum, sive per sententiam prohibens aliquod peccatum futurum; puta, qui hoc fecerit sit excommunicatus, si enim mutat domicilium ante patratum delictum, censuram non incurrit, etiamsi postea peccatum illud committat, quia censura ferri non potest, nisi in subditum, & qui mutavit domicilium ante patratum delictum, amplius non est subditus, & sic non incurrit censuram. Ita cum communi Suar. *disp. 3. sect. 5. per tot.*

79. Idem valet de censura lata a Judice per sententiam sub conditione, quando Judex moritur, aut removetur ab officio; nam si ante mortem Judicis fuit censura incursa, non tollitur nisi per absolutionem: si vero nondum fuit incursa, cessat, nec incurrit, etiamsi post mortem impleatur conditio, quia tunc Judex non amplius existit. Quod si Judex ad tempus removeatur ab officio, aut suspendatur, & iterum restituatur, durat censura, etiam post tempus præfixum a Judice; ut si dicat: nisi quis restituat intra mensem, sit excommunicatus. Si interim Judex removeatur ab officio, aut suspendatur, debitor pro toto tempore, quo durat suspensio Judicis, non incurrit excommunicationem, quamvis tempus assignatum ad restituendum sit elapsum: si post tale tempus Judex restituatur, aut absolvatur, censura recuperat suas vires, & debitor censuram incurrit, si non restituat, quia illa conditio semper durat, etiam transacto tempore. Si delictum sit totaliter commissum tempore quo Judex fuit suspensus, ut si adulterium sit prohibitum sub excommunicatione, &, durante tempore suspensionis, quis adulterium committit, non ligatur excommunicatione, quæ pro eo tempore non viget: & si postea Judex absolvatur, delinquens jam non est contumax, & sic non incurrit censuram. Suarez *disp. 3. sect. 4. numer. 15.* Alterius *lib. 3. disp. 9. 14. num. 7.* & alios referens Ant. a Spiritu S. *num. 72.*

DUBIUM VIII.

An Censura ferri debeat in scriptis.

80. RESP. 1. Ad validitatem censuræ non requiritur necessario, quod feratur in scriptis, quia scriptura non spectat ad formam substantialem, sed accidentalem; qui tamen censuram ferret solo verbo sine scriptura, & sine expressione caussæ, peccaret mortaliter, ipseque Judex suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, & a Divinis Officiis per mensem incurreret: & idem dicendum de Judice, qui parti petenti non concederet exemplar scripturæ intra mensem, quia sic expresse præcipitur ab Innocentio IV. in cap. *Cum medicinalis, de sent. excom. in 6.* illis verbis: *Quisquis igitur excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & caussam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero hujusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere infra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici, sigillo authentico consignatas. Si quis autem Judicum hujusmodi constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ, & Divinis Officiis noverit se suspensum*; & infra: *& hæc eadem in suspensionis, & interdicti sententiis volumus observari.*

81. Dispositio hujus capitis locum habet solum in censura lata ab homine per modum sententiæ pro peccatis præteritis, non autem in censura lata a jure, vel ab homine per modum legis, & statuti, pro peccatis futuris præcavendis, quæ non indiget scriptura: nam hæc semper est, aut præsumitur justa, ex cap. *Erit autem lex dist. 4.* Illa vero potest esse injusta, & ideo indiget scriptura, ut ejus justificatio a Superiore cognoscatur, tum ex cit. cap *Ut Judices non festinato, temere, & imprudenter ex quacumque levissima caussa, unico verbo censuræ gladio aliquem jugulent. Nam dum sententia scribitur, quod magis deceat advertitur, mens componitur, & ira sedatur.*

82. Non est necesse, quod hæc scriptura fiat a publico Notario, quia in dicto cap. *Cum medicinalis* non dicitur, quod debeat esse publica per Notarium facta, sed solum quod censura debeat in scriptis proferri, sed sufficit, quod scribatur a Judice, vel ab alio, dummodo possit per testes probari, ut ex communi docent Suarez *disp. 3. sect. 13. num. 3.* Alterius *lib. 3. disp. 4. cap. 2.*

vers.

vers. Si quærat quis. Nec Judex, etiam non Episcopus, tenetur censuram sic scriptam legere per se ipsum, sed sufficit, quod fiat mediante Notario, aut alio Ministro, quia sufficienter verificatur, ipsum proferre sententiam; nam Judex dicitur facere, quod per se ipsum, vel per ministros facit, nec in d. cap. *Cum medicinalis* dicatur, quod per se ipsum sententiam proferat, sed præcise quod illam in scriptis proferat, quod fieri potest per ministrum. Suar. *sect.* 13. *n.* 4. Alterius *disp.* 4. *c.* 2. *versic. Quæri etiam potest*, Villalobos *tr.* 16. *diff.* 7. Andreas a Matre Dei *c.* 1. *n.* 176.

83. Quando profertur censura contra personam aliquam determinatam, debet inscribi caussam, ob quam fertur censura, non solum in genere, dicendo: *Excommunico Petrum ex rationabili caussa, aut ob suam contumaciam*; sed debet in particulari exprimi delictum, dicendo: *Excommunico, aut suspendo Petrum, quia hoc, vel illud facere recusavit, quamvis legitime fuerit monitus*. Suar. *sect.* 13. *n.* 5. Alterius *l.* 2. *disp.* 4. *c.* 2. *vers. Secundo loco*, Filliuc. *tr.* 11. *c.* 2. *q.* 9. *n.* 107. & illius sententiæ copiam, & exemplar tenetur tradere reo intra mensem, si ab eo fuerit requisitus, ut habetur in cit. c. *Cum medicinalis*. quod quidem exemplum debet esse integrum, & continere caussam censuræ de verbo ad verbum usque ad notationem diei, mensis, & anni. Sic Glossa in d. cap. *Cum medicinalis, verb. Exemplum*, & communiter Doctores. Illud exemplum tenetur tradere Judex, non solum quando contra determinatam personam profert censuram, sed etiam quando illam profert in generali contra quoscumque, qui hoc, vel illud fecerint; si nimirum ab aliquo innominato, qui sub illo comprehendi poterat, requiratur, ut cum Suar. Filliuc. & Villalob. tradit Leand. *disp.* 6. *q.* 12.

84. Judex, qui, ferendo censuram hanc formam non servat, peccat mortaliter contra præceptum Superioris, & ipso jure incurrit pœnam suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, & Divinis Officiis per mensem, ex cap. *Cum medicinalis*, ubi etiam additur, quod reus recurrens ad Superiorem, sine difficultate debeat ab ipso absolvi, & Judex condemnari ad expensas, & interesse, aliisque pœnis puniri, prout judicaverit Superior; si autem Judex ita suspensus Divinis Officiis se immiscuerit, incurrit irregularitatem a solo Papa dispensabilem, ut habetur in *præcit. cap.* & tenent communiter Doctores.

85. Episcopi, si solo verbo censuram ferant, licet peccent mortaliter, non tamen incurrunt pœnam suspensionis, quia in cit. cap. *Cum medicinalis* non fit specialis mentio Episcoporum, ut erat necessarium, ut comprehenderentur, juxta caput *Quia periculosum de sent. excommun.* ubi statuitur, quod Episcopi non ligantur pœna suspensionis, aut interdicti, nisi de illis fiat specialis mentio, ut cum Bonacina *q.* 1. *punct.* 8. *n.* 2. tenent communiter Doctores. Excusantur a peccato, & aliis pœnis alii Judices, qui, ob vitandum instans periculum, aut ex alia rationabili, & urgenti caussa, censuram ferant solo verbo, sine scripto, quia tunc non est culpabilis omissio; maxime quia in d. cap. *Cum medicinalis* dicitur, *si quis temerarius extiterit violator*, qui autem ex justa rationabili, & urgenti causa movetur, non est temerarius violator, immo, etiamsi ex ignorantia invincibili, vel inadvertentia inculpabili aliquid dictæ Constitutionis omitteret, non incurreret dictas pœnas, quia non esset temerarius violator. Bonacina *punct.* 8. *num.* 2. Candidus *disq.* 22. *art.* 18. *dub.* 2. Alterius *l.* 3. *disp.* 4. *c.* 3. nec si omitteret ex ignorantia vincibili, dummodo non sit crassa, & supina, quæ excusat ab aliis pœnis, quamvis non excuset a peccato, saltem veniali, ut cum Sanch. Tannero, Cælestino, Diana, & aliis tenet Ant. a Spiritu S. *disp.* 1. *n.* 99.

85. *An vero Prælati Regulares teneantur observare dictam Constitutionem in ferendis censuris sub pœna suspensionis, & aliis in ea taxatis?* Resp. affirmative de Jure communi, cum prædictum Caput sit universale, & nullum excludat, ut cum aliis tenet Diana *p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 7. quando autem jura nolunt comprehendere Regulares, id solent exprimere, ut patet ex *Clem.* 1. *de priv.* Cum autem hic non excipiantur, tenentur Prælati Regulares, ex vi juris, sub pœna peccati mortalis, & sub pœna suspensionis, ferre censuras in scriptis cum expressione caussæ. Sic Novar. *c.* 17. *n.* 8. Alterius *l.* 3. *disp.* 4. *c.* 3. *vers. oppositum tamen*, Bonac. *punct.* 8. *n.* 2. Possunt tamen Regulares excusari ab observantia dictæ Constit. ex vi consuetudinis contrariæ, si ulicubi fuit legitime introducta, & ex privilegio Bullato Bonifacii VIII. in quo conceditur Dominicanis posse contra Religiosos subditos procedere, Juris apicibus postpositis, inter quos numeratur, quod censura feratur in scriptis. Villalob. *tom.* 1. *tr.* 16. *diff.* 7. *n.* 2. refert Constit. Leonis X. eximentis Prælatos Ordinis S. Francisci ab hac sollemnitate, quam etiam Constitutionem refert Henriq. *l.* 13. *c.* 16. *n.* 2.

DUBIUM IX.

An monitio aliqua præmitti debeat ante prolationem Censuræ.

87. RESP. 1. Ad incurrendam censuram latam a jure, vel etiam ab homine per statutum generale pro futuris culpis avertendis, nulla prærequiritur specialis monitio distincta ab ipso jure, vel precepto. Idem valet etiam de censura lata per modum particularis præcepti in ordine ad delictum futurum præcavendum, ut si Prælatus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipiat subdito, ne talem domum ingrediatur. Ratio est, quia jus ipsum, cum sit publicum, satis admonet, cum lex semper loquatur: & similiter præceptum, quamdiu durat, semper admonet subditum, ne mandatum transgrediatur; unde in his casibus nulla requiritur monitio distincta ab ipso precepto, quod habet vim monitionis, nisi forte monitionem præcedere jus ipsum expresse vellet, prout velle videtur *Clem.* 1. *de decimis*, ubi suspenduntur Religiosi, qui decimas Ecclesiæ debitas sibi sumunt, nisi intra mensem moniti destiterint, & in *Clem. un.* §. *finali de statu Monachorum*, ubi excommunicantur ipso facto, qui visitationes impedire præsumunt, nisi moniti resipiscant, quod esse speciale in illa excommunicatione testatur ibi Glossa. Ita tenent Palaus *disp.* 1. *punct.* 5. *n.* 11. Bonacina *punct.* 9. *n.* 1. Suar. *disp.* 3. *sect.* 8. *n.* 3. *& seq.* Alterius *l.* 3. *disp.* 3. *c.* 1. Candid. *disq.* 22. *ar.* 19.

88. Resp. 2. Ad incurrendam censuram latam ab homine pro culpis præteritis, vel præsentibus requiritur canonica monitio, seu illius comminatio: adeo, ut censura lata absque ulla præcedente monitione, seu comminatione, qua Superior præcipiat desistere a tali culpa, aut pro illa satisfacere sub tali censura, sit irrita, & nulla. Sic enim definitur in cap. *Sacro* 48. *de sentent. excomm.* ubi Innoc. III. ait: *Prohibemus ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & personis præsentibus idoneis, per quas, (si necesse fuerit) possit probari monitio, promulgare præsumat: quod si contra præsumpserit, etiamsi justa fuerit excommunicationis sententia, ingressum Ecclesiæ per mensem unum sibi noverit interdictum.* Idem habetur cap. *Romana eod. tit. in* 6. & cap. *Reprehensibilis de appel.* & cap. *Statutum de sent. exc. in* 6. & ratio est, quia censura ferenda non est, nisi ob contumaciam, & inobedientiam Ecclesiasticæ potestati, juxta illud Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi ut Ethnicus*; sed contumax, & inobediens dici non potest, qui non est admonitus, forte enim si tali pœna comminatus esset, ab illa perterritus obediret. Bonacina *punct.* 9. *n.* 1. Suar. *sect.* 8. *num.* 4. Palaus *punct.* 5. *n.* 5. Alterius *lib.* 3. *disp.* 3. *cap.* 1.

89. Nota hic discrimen inter Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum, quod Excommunicatio numquam ferri potest sine præcedenti monitione, quia semper habet vim censuræ, & numquam imponitur, nisi ut censura. Suspensio vero, & Interdictum, quamvis sint censuræ, aliquando tamen imponi possunt, & imponuntur, non ut censuræ, sed ut pœnæ vindicativæ, & tune monitionem præviam non requirunt; de Suspensione habetur cap. *tum litteris* 33. *de test. & attestationib.* & cap. *cum in cunctis* 7. *de elect.* & de Interdicto est Textus in cap. *Sacro* 48. *de sent. excom.* & in cap. 1. *eod. tit. in* 6.

90. *An vera monitio ita sit de essentia censuræ, ut Ecclesia non possit de plenitudine suæ potestatis illam ferre sine monitione?* negant plures, dicentes, Ecclesiam posse ferre censuras, etiam pro peccatis præteritis, sine monitione, quamvis ordinarie non possit: nam de facto D. Paulus 1. *ad Corinth.* 5. excommunicavit incestuosum quemdam absentem, nulla monitione præmissa: & in c. *Tanta dist.* 86. D. Gregor. excommunicavit quosdam, quia malum consilium Episcopo dederant, & sic ob delictum jam præteritum sine monitione: & in cap. *duo sunt dist.* 96. Innocentius excommunicavit Arcadium ob delictum præteritum; & D. Ambrosius excommunicavit Theodosium ob occisionem innocentium, quam fecerat in cæde Thessalonica. Ratio est, quia ferre censuras sine monitione non ita repugnat juri naturali, aut Divino, quin Ecclesia de plenitudine suæ potestatis possit hoc facere. Certe qui transgressus est præceptum Ecclesiasticum, non audiendo Sacrum in die festo, vel non jejunando in Quadragesima, jam est contumax contra Ecclesiam, quam non audivit, & sic puniri poterit per censuras, & ab Ecclesia excommunicari. Ita tenent Bonac. *q.* 2. *punct.* 9. *n.* 4. & apud ipsum Suar. *disp.* 3. *sect.* 8. *n.* 7. *in fine*, & Cajet. 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. hoc idem tenent Corduba *l.* 2. *q.* 72. §. *sed ad exaltationem*, Candid. *disquis.*

quæst. 22. *art.* 20. *dub.* 1. Diana *p.* 5. *tract.* 9. *resol.* 18.

91. Sententia communis, & utique probabilior docet, monitionem aliquam ita esse necessariam, & de essentia censuræ ferendæ pro peccatis præteritis, ut nec Pontifex illam ferre possit sine præcedenti aliqua monitione. Ratio est, quia monitio aliqua de jure naturali necessaria est reo ad sui defensionem, adeo, ut valide ferri non possit sententia contra inauditam partem; sed Papa non potest in jure naturali dispensare: ergo ferre non potest censuras sine præcedenti aliqua monitione. Deinde, quia censura ex natura sua est pœna Ecclesiastica medicinalis ordinata ad tollendam contumaciam, & inobedientiam nolentis Ecclesiam audire, juxta illud Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi* ut *Ethnicus*, *&* *Publicanus*, & sic ferri non potest, nisi contra contumaces, & inobedientes, sed dici non potest inobediens, & contumax contra mandata Ecclesiæ, qui non fuit admonitus sub censura; forte enim si tali pœna comminatus erit, ab illa perterritus obediret: ergo contra illum ferri non potest censura, nisi præcedat monitio Superioris, aut Judicis sub tali pœna præcipientis. Nec sufficit peccatum mere præteritum, aliquem scilicet non jejunasse, vel Missam audisse in die festo, seu furtum commisisse, quia non dicitur contumax, qui peccavit, sed vel qui satisfacere requisitus non vult a peccato desistere, aut pro illo satisfacere: & ita tenent Avila *punct.* 2. *c.* 5. *dub.* 10. Rastellus *de censur. in gen. q.* 3. *art.* 4. *n.* 9. Cornejo *disp.* 5. *de censur. in gen. dub.* 2. *q.* 20. Henriq. *l.* 13. *n.* 3. Coninch *disp.* 12. *n.* 83. Leand. *disp.* 5. *q.* 34. *vers. Resp.* 2. Antonius a Spiritu S. *disp.* 1. *n.* 80. *c.* 1. *num.* 84.

92. Ad exempla pro prima sententia adducta dicendum est, non satis probare intentum, quia nituntur argumento negativo, eo quod non constet, monitionem fuisse præmissam; quod utique argumentum est invalidum, cum monitio potuerit esse præmissa, & quidem incestuosum secreto prius fuisse ab Apostolo monitum, satis probabile est; nam Apostolus per illam excommunicationem, salutem illius incestuosi maxime quæsivit: tum ne dicamus, Apostolum esse sibi contrarium, qui Tito *c.* 3. scripsit: *Hæreticum hominem post unam, & alteram correctionem devita*. Innocentius non excommunicavit Arcadium ob factum omnino præteritum, sed quia D. Chrysostomum injuste ejectum in exilium noluit revocare. Similiter D. Ambrosius Theodosium excommunicavit, eo quod nollet agere condignam pœnitentiam ob tantum scelus commissum; nam statim, ac illam peregit, communioni restituit, cum præcipue historiæ narrent, eum sæpe monuisse Theodosium, ut a cæde desisteret. Addi potest, non tam excommunicasse imperatorem, quam aditu Templi prohibuisse, donec ageret pœnitentiam.

93. Ad rationem dicendum, excommunicationem latam sine illa præcedenti monitione, esse contra jus divinum, & naturale, quod a Pontifice tolli non potest, nec sufficit qualibet culpa hominem peccasse, non jejunasse, non audivisse Sacrum, sed requiritur contumacia contra præceptum Ecclesiæ, aliquid sub excommunicatione prohibentis, nec est pœna mere punitiva, sed medicinalis, ordinata ad tollendam contumaciam contra præceptum Ecclesiæ, aliquid sub censura prohibentis, & ad correctionem pœnitentis, ut sæpe dictum est.

94. Resp. 3. ut censura juste, & licite feratur, præmittenda est trina monitio, vel una pro tribus, cum intervallo temporis inter unam, & aliam, saltem duorum dierum pro qualibet monitione, nisi aliter cogat necessitas. Cap. *Omnes decimæ* 17. *q.* 7. cap. *Presbyterorum* 27. *q.* 4. cap. *Contingit* 2. *de sent. excom.* c. *Constitutionem, eod. tit. in* 6. & cap. *Romana*, ibidem, ubi cavetur, *ut Judices ferant sententiam excommunicationis, vel suspensionis, sine competenti, aut canonica monitione, & si contra præsumpserint, injustas noverint esse illas*, ubi Glossa ponderat verbum *injustas*, & advertit, Pontificem non dixisse, esse *nullas*, sed *injustas*, quia ex defectu trinæ monitionis, dummodo aliqua saltem monitio adsit, censura non redditur nulla, sed injusta, nisi forte jus ipsum in aliquo casu trinam monitionem requirat, ut valida sit, ut quando Judex pronunciat excommunicationem contra participantes cum excommunicatis a se ipso; ut enim valida sit talis excommunicatio, necessario præmitti debet trina monitio, ut expresse cavetur c. *Constitutionem*, & cap. *Statuimus de sent. excom. in* 6. Ita tenent Doctores communiter, Bonacina *q.* 1. *punct.* 6. *n.* 3. Suar. *disp.* 3. *sect.* 12. *n.* 4. Coninch *disp.* 13. *dub.* 9. *n.* 81. Palaus *disp.* 1. *punct.* 5. *n.* 8. Ant. a Spiritu S. *disp.* 1. *n.* 77. *&* 91. Diana *p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 19. Alterius *l.* 3. *disp.* 3. *cap.* 5. & alios referens Leander *disp.* 5. *quæst.* 9. *&* 10.

95. Quamvis, regulariter loquendo, præmittenda sit trina canonica monitio, sufficit tamen una pro tribus, includens scilicet tres monitiones, cum trino, eoque competenti intervallo: ut si Judex dicat: *Moneo te semel pro tribus vicibus, concedendo tibi sex dies, duos scilicet pro singulis monitionibus*, exprimendo, ut duo primi sint pro prima monitione, secundi pro secunda, tertii pro tertia: vel absolute potest Judex assignare sex dies, eo quod trina intervalla videantur in hoc termino contineri, dummodo tamen Judex explicet, hunc esse ultimum terminum. Si enim id non explicet, reus non dicitur sufficienter contumax, eo quod bona fide possit credere, alium terminum superesse, seque illum velle expectare, ut bene notat Bonacina *n.* 5. & Palaus *num.* 8.

96. Spatium inter unam, & aliam monitionem debet esse duorum saltem dierum, quia sic statuitur in c. *Constitutionem de sent. excom. in* 6. ubi Textus ait, *ut Judices observent aliquorum dierum competentia intervalla*; sed duos saltem dies postulant illa verba Textus pro qualibet monitione, & sic in praxi observandum est, prout docent Bonacina *punct.* 9. *n.* 7. Filliuc. *tr.* 11. *c.* 4. *q.* 5. *n.* 99. Candid. *disp.* 22. *art.* 26. *dub.* 3. & cum aliis Diana *p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 19. nisi aliter necessitas cogat; nam, urgente necessitate, & ex rationabili caussa, Judex licite potest pluralitatem dierum ad unam tantum diem, vel etiam ad certas horas restringere, ut constat ex dicto cap. *Constitutionem*, ibi; *nisi facti necessitas aliud suaserit moderandum*, Quare, gravi urgente necessitate, si periculum sit in mora, poterit Judex illa dierum intervalla restringere ad unam diem, vel etiam ad tres horas, dummodo tria temporis intervalla concedantur. Navarr. *c.* 27. *n.* 11. Suarez *sect.* 9. *n.* 4. Alterius, Henriquez, & Vasq. quos affert, & sequitur Anton. a Spiritu Sancto *n.* 82. Diana *cit. resol.* 19. ubi ponit casum, quo Clericus jam esset damnatus, & proxime ducendus esset ad mortem, quod valet in aliis similibus casibus, ut prudens Judex viderit esse necessarium.

97. Canonica monitio fieri debet auctoritate, & nomine ipsius Judicis, qui censuram laturus est; nam talis monitio habet vim citationis; ut autem legitima sit citatio, fieri debet auctoritate Judicis, & sic ejusdem auctoritate fieri debet citatio, quæ etiam fieri debet ad instantiam partis, quando censura est in commodum alicujus, quia Judex non potest motu proprio interponere suam auctoritatem propter privatum alicujus commodum; secus si agatur de bono communi, quia tunc Judex, sicut potest ex officio procedere, ita potest admonere, & citare, ut notat Abbas in cap. *Veritatis de dolo, & contum. n.* 5. & cum Suarez, Filliucio, & Bonacina, Leand. *disp.* 5. *q.* 15.

98. Quando censura ferenda est contra personam aliquam particularem notam, illi personaliter facienda est monitio coram testibus idoneis, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia. Nullus autem dicitur contumax, nisi sit admonitus; & sic quando censura ferenda est contra personam aliquam particularem, & determinatam, admonitio illa facienda est coram testibus, ut de ea constare possit, ut constat ex c. *Sacro de sent. excom.* ubi Pontifex ait: *Prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & personis præsentibus idoneis, per quas (si necesse fuerit) possit probari monitio, promulgare præsumat*; nisi forte per dolum lateat, aut per vim impediat, ne conveniatur: nam, hoc probato, sufficit monitionem facere ad domum illius, aut, si careat domicilio, in principali Ecclesia, quia tunc dicitur sufficienter contumax, etiamsi personaliter non admoneatur. Ita Suarez, Filliucius, Ugolinus, Bonacina, Coninch, Reginaldus, & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp.* 5. *q.* 16. *&* 17. Si reus semel fuit personaliter monitus, aliæ duæ monitiones fieri possunt ad domum, aut per edictum, aut in ipso Tribunali, ut cum Vasquez, & Ugolino tenet Bonacina *n.* 9. ubi pro se affert decisionem Rotæ. Similiter, quando citatio facta ad domum innotuit delinquenti, tunc etiam reliquæ fieri possunt ad domum, ut *ib.* habet Bonacina, Suar. *disp.* 3. *sect.* 11. *n.* 9 Leander *q.* 18. *&* 19. Si autem censuræ ferantur contra delinquentes incognitos, tunc sufficit, monitiones fieri in Ecclesia, aut in alio loco publico coram populo.

99. Quando censura ferenda est propter factum aliquod prohibitum sub pœna censuræ ferendæ, ut qui furtum fecerit excommunicetur, aut suspendatur, asserunt nonnulli, non esse necessariam monitionem, sed Judicem posse immediate procedere, & sine alia monitione reum convictum excommunicare, quia præceptum habet vim monitionis, & præcessit contumacia non obediendi. Verum probabilius est, etiam in tali casu præmittendam esse canonicam monitionem, & utique trinam, per se loquendo, ex cap. *Reprehensibilis* 26. *de appell.* ubi universaliter, & indistincte præcipitur, ut præmittatur canonica monitio, nisi censura a jure imposita sit latæ sententiæ ipso facto incurrendæ. Ita Cajet. *in summ.*

verb.

verb. Clericorum peccata, Suar. *disp.* 3. *sect.* 10. *n.* 20. Hurtado *de censur. diff.* 18. *n.* 79. & alios referens Leander *q.* 30.

100. Si excommunicatio fuit latæ sententiæ, ad eam incurrendam nulla prærequiritur monitio, sed Judex Ecclesiasticus potest, ac debet, delicto commisso, delinquentem sine alia monitione declarare excommunicatum, seu censuram incurrisse. Requiritur tamen citatio delinquentis, ad hoc, ut defendere se possit, si forte caussam habeat excusantem a censura, alias nulla erit talis declaratio, & quod tunc tolleretur defensio rei, ut colligitur ex cap. 1. *de caussa possess. & proprietat.* cap. *Personalis de appell.* & cap. *Cum secundum leges de hæreticis*: & ita tenent Covar. cap. *Alma mater* 1. *p.* §. 9. *n.* 5. *vers. utcumque tamen sit*, Vasquez *dub.* 12. *de excommunicatione*; *num.* 14. Rasiellius *q.* 3. *de censur. in gener. art.* 4. *n.* 17. & 18. Navar. *c.* 27. *n.* 10. & *l.* 5. *consil. de sent. excom. consil.* 20. *n.* 4. & alios referens Leander *disp.* 5. *q.* 36.

DUBIUM X.

Utrum in ferenda Censura requiratur justa caussa.

101. Ex triplici capite censura dici potest injusta. Primo, quando fertur ex odio, invidia, vel alia passione, non ex amore justitiæ, & animo corrigendi. Secundo, quando non servatur ordo juris. Tertio, quando caussa, ob quam fertur, non est vera, vel non est æqua, licet per testes in judicio probetur vera. Ex primo capite censura non redditur irrita, & nulla, si adsint alia requisita; nam invidia, odium, & mala voluntas Judicis ipsi soli nocet, non aliis, quia non variat ordinem juris, nec facit, quod non servet justitiam, sed solum quod ipse peccet ex prava voluntate, ut cum Vasquez tenet Bonacina *punct.* 10. *n.* 1. Ex secundo capite invalida est, si non servetur forma substantialis, ut si nulla præmittatur canonica monitio; secus si tantum desit forma accidentalis, ut si non feratur in scriptis; & ita tenent communiter Doctores.

102. Tota difficultas est, an reddatur invalida ex tertio capite, quando scilicet caussa, ob quam fertur censura, non est vera, sed falsa, quæ tamen juridice fuit probata vera: Puta sub excommunicatione latæ sententiæ præcipit tibi Judex, ut infra mensem Petro restituas centum, quæ, etsi certo non debeas, probatum tamen est, te debere, *an valida sit talis excommunicatio, adeo ut si intra mensem non restituas, excommunicationem incurras.* Affirmant, validam esse talem excommunicationem, quia Judex in eo casu, cum procedat secundum allegata, & probata, juste præcipit, & valida est ejus sententia, cui proinde teneris obedire, cum non sit licitum resistere præcepto lato a Judice secundum ordinem juris; secus auctoritas Judicis contemneretur, & publica disciplina corrueret. Si ergo Judex aliquid præcipiat sub censura, eam incurris, si præceptum transgrediaris, si centum intra mensem Petro non restituas. Addo quod sententia Pastoris, sive justa, sive injusta, timenda est, ut habet D. Gregor. *homil.* 26. *in Evangel.* relatus in *c.* 1. & can. *non solum* 11. *q.* 3. & ita tenent Ricardus, Paludanus, D. Antoninus, & alii apud Suarez *disp.* 4. *sect.* 7. *num* 9. quibus favet D. Thomas in 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *artic.* 1. *quæstiunc.* 4. Covarruv. cap. *Alma* 1. *p. cap.* 11. *num.* 4. Navarr. *cap.* 4. *num.* 4. & alii.

103. Resp. Censura lata ex caussa realiter falsa, sed juridice probata, ut vera, invalida est in foro conscientiæ, licet in foro externo ratione scandali, & obedientiæ, quæ debetur Superioribus, servanda sit. Ratio est, quia omnis censura, ut sit justa, & valida supponit peccatum mortale, inobedientiam, & contumaciam, cum feratur ad coercendos contumaces; sed in nostro casu nullum est peccatum, nulla inobedientia, nulla contumacia, cum feratur ob caussam, quæ non subsistit, & ob peccatum, quod vere non est commissum, quamvis in judicio probetur commissum; & sic est invalida, & nullam in conscientia obligationem inducit; durum quippe est, & alienum ab Ecclesiæ benignitate cogere, & obligare sub censura ad solvendum, & exequendum tamquam debitum, quod nullo modo est debitum. Nec obstat, quod sententia Judicis lata sit secundum allegata, & probata, quia revera non nititur veritati, nec est actus justitiæ, unde non obligat in conscientia. Ita tenent Cajetan. 2. 2. *q.* 70. *art.* 4. ad 2. & in *opusc. tract.* 29. *art.* 2. Sotus *in* 4. *dist.* 23. *q.* 1. *art.* 3. *concl.* 3. Bonacina *q.* 1. *p.* 10. *n.* 4. Diana *p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 27. Candid. *disq.* 22. *art.* 22. *dub.* 4. Palaus *disp.* 1. *punct.* 8. *nu.* 15. Andr. a Matre Dei *c.* 1. *n.* 212. Corduba, Durand. & alii, quos affert & sequitur Ant. a Spiritu S. *d.* 1. *n.* 103.

104. In foro tamen exteriori cum Judex sententiam proferat secundum allegata, & probata, teneris obedire, & te gerere tamquam excommunicatum, non ratione censuræ, quæ in re nulla est, sed ratione scandali, ne videaris censuram contemnere, & ratione obedientiæ, quia Judex in foro exteriori, judicando secundum allegata, & probata, præcipere potest, & subditus tenetur obedire, non quidem ex vi præcepti, quod nullum est, sed ex vi Juris naturalis, quo teneris publicæ potestati juste, & juridice procedenti non contradicere, quamvis id, quod præcipit, non sit justum; & hoc sufficit, ne auctoritas Judicis contemnatur, & non corruat publica disciplina. Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta, timenda est, quando scilicet injustitia provenit ex pravo affectu, aut ob non servatum ordinem accidentalem; secus si non solum sit injusta, sed etiam nulla; si enim certo nulla sit, non est in foro conscientiæ timenda.

105. Unde taliter excommunicatus ex falsa caussa, licet publice, & in foro exteriori, & coram nescientibus innocentiam, debeat se gerere ut talem; in occulto tamen, & coram scientibus innocentiam, & nullitatem censuræ, non tenetur eam servare, sed potest communicare cum illis, audire missam, & celebrare, & celebrando nullam incurrit irregularitatem, cum revere non violet censuram, quæ nulla est: publice etiam celebrando, licet peccet mortaliter ratione scandali, & inobedientiæ, non tamen incurrit irregularitatem pro foro conscientiæ, nec indiget absolutione: cum censura nulla sit; in foro tamen externo, ut irregularis reputabitur apud Ecclesiam, & ut talis condemnabitur, donec constet de nullitate censuræ. Nec item privatur Ecclesiæ suffragiis, nec jurisdictione spirituali, nec item redditur incapax recipiendi Beneficia, quia isti sunt effectus veræ excommunicationis, non vero illius, quæ existimatur talis, sed non est. Ita Suar. *disp.* 4. *sect.* 7. *n.* 20. Coninch *disp.* 13. *dub.* 13. *concl.* 4. Avila 2. *p. c.* 7. *disp.* 1. *dub.* 3. Palaus *punct.* 9. *n.* 19. Bonacina *punct.* 16. *n.* 3. & cum aliis Ant. a Spiritu S. *disp.* 1. *n.* 204.

106. Quando sententia censuræ continet errorem intolerabilem, nulla est, tam in foro interno, quam externo, quia tunc injustitia manifeste paret, & sic censura non ligat; tunc autem sententia censuræ continet errorem intolerabilem, quando Judex eam fert, non habens, nec judicans se habere rationem, & justam caussam ad talem censuram ferendam, ut si dicat: Te Titium excommunicare pro sua voluntate, vel quia aliquid recte feceris, aut quia non feceris aliquid injustum, illicitum, vel impossibile, ut cum Sayro, & Suar. explicat Bonacina *supra n.* 9. Item si Judex censuram ferat post appellationem legitime interpositam ante prolatam sententiam censuræ, vel si aliquid præcipiat contra bonum commune, aut non servata forma substantiali; puta si Judex eam ferat, nulla nec unica quidem præmissa admonitione, vel si omittatur citatio Rei, vel ad sui defensionem non admittatur: vel si aliquem excommunicet pro re minima indifferenti, & quæ non continet culpam, cap. *Per tuas de sent. excom.* & c. *venerabilis* §. *Porro*, *eod. in* 6. aut evidenter constet, non fuisse commissam ab illo, contra quem fertur censura, ut cum Soto docet Candid. *disq.* 22. *art.* 24. *dub.* 3. in his casibus, cum sententia censuræ contineat errorem intolerabilem, ut jura loquuntur, non ligat, nec est necesse absolutionem petere, cum nullum sit scandalum, aut contemptus Ecclesiæ, quando scilicet notorie constat de nullitate censuræ continente errorem intolerabilem.

107. Quæres: *Quomodo gerere se debeat, qui dubitat de validitate censuræ?* Si dubium sit, an materia, supra quam illa fertur, sit sufficiens, nec ne, & an sententia sit valida; tenetur ille, in quem fertur, se gerere tamquam censura ligatum, quia cum constet, censuram esse latam, nec satis constet de illius injustitia, præsumendum est in favorem Superioris ferentis censuram, ut cum aliis tenet Bonacina *punct.* 10. *n.* 11. & Bossius *var. mor. p.* 2. *tit.* 1. *n.* 1304. In dubio, an censura sit lata, si præmissa diligentia dubium tolli non potest, non teneris illam observare, quia hic datur dubium juris: jus autem in dubio non obligat. Diana alios referens *p.* 4. *tr.* 3. *resol.* 35. Bossius *num.* 1296. Nec item, quando constat, censuram esse latam, sed merito dubitatur, an sit latæ sententiæ, vel ferendæ; nam in dubio censenda est ferenda, & non lata, quia est dubium juris, Sanch. *l. c. operum moralium c.* 10. *n.* 56. Candid. *disq.* 22. *art.* 23. *dub.* 3. Andr. a Matre Dei *c.* 1. *num.* 210. Bossius *num.* 1300. Idem dicendum, quando excommunicatio erat conditionalis, & dubium est, an conditio fuerit impleta; nam tunc non obligat, quia est dubium juris, & usque ad adventum conditionis censura non habet vim. Andr. a Matre Dei *l. c.* Candid. *supra dub.* 5. Diana *p.* 4. *resol.* 35.

108. Si constat, censuram esse latam, & esse validam, sed dubitatur de absolutione, dubitans debet se gerere tam-

tamquam censura ligatum, quia possessio stat pro censura. Si dubium sit de potestate ferentis censuram, videndum est, an sit in pacifica possessione ferendi censuras, vel non; si enim sit in tali possessione, valet censura ab eo lata, quia possessio stat pro ferente censuram; secus si non sit in tali possessione, nam tunc stat possessio pro libertate. Candid. *supra dub.* 7. Sanch. *n.* 60. Andreas a Matre Dei *n.* 210. Bossius *n.* 1303. Si dubium sit, an Superior ferendo censuram habuerit intentionem obligandi, vel solum ad terrorem illam tulerit; si enim constat de censura lata, præsumendum est, Judicem habuisse intentionem obligandi, nam quis dicere non præsumitur, quæ in corde non habet, & inde præsumptio stat pro intentione obligandi, ut cum Sanchez, & aliis tenet Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 1. *n.* 108. Bossius *num.* 1305.

109. Quando dubium est facti, an scilicet commissa fuerit talis actio, cui annexa est censura, tunc possessio stat pro libertate, nec tenetur quis credere, talem actionem fecisse, quando de illa non constat, esse factam. Diana *p.* 4. *tr.* 3: *resol.* 75. Bossius *n.* 1383. & alios referens Antonius a Spiritu S. *disp.* 1. *n.* 198. unde qui dubitat, an Clericum percusserit, non erit excommunicatus, si de Clericatu non constet: si constat de percussione Clerici, sed dubium est, an talis percussio sit gravis inferens excommunicationem, existimandum est esse levem, nec inferre excommunicationem, quia in dubio melior est conditio possidentis: hic possidet jus recipiendi Sacramenta, & communicandi cum aliis fidelibus, & in dubio non est privandus suo jure; & sic non debet se gerere ut excommunicatum. Diana *p.* 4. *tr.* 3. *resol.* 33. & *p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 44. Palaus *punct.* 8. *num.* 8. Candid. *art.* 23. *dub.* 1. Andreas a Matre Dei *numer.* 209.

110. Quando Judex, sequendo opinionem probabilem, aliquem excommunicavit, multi Doctores, quos sequitur Anton. a Spiritu Sancto *disp.* 1. *n.* 110. tenent, in neutro foro ligare, quando ex parte subditi datur opinio probabilis in contrarium, etiamsi opinio Prælati sit æque, vel etiam probabilior. Ratio est, quia subditus non tenetur sequi opinionem probabilem Prælati, sed potest non obedire ejus præcepto fundato in tali opinione, quia subdito licitum est sequi opinionem probabilem contra opinionem Superioris. Verum probabilius est, talem excommunicationem in utroque foro ligare, quia in dato casu subditus tenetur obedire, si nullum sit dubium de legitima electione, jurisdictione, ac potestate Superioris, quia Superior jus habet præcipiendi, quoties non constat, rem præceptam esse illicitam, estque in possessione istius juris, ideoque melior est conditio ipsius possidentis, quam subditi non possidentis, qui proinde tenetur obedire; tum quia Superior in suis præceptis non debet dependere a judicio, & opinione subditi, sed jus habet præcipiendi ea, quæ licita existimantur, quamvis adsit opinio probabilis opposita, ut diximus *in tr. de Actib. human. c.* 3. *dub.* 8. *n.* 62. & fuse, allatis Auctoribus, probat Bossius *var. moral. p.* 1. *tit.* 1. *a n.* 261. *& seq.* Inde si subditus transgrediatur præceptum Superioris aliquid præcipientis sub excommunicatione, remanet excommunicatus in utroque foro, si non obediat, quamvis pro se habeat opinionem probabilem contrariam.

D U B I U M XI.

De conditione requisita ex parte loci in ferenda censura.

111. CEnsura ex supradictis *dub.* 1. *n.* 6. alia est a Jure, quæ fertur a Legislatore cum intentione condendi Legem, seu Statutum generale perpetuum, juncta transgressoribus pœna censuræ, & alia, quæ est ab homine, quæ scilicet fertur a Judice, seu Prælato per modum præcepti transitorii, vel sententiæ judiciariæ; estque vel particularis circa factum aliquod particulare, aut certas personas; vel generalis, quæ fertur absque determinatione personæ, aut facti particularis, ut diximus *loc. cit.* ubi etiam assignata est differentia, quæ militat inter utramque hujusmodi censuram. Difficultas igitur est, quomodo possit Superior in proprio, vel alieno territorio ferre censuras: & quidem non militat difficultas de Summo Pontifice, qui non habet territorium limitatum, & restrictum, sed totus Mundus est territorium illius, & omnes fideles sunt illius subditi, sed de aliis Prælatis, qui limitatam habent jurisdictionem, & restrictam: nec item de Prælatis Regularium, qui ubique terrarum possunt exercere suam jurisdictionem, & ferre censuras in suos subditos, etiamsi deliquissent extra Monasteria, quia illorum jurisdictio nullis terminis continetur, sicut jurisdictio Episcopi, ut cum Rodriq. Sylvestr. Sanch. & Candido docet Anton. a Spiritu Sancto *disp.* 1. *n.* 123. & cum illo Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *num.* 103. Difficultas est de Episcopis, aliisque Prælatis qualiter ferre possint censuras, sive in proprio, sive in alieno territorio.

112. Resp. 1. Episcopus extra propriam diœcesim existens non potest censuras ferre per modum sententiæ contra suos subditos cum strepitu judiciali, sedendo pro tribunali, & cum caussæ cognitione, quia hoc spectat ad jurisdictionem contentiosam, quam exercere nemo potest in alieno territorio sine consensu Ordinarii, ne Judici illius loci injuriam inferat, ut probat Textus *in l.* 2. *ff. de Offic. Proconsul.* & cap. *Novit de officio deleg.* Idemque habetur ex Canon. *Episc.* 9. *q.* 2. & ex *Clem. Un. de foro competenti*; & ita docent Coninch *disp.* 13. *dub.* 5. *n.* 39. dicens, censuram taliter latam extra propriam diœcesim esse nullam, & irritam, Stephanus Davila *de censur.* 2. *p. c.* 3. *disp.* 2. *dub.* 1. G. Hurtado *diff.* 6. *numer.* 25. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 14. *numer.* 4. quos sequitur Palaus *disp.* 1. *punct.* 5. *numer.* 3. licet contrarium doceant Gonzalez *reg.* 8. *Cancell. glos.* 62. *numer.* 12. & Augustin. Barbosa *de potest. Episcop. p.* 2. *allegat.* 6.

113. Secus tamen dicendum, quando censura fertur sine strepitu judiciali, quia tunc non requiritur jurisdictio contentiosa, sed voluntaria, cujus exercitio alterius territorium non læditur, nec invaditur aliena jurisdictio; talis est illa, quæ fertur per modum Statuti pro futuris delictis præcavendis, quæ non exigit caussæ cognitionem, ut docet Geminian. in cap. *Romana* §. *caveant n.* 4. *de sent. excommunic.* unde ferri potest in alieno territorio, & in loco exempto, ut tradunt Sayrus *l.* 1. *c.* 11. *n.* 6. Candid. *disq.* 22. *art.* 25. *dub.* 3. Anton. a Spiritu Sancto *disp.* 1. *n.* 120. talis est etiam illa, quæ fertur, præmissa caussæ cognitione in proprio territorio, ut cum Sayro advertit Palaus supra *n.* 3. & quæ fertur pro notoria, & manifesta contumacia, quæ caussæ cognitionem non requirit, præmissa monitione, cap. *Evidentia de accusat.* & can. *Manifesta* 2. *quæst.* 1. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 6. Palaus *l. c.* Antonius a Spiritu Sancto *numer.* 120.

114. Potest insuper Episcopus a proprio territorio ejectus in loco suo Episcopatui viciniori, petita, & etiam non obtenta, licentia ab Ordinario illius loci, jurisdictionem in suos subditos exercere, & in illos censuras ferre, ut habetur ex dicta *Clem. Un. de foro comp.* & tradunt Navarr. *c.* 27. *n.* 6. Coninch, Hurtad. Palaus *supra loc. cit.* Potest Episcopus extra propriam Diœcesim existens extrajudicialiter absolvere suos subditos in territorio alieno a censuris, & delegare suam jurisdictionem, quia ad hæc non requiritur strepitus judicialis, ut cum Sayro, & Candid. advertit Antonius a Spiritu S. *disp.* 1. *n.* 122.

115. Resp. 2. Censura lata ab Episcopo per modum Statuti non obligat subditos extra Diœcesim existentes, sed solum subditos proprii territorii, quia extra Diœcesim non habet jurisdictionem ad leges ferendas, ut colligitur ex *c. ult. de constit. in* 6. ubi decernitur, quod si Episcopus aliquid prohibeat, puta furtum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, hoc statutum non obliget suos diœcesanos extra Diœcesim existentes, ut proinde non incidant in excommunicationem, si extra Diœcesim furtum committant, cum extra territorium jus dicenti impune non pareatur. Sic enim habet Pontifex: *Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur: subditi ejus extra ipsius Diœcesim furtum committentes, minime ligari noscuntur, cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune*, id est sine pœna, ita quod non parens ex eo pœnam non patiatur. Ita communiter Doctores, quos magno numero refert Salas *de legib. disp.* 14. *sect.* 5. *n.* 60. sequitur Bonacina *disp.* 1. *punct.* 11. *n.* 6. Suarez *de censuris disp.* 4. *sect.* 4. *n.* 4. Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 1. *num.* 124. & alios referens Diana *p.* 5. *tract.* 9. *resol.* 32. Quod verum est, etiamsi Episcopus intenderet per Statutum ligare sibi subditos existentes extra territorium, quia ad ligandum non sufficit voluntas, sed requiritur jurisdictio, quam non habet obligandi suos subditos, in alieno territorio existentes, ut notat *ibid.* Bonacina.

116. Idem dicendum est, si furtum committatur in loco diœcesis ab Episcopi jurisdictione exempto, quia id perinde est, ac si extra Diœcesim furtum committeretur; nam locus ille dicitur esse in illius diœcesi tantum materialiter, sed non formaliter, cum non pertineat ad illius diœcesim, quoad jurisdictionem. Ita tenent Sylvester *verb. excommunicatio* 2. *n.* 12. Tabiena *eod. verb. excommun.* 4. *n.* 4. Paludanus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. Bonacina *num.* 8. Anton. a Spiritu Sancto *num.* 125. & alii relati a Salas *sect.* 6. *numer.* 83. Nomine loci exempti satis communiter intelligitur ille, in quo non po-

poteſt Epiſcopus exercere juriſdictionem, cujuſmodi ſunt aliquæ Parochiæ, & oppida Pontifici, vel alteri Epiſcopo immediate ſubjecta, exempta a juriſdictione Ordinarii. *An vero talia etiam ſint ad hunc effectum Monaſteria, & Conventus Religioſorum a juriſdictione Epiſcopi exemptorum?* negat Palaus *de legib. diſp.* 1. *punct.* 24. §. 5. *n.* 30. Salas *diſp.* 14. *ſect.* 6. *n.* 85. Suar. *de cenſur. diſp.* 5. *ſect.* 4. *n.* 6. quem ſequitur Coninch *diſp.* 13. *dub.* 7. *n.* 63. quia Monaſteria ſunt exempta quoad perſonas, non quoad locum, & inde ſubdit Epiſcopi in Monaſteriis Religioſorum ſtatuta Epiſcopi violantes revera cenſuras incurrunt, quia locus ille exemptus non eſt, niſi precisè quoad Religioſorum perſonas, qui non ratione loci, ſed ratione ſui eximuntur a juriſdictione Epiſcopi, & ſubduntur ſuis Prælatis, a quibus ubique terrarum cenſuris ligari poſſunt.

117. Verum alii plures ſimpliciter affirmant, Monaſteria, & Conventus Regularium eſſe exempta non ſolum quoad perſonas, ſed etiam quoad locum, quia Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 5. *de ref. circa fin.* tam loca, quam perſonas exemptas appellat: unde in illis exiſtentes non incurrunt cenſuras, ſi Epiſcopi ſtatuta violent, quia Monaſteria, & Conventus Regularium dicuntur eſſe in Diœceſi Epiſcopi ſolum materialiter, & quoad ſitum, non formaliter, & quoad juriſdictionem, quam non poteſt in illis exercere, & inde ſi Epiſcopus furtum prohibeat ſub excommunicatione, in eam non incurrunt, qui Calicem, vel aliquid aliud furantur in Eccleſia, ſeu Monaſterio Regularium, quæ, ut dixi, ſunt de territorio Epiſcopi quoad ſitum, non quoad juriſdictionem, quam in illis exercere non poteſt; nec in eam incurrunt, qui aleis ludunt in Monaſterio, ſi alearum ludus ſit ab Epiſcopo ſub excommunicatione prohibitus. Colloquentes cum Monialibus exemptis non incurrunt excommunicationem latam contra loquentes cum Monialibus, quia locutio fit in loco exempto, ut ſuppono; bene tamen eamdem incurrunt, accedendo in Monaſterium exemptum, ſi excommunicatio lata ſit contra accedentes; nam acceſſus fit in territorio, & via, quæ eſt de territorio Epiſcopi. Sic Bonacina *punct.* 11. *n.* 9. & apud ipſum Angelus, Ugolinus, Avila, & alii, Candid. & Sayrus, quos affert, & ſequitur Andreas a Matre Dei *c.* 1. *n.* 114. & probabile putat Diana *part.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 37.

118. *An vero, quod diximus de ſtatuto non obligante ſubditos extra territorium exiſtentes, valeat etiam de cenſura lata ab homine per præceptum, vel ſententiam generalem, aut ſpecialem pro futuris culpis vitandis.* Negant plures, aſſignantes diſcrimen illud inter ſtatutum, & ſententiam, quod ſtatutum afficiat territorium, ſententia vero ipſas perſonas ubicumque exiſtentes; unde poteſt Epiſcopus per ſententiam ligare ſubditos extra Diœceſim exiſtentes. Si enim furtum, aut ludus alearum ſit ſub excommunicatione per ſententiam prohibitus ab Epiſcopo, illam contraheret qui furtum faceret, aut aleis luderet in aliena Diœceſi, aut in locis exemptis: quod multo magis verum eſt, ſi Epiſcopus ſpecialiter prohiberet, ne Clerici in aliena Diœceſi furtum facerent, aut aleis luderent. Ita cum Sayro, Suar. & Ugolino tenet Bonacina *punct.* 11. *n.* 14.

119. Reſp. Cenſuram latam per ſententiam generalem, aut ſpecialem pro futuris culpis vitandis, non ligare ſubditos exiſtentes extra Diœceſim, aut in loco exempto, ſi ibi delinquant, ut colligitur ex citato *c. ult. de Conſt. in* 6. ubi Pontifex decernit, quod excommunicatio lata ab Epiſcopo contra furtum facientes non afficiat delinquentes extra Diœceſim exiſtentes, ſi extra Diœceſim furtum committant, addita ratione, *Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune:* &, licet in prædicto Textu ſolum fiat ſermo de cenſura lata per vim ſtatuti generalis, ejus tamen ratio æqualiter militat in cenſura lata per modum ſententiæ, ſeu præcepti, quia ſicut Epiſcopus limites habet circa perſonas, ita habet circa locum, ut proinde limites tranſgredi non debeat a jure præfixos. Non enim magis ſtatutum, quam ſententia, & præceptum a poteſtate juriſdictionis proficiſcitur; & quamvis ſententia primo, & per ſe reſpiciat perſonas ſubjectas illam ferenti, non tamen excludit territorium, cum Epiſcopus juriſdictionem habeat in perſonas ratione territorii. Ita Coninch. *diſp.* 13. *dub.* 7. *n.* 61. Inde inferens, non poſſe Epiſcopum præcipere ſuis Clericis, ne dicant Sacrum extra ſuam Diœceſim, nam jus diceret extra ſuum territorium, unde impune ei non pareretur. Henriq. *l.* 13. *c.* 26. Avila *de cenſur. p.* 2. *c.* 3. *diſp.* 2. *dub.* 2. Candidus *art.* 22. *dub.* 4. Ant. a Spiritu S. *diſp.* 1. *n.* 126. Hurtad. *de cenſur. in comm. diff.* 8. *n.* 34. & alii.

120. Quod ſi ſubditus Epiſcopi in ejus territorio delinquat, & poſtea mutet domicilium, & exeat in alienum, tunc poterit cenſura ligari, quamvis ſit extra territorium, quia jam deliquit in territorio, nec mutando domicilium liberatur a pœna impoſita crimini, nam ratione delicti remanet ſubditus, *c. ult. de foro compet.* alias facile contemneretur juriſdictio Eccleſiaſtica, quantum ad forum exterius, & tale delictum maneret prorſus impunitum, ſi a proprio Paſtore, in cujus territorio deliquit, non poſſet puniri, cum puniri non poſſit ab alio, cujus territorio exiſtit, quia in illo non deliquit, nec eſt illi ſubditus. Epiſcopus tamen non poteſt illum citare extra proprium territorium pro crimine commiſſo in proprio territorio, quia citatio eſt actus judicialis requirens ſtrepitum judicialem, quem Judex exercere non poteſt extra ſuum territorium; & in eo caſu, cum citari non poſſit in propria perſona, ſufficit, quod in proprio domo, aut in alio loco publico citetur intra proprium territorium, ut diximus ſupra *dub.* 9. *n.* 98. & ita cum Avila, Candido, & aliis tenet Andr. a Matre Dei *c.* 1. *n.* 107. & 108. Coninch. *n.* 62. Diana *p.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 44.

121. Quamvis delictum ſub excommunicatione latæ ſententiæ prohibitum inchoatum ſit in Diœceſi Epiſcopi illud prohibentis, non tamen incurrit excommunicationem delinquens, ſi in aliena perficiatur, & conſummetur: puta ſi ſtuprum ſit ſub excommunicatione prohibitum, illam non incurrit, qui vi puellam abducit a territorio, & illam violat extra territorium Epiſcopi delictum prohibentis. Similiter, ſi quis hominem intra propriam Diœceſim perſequatur, & extra illam interficiat, non incurrit excommunicationem latam contra homicidas, quia delictum extra territorium conſummatum eſt, niſi ante egreſſum illum lethaliter vulneraſſet, nam tunc homicidium in propria Diœceſi ſubſtantialiter completum cenſeretur. Ita Suar. *diſp.* 5. *ſect.* 4. *n.* 7. & *ſect.* 5. *n.* 9. Candid. *art.* 26. *dub.* 7. & 8. Bonacina *punct.* 11. *n.* 10. Andreas a Matre Dei *c.* 1. *n.* 111. Diana *p.* 5. *tr.* 9. *reſol.* 33.

122. Exiſtens extra Diœceſim, & territorium ligatur cenſura lata ab Epiſcopo, ſi id, propter quod cenſura lata eſt, exiſtat, & conſummetur actus in territorio; puta, ſi Epiſcopus excommunicationem ferat contra non reſidentes in propriis Beneficiis, & Eccleſiis ſibi commiſſis, illam incurrunt Clerici non reſidentes, quamvis exiſtant extra Diœceſim, quia Clerici extra Diœceſim commorantes, licet non ratione perſonæ, tamen ratione rei, hoc eſt ratione Beneficii, intra Diœceſim eſſe cenſentur, & Epiſcopo ſubjecti eſſe dicuntur. Suar. *ſect.* 4. *n.* 8. Candid. *dub.* 5. Ant. a Spiritu S. *n.* 129.

123. Qui delictum commiſit in proprio territorio, propter quod fuit poſtea lata ſententia excommunicationis, eam incurrit delinquens, etiamſi ſtatim poſt commiſſum delictum, ante latam ſententiam excommunicationis, ab illo exierit, & domicilium mutaverit; puta, ſi furtum commiſit, & poſtea Epiſcopus excommunicationem ferat contra illum, qui furtum commiſit, ſi intra decem dies non reſtituat, illam incurrit fur intra tempus aſſignatum non reſtituendo, quamvis ante latam cenſuram domicilium in alienam Diœceſim tranſtulerit, nam delictum conſummatur in Diœceſi, ut cum Sylveſtro, Candido, & aliis tenet Ant. a Spiritu S. *diſp.* 1. *n.* 129.

124. Reſp. 4. Cenſuræ latæ in aliqua Diœceſi non ligant extraneos ibi per aliquod breve tempus commorantes. Ratio eſt, quia extranei, per ſe loquendo, non tenentur, ſecluſo ſcandalo, ad leges particulares locorum, in quibus brevi tempore commorantur, quia extranei per brevem moram in alieno territorio non fiunt incolæ, nec habitatores, nec ſubjecti juriſdictioni Epiſcopi illius loci, unde nec ligantur legibus illius loci, ut cum Boſſio *de Jubilæo ſect.* 4. *caſu* 18. *n.* 49. diximus *in tr. de Legib. c.* 3. *n.* 38. unde nec ligantur cenſuris pro cavendis peccatis latis in illo loco, ut conſtat ex cap. *A nobis* 2. *de ſent. excom.* & cum Sylveſtro, Medina, & Candido tenet Ant. a Spiritu S. *n.* 135. ſequitur Bonacina, *punct.* 11. *n.* 20.

115. Quod ſi extraneus aliquod delictum ſcandalo committat contra ſtatutum, ſeu leges, quibus aliquod prohibetur, aut præcipitur ſub cenſura, puniri poteſt ab Epiſcopo illius loci, in quo reperitur, quia jam ratione delicti in ejus territorio commiſſi ſubjicitur illius juriſdictioni, unde ab eo poteſt citari, quamdiu ibi manet; &, ſi comparere, aut ſatisfacere renuat, poterit excommunicari; puta ſi furtum commiſſum in Eccleſia ſit prohibitum ſub excommunicatione, ſi exterus tale furtum committat, licet non incurrat excommunicationem ab Epiſcopo latam, poteſt tamen puniri, & obligari ad ſatisfaciendum, &, ſi renuat, excommunicari.

126. Nonnulli diſtinguunt inter ſtatutum, & ſententiam, & dicunt, cenſuram alicubi latam per ſententiam non ligare exteros, niſi majori anni parte velint commorari: bene tamen illos ligare ſententiam latam per modum ſtatuti, & ratio diſcriminis eſt, quia ſententia directe fer-

tur in personas ad eas continendas in officio, earumque contumaciam frangendam; unde non afficit nisi illos, qui vere, & proprie sunt subditi: statutum vero per se primo prohibet delictum, & fertur pro ipso territorio, & afficit omnes existentes in territorio, ac proinde etiam extraneos, qui ob bonum publicum tenentur se conformare legibus propriis loci, in quo versantur. Hanc tamen distinctionem rejicit Bonacina *punct.* 11. *n.* 21. dicens, extraneum non ligari censuris, sive latis per sententiam sive per statutum, ut in simili diximus etiam nos *supra n.* 124.

DUBIUM XII.

De conditione requisita ex parte temporis.

127. NOn solum circumstantia loci, sed etiam circumstantia temporis servanda est in ferenda censura, ut scilicet non feratur in die feriato, scilicet eo die, qui ex institutione Ecclesiæ dicatus est honori, ac cultui Divino. Dubium tamen est; *An licita, & valida sit censura, si feratur in die festo?* Negat Antonell. Bossius *in c. ult. de feriis*, ex eo quod *in l. ult. C. de feriis* dicatur, quod omni vox Judicis sileat in die festo, sed excommunicatio est vox Judicis, actus, & præceptum illius, ergo ferri non potest in die festo.

128. Resp. validam, & licitam esse censuram, & excommunicationem latam in die festo, si feratur per modum legis, statuti, & præcepti, quia id nullibi est prohibitum, cum potius sit vox Superioris mandantis, quam Judicis judicantis, & punientis; nam censura lata per modum legis, statuti, & præcepti non requirit strepitum judicialem, ut cum Sanch. Villalobo, e Palao diximus *in tr.* 8. *de observatione Festorum c.* 1. *n.* 61. Idem a fortiori dicendum est de absolutione excommunicationis, aut alterius censuræ, quæ non est prohibita in die festo, cum eadem sit utriusque ratio, & aliunde est favorabilior, cum sit spirituale bonum, & per eam subveniatur periculo animæ, ut cum Cajet. Suarez, Facundez, & aliis tenet Leander *tom.* 3. *de observant. Festorum tractat.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 37. ubi idem asserit dicendum de dispensatione, concessione Privilegii, collatione, & provisione Beneficiorum, & de aliis actibus voluntariæ jurisdictionis, qui sine strepitu judiciali fiunt.

129. Si vero censura feratur ab homine per modum sententiæ, in die festo est illicita, utpote prohibita in cap. *Sacrae de sent. excom.* & cap. *Nemo* 2. *q.* 1. eo quod talis censura imponi nequit sine prævia cognitione causæ judiciali, quæ quidem causæ cognitio licite fieri non potest in die festo, *cap. fin. de feriis. An vero sit nulla, si feratur in die festo?* Sententia communis affirmat, quia hujusmodi sententia ferri non potest sine strepitu judiciali, quod est illicitum, & nullum in diebus festis, prout tenet Leander *l. c.* & *de censor. disp.* 6. *quæst.* 28. sequitur Antonius a Spiritu S. *disp.* 1. *n.* 142. sed alii cum Bonacina *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 12. *propos.* 3. asserunt, esse quidem illicitam, sed non invalidam, si tali die feratur, sicut est valida censura, quæ fertur sine trina monitione; nam licet censura postulet causæ cognitionem, nihilominus non semper, aut non necessario eam postulat; quæ autem non necessario postulant causæ cognitionem, valide fiunt diebus feriatis. Ita tenent Palaus *disp.* 1. *punct.* 5. *n.* 13. Cornejus *de censur. in gen. disp.* 6. *dub.* 3. *q.* 2. Sayr. *l.* 1. *c.* 7. *num.* 17. quos affert, & sequitur Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *num.* 100.

130. Resp. 2. Censura ferri debet in die, ut constat ex cap. *Consuluit, de offic. & potest. Judicis deleg.* ubi Innocentius III. expresse prohibet, ne judicium Ecclesiasticum exerceatur in tenebris, quia juxta testimonium Christi, *qui male agit, odit lumen*; erit tamen valida, si feratur nocturno tempore ad lumen candelæ, quia aliter facta nullo modo irritatur per dictum caput, aut per aliud Textum, ut expresse tenet Glossa *l. c.* verb. *Tenebras* Leander *q.* 29.

DUBIUM XIII.

An qui contraxerunt, sint denuntiandi, & quomodo.

231. REsp. qui censuram contraxit, debet publicari, & denuntiari, ut propter ruborem facilius, & citius resipiscat, ut patet ex cap. *Pervenit* 1. & cap. *Pastoralis §. Verum de appell.* cap. *Parochianos*, & cap. *Conquestus de sent. excommun.* Cum enim finis censuræ sit emendatio, & resipiscentia illius, contra quem fertur, juxta illud 1. Corinth. 1. *ut resurgat a peccato, & salvus sit in die Domini*, talis finis facilius obtinetur, si fiat publicatio, & denuntiatio, per quam delinquens vitari debet a fidelibus, ut resipiscat, & emendetur. Talis autem denuntiatio, quando censura lata est a jure, fieri potest vel a proprio Ordinario ipsius delinquentis, vel si delictum patratum sit in aliena Diœcesi, ab Ordinario loci, ubi aliquis, etiam non subditus, delictum commisit; nam ratione delicti fit subditus illius, dum ibi existit, ut cum Suarez, Candido, & Machado tenet Leander *disput.* 7. *quæst.* 6. Si vero censura lata sit ab homine, denuntiatio fieri debet ab eodem Judice, qui censuram intulit, vel ab ejus delegato, ut habetur in cap. *Pastoralis §. verum de appel.* Suarez *disput.* 3. *sect.* 13. *num.* 7. & 8. Candidus *disquis.* 22. *art.* 30. *dub.* 3. *vers. dico quinto*, Andreas a Matre Dei *cap.* 1. *nu.* 101. Leander *quæst.* 5. Idem dicendum, si censura lata sit a statuto, & jure speciali ipsius Episcopi, quæ ab eodem, vel ejus delegato publicari debet.

132. Ante denuntiationem censuræ incursæ semper præcedere debet sententia declaratoria criminis commissi, ob quod censura fuit lata, etiamsi crimen fuerit notorium, quia, licet crimen sit notorium, moraliter tamen est impossibile, quod aliquo modo non sit excusabile; quare, ut debitus servetur ordo justitiæ, præmitti debet declaratio criminis, ne quis inauditus condemnetur. Ita Covarruv. in cap. *Alma mater* 1. *p.* §. 2. *n.* 9. Suarez *disp.* 3. *sect.* 14. *n.* 6. & 8. Filliucius *tractat.* 11. *c.* 4. *quæst.* 10. *num.* 11. quos affert, & sequitur Leander *supra q.* 7. & ante declarationem censuræ incursæ præcedere debet citatio rei, ut defendere se possit, si forsan caussam habeat excusantem a *censura*, & aliter facta declaratio sine citatione rei, non solum illicita, sed etiam nulla, & irrita est per Textum, & Glossa *Clement.* 3. *de censuris*, & *Clement.* 2. *de pœnis*, & constat ex illo generali principio juris *contra inauditam partem nihil potest in judicio definiri*, nec etiam a Papa, ut ipse testatur in cap. 1. *de caussa possessionis, & proprietatis*, ibi: *Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire.* Idemque habetur in cap. *Nos in quemquam* 2. *q.* 2. & ita cum multis Covarr. in cap. *Alma mater* 1. *p.* §. 9. *n.* 5. Navarr. *in man. c.* 29. *n.* 10. & 11. & *l.* 5. *consil. de sent. excommun. consil.* 56. *num.* 5. Suarez *sect.* 10. *n.* 15. Alterius *tom.* 1. *l.* 3. *disp.* 5. *cap.* 3. Candidus *disq.* 22. *art.* 21. *dub.* 1. Corneo, Filliuc. quos affert, & sequitur Leander *disp.* 7. *q.* 9. Diana *p.* 6. *tr.* 9. *resol.* 19.

133. Reus citatus ad videndum fieri denuntiationem, si statim compareat, crimen fateatur, & condignam offerat satisfactionem, non est denuntiandus, nec juste denuntiari potest. Ratio est, quia censura est pœna medicinalis ordinata ad tollendam contumaciam, & inobedientiam nolentis Ecclesiam audire; sed reus, qui subditur Ecclesiæ, fatetur delictum, & satisfactionem affert, non est amplius inobediens, & contumax, & sic pœna cessare debet, unde non est denuntiandus, sed absolvendus. Suar. *disp.* 3. *sect.* 10. *n.* 17. Andreas a Matre Dei *c.* 1. *n.* 101. Denuntiatio autem, & publicatio, quando facienda est, præmissa jam antecedenter citatione, & cognitione caussæ, publice fieri debet in Ecclesiis, & postea in scriptis affigi debet ad portas Ecclesiarum cum expressione caussæ, ut patet ex cap. *Cum medicinalis*: & ita cum Suarez, Sayro, & Ugolino notat Bonacina *quæst.* 1. *punct. ultim. numer.* 2. In sollemni anathemate plures aliæ adhibentur cæremoniæ ad majorem terrorem, de quibus late Suarez *disp.* 3. *sect.* 14. *n. n.* 4. & cum Sayro, Ugolino, & Filliucio, Leander *disp.* 7. *q.* 22.

134. Si reus citatus a Judice ad videndum fieri denuntiationem incursæ censuræ ab homine latæ interponat appellationem, tunc afferunt nonnulli, Judicem non posse ipsum denuntiare, quia appellatio, licet non possit suspendere censuram incursam, tamen suspendit talem denuntiationem, ut cum Sanch. & Navarro, & aliis tenet Antonius a Spiritu S. *disp.* 1. *numer.* 149. quod a fortiori dicendum ait de censura lata a jure. Verum existimo, posse Judicem tunc reum citatum denuntiare, seu declarare incidisse in censuram, quia appellatio a censura ab homine lata non impedit denuntiationem, ex cap. *Pastoralis §. Verum de appell.* & cap *Cum contingat de offic. delegati*, & cap. *Is, qui de sent. excommun. in* 6. ubi expresse dicitur, appellationem interpositam post sententiam latam, & contractam excommunicationem, non impedire illius effectum, nec denuntiationem, eamque denuntiationem facere potest Judex ordinarius, non solum post interpositam, sed etiam post acceptatam appellationem; non si Judex delegatus, qui solum potest denuntiationem facere ante acceptatam appellationem, non post; nam si appellationem acceptavit, jam non est amplius Judex in illa caussa, & sic non potest amplius denuntiare, ut cum aliis tenet Leander *q.* 12.

135. Executor, cui ex præcepto Superioris commissa est denuntiatio censuræ contra aliquem facienda, non potest

get eam denontiare, quando sibi certo constat, sententiam censuræ a Judice latam esse injustam, & nullam, quia numquam licet peccare, nec etiam ad instantiam Judicis præcipientis, cum magis oporteat obedire Deo, quam homini; sed denunciare censuram nullam est peccatum, cum sit executio falsitatis; ergo debet a tali publicatione abstinere, quando censura est nulla. Suarez *disp.* 3. *sect.* 15. *num.* 6. Rastellius, Alterius, & alii, quos sequitur Leander *qu.* 17. Si tamen sententia censuræ sit justa secundum allegata, & probata, debet illam exequi, quamvis ex privata scientia sibi constet esse nullam, quia executori non committitur cognitio caussæ, sed mera executio, & sic tenetur obedire, & sententiam exequi, & illam denuntiare, ut constat ex cap. *Pastoralis §. quia vero de offic. & potest. Judic. delegati*. Quod verum est, etiamsi executor dubitet, an sententia sit justa secundum allegata, & probata; nam in dubio tenetur Judici præcipienti obedire, si alias non potest commode se excusare, vel recurrere ad Superiorem, ut cum Suar. Filliuc. & Alterio tenet Leander *qu.* 19. ex dict. cap. *Pastoralis §. quia vero*.

D U B I U M XIV.

De caussis excusantibus ab incurrendis Censuris, & primo de Ignorantia.

136. QUatuor præcipue assignantur caussæ a Theologis, excusantes ab incurrendis censuris, scilicet Ignorantia, Metus, & Impotentia; Appellatio, & consensus illius, in cujus favorem est lata censura, quæ quidem breviter in præsenti sunt explicandæ. Ignorantia multiplex est; nam alia est ignorantia juris, alia facti, & alia pœnæ. Ignorantia juris est, quando ignoratur lex, sive præcipiens, sive prohibens; sive divina sit, sive humana. Ignorantia facti est, quando ignoratur factum, vel aliqua circumstantia spectans ad factum; ut si quis percutiat Clericum, nesciens talem percussionem esse prohibitam ab Ecclesia, & a Jure, dicitur habere ignorantiam juris: si autem nesciat, illum, quem percutit, esse Clericum, dicitur habere ignorantiam facti. Ignorantia pœnæ illa est, qua quis ignorat pœnam, puta excommunicationem annexam facto prohibito, ut si quis percutiat Clericum, sciens esse Clericum, & sciens talem percussionem esse prohibitam ab Ecclesia, sed ignorat id esse prohibitum sub censura: quælibet ex istis potest esse culpabilis, & vincibilis, vel inculpabilis, & invincibilis. Dividitur etiam ignorantia in antecedentem, concomitantem, & consequentem, quæ omnia satis fuse fuerunt a nobis explicata *in tract. de actibus humanis cap.* 2. *dub.* 5. quæ ibi possunt videri, nec in præsenti sunt repetenda.

137. Resp. 1. Ignorantia invincibilis juris, vel facti excusat a culpa, & a pœna, seu censura. Ratio est, quia non datur peccatum, nisi sit voluntarium, nec dari potest voluntarium sine cognitione. Item pœna non incurritur absque culpa; si ergo ignorantia invincibilis excusat a culpa, excusat etiam a censura, quæ solum ferri potest propter culpam, ut diximus *supra dub.* 5. quod etiam definitum est in cap. *Ut Animarum de Constitut. in* 6. ubi Bonifacius VIII. sic habet: *Ut animarum periculis obvietur sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina*; & inde non incurrit excommunicationem, qui ignoranter transgreditur præceptum latum ab Episcopo sub pœna excommunicationis, ut clare constat ex Textu, & quia censura contrahi non potest sine monitione, ut diximus *dub.* 9. ex cap. *Reprehensibilis, de appellat.* cap. *Romana*, & cap. *Constitutum, de sentent. excommunicat. in* 6. quousque autem lex ignoratur, non censetur quis esse monitus, ut cum Sylvestro, Soto, Navarro, Suar. & aliis diximus *de act. human. dub.* 6.

138. Hoc etiam valet de ignorantia cujuscumque legis, etiam Pontificiæ, excusare scilicet a censura per talem legem imposita, quamvis actus, cui annexa est censura, sit alias prohibitus jure naturali, aut divino, quia semper militat eadem ratio; nam ad incurrendas censuras requiritur contumacia, & inobedientia, quæ non datur quousque durat ignorantia invincibilis legis prohibentis actum sub censura. Licet enim sit inobediens contra legem Divinam, aut naturalem, quam transgreditur, non tamen contra legem Ecclesiasticam, quam ignorat: & inde solum incurrit pœnas legis Divinæ, aut naturalis, non legis Ecclesiasticæ, cujus non habet cognitionem. Et licet in cap. *Ut animarum, de Constit. in* 6. solum dicatur, non ligari ignorantes sententiis per statuta Ordinariorum prolatis, non inde inferri debet, ignorantiam non excusare a censura lata in jure communi, aut a Papa; nam de statutis Ordinariorum solum loquitur Pontifex, quia de illis solis videbatur difficultas. Ceterum eadem ratio militat de censuris latis a Pontifice, ac delatis ab Episcopo: & ita tenent ex Canonistis, Hostiens. Anton. Abbas, Felin. Jo: Andreas Imola, apud Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 32. *num.* 9. Navarrus, Bonacina, Henriq. Coninch, Palaus, Dicas, & alii a nobis relati *in tract. de act. hum. cap.* 2. *num.* 47.

139. *An vero ignorantia solius pœnæ in illo, qui habet cognitionem facti, & juris prohibentis, sufficiat, ut quis excusetur a tali pœna, & censura incurrenda?* Plures negant, quia ignorantia pœnæ non excusat culpam positam in transgressione legis, ergo nec excusat pœnam, quæ tamquam effectus dependet a culpa. Deinde, quia de facto blasphemus, homicida, adulter, fur, & similes puniuntur pœnis impositis a lege pro illis delictis, sive eas pœnas ignoraverint, sive non, ut experientia constat; ergo sciens, percussionem Clerici esse prohibitam a jure, & sciens, Petrum esse Clericum, excommunicationem incurrit, quamvis ignoret, talem percussionem esse prohibitam sub excommunicatione; prout docent Cord. *lib.* 1. *qu.* 25. Hurt. *de censur. in commun. diff.* 22. Avila: Ledes. Facund. & alii.

140. Resp. ad incurrendam pœnam excommunicationis non sufficere notitiam juris prohibentis, aut præcipientis, sed ulterius requiri notitiam ipsius pœnæ excommunicationis latæ, quod idem valet de aliis censuris, quæ sunt pœnæ medicinales, quæ non incurruntur ab aliquo sine præcedenti monitione sub comminatione ejusdem censuræ, ex cap. *Sacro de sentent. excom.* at quousque durat ignorantia, non potest quis dici sufficienter monitus sub comminatione censuræ; ergo illa non incurritur. Deinde, quia in cap. *Ut animarum de constit. in* 6. deciditur, ignorantes non ligari sententiis Ordinariorum, quod Decretum, cum sit animabus favorabile, & generaliter de ignorantia loquatur, videtur ample interpretandum, ut accipiatur non de sola ignorantia Juris, sed etiam de ignorantia pœnæ. Suar. Sanch. Azor. Bonacina a nobis relati in *cit. tr. de act. hum. cap.* 2. *num.* 50. Navarr. Rodriq. Filliuc. Bonac. Laym. Candid. & alii communiter, quos affert, & sequitur Leander hic *tr.* 1. *disp.* 9. *qu.* 7.

141. Ad rationem oppositam dicendum est, quod ignorantia solius pœnæ, quamvis non excludat culpam simpliciter, illam tamen excludit formaliter, ut est caussa talis pœnæ gravis, & extraordinariæ, cujusmodi est excommunicatio, quæ, cum sit pœna non punitiva, sed medicinalis, necessario prærequirit illius cognitionem, quia postulat peculiarem modum contumaciæ, & inobedientiæ consistentem in eo, quod quis sciat, aliquid esse prohibitum sub censura, & tamen illud committat, sicque contumaciter agat contra legem Ecclesiasticam, eamque quasi contemnat; quod non valet de aliis pœnis punitivis, & vindicativis, ad quas nulla requiritur contumacia, sed sola sufficit inobedientia erga Deum, vel Legislatorem humanum, ob quam in vindictam sceleris, pro bono publico infliguntur pœnæ scienter agentibus, contra legem Divinam, aut humanam, quamvis ignorent pœnam legis, ut diximus *loc. cit. n.* 55.

142. Ex dictis plura inferuntur: primo, illum, qui cognoscit, delictum aliquod esse prohibitum jure naturæ, vel Divino, sed nescit, illud esse prohibitum ab Ecclesia, non incurrere censuras impositas contra patrantes tale delictum, quia licet taliter delinquens peccet contra jus naturæ, vel Divinum, non tamen peccat contra præceptum Ecclesiæ, nec dicitur inobediens, & contumax contra Ecclesiam, cum habeat ignorantiam juris Ecclesiastici, cum qua non adest contemptus, nec contumacia. Idem valet, si cognoscat delictum esse prohibitum ab Ecclesia, sed nesciat, esse prohibitum sub censura, quia non solum ignorantia juris, sed etiam ignorantia pœnæ excusat a censura, ex quo Diana *par.* 3. *tr.* 5. *res.* 12. infert, frequenter Confessarios posse ab excommunicatione laicos excusare, quia sæpe illam invincibiliter ignorant.

143. Infert etiam Diana *par.* 9. *tr.* 6. *res.* 13. ignorantem invincibiliter excommunicationem, aut aliam censuram, quæ est annexa casibus Pontificis, non solum excusari ab incursu censuræ, verum etiam casum non esse reservatum reservatione illa Pontificia, atque adeo absolvi posse a quocumque Confessario habente jurisdictionem in peccata mortalia, & refert pro hac sententia Sanch. Coninch, Hurtad. Bardi, qui hoc extendit ad naturalem oblivionem, seu invincibilem inadvertentiam, ac proinde quando Fideles ignorant, vel naturali oblivione, & inadvertentia non apprehendunt censuram, excusandi sunt ab ejus incursu, & per consequens a reservatione Pontificia, quæ dependet ab ipsa censura. Addit Joan. Præpositus a Diana citatus, innumeros non incurrere censuram excommunicationis, quamvis advertant, in aliquo actu se peccare mortaliter contra legem Ecclesiasticam: quare prudens Confessarius non debet

bet statim judicare tales incurrisse excommunicationem, sed quibusdam interrogationibus debet investigare, num habuerint ignorantiam censuræ. Idem valet de reliquis pœnis suspensionis, & interdicti, irregularitatis de qua postea, inhabilitatis ad officia tatione Simoniæ, aliisque gravissimis pœnis.

144. Ratio horum est, quia naturalis oblivio, seu inconsideratio comparatur ignorantiæ; sed ignorantia, quando est invincibilis, excusat a culpa, & a censuris incurrendis; ergo etiam excusat naturalis oblivio, seu inconsideratio, quando est invincibilis, tum quia cum tali oblivione, & inadvertentia ad præceptum Ecclesiæ latum sub censura, non stat contumacia, & inobedientia requisita ad incurrendam censuram, quam proinde non incurrit, qui operatur cum tali oblivione, & inadvertentia. Ita Suar. *disp.* 4. *sect.* 8. *num.* 11. Bonacina *qu.* 2. *pun.* 1. *n.* 12. Candid. *disquis.* 22. *art.* 39. *dub.* 2. Sanch. *lib.* 1. *sum. c.* 16. *num.* 8.

145. Resp. 2. Ignorantia concomitans excusat operantem a censuris, & aliis pœnis incurrendis; unde qui percutit Clericum, quem putat esse laicum, taliter tamen affectus, ut etiam percuteret, si sciret esse Clericum, non incurrit excommunicationem latam contra percutientes Clericum, quia, licet mortaliter peccet ex pravo affectu, quem habet, percutiendi Clericum, opus tamen externum non est peccaminosum, si putat occidere feram, vel non est sacrilegum, si putat percutere laicum; non enim potest esse peccatum, si non sit voluntarium; sed voluntarium non datur sine cognitione; ergo si quis invincibiliter ignorat, a se percussum esse Clericum, non contrahit excommunicationem. ita Bonacina *disp.* 5. *qu.* 1. *pun.* 1. *num.* 14. & apud ipsum Vasq. Sanch. & Molina, Candid. *disquis.* 22. *art.* 33. *dub.* 2. Hurtad. *de Censuris in communi diff.* 21. & alii communiter cum Leandro *qu.* 22.

146. Resp. 3. Ignorantia consequens, quæ etiam dicitur vincibilis, & culpabilis, non excusat a censuris: tunc autem contingit hæc ignorantia, quando menti occurrit aliqua ratio, scrupulus, seu rationabile dubium de præcepto, seu censura, quod vinci poterat, adhibita sufficienti diligentia secundum prudentiam, & circumstantias, quam tamen quis non adhibuit, & sic dicitur culpabilis, quia diligentiam omisit, quam tenebatur adhibere; sive deinde illam omittat ex tædio laboris, & dicitur *supina*, sive ex socordia quadam, & pigritia, & dicitur *crassa*, quæ non cadit nisi in negligentem. Si autem diligentiam omittat, quia expresse vult nescire præceptum, seu censuram, ut liberius peccet, tunc dicitur *affectata*: quocumque modo contingat hæc ignorantia non excusat a censuris, quia non excusat a peccato, cum quis voluntarie omittat diligentiam illam, quam poterat, & tenebatur adhibere. Ignorantia supina, & crassa dicitur voluntaria indirecte, affectata vero est voluntaria directe, unde etiam est magis peccaminosa.

147. Conf. ex cap. *Ut animarum de Constit. in* 6. ubi dicitur; Statutis Ordinariorum non ligari ignorantes, dummodo tamen eorum ignorantia non fuerit crassa, aut supina; ergo hæc non excusat a censura, sive deinde sit ignorantia crassa, aut supina facti, vel Juris positivi prohibentis aliquid sub pœna censuræ, cum sit saltem indirecte volita, & mortaliter culpabilis, quæ, sicut non excusat a culpa, ita non liberat a censura per culpam imposita. Multo minus excusat ignorantia affectata, quæ cum sit directe volita, nullo modo excusat a culpa, & a censuris, ut tenent communiter Doctores cum D. Thoma 1. 2. *q.* 76. *art.* 5. Suar. *disp.* 4. *sect.* 10. *n.* 4. Candid. *disquis.* 22. *art.* 24. *dub.* 1. Contnch *disp.* 13. *dub.* 11. *num.* 93.

148. Quod si censura lata sit contra scienter volentes, aut præsumentes, vel *si quis ausus fuerit*, vel *ausu temerario fecerit;* tunc ignorantia crassa, & supina excusat ab incursu censuræ, & aliarum pœnarum. Ratio est, quia non dicitur *præsumere, scire, & ausu temerario facere*, qui laborat ignorantia, quamvis supina, & crassa; nam præsumptio, & audacia temeritatem & dolum importat, quod habere non dicitur qui ex tali ignorantia operatur. Deinde quia Lex, & Ecclesia, dum posuit illas particulas; *qui scienter, vel ausu temerario fecerit, vel qui præsumpserit*, intendit punire solum delictum formaliter, & expresse volitum, quod præsupponit illius notitiam; sed ignorantia, quamvis crassa, & supina non supponit delictum directe, formaliter, & expresse volitum, sed solum virtualiter, & indirecte; ergo qui laborans ignorantia supina, & crassa legem transgreditur, non incurrit censuram a lege statutam; & ita tenent communiter Doctores Bonac. *qu.* 2. *p.* 1. *n.* 12. Candid. *disquis.* 22. *art.* 32. *dub.* 1. Suar. *disp.* 4. *sect.* 10. *n.* 2. Palaus *tom.* 1. *tr.* 2. *disp.* 1. *pun.* 13. *n.* 1. Diana *par.* 3. *tr.* 5. *res.* 53. & *tr.* 5. *res.* 7. Villalob. *tr.* 16. *diff.* 52. *concl.* 6. *num.* 20.

149. Hoc etiam nonnulli extendunt ad ignorantiam, etiam affectatam, quia temeritas, & scientia omnem ignorantiam excludunt; nam quod fit ex ignorantia, vel cum ignorantia, quæcumque sit, non fit scienter, nec cum dolo, quia vere fit ignoranter; & sic taliter operans non contrahit censuram latam contra illos, qui scienter, & ex dolo peccant, prout docent Doctores, quos affert, & sequitur Diana *par.* 3. *tr.* 6. *res.* 7. & *par.* 7. *tr.* 5. *res.* 11. Verum censeo, ignorantiam affectatam non excusare ab incursu censuræ; nam ignorantia affectata dicitur illa, qua quis vult nescire, ut liberius peccet, & sic non minuit, sed potius auget culpam, & facit actum directe, & per se voluntarium, cum per se, & directe sit volita, & sic non excuset a censuris exigentibus scientiam, temeritatem, aut præsumptionem; & ita tenent Sylvester, Rosella, Tabiena, Graffius, Suar. Molina, Laym. & alii, quos affert, & sequitur Leand. *disp.* 9. *qu.* 25. & in simili diximus *tr.* 4. *in* 1. *præcept. Decalog. c.* 2. *num.* 32.

DUBIUM V.

De aliis Caussis excusantibus ab incursu Censuræ.

150. RESP. 1. metus gravis cadens in virum constantem, ut est metus mortis, infamiæ, exilii &c. simpliciter illatus, excusat a Censuris. Ratio est, quia talis metus simpliciter illatus excusat a culpa, & a transgressione præcepti Ecclesiastici, cum pia Mater Ecclesia non intendat obligare fideles cum aperto periculo mortis, exilii, infamiæ, seu alterius gravissimi mali; ergo etiam excusat a censura, quæ non incurritur, nisi ob transgressionem præcepti Ecclesiastici: unde si prohibeatur Clericis sub pœna excommunicationis arma deferre, illam non incurreret, qui metu mortis arma deferret. Ita Bonac. *qu.* 2. *pun.* 3. *n.* 2. & apud ipsum Navarr. *cap.* 27. *num.* 63. & *num.* 130. Suarez *disp.* 4. *sect.* 3. *num* 11. Salas, Duardus, & Avila; ita etiam Hurtad. *de Censuris in comm.* 23. Candid. *disquis.* 22. *art.* 41. *dubit.* 3. Kon. *disp.* 13. *dub.* 12. *a num.* 97. & alii communiter.

151. Et hoc verum est, etiamsi censura lata sit pro crimine alias lege naturali prohibito, ut si homicidio, vel adulterio ex præcepto Ecclesiæ annexa sit excommunicatio, qui metu mortis homicidium, vel adulterium committeret, non incurreret in excommunicationem, quia, licet ille graviter peccet contra præceptum naturale, & Divinum, quo homicidium, vel adulterium prohibetur, non tamen peccat contra præceptum Ecclesiasticum, quod non obligat cum tali periculo; unde nec censuram incurrit. Bonac. *loc. cit. nu.* 5. Kon. Candid. Navarr. & alii, quos sequitur Antonius a Spiritu Sancto *num.* 179. dicens, metum gravem excusare ab incurrendis censuris, etiamsi sit illatus in contemptum Fidei, & Religionis, quia licet talis metus non excuset a præcepto Divino, bene tamen excusat a præcepto Ecclesiastico, quod non obligat cum tanto detrimento. Unde si herus compellat famulum metu gravi, etiam in contemptum fidei ad legendum librum prohibitum hæreticorum, hæresim continentem, etsi tunc famulus legens peccaret mortaliter, non tamen incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ, quia hic non delinquit contra legem Ecclesiasticam hanc electionem interdicentem, sed in præceptum Divinum tuendæ Fidei, & Religionis, quod obligat etiam cum periculo vitæ. Ita Antonius a Spiritu Sancto *num.* 180. & ante ipsum Candid. *art.* 41. *dub.* 4. Contrarium probabilius tenet Bonac. & alios referens Leander *disp.* 9. *qu.* 26. metus autem levis non excusat a peccato, nec a censuris.

152. Resp. 2. Impotentia physica, aut moralis faciendi id, quod præcipitur sub censura, excusat ab illa incurrenda. Ratio est, quia talis impotentia excusat a peccato, cum ad impossibile nemo teneatur; ergo etiam excusat a censura, quæ solum incurritur propter peccatum: quod non solum valet de impotentia physica, sed etiam de morali, quando scilicet sine gravi incommodo res præcepta fieri nequit. Unde qui propter impotentiam non restituit id, quod debet, non afficitur censura excommunicationis lata contra detentores rei alienæ, aut contra non restituentes, seu non solventes pensionem: idem valet de gravi damno, seu detrimento famæ, vitæ, & aliorum bonorum superioris ordinis, seu illorum utilitate, aliave caussa rationabili, quia hæc omnia excusant ab observatione legis, quæ non obligat cum tam gravi damno, & sic etiam excusant ab incursione censuræ. Navarr. *cap.* 17. 2. 55. & *c.* 18. *n.* 40. & 62. & *c.* 24. *num.* 12. & *c.* 35. *num.* 5. Bonacina *pun.* 3. *num.* 5. Suarez *disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 9. Leander *disp.* 9. *qu.* 29. & 30.

153. Qui, adveniente tempore restituendi, propter impotentiam excusatur de præsenti ab incursu censuræ, si postea factus potens non satisfaciat, tunc censuram

jam incurrit, quia terminus assignatus non est ad finiendam obligationem restituendi, sed ad non amplius differendi restitutionem: quare, si eo elapso diutius differtur, non extinguitur, sed semper manet obligatio restituendi cui quamprimum satisfieri debet: si autem tempore præfixo habebat unde solveret, & non solvit, & proinde incidit in excommunicationem, per supervenientem impotentiam, non liberatur ab illa jam incursa, cum semel incursa non tollatur, nisi per absolutionem.

154. Resp. 3. Appellatio non suspendit, nec impedit sententiam excommunicationis, seu ulterius censuræ, quando illa fuit absolute, & simpliciter lata. Ratio est, quia censura absolute lata secum affert executionem, ut habetur in *cap. Pastoralis §. verum de appell.* a sententia autem jam executioni mandata non est licitum appellare, sed debet absolutionem quærere. Dicitur autem censura simpliciter, & absolute lata, quando aliquis censura ligatur propter actum sub comminatione censuræ ipso facto incurrendæ prohibitum, ut si sub excommunicatione ipso facto incurrenda prohibitum sit Clericis arma deferre, si quis arma deferat, eo ipso remanet excommunicatus, nec appellatio superveniens impedire potest, quin sit excommunicatus.

155. Si vero excommunicatio lata sit sub conditione, ut quando Judex alicui præcipit sub censura, ut aliquid faciat, vel omittat, ut intra mensem restituat ablatum, vel compareat; tunc appellatio legitime interposita ante impletam conditionem, excusat ab incurrenda censura, illiusque suspendit effectum, ut habetur ex *cap. Præterea 2. de appell.* ut diximus *supra dub. 7. num. 75.* An vero, & quomodo appellatio suspendat sententiam declaratoriam censuræ incursæ diximus *dub.* 13. nec ibid. dicta sunt in præsenti repetenda. Diximus etiam *dub. 7. n.76.* censuram latam sub conditione suspendi per consensum partis, in cujus favorem fuit lata, si consensum præstat ante impletam conditionem, etiamsi id faciat sine consensu Judicis, & debitorem non solventem intra terminum a parte prorogatum, incurrere censuram a principio latam a Judice absque alio novo Decreto, ut cum Suarez tenet Bonac. *qu. 2. pun.* 4.

CAPUT II.

De Absolutione Censurarum.

DUBIUM I.

An Censuræ sola absolutione tollantur.

NOnnullorum fuit olim opinio volentium, Censuras tolli non solum per absolutionem, sed etiam per mortem illam ferentis, aut ipsius excommunicati; vel etiam per hoc, quod resipiscat, & cesset contumacia, nam prohibitio lata usque ad adventum alicujus conditionis, ea adveniente; statim cessat talis prohibitio; si enim suspensio lata sit sub expressa conditione; *donec restituas*, posita restitutione, statim cessat suspensio; sed qualibet censura, quæ est poena medicinalis implicite fertur sub conditione, donec resipiscat; ergo, contumacia cessante, & reo correcto, cessat excommunicatio, & censura.

2. Resp. excommunicationem semel contractam non tolli, nisi per absolutionem. Ratio est, quia censura auferri nequit, nisi a potestate concessa Petro solvendi ligatos, Matth. 16. *quodcumque ligaveris, vel solveris*; sed actus hujus potestatis est absolutio, sicut ejusdem potestatis actus, est ligatio; ergo censura absolutione tantum tolli potest, & constat ex *cap. Cum desideres de sent. excom.* Ubi Clemens III. aperte definit, quod ille, qui excommunicationem contraxit, restitui non debeat aliorum communioni ante beneficium absolutionis. Unde non cessat excommunicatio per mortem illam ferentia, vel per ejus remotionem ab officio, quia censuræ ab eo pendent in fieri, non autem in conservari; non enim sunt præceptum, sed poena inflicta ob præcepti transgressionem, quæ poena durat, Jure sic disponente, quousque legitime tollatur, ut aperte constat ex Can. *Si Episcopus* 11. *q.* 3. & *cap. Pastoralis §. præterea de Offic. Jud. Ord.* & ex communi sententia tradit Suar. *disp.7. sect.* 1. *a n.*3. Filliuc. *tr.*11. *c.*9. *n.* 273. Hurt. *disp.* 14. *de excomm. diff.* 1. *n.* 1. Alterius *lib.* 4. *disp.* 1. *c.* 2. Coninch *disp.* 14. *dub.* 16. *n.* 198. Palaus *disp.* 1. *pun.* 11. §. 1.

3. Nec item cessat censura per mortem excommunicati; nam jura Canonica dicunt etiam mortuum indigere absolutione, si decessit cum excommunicatione publica, quamvis decesserit contritus, & in gratia, ut proinde non possit gaudere sepultura Ecclesiastica, & fructum communium Ecclesiæ suffragiorum percipere ante absolutionem, ut patet ex *cap. A nobis* 2. cap. *Sacris de sentent. excom.* cap. 11, *cui eod. tit. in* 6. unde non cessant censuræ, quoad effectum, per mortem excommunicati; quamvis moriatur in gratia, & cum signis contritionis, prout docent Suar. *disp.* 7. *sect.* 7. *n.* 5. & 7. Coninch *disp.* 14. *dub.* 16. *nu.* 201. Filliuc. *loco cit.* Palaus *supra num.* 3.

4. Nec item cessat excommunicatio independenter ab absolutione, cessante contumacia excommunicati, & posita satisfactione, & oppositum damnatur ab Alexandro VII. damnante illam propositionem, quæ est in ordine 44. *Quoad forum conscientiæ Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ*; idque etiam constat ex *cap. Cum desideres de sent. excomm.* ubi habetur, quod excommunicatio per solam resipiscentiam non tollitur, & *cap. Qua fronte de appellat.* Idem dicitur de Excommunicatione simul, & Interdicto, quod jure merito cautum est, quia qui legitima, & juridica potestate ligatur, ab eadem debet absolvi, secus absolutio Ecclesiæ pro foro interno semper esset inutilis, & otiosa, cum numquam Ecclesia conferat absolutionem ante resipiscentiam, & correctionem delinquentis; unde semper absolutio Ecclesiæ præsupponeret censuram sublatam, atque adeo pro foro interno semper esset inutilis, & otiosa, ut ponderat Corneus *tom* 2. *tr.* 5. *disp.* 2.

5. Nec obstat, censuram dumtaxat imponi, ut parti satisfiat, & delinquens corrigatur, & emendetur; nam id solum probat, quod, posita sufficienti satisfactione, & correctione, debeat a Judice tolli, & auferri, non tamen quod ipsa ex se cesset sine absolutione, ut dicitur in *cap. Cum desideres de sentent. excomm.* cap. *Qua fronte de appell.* cap. *ex litteris de excomm.* & ita tradunt Navarr. *c.*27. *summ. n.*171. Covarr. *cap. Alma mater* 1. *p.* §. 11. *n.*8. Suar. *disp.*7. *sect.*1. *num.* 8. Filliuc. *tr.*11. *c.* 9. *q.* 2. *n.*276. Palaus *p.*11. §. 1.

6. Difficultas est, quando censura lata est ab homine sub hac conditione: *donec satisfeceris*, an, posita satisfactione, tollatur censura sine alia absolutione. Plures affirmant, quia poenæ, cum sint restringendæ, sententia poenalis non amplius ligare debet, quam significent verba in proprio, & rigoroso sensu; sed in tali sententia verba in proprio, & rigoroso sensu significant, reum excommunicatione ligari usque ad satisfactionem, & non amplius; ergo, posita satisfactione, cessare debet excommunicatio; ea ratione, qua, posita satisfactione, cessat Interdictum, & Suspensio, quando tali modo feruntur. Cessat autem excommunicatio non quidem sine omni absolutione, sed ob absolutionem, quæ cum excommunicatione collata fuit sub conditione restitutionis; sicut enim quando ab homine fertur excommunicatio ipso facto incurrenda contra furtum committentes, posito furto, statim incurritur excommunicatio, non quæ tunc feratur, sed quæ antea lata fuit sub ea conditione, si ponatur furtum, ita pariter si aliquis excommunicetur, donec restituat, posita restitutione, remanet absolutus, non vi absolutionis, quæ tunc conferatur de novo, sed vi absolutionis, quæ collata fuit, quando data fuit excommunicatio sub ea conditione, quod ponatur restitutio. Ita tenent Covarr. in *cap. Alma mater* 1. *p.* §. 11. *n.*6. & *seq.* Avila *par.*2. *cap.* 7. *disp.* 2. *dub.* 6. Aleiat. *in c.* 8. *de elect. notab.* 5. *lib.*6. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 17. *n.* 219. Palaus *supra* §. 1. *n.*4.

7. Hæc sententia est valde probabilis, eo, quod non repugnat, censuram tali modo ferri, ut non sit necessaria nova absolutio, si Judex ferendo censuram sub conditione, intendat simul absolvere, posita conditione. Verum cum de facto, & regulariter absolutio ab excommunicatione numquam sub conditione feratur, cum ex Regul. 77. *Juris in* 6. *Actus legitimi conditionem non recipiunt*, dicendum est, censuram semel contractam non tolli, nisi per absolutionem, posita satisfactione; nisi sit suspensio, vel interdictum ad tempus pro peccato præterito, quod non habet rationem censuræ, sed poenæ vindicativæ. Colligitur ex cit. *cap. Cum desideres*, & ex *cap. A nobis* 2. *de sentent. excommun.* ubi aperte definitur, quod ille, qui in excommunicatione decessit e vita non sit censendus liber a vinculo excommunicationis, quantum spectat ad forum Ecclesiæ, nec ei esse communicandum ante absolutionem, etiamsi in vita sufficienter satisfecerit, & sic semper necessaria est absolutio.

8. Quare dum quis excommunicatur, *donec restituat*, & satisfaciat, non est sensus, quod tunc absolvatur sub conditione, quod restituat, sed sensus est, quod non erit absolvendus, nisi post factam restitutionem; unde, etiamsi restituat, adhuc erit absolvendus. Idem valet, etiamsi explicite, vel implicite aliquis excommunicetur, *donec resipiscat*; sensus enim est, quod non nisi post resipiscentiam, & correctionem, absolutio sit conferenda, & sic universaliter, contumacia cessante, & , reo correcto, censuræ non cessant sine nova absolutione; quæ sententia conformior est menti Pontificis damnantia illam

lam propositionem, quæ est in ordine 44. *Quoad forum conscientiæ, Rea correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ*. & ita cum Hostien. Abbate, Sylvest. & aliis tenet Alterius *lib. 4. disp. 1. c. 1.* sequitur Leander, *disp. 11. q. 5.* Anton. a Spiritu Sancto *disp. 1. n. 189.*

DUBIUM II.

Quotuplex sit Censurarum absolutio.

9. RESP. multiplicem esse censurarum absolutionem; nam alia est a Jure, alia ab homine; alia absoluta, alia conditionata; alia simplex, alia ad cautelam; alia simpliciter, alia ad reincidentiam. Absolutio a jure est, quæ datur ab ipsa lege imponente censuram sub hac forma; *Qui inciderit in excommunicationem ob transgressionem hujus legis, sit eo ipso absolutus, si hoc, vel illud fecerit*. Absolutio ab homine est illa, quæ tribuitur Reo ab homine jurisdictionem habente, & de hac loquimur in præsenti. Absoluta est, quæ datur ab absolvente simpliciter sine ulla conditione; conditionata vero est illa, quæ datur sub aliqua conditione, de præterito, de præsenti, vel de futuro. Absolutio data dependenter a conditione de præterito, vel de præsenti, non est proprie conditionata, quia non suspendit effectum; si enim conditio fuit posita, vel de facto existit, absolutio statim suum habet effectum, secus si non existit, vel non fuit posita conditio. Absolutio, quæ dependet a conditione de futuro, illa est vere, & proprie conditionata, quia suspendit effectum usque ad adventum conditionis, de qua proinde major est difficultas.

10. Absolutionem datam sub conditione de præsenti, vel de præterito validam esse omnes admittunt, quia talis conditio non suspendit actum, vel effectum, sed statim absolutio est valida, vel nulla; est enim valida, si existit, vel fuit posita conditio, & transit in absolutam; si non existit conditio, absolutio est nulla, quia deficit conditio, ut tradit Bonac. *disp. 1. qu. 3. p. 7. num. 5.* Si vero sit data sub conditione de futuro, nempe; *absolvo te*, si intra mensem satisfeceris, nonnulli asserunt, esse nullam, & irritam, ea ratione, qua nulla, & irrita est absolutio Sacramentalis data sub tali conditione de futuro, quæ suspendit effectum absolutionis. Ita D. Antonin. *3. p. tit. 24. c. 77. §. 5.* Sylvester *verb. Absolutio 3. §. 1. & excomm. 2. §. 17.* & ex parte Avila *2. p. cap. 7. disp. 3. dub. 15.*

11. Sed verius dicendum est, absolutionem a censuris valide dari posse sub conditione de futuro. Ratio est, quia censura valide ferri potest sub conditione de futuro: ergo etiam absolutio, quæ favorabilior est. Nec valet paritas de Sacramentali absolutione a peccatis, quia ista, cum pendeat ex intentione, & institutione Christi, non potest manere suspensa quoad effectum ex conditione apposita ab intentione Ministri, qui non potest suspendere effectum Sacramenti; bene tamen potest suspendere absolutionem censuræ, cum hæc sit quædam sententia humana inducta a jure positivo, cujus effectus pendet ex voluntate absolventis, qui proinde potest, adjuncta conditione, suspendere effectum, ut non sequatur, nisi adimpleta conditione. Navarr. *c. 26. nu. 12.* & *de pœnit. dist. 6 c. 1. nu. 64.* Covarr. *in cap. Alma Mater 1. p. §. 12. n. 6.* Sayrus *l. 2. c. 16. nu. 7.* Suarez *disp. 7. sect. 8. n. 7.* Bonac. *qu. 3. pun. 7. num. 3.* Palaus *disp. 1. pun. 11. §. 2. a n. 2.*

12. Non solum valida, sed etiam aliquando licita est absolutio data sub conditione de præsenti, aut de præterito, si adsit aliqua caussa, ut quando certo non constat de censura, & absolutio datur ad cautelam, & ad majorem securitatem. Absolutio autem sub conditione de futuro, regulariter loquendo, non est licita, quia licet nullo jure prohibeatur, non est tamen in usu in Ecclesia tali modo absolvere, cum absolutio non debeat manere suspensa, & sic dari non debet sub conditione de futuro, nisi gravis caussa excuset. Ita Suar. Alterius, & Filliucius, quos sequitur Antonius a Spiritu Sancto *disp. 1. num. 131.*

13. Absolutio simplex est, quæ datur simpliciter, quando nullum est dubium de valore censuræ. Absolutio vero ad cautelam est, quando datur tale dubium, & tunc datur absolutio ad majorem quietem, & securitatem conscientiæ, & datur sub conditione: *Si indiges, si contraxisti*, qua ratione a Sacerdote præmitti solet antequam pœnitentem absolvat a peccatis, vel ante collationem Ordinum, aut Ecclesiastici Beneficii, aut alterius Privilegii, ad tollendum impedimentum, si quod forte subsit, ut cum Suarez, Sayro, & Ugolino tenet Bonac. *pun. 7. num. 2.* Absolutio simpliciter dicitur illa, per quam tollitur censura absolute, & in perpetuum. Absolutio ad reincidentiam est illa, per quam censura non tollitur absolute, & in perpetuum, sed ad certum tempus, quo elapso, censura reditura est; vel ad certum effectum, quo habito, seu peracto, censura est reditura; qui modus absolutionis valde conveniens, frequens, & usitatus est.

14. Absolutio ad reincidentiam duplex est: alia impropria, quæ ex intentione absolventis non conceditur in perpetuum, sed solum ad limitatum tempus, vel effectum, puta ad libere testimonium ferendum, vel ut possit Beneficium obtinere, & hæc, translacto tali tempore, vel effectu, redit sine nova culpa. Alia propria, quæ datur in perpetuum, sub conditione tamen satisfaciendi, vel aliquid faciendi intra certum tempus, alias reincidendi in eamdem censuram, & de hac dubitatur: *An, non adimpleta conditione, redeat sine nova culpa?* Nonnulli affirmant, quia absolutio, cum data sit sub tali conditione, ea deficiente, etiam absque culpa, censura redire debet; sed probabilius est, non redire sine nova culpa, saltem in foro conscientiæ, licet redeat pro foro externo. Ratio est, quia in tali casu quia non est contumax, nec inobediens Judici; ergo non reincidit in censuram, quæ, cum sit absoluta, & penitus extincta, non potest de novo contrahi, sine nova culpa, & contumacia; & inde absolutus cum obligatione restituendi intra certum tempus, si ex impotentia non restituat, non reincidit in censuram; & qui in casu necessitatis est absolutus a peccatis, & censura reservata a non habente potestatem, cum obligatione se præsentandi Superiori, non reincidit, si non potest se præsentare: bene tamen si non restituat, vel negligat se præsentare, cum possit, quia jam tunc est contumax, & inobediens. Et ita tenens Avila *2. par. c. 7. disp. 3. dub. 14. concl. 1.* Coninck *disp. 14. dub. 16. n. 216.* Diana *par. 5. tr. 9. res. 15.* Pal. *pun. 11. §. 2. nu. 8.* Anton. a Spiritu S. *num. 192.* & alios referens Leand. *disp. 1. qu. 17.*

DUBIUM III.

Quisnam possit absolvere a Censuris ab homine latis.

15. CENSURA alia est a jure, alia ab homine, ut vidimus supra *cap. 1. dub. 1.* A jure dicitur illa, quæ lata est a Pontifice, seu ab Episcopo per legem, & statutum perpetuum pro peccatis futuris præcavendis. Censura lata ab homine dicitur illa, quæ fertur a Judice, medio aliquo præcepto temporali, & transitorio per sententiam specialem contra personam aliquam determinatam, examinata caussa de facto aliquo præterito, vel per sententiam generalem contra aliquas personas.

16. Resp. 1. a censuris specialiter ab homine latis per sententiam particularem, ille solum absolvere potest, qui eam tulit, vel ejus Successor, Superior, vel Delegatus. Potest igitur absolvere potestate ordinaria, qui censuram tulit, ut habetur ex cap. *Verb. de pœnit. dist. 1.* & cap. *Pastoralis §. Præterea de offic. Ordin.* quia, cum hæc potestas salutem animarum spectet, tam ad ligandum, quam ad solvendum, censenda est concessa, juxta illud Matthæi 18. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*. Ideoque qui potestatem habet ligandi, debet etiam habere potestatem solvendi, & favet Regula *Juris 1.* & *L. Nihil tam naturale ff. de Regul. Juris*. *Res per quascumque caussas nascitur, per easdem dissolvitur*; & ita tenent Doctores communiter. Quod verum est, etiamsi reus domicilium mutet, qui absolvendus est ab illo, qui sententiam tulit, cujus jurisdictionem non effugit mutatione domicilii, ut cum Suarez, Sayro, & aliis tenet Palaus *disp. 2. par. 1 §. 4. num. 2.*

17. Dantur tamen aliqui casus, in quibus auctor censuræ ab ea non potest absolvere. Primus habetur ex cap. *Quærenti de offic. Deleg.* in Delegato Papæ, qui inobedientem suæ sententiæ definitivæ potest excommunicare, sed post annum a sententia definitiva non potest absolvere, bene tamen ante annum elapsum; vel, si ante sententiam definitivam aliquos excommunicet, poterit illos absolvere usque ad sententiam definitivam. Suarez *disp. 7. sect. 1. n. 7.* Bonac. *qu. 3. pun. 1. nu. 1.* Palaus *supra n. 4.* Secundus de incendiariis, quos Episcopus potest excommunicare, sed post denuntiationem non potest amplius absolvere. Cap. *Tua nos de sentent. excommunicat.* Henriq. *lib. 13. cap. 28. n. 6.* Navarr. *cap. 27. n. 94. & 256. & cap. 17. num. 109.* & alios referens Palaus *nu. 4.* Tertius, quando qui excommunicavit, incidit in excommunicationem majorem, ita ut sit denuntiatus, & non toleratus, quia tunc, cum privetur usu jurisdictionis, non potest amplius absolvere; secus si sit toleratus, vel incidit in minorem excommunicationem, quia tunc potest absolvere. Henriq. Navarrus, & Palaus *locis cit.* Quartus, quando excommunicationem ab inferiori latam Papa confirmavit ex certa scientia, quia tunc solus Papa potest absolvere. Quintus, quando Papa com-

commitiis alicui, ut absque caussæ cognitione aliquem communicet, quia tunc talis est merus executor, & sic non potest absolvere; secus si alicui mandet, ut excommunicet cum caussæ cognitione, quia tunc potest absol. vere, ut cum Ugolino, Sayro, & aliis tenet Pal. *nu.* 4.

18. Potest etiam absolvere Successor, qui scilicet succedit in officio, & dignitate, quia censetur eadem persona. Eamdem facultatem habet Capitulum Sede vacante, quia succedit in locum Episcopi, & sic, medio Vicario a se electo, absolvere potest excommunicatos ab Episcopo. Cap. 3. *de supplem. neglegent. Prælat. lib.* 6. & cap. *Unico de majorit. & obedient.* Trident. *sess.* 24. *cap.* 16. *de reformat.* Palaus, & alii. Prælatus superior in jurisdictione absolvere potest excommunicatos ab inferiori; sic Episcopus absolvere potest a censuris latis ab aliquo Abbate sibi subdito, & inferiori, vel ab Archidiacono, seu Parocho sibi subditis, casu quo ipsi possint censuras ferre. Ratio est, quia jurisdictio competens Prælato inferiori, non datur ei privative, sed accumulative, & ampliative, hoc est, non datur ei, privando Superiorem jurisdictione ordinaria, quam habet, sed illi datur, ut illa uti possit, non ablata potestate Superioris, ut cum Suarez, Avila, Henriq. & aliis tenet Bonac. *qu.* 3. *pun.* 1. *n.* 3. Palaus *num.* 6. Hurtado *disp.* 15. *diff.* 6. *n.* 19. & alios referens Leand. *disp.* 17. *qu.* 18. Archiepiscopus absolvere non potest a censuris latis per Suffraganeum, nisi in actu visitationis, aut in casu appellationis, quia tunc solum habet jurisdictionem in subditos sui Suffraganei, ut, citatis juribus, ostendit Leand. *qu.* 19. Absolvere etiam potest, qui a Principali potestatem habet delegatam.

19. Inde si Episcopus aliquem in particulari excommunicavit ob delictum præteritum, talis excommunicatio, quamvis expresse non sit reservata, tolli tamen non potest, nisi ab illo, qui talem tulit excommunicationem, vel ab ejus successore in munere, & dignitate, vel ejus Superiore pleno jure, non autem a Parocho, vel ab alio Sacerdote ad Confessiones audiendas deputato, nisi ex speciali commissione Episcopi, quia nulli alteri reperitur concessa talis excommunicationis absolutio, ne ferentis jurisdictio turbetur, ejusque auctoritas contemnatur; & quia hæc censura, cum non feratur, nisi reo nominatim citato, debet ibi caussa finiri, ubi cœpta est, ut cum Sayro, Coninch, & aliis tenet Palaus supra §. 4. *nu.* 9. ubi excipit casum, quo reus paratus sit satisfactionem præstare, & ob infirmitatem, aliudve impedimentum adire non possit auctorem censuræ, ut absolvatur; nam tunc poterit ab alio, etiam inferiore, absolvi, præstito juramento comparendi coram eo, cui de jure competit absolutio talis censuræ, ut colligitur ex cap. *Quamvis de sentent. excommunic.*

„ *Vide paucis, sed adhuc clarioribus verbis Notificationem positam sub num.* 55. *Edit. Lat.* §. 11. *in fine* =
„ Nam omissa controversia, an caput *Nuper de sententia excommunicationis*, quo statuitur, censuram a
„ Confessario, vel Parocho solvi posse, cum illam
„ Episcopus sibi tantum absolvendam non edixit, an,
„ inquam, pro Confessariis, & Parochis hæc sententia
„ abrogata fuerit, certum illud est, quod post latam
„ excommunicationem, suspensionem, vel interdictum
„ ab Episcopo, in aliquem peculiarem reum, eam re-
„ laxare nemo alius potest, nisi qui sententiam ejusmo-
„ di pronunciaverit, aut ipsius Delegatus, vel aliquis
„ majori potestate præditus, postquam eamdem senten-
„ tiam injustam cognoverit. Quare Sylvester, post Ca-
„ nonicas sanctiones diligenter examinatas, *in summa*
„ *ad verbum Interdictum* 3. *n.* 16. hæc docet: *Si sen-*
„ *tentia interdicti, vel suspensionis lata est ab homine,*
„ *absolvere, seu relaxare potest ille, qui eam tulit, vel*
„ *ejus Superior, non autem alius, nisi de ejus mandato,*
„ Idem P. Thesaurus confirmat *de pænis Ecclesiastic.*
„ *par.* 2. *cap.* 24. §. *Dicendum primo: ne turbetur ju-*
„ *risdictio Ordinariorum*; P. vero Syrus *in tractatu ma-*
„ *nuscripto Pœnitent. Roman. in Commentar. par.* 3. §. 1.
„ *Constitutio Summi Pontificis Innocentii XII. quoad fa-*
„ *cultates Cardinalis Majoris Pœnitentiarii*, eamdem sen-
„ tentiam his verbis testatur: *Major Pœnitentiarius,*
„ *ordinarie loquendo, non solet absolvere a sententiis,*
„ *& censuris ab homine contra aliquem nominatim latis*
„ *&c. & hoc, ne turbetur jurisdictio Ordinariorum. A*
„ *censura enim speciali nominatim lata ab homine non*
„ *potest absolvere, nisi qui eam tulit, ejusque Successor,*
„ *aut Superior, aut Delegatus ab illis.* Postremo Epi-
„ scopus, juxta Synodum jam toties allatam, & jus pa-
„ riter commune, post interdictum ad excommunicatio-
„ nem devenire potest, per quam pervicaces a cœtu
„ Fidelium sejungantur, uti a Sacra Congregatione
„ Concilii non semel statutum Fagnanus *cap. Omnis*
„ *num.* 46. *de pœnitentiis, & remissionib.* ac Monacel-
„ lus *tom.* 2. *tit.* 5. *formul.* 16. *num.* 2. referunt. Hoc
„ adhibere remedium nos constituimus, nisi contuma-
„ ces resipuerit, ideoque Parochis magnopere commen-
„ damus, ut illos de hac re certiores faciant, mo-
„ neantque, si excommunicationem quoque neglexerint,
„ majores in ipsos pœnas decernendas, quæ per Tri-
„ dentinam Synodum *sess.* 24. *de reform. c.* 3. indicun-
„ tur: *Excommunicatus vero quicumque, si post legiti-*
„ *mas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacra-*
„ *menta, & Communionem Fidelium, ac familiaritatem*
„ *non recipiatur, sed, si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum*
„ *tamquam de hæresi suspectum procedi possit.*

20. Major difficultas est de censuris non reservatis ab homine, latis per sententiam generalem pro culpis futuris, quas nonnulli volunt, tolli non posse, nisi a ferente, vel ab alio habente æqualem, vel majorem potestatem, ea regula generali in Jure fundata, quod censura ab homine lata solum ab illo tolli potest, qui eam tulit, vel ab habente æqualem, seu majorem potestatem. At censura lata per sententiam generalem non est a jure, sed ab homine; ergo tolli non potest ab inferiori. Nullum enim reperitur jus, in quo talis facultas inferiori tradatur. Sic Glossa ult. in cap. *Ex frequentibus de Instit.* Abbas in cap. *Grave de præbend.* Cajetan. *verb. Absolutio ab excommun.* Ugolinus *tab.* 1. *c.* 4. *nu.* 3. Suarez *disp.* 7. *sect.* 2. *n.* 23. Alterius *lib.* 4. *disp.* 2. *cap.* 4. Vasq. *de excommunic. dub.* 19. *num.* 9. Villalob. *tr.* 17. *diff.* 18. *num.* 12. & 13.

21. Verum alii probabilius asserunt, idem de hisce censuris dicendum esse, ac de aliis censuris non reservatis a jure latis, & sic tolli posse a quolibet Sacerdote habente facultatem absolvendi a peccatis mortalibus. Ratio est, quia talis censura per generalem sententiam ab homine lata æquiparatur Canoni, & Statuto, nec per illius absolutionem factam ab inferiori turbatur tribunal ferentis illam, cum reus non fuerit nominatim citatus; ergo poterit absolvi etiam ab inferiori. Nec obstat, quod in cap. *Nuper de sentent. excommunic.* solum a censura juris non reservata concessum sit aliis absolvere, quia censura lata per generalem sententiam æquiparatur censuræ latæ a jure, cum sit lata per modum statuti, aut legis absque ulla citatione rei, & ibi Pontifex solum excipit sententiam Judicis specialem in personam particularem cum illius citatione prolatam. Et ita tenent Navarrus *c.* 27. *num.* 44. Bonacina *qu.* 3. *pun.* 1. *num.* 5. Sayrus *lib.* 2. *c.* 19. *num.* 5. & *cap.* 20. *num.* 2. Coninch *disp.* 14. *dub.* 16. *num.* 257. Hurtad. *disp.* 15. *diff.* 6. *n.* 21. Castropal. *disp.* 2. *pun.* 1. §. 4. *n.* 10. Ant. a Spir. S. *disp.* 1. *num.* 212. Diana *par.* 5. *tr.* 9. *ref.* 4. Leander *disp.* 17. *qu.* 21.

22. Utraque sententia est satis probabilis, sed hæc secunda est probabilior, & in praxi sequenda, eo quod sit favorabilior. Qua proinde retenta, si per sententiam generalem excommunicatus domicilium transferat in aliam Diœcesim, absolvi poterit ab Episcopo illius Diœcesis, ad quem transtulit domicilium, imo & a Parocho, & ab omni alio, qui a peccatis mortalibus potest absolvere, quia omnes isti absolvere possunt ab excommunicationibus a jure latis nemini reservatis, ut docent omnes Auctores pro secunda sententia citati. Eadem ratione, si existens in aliena Diœcesi incidat in excommunicationem ibidem latam per statutum pro futuris culpis, aut per sententiam generalem ratione delicti ibidem commissi, rediens in patriam absolvi poterit a proprio Episcopo, quia de illa censura idem judicandum est, ac de censura lata a jure. Secus dicendum, si ab altero Episcopo fuit per sententiam particularem nominatim excommunicatus ratione delicti in alieno territorio commissi; nam tunc solum absolvi potest ab Episcopo excommunicante, qui in tali casu solus est Judex, juxta dicta *num.* 16.

DUBIUM IV.

Quis possit absolvere a Censuris Juris.

23. RESP. 1. Ab excommunicatione juris nemini reservata absolvere potest non solum Episcopus, sed etiam Parochus, & ille, qui habet potestatem absolvendi a peccatis mortalibus, ex concessione facta ab Innoc. III. in cap. *Nuper* 29. *de sentent. excommunicat.* ubi expresse dicit, excommunicatum excommunicatione non reservata absolvi posse ab Episcopo, aut proprio Sacerdote addita ratione: *Quia Conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*: & licet Textus de excommunicatione minori loquatur; ratio tamen adducta procedit in omni censura. Quare non solum Episcopus, sed etiam Parochus, & alii, qui facultatem habent absolvendi a peccatis mortalibus, absolvere possunt a censuris, non reservatis; & ita cum D. Thom. Bonav. Soto, Gabriele, Navarr. & aliis tenet Pal. *sup.* §. 5. *n.* 3.

sequi-

sequitur Coninch *disp.* 16. *dub.* 16. *n.* 230. Bonac. *qu.* 3. *p.* 1. *num.* 9. Diana *par.* 5. *tr.* 9. *res.* 3. & alios referens Leander *disp.* 17. *qu.* 33.

24. Resp. 2. A censura juris reservata, sive sit lata per Statutum Papale, seu Episcopale, ille solus potest absolvere, qui eam tulit, vel ejus in officio Successor, vel in ordinaria jurisdictione, seu pleno jure Superior, aut ab eis ad hoc Delegatus; quia per reservationem facultas absolvendi aliis adimitur, ut omnes admittunt. Dantur tamen aliqui casus, in quibus Auctor Canonis absolvendi facultatem concedit. Primo quilibet Sacerdos pro articulo mortis facultatem habet absolvendi a censuris, etiam reservatis, ut *diximus suo loco*, & constat ex Trid. *sess.* 14. *c.* 7. Secundo Episcopis conceditur facultas absolvendi mulieres, & impuberes, etiam post pubertatem ab excommunicatione lata in Can. *Si quis suadente diabolo* 17. *q.* 4. cap. *Si vero*, cap. *Mulieres*, cap. *quamvis de sent. excom.* Abbates, & Prælati Regulares de consilio Episcopi absolvere possunt Religiosos, qui se mutuo percusserunt, cap. *Monachi*, cap. *cum illorum de sent. excom.* de quo latius infra.

25. Tertio possunt Episcopi ex facultate sibi attributa in Trid. *sess.* 24. *c.* 6. absolvere ab omni censura orta ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum per se ipsos, aut per Vicarium ad id specialiter deputatum, non tamen ab hæresi occulta, nec ab aliis casibus Bullæ Cœnæ, de quibus postea. Hic solum nota, quod si delictum fuit deductum ad forum contentiosum, sed non fuit sufficienter probatum, adhuc censetur occultum, ut ab illo Episcopus absolvere possit. Conceditur etiam Episcopis facultas absolvendi quoslibet impeditos adire Pontificem, ex quacumque causa tale impedimentum proveniat, ut habetur in cap. *ea noscitur*, & cap. *quamvis de sent. excom.* in quibus Textibus, licet solum sit sermo de excommunicatione contracta ob percussionem Clerici, Doctores tamen communiter extendunt ad quamlibet censuram Pontifici reservatam, ut late tradit Bossius *var. moral. tit.* 4. *ex.* 3. per Textum in cap. *eos qui, de sentent. excom. in* 6. ubi habetur *eos, qui a sententia Canonis, vel hominis (cum ad illum, a quo aliter de jure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvuntur, &c.* ex quo patet, prædictam facultatem Episcoporum absolvendi legitime impeditos, comprehendere etiam censuras ab homine latas, & cuicumque reservatas, & habet locum in excommunicatione, & censura Papæ reservata, sive sit occulta, sive sit publica, quia in allatis Capitulis *de sentent. ex eum. lib.* 5. & in d. cap. *eos lib.* 6. facultas absolvendi absolute permittitur, unde etiam absolutio prodest quoad utrumque forum. Ita Felin. Abbas Sylvest. Navar. Covarr. Ugolin. Alterius, Suar. & alii, quos ibid. affert Bossius *num.* 3.

26. Qui legitime impeditus non potest adire Pontificem, non tenetur scribere, aut mittere Procuratorem, sed solum tenetur comparere, cessante impedimento, alias in eamdem reincidit excommunicationem, juxta Textum cit. cap. *eos qui, de sent. excom.* ut cum aliis tenet Bossius *supra n.* 23. Quare si impedimentum sit perpetuum, ut sexus muliebris, ætas senilis, servitus, pœna carceris, aut infirmitas, pœnitens absolvitur absolute absque onere comparendi coram Pontifice; si vero impedimentum sit temporale, absolvitur cum onere comparendi, cessante impedimento, sub pœna reincidentiæ, & ad majorem cautelam exigitur etiam impedimentum, ut cum Navarro, Henriq. & aliis diximus *in tract. de Pœnit. c.* 16. *dub.* 8. *n.* 45. *& tr.* 4. in primum præceptum Decalogi *c.* 2. *dub.* 6. *n.* 49.

27. *An vero impeditus adire Pontificem possit absolvi ab Episcopo, si possit adire Legatum, aut alium habentem facultatem, seu privilegium absolvendi a casibus Papalibus?* Diximus, non posse cit. *c.* 16. *dub.* 81. *n.* 47. verum etiam in tali casu posse absolvi ab Episcopo, cum Henriquez, Avila, Layman. & Duardo tenet Bossius *supra num.* 26. & alios referens Diana *par.* 4. *tr.* 4. *res.* 58. *& par.* 5. *tr.* 9. *res.* 6. quia jura in signum specialis reverentiæ, ac privilegii requirunt, ut pro absolutione Summus Pontifex adeatur, ac proinde, si idem Pontifex adiri non possit, cessat reservatio Papalis, & devolvitur casus ad proprium Ordinarium, quæ sententia & ipsa est probabilis.

28. Ex speciali decreto Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 6. concessum est, ut liceat *Episcopis in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Item, & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.* Dubium tamen est: *An talis facultas Episcopis concessa per Trident. absolvendi a Casibus Pontificii, & specialiter ab hæresi occulta, sit revocata per Bullam Cœnæ, quæ quotannis renovatur?* Plures affirmant, esse revocatam, nec posse amplius Episcopos absolvere a crimine hæresis, & aliis contentis in Bulla Cœnæ, quamvis occultis, quia in Bulla expresse tollitur facultas in quocumque Concilio concessa, quo nomine venit etiam Concil. Trident. & tollitur respectu omnium, ut patet ex illis verbis, *etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis*, & ita referunt, & declaratum fuisse a Sacr. Congreg. & a Summis Pontificibus S. Pio V. Gregor. VIII. & Clement. VIII.

„ *Vide Lambertinum Pontificem, & quæ hac de re* „ *ipse notavit opposita videre poterit in hac nostra Edi-* „ *tione adjecta in Tom. II. Tract. VII. Cap. XV. Dub. IV.* „ *§.* 1. *num.* 27. *col.* 100.

29. Ita etiam sæpe pronuntiatum esse in supremo Consistorio Romano Sanctæ generalis Inquisitionis docet Pegna *in director. Inquisit. p.* 3. *qu.* 92. *comment.* 141. favet damnatio sequentis propositionis facta ab Alexandro VII. *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno* 1619. 18. *Julii in Consistorio Sacræ Congr. Eminentiss. Cardinalium visa & tolerata est.* Sic etiam tenent Doctores magis communiter, quos lato calamo refert Bossius *de Jubilæo sect.* 1. *casu* 10. §. 2. *num.* 9. quorum aliquos adduximus *tr.* 4. in primum præcept. Decalog. *c.* 2. *n.* 54. sequitur Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 40. *num.* 3. Garzias *de Beneficiis p.* 11. *c.* 10. *n.* 113. Duardus *in Bullam Cœnæ lib.* 1. §. 2. *qq.* 12. *&* 13. Pignatell. *to.* 1. *consult.* 291. dicens, in hodie esse certum ob plures declarationes Cardinalium, Sperellus *dec.* 212. *n.* 61. Fagnanus in cap. *Quoniam de Constit. n.* 19. & cap. *dilectus de temp. ordinat. n.* 30. ubi subjungit: *Unde frustra nonnulli ex recentioribus Theologis hunc articulum in controversiam adducunt, cum habeat clarum declarationem S. Congr.* Refert etiam similes declarationes Piasec. *prax. par.* 2. *cap.* 1. *num.* 6.

30. Hanc sententiam *cit. c.* 2. *n.* 59. diximus esse in praxi sequendam, utpote Summorum Pontificum auctoritate declaratam, & Sacræ Congr. decisione confirmatam, non obstante, quod plures asserant, non esse sublatam Episcopis talem facultatem absolvendi ab hæresi, & aliis casibus occultis, ideo posse etiam nunc ab illis absolvere, eo quod in Bulla Cœnæ non sit expressa mentio Concilii Tridentini, ut videbatur necessarium, ut facultas Episcopis concessa dicatur revocata, prout latius diximus *loc. cit.* Possunt tamen Episcopi, tamquam Delegati Apostolici pro foro externo hæreticos pœnitentes, ad fidem redeuntes recipere, Ecclesiæ reconciliare, illisque pœnitentiam injungere, talemque absolutionem prodesse pro foro exteriori, ut cum Farin. & Bossio diximus *l. c.* quæ absolutio etiam pro foro interno juvat, quatenus, sublata per absolutionem Episcopi excommunicatione, quilibet deinde Confessarius a peccato hæresis absolvere potest, ut etiam docet Palaus *de fide tr.* 4. *disp.* 4. *p.* 3. §. 2. *n.* 23.

31. Quam potestatem habeant Prælati Regulares absolvendi suos subditos a censuris & peccatis reservatis, diximus *tr.* 7. *de pœnit. c.* 16. *dub.* 9. & *dub.* 11. diximus etiam quam potestatem habeat absolvendi sæculares ad ipsos accedentes, quæ *ibidem* videri possunt, & non sunt hic repetenda; Bossius *var. moral. to.* 1. *tit.* 4. *per distinctos §. §.* sigillatim explicat omnia impedimenta, ob quæ impeditus adire Pontificem, absolvi potest ab Episcopo a censuris, & casibus Pontifici reservatis, & *tit.* 5. explicat facultatem, quam habet quilibet Confessarius absolvendi Pœnitentes in articulo mortis constitutos, quod a nobis præstitum est *in tr. de pœnit. c.* 3. *dub.* 3. quia tamen nonnulla remanent pro absolutione censuratorum, ideo sit

DUBIUM V.

Quis possit absolvere a Censuris in Articulo Mortis.

32. QUilibet Sacerdos absolvere potest ab omnibus peccatis, & censuris, etiam Papæ reservatis, quoslibet pœnitentes in mortis articulo constitutos, præstita cautione de satisfaciendo, & stando mandatis Ecclesiæ, si convaluerit, ut constat ex Concil. Trident. *sess.* 14. *c.* 7. ibi: *Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* *An vero possit quilibet Sacerdos absolvere, præsente Parocho, aut alio Confessario approbato?* Affirmant plures relati a Bossio *tit.* 5. §. 6. quia Concilium Tridentinum nullas apposuit limitationes de absentia, vel præsentia proprii Parochi, aut Confessarii approbati, sed loquitur absolute; unde nec nos

debe-

debemus limitationem apponere, aut favorem pro eo articulo amplissime Fidelibus præstito restringere, quod quidem, licet satis probabile sit, probabilior tamen, ac tutior est sententia opposita, quam docuimus *loco cit. de Pænit.* & in praxi sequenda est, ne ob defectum praxis, aut sufficientia scientiæ contingat error per simplicem Sacerdotem cum periculo salutis æternæ morituri. Quamplures pro hac sententia Doctores affert Bossius, qui eam in praxi sequendam docet, tamquam magis communem, probabiliorem, ac rationi magis conformem.

33. Dubium est in præsenti: *An in articulo mortis, deficiente Sacerdote, Clericus non Sacerdos absolvere possit, non quidem a peccatis, sed solum a Censuris, idque etiam præstare possit laicus, deficiente Clerico, in quo discrepant Doctores.* Conveniunt omnes, Judicem Ecclesiasticum prima tonsura initiatum, qui jurisdictionem habet in foro externo, posse suos subditos absolvere in mortis articulo a censuris, quia qui potest ligare, potest etiam absolvere, cap. *Inferior dist. 21. & l. Qui condemnare, ff. de re judic.* De aliis autem, qui extra mortis articulum nullam habent facultatem absolvendi a censuris, *an id facere possint in mortis articulo, sive sint Clerici, sive Laici?*

34. Prima sententia docet, Clericum tonsuratum, sed non Sacerdotem, non posse in articulo mortis a censuris absolvere, quamvis nullus præsens sit Sacerdos. Ratio est, quia Clericus tonsuratus non potest absolvere a censuris, nisi ex speciali commissione, aut delegatione; sed in jure nulla habetur talis specialis commissio, nec delegatio pro articulo mortis, sed potius oppositum. Nam Trident. *sess. 14. c. 7.* quamvis in articulo mortis omnem reservationem tollat, & approbationem in Confessariis non exposcat, exprimit tamen Sacerdotes, ibi: *Atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint;* tum quia nulla est necessitas concedendi hanc facultatem Clerico tonsurato, aut etiam Laico; nam constitutus in articulo mortis, absente Sacerdote, absque eo, quod per Clericum, aut Laicum absolvatur ab excommunicatione, potest conteri, & obtinere a Deo veniam suorum peccatorum, & quoad sepulturam, & Missas pro eo dicendas, etiam post mortem potest absolvi, si signa dedit pœnitentiæ. Quin etiam probabile est, excommunicato decedenti sine absolutione, sed cum signis pœnitentiæ, & contritionis, Missas, Orationes, & alia Suffragia Ecclesiæ prodesse ad satisfactionem, ut, pluribus citatis, tenet Bossius *de Jubilæo sect. 4. causa 22. §. 1. nu. 12.* & ita tenent Suarez, Navarr. Avila, Filliucius, quos affert, & sequitur Leander *tr. 2. de excommunic. disp. 17. qu. 6.* ita etiam Bonacina *qu. 3. pun. 3. nu. 1.* Alterius *de censur. lib. 4. disp. 5. cap. 1. vers. superest alia dubitatio,* Duardus *in Bullam Cœnæ lib. 3. §. 2. quæst. 5. numer. 6.* Coninch *disp. 14. dub. 16. nu. 236.* & alii plures.

35. Multo minus hæc facultas absolvendi moribundum a censura convenit Laico, quia ex nullo jure constat, quod Summus Pontifex hanc facultatem absolvendi a censuris concesserit Laicis. Nec id est contra pietatem Ecclesiæ, quia censura ratione sui non impedit gratiam, & animæ salutem, & auferri potest post mortem; & ita tenent Doctores supra allegati, & cum aliis etiam Leand. *qu. 5* Juxta hanc sententiam Judex Ecclesiasticus non Sacerdos, licet absolvere possit in articulo mortis suos subditos, non tamen alienos, in quos alias non habet jurisdictionem. Ita Leander *supra qu. 7.*

36. Quamvis hæc sententia sit communior, & probabilior, non desunt tamen Auctores asserentes, non solum Clericum tonsuratum, sed etiam Laicum posse in articulo mortis, deficiente Sacerdote, vel Clerico tonsurato, privatim, & sine cæremoniis Ecclesiæ absolvere ab excommunicatione. Ratio est, quia Clericus cum sit capax jurisdictionis Ecclesiasticæ absolvendi a censuris, ut supra dictum est, & hæc committi possit etiam Laico, pie credendum, & præsumendum est, piam Matrem Ecclesiam pro tali mortis articulo hanc facultatem illis concessisse, sicut favore animarum concessa est cuilibet Sacerdoti, cum in utroque casu militet eadem ratio, remedium scilicet, & salus animarum, cui hac ratione consulitur, cum sic absolutus fiat statim capax Ecclesiasticæ sepulturæ, & suffragiorum Ecclesiæ; & quamvis id in jure non exprimatur, pie tamen præsumendum est, quod, si pia Mater Ecclesia de hoc fuisset interrogata, id concessisset, ut tradit Glossa communiter recepta, in *l. pactum §. fin. ff. de pactis.*

37. Nec obstat, Tridentinum mentionem fecisse solius Sacerdotis, quia ibi loquebatur de absolutione Sacramentali tunc in tali articulo existenti necessaria, quæ dari non potest, nisi a Sacerdote: non tamen voluit excludere absolutionem censurarum dandam a non Sacerdote, ob deficientiam Sacerdotis, ut statim sepeliri possit in loco sacro, & esse particeps suffragiorum Ecclesiæ, ita quod pro eo liceat orare, & Missas celebrare. Quæ quidem opinio, cum sit valde pia, & probabilis, eam in praxi adhibendam esse docent Sanch. *lib. 2. sum. cap. 13. n. 13.* Palaus *tom. 1. tr. 4. disp. 4. p. 3. §. 5. nu. 14.* Bossius *tit. 5. §. 9. num. 84.* Hanc sententiam sequuntur etiam Armilla, Tabiena, Panormit. Joan. Valerus, Joan. de la Cruz, Joan. Sancius, Bartholom. de Ledesma, Margarita Confessorum, Divus Antoninus, & Haunt relati a Leandro *tr. 2. disp. 17. qu. 5.* sequuntur Diana *par. 4. tr. 4. res. 133.* aliis recentioribus relatis, *& par. 5. tr. 3. res. 77. & tr. 9. res. 7.* Marchinus *de Bello Divino par. 3. cap. 2.*

38. Addit Sanch. *loc. cit.* Laicum in eo casu, absente Sacerdote, & alio Clerico tonsurato, seu non Sacerdote, debere absolvere a dicta excommunicatione, quia hæc opinio, cum sit probabilis ob auctoritatem tot Doctorum, & ob rationem illatam, potest, & debet amplecti in casu tantæ necessitatis, ut statim post mortem possit pro eo Sacrificium Missæ offerri, & corpus tradi sepulturæ in loco sacro, prout cum Sanch. tenet etiam Palaus *dict. §. 5. num. 14.* & Bossius *num. 92.* qui cum Sanchez consulit, quod quoties absolutio non fuit a Sacerdote obtenta, ut post mortem obtineatur ab eo, cui excommunicatio erat reservata, quia si forte opinio tenens, non Sacerdotem posse absolvere, vera non sit, non erit valide absolutus, ut possit fieri particeps suffragiorum Ecclesiæ, ac proinde debent hæredes talem absolutionem procurare. Non esset damnandus Parochus, qui prædictam opinionem satis probabilem sequens, juxta eam sepeliret defunctum, & pro eo Missam publice celebraret, maxime ubi de facili non potest adiri Judex excommunicator, ut ab eo absolutio impetretur, antequam defuncti corpus sepeliatur, ut cum aliis notat Bossius *num. 91.*

DUBIUM VI.

De Absolutione extorta per errorem, vim, & metum; & non satisfacta parte.

39. RESP. 1. Absolutionem censurarum extortam per dolum, & errorem, versantem circa caussam finalem censurarum, non solum esse illicitam, sed etiam invalidam. Quod sit illicita facile patet, quia gravis irrogatur injuria Judici, a quo per dolum, & errorem extorquetur absolutio censurarum, ut bene notat Bonac. *disp. 1. qu. 3. pun. 8. n. 1.* Quod vero sit invalida probatur, quia Judex non intendit absolvere a censura, nisi juxta caussam sibi propositam; si ergo talis caussa non subsistit, invalida est absolutio: & inde invalida est absolutio, si pœnitens dicat, se satisfecisse parti, cum tamen non satisfecerit: se occidisse Clericum in sui defensionem, cum non ita sit; vel, si hæreticus dicat, se ab hæresi recessisse, cum adhuc in ea permaneat, quia nimirum Superior intendit absolvere, si subsistit caussa finalis sibi expressa, ex cap. *Officium de sentent. excommunic.* Secus si error, vel dolus esset tantum circa caussam impulsivam, vel circa aliquod accidentale, quia tunc Judex vere intendit absolvere ob caussam finalem expositam, quam supponimus subsistere, quamvis non subsistit caussa impulsiva. Ita Suar. Sanch. & alii, quos sequitur Bonac. *supra nu. 2.*

40. Resp. 2. Absolutionem excommunicationis, & censurarum extortam per vim, & metum injuriosum, cadentem in virum constantem, esse nullam, & invalidam, non quidem ex natura rei, sed jure positivo. Cap. *Unico de his, quæ vi, metusve caussa, in 6.* ubi Pontifex ait: *Absolutionis beneficium, ab excommunicationis sententia, vel quomodocumque revocationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti, per vim, vel metum extorta, præsentis Constitutionis auctoritate omnino viribus vacamus.* Immo qui talem absolutionem per metum gravem extorsit, incurrit novam excommunicationem, in eodem cap. *Unico de his, quæ vi, metusve,* ubi Pontifex Gregorius X. ait: *Ne autem sine vindicta violentia crescat audacia: eos, qui absolutionem, seu revocationem hujusmodi vi, vel metu extorserint, excommunicationis sententiæ decernimus subjacere;* idque tenent Doctores communiter.

41. Debet autem metus esse gravis, cadens in constantem virum, quia metus levis in jure non consideratur, nec dicitur simpliciter metus: debet esse injuriosus, & injuste illatus; nam si juste sit illatus, non reddit absolutionem nullam, & irritam: inde si Judex absolvat timens fore, ut pœnitens in posterum sibi non conferat solita beneficia, talis absolutio est valida, nam talis metus non est injuriosus. Similiter valida est absolutio per metum gravem obtenta a Judice injuste recusante absolvere illum, qui solum fuit excommunicatus, quia parti non satisfecit, quando jam integram dedit satisfactionem, quia injuste Judex absolutionem negabat, & sic

metus

metus illi illatus dici non potest injustus, ut cum aliis notat Anton. a Spiritu S. *disp. 1. nu. 195.*

42. Caute tamen in hac materia agendum est; nam ad solum Judicem Ecclesiasticum spectat judicare de censurarum justitia, vel injustitia, valore, aut nullitate, non autem ad Laicum: cum sint pœnæ spirituales, & Ecclesiasticæ, ad Judicem Ecclesiasticum spectantes, & ipso facto excommunicantur Judices sæculares, qui censuram ab Ecclesiasticis Ordinariis latam cognoscere, examinare, judicare, nullam declarare, & publicare præsumant (nisi nullitas sit prorsus manifesta, & notoria) ut limitat Layman *lib. 1. tr. 5. par. 1. c. 6. n. 2.* Nec excusantur, si id faciant *sub prætextu violentiæ prohibendæ, aut aliarum prætensionum, aut etiam donec ipsi ad nos* (id est Sedem Apostolicam) *informandos, ut dicant, supplicaverint, aut supplicari fecerint*, ut in terminis habetur in Bulla Cœnæ § 15.

43. Resp. 3. Nullus, neque in foro interno, neque externo, absolvi debet ab excommunicatione, vel alia censura, nisi prius satisfecerit parti læsæ ob damnum, vel injuriam, ratione cujus fuit excommunicatus, cap. *Solet 2. de excommunic. in 6.* vel cum ea transactum, vel, si hoc statim fieri nequit, sufficiens cautio pignoratitiis, vel fidejussoria præstetur: & si titulo paupertatis, aut alio titulo hoc fieri nequeat, id saltem præstet per juramentum, juxta ea, quæ diximus *in tract. de Pœnitent. cap. 21. dub. 6.* Layman *lib. 1. tr. 5. par. 2. c. 7. n. 8.* Abbas in cap. *Quæ fronte 25. de appellat.* Sylvest. *verb. Absolutio 3. num. 3.*

44. Quando igitur excommunicatus est omnino impotens ad satisfaciendum, licite absolvi potest, præstita solum cautione pignoratitia, aut fidejussoria; vel, si nihil horum possit, præstito juramento, quod statim ac poterit, satisfaciet, quo posito, licite absolvi potest in utroque foro, etiam invita parte. Si vero satisfactio sit possibilis, valide quidem, sed illicite dari potest absolutio ab illo, qui ordinariam habet potestatem, non præmissa reali satisfactione. Ratio est, quia talis absolutio data, non præmissa reali satisfactione, nullo jure irritatur. Peccaret tamen mortaliter sic absolvens, quia pœnitens, obtenta absolutione a censura, parti læsæ satisfacere non curabit, & tenetur ex proprio parti læsæ satisfacere, si pœnitens ipse non satisfaciat, quia ex officio, & ex justitia tenetur bono partis consulere, nisi de consensu illius talem absolutionem conferat. Navar. *cap. 27. n. 37.* Sylvester *verb. Absolutio 3. nu. 3.* Avila *2. par. cap. 7. disp. 3. dub. 5.* Bonacina *qu. 3. punct. 9. nu. 1.* Coninch *disp. 14. dub. 16. n. 205. & nu. 209.* & alios referens Andreas a Matre Dei *cap. 1. n. 22.*

45. Idem dicendum est de illo, cui facultas absolvendi libere concessa est absque ulla restrictione, vel limitatione, quia, cum talis potestas non sit limitata, ex hac parte æquivalet ordinariæ; unde valida est, sed illicita absolutio ab illo data, non præmissa satisfactione. Quod si concessio facultatis facta sit cum clausula irritante, & limitante, *ut non valeat absolutio*, seu *irrita sit*, si non præcedat satisfactio, tunc invalida, & nulla est absolutio data, non præmissa satisfactione. Quod si facultas concessa sit sub illis verbis: *Concedo tibi facultatem absolvendi, satisfacta parte*, nonnulli putant, irritam esse absolutionem datam, non satisfacta parte, quia illa particula, *satisfacta parte*, habet vim conditionis, & formæ essentialis, ut proinde, illa non servata, seu satisfactione non præmissa, quando est possibilis, & commode haberi potest, irrita sit absolutio. Ita Suar. *disp. 7. sect. 5. n. 41.* Henriq. *lib. 7. c. 13. n. 2.* & veriorem dicit Coninch *disp. 14. n. 211.*

46. Alii tamen probabilius asserunt, validam esse talem absolutionem, quamvis non præcesserit satisfactio. Ratio est, quia, quando alicui delegatur potestas, cum aliqua conditione, quæ de jure communi inest, per talem conditionem non restringitur data potestas, sed delegatus tantum admonetur de obligatione, quam habet de jure communi; sed talis conditio jure communi annexa est cuilibet potestati absolvendi; ergo quando exprimitur in delegatione potestatis, hanc non restringit; ea ratione, qua, quando procuratori conceditur facultas nomine alterius contrahendi matrimonium, præmissis publicationibus, valide, sed illicite contrahit procurator, si publicationes omittat, ut diximus *tr. 10. de matrim. cap. 3. dub. 7. n. 49.* Vide quæ fusius diximus *in tr. de Pœnit. cap. 21. de Jubilæo dub. 8. num. 57.* Ita Sanch. Valerus, Laym. Avila, Bonac. a nobis relati *loc. cit.* ita etiam Diana *par. 5. tr. 9. ref. 212.* & alios referens Andreas a Matre Dei *nu. 26.*

DUBIUM VII.

De forma servanda in Absolutione a Censuris.

47. Certum est, absolutionem a censuris dandam esse per signum aliquod sensibile sufficienter exprimens liberationem a censuris, quia dari debet humano modo, & sensibili, id est per externa signa, siquidem homo non intuetur cor, neque per solam voluntatem mente retentam constare potest pœnitentem esse absolutum, ad hoc ut cum aliis communicare possit, & Sacris interesse; non tamen essentialiter requiruntur verba, cum de facto hæc absolutio dari possit absenti per scripturam, sed sufficiunt quæcumque signa exteriora, quibus sufficienter significatur absolutio. De facto tamen solus Pontifex absolvere potest a censuris solis nutibus, & signis, cum ipse non teneatur sequi formam Juris communis; Episcopi tamen, & alii Prælati inferiores absolvere non possunt solis signis, & nutibus, sed necessario id præstare debent verbis ore prolatis, aut scriptis, quia variare non possunt formam a jure præscriptam: in jure autem statutum est, absolutionem a censuris esse dandam per verba, vel per scripturam, cap. *Cum desideres*, & cap. *Si aliquando de sentent. excommun.* & docet Gloss. in *Clem. ult. verb.* velle, *de sentent. excommun.* ita Sanch. *de matrim. lib. 8. disp. 4. num. 24.* Suar. *disp. 7. sect. 9. n. 13. & 14.* Bonac. *q. 3. pun. 5. n. 5. & 6.* Diana *par. 5. tr. 9. ref. 35.* aliique communiter contra Salas *de legib. disp. 20. sect. 9. n. 85.*

48. Nulla tamen necessario requiritur certa, & determinata verborum forma, sed sufficiunt quæcumque verba talem absolutionem exprimentia, & pro foro conscientiæ sufficiunt illa verba *Absolvo te*. Quare si Confessarius illis verbis intendat pœnitentem absolvere a censuris, & peccatis, id ad utrumque sufficit; ut diximus *in tract. de pœnit. cap. 3. dub. 3. num. 18.* quia licet utraque absolutio sit simul tempore; absolutio tamen censurarum est prior natura, quod sufficit ad valorem utriusque. Sic Bonacina *qu. 3. punct. 5. num. 3.* Suarez *disp. 7. sect. 2. numer. 37.* Antonius a Spiritu Sancto *disp. 1. num. 243.* peccaret tamen Sacerdos venialiter, si extra casum necessitatis alia forma uteretur, quia vellet recedere a communi usu Ecclesiæ, ut cum aliis diximus *loco cit. de pœnit.*

49. Nec item requiritur ad valorem absolutionis, quod exprimatur caussa, ob quam censura contracta est, nisi quando ligatus pluribus censuris absolvitur ab una, & non ab alia, non quia hoc necessarium sit ad formam absolutionis, sed ut sciatur a qua, seu a quibus censuris Superior absolvere intendit: posse autem censuratum absolvi ab una, & non ab alia, ex eo constat, quod censuræ non tolluntur per formam aliquam omnibus repugnantem, sicut quodlibet peccatum mortale tollitur per gratiam, quæ cum nullo peccato mortali ex lege ordinaria cohærere potest, ut proinde unum peccatum non dimittatur sine altero, bene tamen una censura tolli potest sine altera, quamvis omnes sint ejusdem rationis, puta plures excommunicationes ob Clerici percussionem incursæ, ut cum D. Thoma, Ugolino, Syro, Suarez, Vasq. & aliis tenet Bonac. *pun. 6. n. 1.*

50. Inde si pluribus censuris irretitus absolvi petat ab una, non remanet ab aliis absolutus, quamvis Superior generatim absolvere intendat, quia credibile est, intentionem absolventis limitari juxta petitionem absolvendi; quod verum est, quamvis petens absolutionem ab una, quam manifestat, ab omnibus vellet absolvi, quia verba absolutionis, etsi indefinita, non debent extendi juxta intentionem petentis, cum sit ignota, sed juxta verba petitionis; quod multo magis verum est, si dolose se gerat, unam manifestando, & alias dolose celando, cap. *Cum pro caussa*, cap. *officii de sentent. excommun.* quia non debet censuratus ex dolo, & fraude commodum reportare. Covarr. cap. *Alma mater 1. p. §. 11. nu. 13.* Henriq. *lib. 13. c. 3. n. 2.* Palaus *disp. 1. pun. 11. §. 3. n. 2.* Candid. *disq. 22. art. 52. dub. 4. concl. 8. & 9.*

51. Hoc quidem maxime procedit pro foro externo; nam in Sacramento pœnitentiæ, si aliqua censura non dolose, sed ex oblivione, aliave caussa inculpabiliter omittatur, per absolutionem generalem, quæ solet præmitti ante absolutionem a peccatis a Confessario habente potestatem; *Absolvo te ab omnibus censuris*, seu *ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti in quantum possum, & tu indiges*, pœnitens ab omnibus remanet absolutus, quia Confessarius ab omnibus absolvere intendit, etiam a reservatis, si Confessarius habeat facultatem, nec tenetur amplius quærere absolutionem, si postea alicujus recordetur; &, si postea recordetur peccati habentis annexam censuram, tenetur tantummodo confiteri peccatum oblitum, cui erat annexa censura. Coninch *de pœnit. disp. 8. dub. 12. nu. 97.* San-

chez

chez in *sum. lib.* 2, *c.* 1. *n.* 9. Bonac. *q.* 3. *pun.* 6. *n.* 3. aliique communiter. Quod si censura, vel peccatum erat reservatum, per illam generalem absolutionem datam ab habente facultatem tollitur reservatio censuræ, vel peccati obliti, ut possit deinde absolvi directe a quolibet Confessario, etiam non habente facultatem absolvendi a reservatis. Bonac. *nu.* 5.

52. Absolutio a censura non petit necessario localem præsentiam censurati, sed valide conferri potest absenti, quia sicut absens censuris ligari potest, sic ab illis absolvi potest, cum favores sint ampliandi. Hac ratione Confessarius si aliquem absolvit a peccatis habentibus annexam excommunicationem reservatam, a qua ipse non poterat absolvere, poterit obtinere facultatem absolvendi, eaque obtenta, absentem absolvere ab excommunicatione, ut cum Navarr. *c.* 26. *n.* 18. Avila 2. *par. c.* 7. *disp.* 2. *dub.* 11. Sanchez, & aliis tenet Bonacina *qu.* 3. *pun.* 4. *num.* 4. Henriq. *lib.* 13. *c.* 29. *nu.* 1. Diana *par.* 4. *tr.* 3. *res.* 103. Non est tamen danda absolutio absenti, nisi quando aliter fieri non potest, sed semper curandum est, ut censuratus accedat ad locum absolutionis, vel danda facultas alicui, qui præsens illum absolvat: si rationabilis urgeret necessitas, posset non solum valide, sed etiam licite concedi absenti per literas, ut cum Filliuc. Trull. Sayro, & aliis tenet Leander *disp.* 17. *qu.* 101.

53. Potest etiam conferri nescienti, & non petenti, immo etiam invito, & renitenti, si cessavit contumacia, ob quam fuit censura ligatus, quia censura non est culpa, sed pœna, quæ, sicut imponi potest absque voluntate censurati, sic tolli potest absque illa, quantum est ex parte censuræ, & respectu habentis facultatem ordinariam; secus respectu habentis facultatem delegatam, & limitatam. Diana *par.* 5. *tr.* 9. *res.* 10. Bonac. *q.* 3. *pun.* 4. *num.* 3. Coninch *disp.* 14. *dub.* 16. *numer.* 124. Trullench in *Bullam lib.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 18. *num.* 9. & alios referens Leander *disp.* 17. *qu.* 103. Unde qui potestatem habet ordinariam, aut privilegium absolute concessum, potest absolvere invitum, quia nullam habet dependentiam a voluntate absolvendi: hoc modo potest etiam absolvere Religiosus virtute privilegii suæ Religioni concessi. Ita cum Suar. Filliuc. & aliis Leand. *q.* 105. secus si privilegium sit factum in favorem pœnitentis, prout conceditur per Bullam Cruciatæ, vel Jubilæum, per quod conceditur pœnitenti facultas eligendi sibi Confessarium, a quo absolvatur; tunc enim censuratus absolvi non potest invitus, cum ipse debeat eligere sibi Confessarium, & quia usus privilegii pendet a voluntate privilegiati, qui, si nolit eo uti, Confessarius non habet facultatem absolvendi. Diana, Trullench *loco cit.* Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 1. *n.* 238.

54. Aliquando etiam licite absolvi potest invitus, non sublata contumacia, si id magis expediat bono publico, & saluti animarum, quatenus censura potius detrimentum afferat, quam utilitatem, & via suaviori potest obtineri obedientia, si non adsit contemptus censuræ, nec scandalum, nec præjudicium Tertii; nam tunc esset actus contra justitiam, idque indicavit D. Th. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *quæstiunc.* 2. *ad* 2. dicens, etiam manente contumacia, posse aliquem discrete excommunicationem juste latam remittere, si videat saluti illius expedire, in cujus medicinam excommunicatio lata est. Ita etiam Diana *supra res.* 10. Filliuc. *tr.* 11. *c.* 10. *q.* 6. *n.* 316. Leander *q.* 106. Antonius a Spiritu Sancto *n.* 239.

55. Nonnullæ deinde requiruntur sollemnitates in absolutione censurarum, non quidem ad valorem, sed ad melius esse. Primo enim requiritur, ut absolvendus humiliter petat absolvi, & tali petitione declaret, se esse paratum ad parendum, & a contumacia recedendum, ex cap. *Per tuas de sentent. excomm.* ibi: *Nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sententiam Ecclesiasticam contemnere videatur*; aliquando tamen, justa interveniente caussa, potest non petenti absolutio concedi, ut supra dictum est. Ita Suarez *disp.* 7. *sect.* 10. *num.* 1. Alterius *lib.* 4. *disp.* 7. *c.* 2. Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 1. *n.* 244.

56. Secundo requiritur, quod absolvendus prius præstet juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, seu de non committendo amplius tale delictum, ob quod fuit censura ligatus, Cap. *ex tenore* cap. *de cetero*, & cap. *si desideres de sentent. excomm.* quod juramentum non est præstandum ob quodcumque crimen, sed solum ob majora crimina, & enormia facinora, nimirum ob gravem Clerici percussionem, ob scandalosam violationem Ecclesiæ, ab Usurario publico, ab incendiario, a percussore Episcopi, vel Cardinalis, quando offensa fuit notoria, non vero ob alia crimina, quæ non sunt ita gravia, & scandalosa, & hoc tam in foro exteriori, quam pœnitentiali. Suar. *disp.* 19. *sect.* 2. *n.* 10. Kon. *disp.* 14. *dub.* 16. *n.* 204. Palaus *disp.* 1. *pun.* 11. §. 3. *n.* 4. Hurtado *disp.* 14. *diff.* 4. *de excommunic.* Diana *par.* 5. *tr.* 9. *res.* 23.

57. Tertio requiritur, quod absolvendus prius satisfaciat parti læsæ, si fuit cum damno alterius censura incursa, exhibendo realem satisfactionem, si commode potest, & offensa, aut injuria est manifesta, aut debitam cautionem de ea præstanda, quando offensa est dubia, ut diximus *dub. præcedent.* colligitur cap. *ex parte* 1. *de verb. signif.* & tenent Auctores communiter.

58. Cæremoniæ servandæ in absolutione censurarum, & excommunicationis præscribuntur in cap. *a nobis* 28. *de Sentent. excomman.* & habentur in Pontificali, & Rituali Romano, ut est verberatio cum virga, facta ab absolvente, recitando Psalmum *Miserere*, vel alium ex Pœnitentialibus cum orationibus in Rituali præscriptis. Hæc verberatio non debet necessario fieri scapulis nudis, & in feminis ob decentiam omittitur: has cæremonias omittere etiam in foro externo, secluso contemptu, & scandalo, non esset mortale, sed ad summum veniale, ut docet Palaus *disp.* 1. *pun.* 11. §. 3. *n.* 4. & apud ipsum Hurtad. *disp.* 14. *de excommun. diff.* 3. Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 1. *n.* 244. ubi advertit, Regulares habere privilegium absolvendi a censuris sine his sollemnitatibus: ita concessit Minoribus Leo X. ita ille cum Bassæo.

CAPUT III.

De Excommunicatione.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex sit excommunicatio.

EXcommunicatio, secundum nominis etymologiam, idem est, ac extra communionem separatio, eo quod homo per excommunicationem separatur a communione fidelium, & a participatione Sacramentorum, & Eucharistiæ, quæ per antonomasiam dicitur *Communio*, seu *Synaxis*. Alio nomine dicitur *Anathema*, idest execratio, maledictio, & separatio ab aliis; unde *Anathema* non differt ab excommunicatione, nisi ratione cujusdam majoris sollemnitatis, cum qua ferri consuevit; nam excommunicatio quandoque incurritur ipso jure, quandoque profertur per sententiam Judicis in scriptis comprehensam; *Anathema* vero infligitur cum aliis cæremoniis ad terrorem ceterorum præscriptis; siquidem Episcopum ferentem Anathema circumstant duodecim Sacerdotes cum candelis accensis quas post latam Anathematis sententiam, in terram projiciunt, & pedibus conculcant, cui sollemnitati aliæ quoque maledictiones, & execrationes verbales addi solent, ut notat Bonac. *disp.* 2. *qu.* 1. *pun.* 1. *n.* 1.

2. Resp. Excommunicatio sic recte definitur: *est censura Ecclesiastica privans hominem baptizatum bonis fidelium communibus.* Hæc autem bona communia sunt tria, videlicet: primo, Sacramentorum participatio: secundo, orationes, & suffragia Ecclesiæ, id est orationes, quæ fiunt nomine Ecclesiæ, Sacrificia, & Indulgentiæ: tertio, exterior conversatio, & communicatio cum aliis fidelibus. Non privat omnibus bonis spiritualibus, nempe gratia, fide, spe, & caritate, aliisque virtutibus, quæ infunduntur in anima, sed tantum illis tribus, quia hæc tria directe subjacent potestati Ecclesiæ; & inde majoris claritatis caussa ab aliquibus sic definitur: *Censura Ecclesiastica, qua homo Baptizatus privatur participatione Sacramentorum, communibus Ecclesiæ Suffragiis, & fidelium Consortio.* Quæ quidem definitio per se convenit excommunicationi majori, quæ per se privat illis bonis; si enim præscindas a majori, & minori, definiri potest: *Censura, qua homo Baptizatus ab aliqua Communione Ecclesiastica separatur*; sola enim excommunicatio major privat omni communione Ecclesiastica, tam Sacra, quam Civili, seu humana, prout pendet a potestate, & voluntate Ecclesiæ.

3. Excommunicatio convenit cum Suspensione, & Interdicto in ratione generica censuræ, & pœnæ medicinalis; differt autem, quia suspensio, & interdictum privant hominem exercitio activo, aut passivo Divinorum officiorum, non autem exteriori conversatione. Solus homo baptizatus est subjectum capax excommunicationis, quia per baptismum homo fit subditus Ecclesiæ, & sub ejus jurisdictione, ac proinde capax excommunicationis, quæ est pœna Ecclesiastica proveniens a Judice Ecclesiastico; infidelis autem nondum baptizatus non est subjectum excommunicationis, cum non sit subditus Ecclesiæ.

4. Excommunicatio adæquate dividitur in majorem, & minorem, juxta Textum in cap. *Si quem de sent. excom.* & cap. 1. *de exceptionib. in* 6. juncta Gloss. ibi: *verb.*

speciem. Excommunicatio major est, quæ privat bonis communibus Ecclesiæ, tam active, quam passive, id est activa, & passiva Sacramentorum receptione, Suffragiis Ecclesiæ, & Communione fidelium. Excommunicatio minor, sic dicta comparatione majoris, privat tantum passiva receptione Sacramentorum, & passiva electione ad Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica. Major contrahitur semper ob peccatum mortale, cum sit pœna gravissima cap. *Nemo Episcoporum* cap. *Nullus Sacerdotum* 11. *qu.* 3. Concil. Trident. *sess.* 25. *c.* 3. *de reform.* quod peccatum debet esse externum cum contumacia, ut diximus supra *num.* 57. quia Ecclesia non judicat de internis; minor vero sæpe contrahitur ob peccatum veniale. Ita Palaus *pun.* 11. *n.* 1.

5. Excommunicatio absolute prolata, sive sit a jure, sive ab homine semper intelligitur de majori, ut expresse definivit Greg. IX. in cap. *Si quem de sentent. excomm.* ibi; *Si quem sub hac forma verborum, illum excommunico, vel alia simili, a Judice suo excommunicari contingat, dicendum est, eum non tantum minori, quæ a perceptione Sacramentorum, sed etiam majori excommunicatione, quæ a communione fidelium separat, esse ligatum.* Covarr. in cap. *Alma Mater* 1. *p.* §. 8. *n.* 5. Suarez *disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 9. & *disp.* 8. *sect.* 3. *n.* 3. Sayrus *lib.* 1. *c.* 4. *num.* 19. Coninch *disp.* 14. *dub.* 1. *c.* 2. *num.* 2. Palaus *pun.* 1. *num.* 3.

6. Deinde dividitur Excommunicatio major in eam, quæ est a jure, & eam, quæ est ab homine: a jure est illa, quæ continetur in jure Canonico, & habet rationem legis, atque adeo obligat perpetuo, & permanenter, qualis est obligatio lata a Concilio, vel sacris Canonibus, in Bulla Cœnæ Domini, & aliis; ab homine est illa, quæ a Superiore lata est per modum præcepti, & transeunter pro aliqua actione particulari, ut fiat, vel non fiat, & durat solum dum ipse vivit, vel in officio perseverat, & sic cessat per mortem illam ferentis, vel per remotionem ab officio, si adhuc non sit incursa; si enim sit incursa indiget absolutione, per quam solum deletur, ut diximus *cap. præced. dub.* 1. Excommunicatio adhuc est duplex, generalis, & specialis: generalis est, quæ fertur a Superiore contra plures delinquentes alicujus speciei, ut si Superior excommunicationem ferat contra omnes, qui talia furati sunt, aut retinent, ut restituant. Specialis est, quæ fertur a Superiore contra aliquam determinatam personam, puta contra Titium, ut restituat. Palaus *pun.* 2. *n.* 4.

7. Insuper excommunicatio major, alia est latæ sententiæ, quæ, commisso delicto, statim incurritur absque ullius sententiæ expectatione, alia ferendæ, seu comminatoriæ, quæ statim, commisso delicto, non incurritur, sed requiritur sententia Judicis illam imponentis. Alia deinde est excommunicatio justa, alia injusta; alia valida, alia invalida; alia reservata, alia non reservata, pro quibus videri potest Leander *tract.* 9. *disput.* 1. *quæst.* 9.

8. Effectus majoris excommunicationis septem præcipue numerantur: Primo, est privatio communionis, tam activæ, quam passivæ Sacramentorum. Secundo, est privatio communium suffragiorum Ecclesiæ. Tertio, est privatio rerum Sacrarum, & Divinarum, ut non possit interesse Divinis Officiis. Quarto, est privatio beneficiorum, & eorum fructuum. Quinto, est privatio usus jurisdictionis Ecclesiasticæ. Sexto, est inhabilitas ad exercendos actus legitimos in judicio. Septimo, est privatio externæ communicationis politicæ, & civilis fidelium per modum commercii, societatis, & conversationis. Alii magis remoti sunt irregularitas, & quod, si quis insordescat in excommunicatione per annum, sit suspectus de hæresi, & contra eum possit ab Inquisitoribus procedi ex Trid. *sess.* 25. *c.* 3. qui omnes singillatim explicandi sunt.

DUBIUM II.

De primo effectu Majoris Excommunicationis, qui est privatio activa, & passiva Sacramentorum.

9. PRimus igitur effectus Majoris Excommunicationis est privare hominem tam activa, quam passiva Sacramentorum participatione, adeo ut peccet mortaliter excommunicatus, si Sacramentum aliquod recipiat, vel administret, etiamsi occulta sit excommunicatio, nec sit vitandus, quamvis per contritionem perfectam apud Deum esset in gratia constitutus, quia ageret contra præceptum Ecclesiæ, & expressam illius prohibitionem in re gravi. Arg. cap. *Cum illorum* 32. *de sentent. excommunicationis*, & cap. *fin. de Clerico excommunic. ministrante*, & irregularitatem incurrit non recipiendo, sed ministrando, cap. *Licet*, & cap. *fin. de Clerico excommunic. ministrante*, & cap. *Is cui, de sentent. excommunic. in* 6. Recipiendo Sacramenta non incurrit aliquam pœnam, nisi recipiat Sacramentum Ordinis, in quo casu remanet suspensus ab exercitio Ordinis sic suscepti, ex cap. *Cum illorum de sentent. excommunic.* Et ita tenent Doctores communiter, Suar. *disp.* 10. *sect.* 1. Alterius *lib.* 2. *disp.* 6. *c.* 3. Coninch *disp.* 14. *dub.* 5. Bonacina *disp.* 2. *q.* 2. *pun.* 2. Filliuc. *tr.* 12. *c.* 3. Hurtad. *disp.* 4. *de excommunic.* qui omnes asserunt, hoc peccatum ad speciem sacrilegii pertinere.

10. Quamvis graviter peccet excommunicatus recipiendo Sacramenta, illa tamen sic recepta sunt valida, si excipias Sacramentum Pœnitentiæ. Ratio est, quia ad valorem Sacramenti requiritur, & sufficit debita materia, & forma cum intentione Ministri, & Recipientis; sed hæc omnia reperiri possunt in Sacramentis collatis excommunicato; ergo tunc sunt valida, quamvis ab excommunicato sponte, & mala fide recipiantur, quia mala fides facit illicitam, non invalidam receptionem Sacramenti, si adsit debita materia, & forma cum intentione ministri, & recipientis. Ita Navarr. *c.* 27. *n.* 76. Covarr. *in cap. Alma mater par.* 1. §. 6. *num.* 5. Suarez *disp.* 10. *sect.* 3. *n.* 1. Henriq. *lib.* 13. *c.* 10. *nu.* 1. Anton. a Spiritu Sancto *disp.* 2. *n.* 252.

11. Excipi debet Sacramentum Pœnitentiæ, quod habet pro materia dispositionem pœnitentis, scilicet dolorem, & contritionem, quæ stare non potest cum voluntate sponte, & absque ulla necessitate recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, non obtenta prius absolutione ab excommunicatione, nisi necessitas, aut ignorantia excuset: quod maxime verum est in sententia communiori negante, dari posse Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe defectu doloris, ut diximus *in tr. de Pœnit. c.* 4. *dub.* 7. Si enim dari posset Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, quamvis recipiatur cum ignorantia vincibili, & mortaliter peccaminosa, ut nonnulli asserunt, ita pariter sustineri poterit validum, & informe, si recipiatur ab excommunicato cum ignorantia vincibili, & mortaliter peccaminosa excommunicationis, vel præcepti non accedendi ad tale Sacramentum cum excommunicatione, ut cum Navarro, Ricardo, & aliis tenet Ant. a Spiritu S. *disp.* 2. *n.* 275. contra Suarium, Sayrum, Coninch, Bonac. & alios.

12. Dixi, *nisi necessitas, aut ignorantia excuset*; nam si excommunicatus invincibiliter ignoret, aut non advertat, se esse excommunicatum, aut habeat ignorantiam præcepti, & juris prohibentis, non peccat, si Sacramenta recipiat; nec item, si non habeat copiam Confessarii, a quo possit absolvi ab excommunicatione, & urgeat necessitas recipiendi Sacramentum ad vitandam gravem infamiam, vel scandalum, vel mortis periculum, etiam extrinsecus illatum, vel etiam ob imminentem mortis articulum, vel alia similis urgeat caussa, quo casu, si non potest prius obtinere absolutionem ab excommunicatione, præmittere debet perfectam contritionem, per quam emendetur a peccato. Ratio est, quia lex Ecclesiastica privans excommunicatum participatione Sacramentorum, non obligat, tali urgente necessitate. Suarez *disp.* 16. *sect.* 1. *nu.* 4. Filliuc. *tr.* 11. *c.* 3. *qu.* 2. *n.* 56. Hurtad. *disp.* 4. *de excommun. diff.* 1. Palaus *pun.* 7. *disp.* 2. *num.* 2. & alios referens Diana *par.* 5. *tract.* 9. *resolut.* 81.

13. Sacerdos scienter administrans Sacramenta excommunicato, etiam occulto, extra casum prædictæ necessitatis peccat mortaliter contra jus naturale, & divinum, & contra reverentiam debitam Sacramento, quia illud confert indigno petenti; siquidem excommunicatus, etiam occultus, indigne petit contra prohibitionem Ecclesiæ, & sic etiam peccat Minister ministrando indigne petenti, non tamen peccat contra aliquam prohibitionem Ecclesiæ, nec incurrit aliquam pœnam, ut docet Suar. *disp.* 10. *sect.* 2. *n.* 10. Alterius *lib.* 1. *disp.* 6. *c.* 4. *vers. Si vero quæratur*, Bonac. *disp.* 2. *q.* 2. *pun.* 2. §. 2. Urgente autem necessitate, excusatur a peccato, quia tunc excommunicatus licite petit: sicut etiam excusatur a peccato, si Sacramentum administret excommunicato occulto publice petenti, quando sine infamia non potest denegare, quia plus obligat præceptum non infamandi proximum, quam administrandi Sacramentum, puta Eucharistiam indigno, ut diximus suo loco de Sacramentis, & tenent communiter Doctores.

14. Si autem excommunicatus sit vitandus, & non toleratus ab Ecclesia, peccat mortaliter Sacerdos contra prohibitionem Ecclesiæ illi Sacramentum administrando, & incurrit minorem excommunicationem, quatenus communicat in Sacris cum excommunicato vitando, & interdicto ab ingressu Ecclesiæ, ex cap. *Episc. de privil. in* 6. Immo si quis sit excommunicatus a Papa, & nominatim declaratus, ac denuntiatus, Clericus eum scienter, & sponte admittens ad Divina Officia, incurrit excommunicationem Papæ reservatam in cap. *Significavit de sentent. excommun.* Suarez *disp.* 10. *sect.* 2. *n.* 9. Palaus *disp.* 2. *pun.* 7. *num.* 7. Diana *par.* 5. *tr.* 9. *resol.* 82. Leander *disp.* 4. *qu.* 18.

15. Quod

15. Quod attinet ad Sacramentorum administrationem prohibitam excommunicatis vitandis, peccat mortaliter, & committit sacrilegium, si absque gravi necessitate Sacramentum aliquod conficit, aut administrat, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi. Cap. *Si celebrat*, & cap. *Latores*, *de Cleric. excommunic. ministr.* Excusatur tamen si id faciat ex ignorantia invincibili, aut naturali oblivione, seu inadvertentia excommunicationis, ut constat ex cap. *Apostolicæ de Clerico excommunic. ministrante*, ubi Gregorius IX. ait: *Verum, quia tempore suspensionis ignari celebrastis Divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos.* Suar. *disp.* 11. *de censuris sect.* 1. Alterius *lib.* 1. *disp.* 2. *c.* 7. Coninch *disp.* 14. *de excommunic. dub.* 5. *a n.* 34. Diana *par.* 5. *tr.* 9. *res.* 81. Excusatur etiam a peccato, si Sacramentum administrat ob vitandum periculum mortis, mutilationis, infamiæ, gravia jacturæ bonorum temporalium, quia non præsumitur Ecclesiam, quæ est pia mater, velle suis legibus obligare cum tanto dispendio, nisi forte in contemptum censuræ comminatæ fiat, quia tunc nullo periculo honestari potest actio, utpote intrinsece mala, ut bene docet Palaus *disp.* 2. *pun.* 8. *n.* 4.

16. Sacramenta ministrata ab excommunicato vitando sunt valida, & suum sortiuntur effectum, si concurrant omnia necessaria ad substantiam Sacramentorum, quia valor Sacramentorum non dependet a fide, & sanctitate Ministri, ut constat ex Trident. *sess.* 7. *can.* 12. *de Sacrament. in gen.* & *de Baptismo can.* 4. *&* 11. Excipi debet Sacramentum Pœnitentiæ, ad quod requiritur jurisdictio, quam non habet excommunicatus vitandus, licite tamen potest illud administrare in gravi necessitate pœnitentis, qui reperitur in articulo mortis, nec habet alium, a quo absolvatur; nam pia Mater Ecclesia, ne aliquis in æternum pereat, facultatem concedit omnibus Sacerdotibus potestatem absolvendi ab omnibus peccatis, & censuris, etiam reservatis, pro illo mortis articulo, ut habetur ex Trid. *sess.* 14. *c.* 7. & cum Suarez, Avila, & Bonacina, notavit Palaus *nu.* 2.

17. In eadem necessitate, seu periculo mortis, deficiente alio Sacerdote, non solum potest, sed etiam debet excommunicatus vitandus ministrare Sacramentum Baptismi existenti in tali necessitate, cum sine Baptismo non possit haberi salus, & colligitur ex Conc. Trid. in Decreto de Armenia, ibi: *In casu necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus, vel Mulier, immo etiam Paganus, & Hæreticus baptizare potest, modo Ecclesiæ formam servet, & facere intendat, quod illa facit*, ut diximus *in tr. de Baptismo cap.* 3. *n.* 1. Dixi, *deficiente alio Sacerdote*, quia si existat Laicus non excommunicatus, licet aliqui afferant, hunc esse præferendum Sacerdoti excommunicato, probabilior tamen sententia tenet, Sacerdotem excommunicatum præferendum esse Laico non excommunicato, quia nimirum, urgente casu necessitatis, cessat suspensio, & conceditur omnibus, sive excommunicatis, sive non, facultas baptizandi. Si ergo in eo casu licite potest Sacerdos baptizare, est sine dubio præferendus Laico, quia ex vi suæ Ordinationis sibi competit munus baptizandi, quod non competit Laico, ut cum Leandro, Ugolin. & aliis diximus *cit. loco de Baptis. num.* 6. debet tamen in eo casu Baptismum conferre sine sollemnitate, quia hoc sufficit ad succurrendum proximo, alias peccarent mortaliter.

18. Hoc idem dicendum est de Eucharistia, quæ licite potest ab excommunicato præberi infirmo in periculo mortis per modum Viatici, quando non adest alius Sacerdos, a quo illam possit infirmus recipere, quamvis antecedenter receperit Confessionem, quia, licet Eucharistia non sit Sacramentum necessitatis, est tamen necessarium ex præcepto Divino, quod fortius obligat, quam præceptum Ecclesiasticum, ut cum Suario, & Palao docet Anton. a Spiritu Sancto *disp.* 2. *n.* 385. & cum aliis Diana *par.* 5. *tr.* 9. *res.* 83. Hoc tamen non est ita certum, quando præcessit confessio, quia præceptum Eucharistiæ in articulo mortis non obligat, quando debito modo ab Ecclesia præscripto ministrari non potest. Hac ratione diximus suo loco, Sacerdotem non posse celebrare, sine sacris Vestibus ad præbendum Viaticum infirmo; & ita tenent Coninch *to.* 1. *q.* 64. *art* 6. *dub.* 2. *n.* 48. Vasq. *tom.* 4. *in* 3. *par. qu.* 93. *art.* 2. *dub.* 4. *n.* 18. Palaus *par.* 8. *n.* 6.

19. Potest etiam conferre Sacramentum extremæ Unctionis infirmo, qui non potuit alia Sacramenta recipere, quia tunc hoc Sacramentum potest esse simpliciter necessarium ad salutem, cum possit facere hominem de attrito contritum. Suar. *disp.* 11. *de censur. sect.* 1. *n.* 23. Bonacina *disp.* 2. *qu.* 2. *pun.* 2. §. 4. *num.* 8. Coninch *disp.* 14. *dub.* 5. *n.* 34. & alios referens Leand. *disp.* 5. *qu.* 15. Addunt nonnulli, quod, absente alio Sacerdote, potest excommunicatus vitandus hoc Sacramentum conferre infirmo, quamvis alia Sacramenta receperit, quia non est credendum, Ecclesiam velle infirmum eo tempore privare tali auxilio, & subsidio, ut docet Antonius a Spiritu Sancto *num.* 286. Verum probabilius est, hoc Sacramentum extremæ Unctionis ministrari non posse ab excommunicato vitando, quando ton alia Sacramenta recepit, Pœnitentiæ scilicet, vel Eucharistiæ, quia tunc Sacramentum extremæ Unctionis non est infirmo necessarium ad salutem; nec sufficit, quod sit utile, alias excommunicato vitando deberet etiam concedi facultas ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, non solum in articulo mortis, sed etiam extra talem articulum, cum semper hæc Sacramenta valde sint utilia illa sumentibus. Palaus *punct.* 8. *num.* 3. Diana *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 83. *fine*, & *tract.* 10. *resol.* 77. Alterius *lib.* 1. *disp.* 7. *can.* 8. *vers. de Extrem. Unct.* Suarez *disp.* 13. *sect.* 2. *num.* 14. Leander *disp.* 5. *quæst.* 14.

20. Excommunicatus toleratus, qui scilicet non est nominatim denuntiatus talis, nec publicus percussor Clerici, non solum valide, sed etiam licite potest Sacramenta ministrare, quando fidelis ea petit ab eo sibi ministrari; dummodo tamen per ipsum non stet, quin absolvatur a censura, & contritionem præmittat administrationi, quia dum Ecclesia illum tolerat, videtur dispensare communicationem cum ipso, etiam in Sacramentis suscipiendis, ut diximus in *tract. de Sacram. in gener, cap.* 6. *dub.* 2. *n.* 12. Quando ergo fidelis licite petit, potest excommunicatus licite ministrare Sacramentum, quia eo ipso, quod mihi conceditur communicatio cum altero, necesse est, quod illi non sit prohibita talis communicatio; cum repugnet mihi licitum esse, quod sine peccato alterius facere non possum. Sotus *in* 4. *dist.* 1. *qu.* 5. *art.* 6. *& dist.* 22. *qu.* 2. *art.* 4. Covar. in cap. *Alma Mater* 2. *p.* §. 2. *&* 6. *n.* 7. Suarez *disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 2. Diana *par.* 5. *tr.* 9. *res.* 83.

21. Peccat tamen excommunicatus, si sponte propria absque necessitate se ingerat ad Sacramenta ministranda, quia per Extrav. Martini V. & Concilii Constant. *Ad evitanda scandala*, nullus favor, aut relevamen aliquod excommunicatis conceditur; unde non est data illis facultas communicandi cum aliis, sive in Divinis, sive in humanis, sed solum data est facultas aliis fidelibus communicandi cum illis; & inde potest excommunicatus ministrare Sacramenta petenti, non tamen sponte se ingerere; non tamen peccat, qui ad illum sic expositum accedit, nam utitur jure suo, nec ministrum inducit ad Sacramenta ministranda, cum jam ille sit expositus, & paratus, nisi alius sit, a quo æque bene, ac utiliter possit Sacramenta recipere; nam tunc illa petendo ab excommunicato, peccat mortaliter contra caritatem, cum sit caussa, ut ille mortaliter peccet, alias non peccaturus. Suarez *disp.* 11. *sect.* 4. *n.* 12. & alios referens Leander *disp.* 6. *qu.* 19. Numquam tamen licitum est, si excipias casum extremæ necessitatis, Sacramenta petere, seu recipere ab excommunicato vitando, cum hoc sit expresse prohibitum ab Ecclesia, ut docent communiter Doctores.

DUBIUM III.

De secundo effectu Excommunicationis, qui est privatio communium Suffragiorum Ecclesiæ.

22. Communia Ecclesiæ suffragia, quibus privatur excommunicatus, sunt illa, quæ a Clericis offeruntur pro Fidelibus, nomine, & in persona Ecclesiæ, cujusmodi sunt Missæ Sacrificium, orationes, publicæ supplicationes, seu processiones, & alia preces, in quibus Clericus orat nomine totius Ecclesiæ ad impetranda fidelibus auxilia spiritualia, quibus juvantur in spiritu, vel ad satisfactionem pro pœna temporali, vel alia beneficia impetranda. Suffragia vero privata sunt orationes particulares, & privatæ, jejunia, eleemosynæ, quæ fiunt a fidelibus, non tamquam a Ministris Ecclesiæ, sed tamquam a persona particulari, ad impetranda sibi, vel aliis beneficia, inter quæ hoc reperitur discrimen, quod ista perdunt suum valorem ab indignitate offerentis, si fiant a persona existente in peccato mortali; non sic suffragia publica, quæ non habent valorem ab offerente, sed ab Ecclesia, cujus nomine fiunt, ut cum Ugolino, Avila, & Suarez, notat Bonac. *disp.* 2. *qu.* 2. *pun.* 1. Coninch *disp.* 14. *dub.* 6. Hurtad. *disp.* 3. *diff.* 1. Palaus *disp.* 2. *pun.* 6.

23. Resp. Excommunicatos, sive toleratos, sive vitandos, privari communibus Ecclesiæ Suffragiis, Indulgentiis ab ea concessis, & Sacrificiis per ipsam oblatis, prout habetur ex cap. *A nobis* 28. & cap. *Sacris* 38. *de sentent. excommun.* unde peccat mortaliter, qui pro excommunicatis applicat Sacrificium Missæ, publicas orationes, & alia suffragia communia Ecclesiæ, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi, ita Navarr. *c.* 27. *nu.* 36. Covarruv. in cap. *Alma Mater* 1. *par.* a *num.* 3.

num. 3. & §. 4. 5. & 6. Suarez *disp.* 9. *sect.* 1. *num.* 4. Vasquez *de excomm. dub.* 2. Palaus *disp.* 2. *pun* 6. *n.* 4. Bonacina *qu.* 2. *pun.* 1. *num.* 4. ubi *num.* 5. addit cum Navarro, offerentes publicas orationes, & Ecclesiæ suffragia pro excommunicato vitando, non solum peccare mortaliter, sed etiam incurrere minorem excommunicationem, eo quod videatur cum illo communicare; est autem imposita excommunicatio minor communicantibus cum excommunicato vitando. Hoc tamen negat Avila 2. *p. c.* 6. *disp.* 9. *dub.* 4. ubi admittit quidem, illum peccare mortaliter, sed negat, incurrere minorem excommunicationem, quia orare pro excommunicato, non est communicare cum illo, cum non sit orare cum illo, nec coram illo. Verum probabilior videtur sententia Bonacinæ, cum non solum sit prohibitum orare cum excommunicato, sed etiam orare pro illo oratione publica, nomine Ecclesiæ facta.

24. Non solum autem est prohibitum orare pro hoc, vel illo excommunicato in particulari, sed etiam pro omnibus excommunicatis in communi, pro quibus nec in communi possunt offerri Sacrificia, & Ecclesiæ suffragia. Nec obstat, quod in die Parasceve Ecclesia publice orat in Missa pro Excommunicatis, Hæreticis, Paganis, Judæis, & Infidelibus quibusdam orationibus ad id specialiter ordinatis, ut Deus illos ad unitatem Ecclesiæ, & pœnitentiam reducat, quia illa die vult Ecclesia in hoc dispensare, tum ad imitationem Christi, qui pro inimicis, & peccatoribus oravit, tum ut sanguis ejus effusus pro omnibus extendatur ad omnes, ut etiam contumaces, & rebelles ad pœnitentiam reducat; sed extra illud tempus non est licitum Sacerdotibus tales orationes addere in Missa, quamvis id dicatur fieri, ut excommunicati resipiscant, & redeant ad obedientiam Ecclesiæ, quia hoc est omnibus specialiter prohibitum ab Ecclesia. Palaus *disp.* 2. *pun.* 6. *n.* 3. & 5. Corneo *disp.* 10. §. 3. *dub.* 1. Avila 2. *p. c.* 6. *disp.* 4. *dub.* 1. *concl.* 3. & alios referens Leander *disp.* 3. *de excomm. qu.* 7. & 8. Non est tamen prohibitum Sacerdotibus offerre communia suffragia pro augmento Ecclesiæ, hæresum extirpatione, & conversione infidelium, & hoc modo indirecte offerre Sacrificia pro excommunicatis, quatenus Ecclesia non potest augeri sine illorum conversione, ut cum communi sententia notat Palaus *num.* 6.

25. De excommunicatis vitandis, & nominatim denuntiatis, omnes facile concedunt, non posse pro illis offerri Sacrificia, & communia Ecclesiæ suffragia; *an vero id fieri possit pro excommunicatis vitandis*, non omnes conveniunt. Prima sententia est affirmativa, quia Concil. Constan. in Extrav. *Ad vitanda scandala* universaliter permittit in quibuscumque Divinis, vel extra eum excommunicatis toleratis communicari posse: & de facto admittuntur cum aliis fidelibus ad audiendam Missam, in quo casu Sacerdos publice orat pro ipsis in *Memento*, dum ait, *& omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus hoc Sacrificium*; ergo potest pro ipsis offerri Sacrificium. Palaus *n.* 10. Hurtad. *disp.* 4. *diff.* 4. *n.* 10. Coninch *disp.* 14. *dub.* 6 *n.* 40. Navar. *c.* 27. *n.* 36. Reginald. *lib.* 32. *n* 76. Diana *par.* 5. *tr.* 9 *res.* 74. Antonius a Spiritu Sancto *n.* 269.

26. Secunda sententia negat, esse licitum pro hæreticis toleratis publice orare, & Sacrificium offerre. Ratio est, quia natura, & essentia excommunicationis de se petit, ut excommunicatus sit privatus publicis Ecclesiæ suffragiis; ergo si Sacrificia, & suffragia possent pro illis offerri, essent, & non essent excommunicati. Nec obstat permissio Concilii Constant. quia talis permissio solum est ad evitanda scandala, & ad succurrendum conscientiis timoratis, non ad favendum excommunicatis, quibus nullo modo favere intendit, ac proinde remanent privati Ecclesiæ suffragiis, & Sacrificio: alias multum faveret ipsis, ipsosque relevaret, si pro ipsis licitum esset Sacrificia, & Orationes publicas offerre. Si admittuntur ad auditionem Missæ, & communionem, hoc cedit in bonum aliorum, ne fideles cogantur Sacrum omittere, exire de templo, aut angi scrupulis conscientiæ; non autem hoc permissum est ad favendum excommunicatis, qui tenentur se abstinere. Hanc sententiam diximus esse probabiliorem, & secuti sumus *in tr. de Sacrif. Missæ c.* 2. *dub* 3. *n.* 16 cum Maderno, & aliis *ibid. citatis*, Suarez *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 17. Avila *disp.* 9. *dub.* 3. Bonacina *qu.* 2. *pun.* 1. §. 1. *n.* 1.

27. *An vero prosit excommunicato Sacrificium Missæ oblatum a Sacerdote in persona, & nomine Christi?* Nota ex dictis in *loco cit. de Sacrif. Missæ*, Sacerdotem in celebratione Missæ triplicem personam gerere, nimirum Christi, Ecclesiæ, & propriam. Gerit personam Christi, quatenus Christi nomine, & tamquam Minister ab ipso immediate deputatus applicat effectum, & fructum Sacrificii provenientem ex Christi dignitate, institutione, & meritis. Gerit personam Ecclesiæ, quatenus est Minister, & Legatus ab ipsa deputatus, ut nomine totius Ecclesiæ oret, & applicet fructum Sacrificii provenientem ex dignitate, & meritis Ecclesiæ: & in his duobus Sacerdos gerit personam publicam. Gerit deinde personam propriam, quatenus ut persona privata, & particularis orat, & applicat fructum provenientem ex conditione, & devotione propria, quam dicimus ex opere operantis.

28. Resp. itaque, Sacerdotem, ut personam publicam nomine Christi, seu Ecclesiæ, non posse licite offerre Sacrificium, aut applicare communia suffragia pro excommunicatis, ut supra dictum est. Nec item potest illis valide applicare fructum provenientem ex parte Ecclesiæ; bene tamen valide, & utiliter, quamvis illicite, potest illis applicare fructum provenientem ex meritis, & institutione Christi. Ratio est, quia potestas Sacerdotalis ad sacrificandum nomine Christi non est potestas jurisdictionis dependens ab Ecclesia, sed est potestas Ordinis, sita in charactere indelebili, cujus usum potest quidem Ecclesia reddere illicitum, at non invalidum, ut constat in potestate consecrandi, quam potest valide Sacerdos exercere contra prohibitionem Ecclesiæ. Quare si Sacerdos de facto applicet Missam excommunicato, peccabit, illicite operando, sed proderit excommunicato ex meritis Christi, & ex opere operato, non solum per modum impetrationis, sed etiam per modum satisfactionis, si excommunicatus sit in gratia. Si autem Sacerdos Sacrificium offerat, ut Minister Ecclesiæ, & nomine Ecclesiæ, non solum offert illicite, sed etiam invalide, quoad illam efficaciam, quam habet Sacrificium oblatum nomine Ecclesiæ, ut fusius diximus *in tr. de Sacrif. Missæ loc. cit.* & ita tenet Bonac. *q.* 2. *pun.* 5. §. 3. *num.* 3. & 5. Suarez *disp.* 9. *sect.* 4. *num.* 4. Avila 2. *par. c.* 6. *disp.* 4. *dub.* 1. Reginald. *lib.* 32. *num.* 13. Coninch *disp.* 14. *de censur. dub* 6.

29. Resp. 2. Sacerdos in Missa, tamquam persona privata, & particularis, sicut etiam quilibet Fidelis, potest privatas orationes offerre pro quolibet excommunicato, etiam vitando. Ratio est, quia Ecclesia privat excommunicatos solum communibus, hoc est publicis suffragiis, quæ offeruntur a Sacerdote, ut Ministro Ecclesiæ, & nomine totius Ecclesiæ, non vero quæ offeruntur ab ipso tamquam a persona particulari; nam licite potest quælibet persona particularis privatim pro excommunicatis orare, cum hoc pertineat ad illam *Sanctorum Communionem*, quam profitemur in Symbolo Apostolorum, quæ in sola caritate consistit; unde poterit Sacerdos in *Memento* Missæ pro excommunicatis orare, tamquam persona privata, & particularis. Cavere tamen debet, ne exprimat nomen excommunicati in Canone, vel aliis orationibus publicis; unde, si Imperator, aut Episcopus esset excommunicatus, non esset nominatim exprimendus in Canone; quia quæ exprimuntur videntur fieri nomine Ecclesiæ, ut cum Suar. Avila, & Vasquez notat Bonac. *pun.* 1. §. 3. *n.* 7. ita etiam Navar. *cap.* 27. *n.* 36. *vers. ad quintum*, Hurtad. *disp.* 3. *diff.* 6. & alios referens Palaus *disp.* 2. *pun.* 6. *n.* 3.

30. Quæres: *An privetur publicis Ecclesiæ suffragiis excommunicatus, qui jam resipuit, & est in gratia, sed nondum est absolutus, nec per ipsum stat, ut absolvatur?* Negant plures, quia non est credibile, piam Matrem Ecclesiam velle punire, & privare suis suffragiis illum, qui jam est amicus Dei per contritionem, quamvis nondum ab excommunicatione absolutus. Ita Navarr. *c.* 27. *n.* 18. Ricard. *in* 4. *dist.* 81. *art.* 7. *q.* 2. Avila *disp.* 8. *dub.* 2. Reginald. *lib.* 32. *n.* 23. Sayrus *lib.* 2 *c.* 4. *n.* 5. Affirmant probabilius alii, quia excommunicatio non tollitur per contritionem, sed per absolutionem, & sic excommunicatus, quamvis contritus, si non est absolutus, semper est excommunicatus, & per consequens privatus suffragiis Ecclesiasticis; unde Sacrificium illi applicatum nihil ei prodest, quantum ad effectum, qui Missæ respondet, ex meritis Ecclesiæ. Ita Soto *in* 4. *dist.* 22. *qu.* 1. *art* 1. *dub.* 2. Suarez *disp.* 9. *sect.* 3. *num.* 2. Corneio *disp.* 10. §. 3. *dub.* 2. Diana *part.* 5. *tract.* 9. *res.* 75. Coninch *disp.* 14. *dub.* 6. *num.* 49. Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 2. *num.* 266.

DUBIUM IV.

De tertio effectu Excommunicationis, qui est privatio Divinorum Officiorum, & rerum sacrarum.

31. RESP. cuilibet excommunicato, sive tolerato, sive vitando, prohibitam esse omnem communicationem cum aliis in rebus Divinis, ut habetur ex cap. *Responso*, & cap. *Nuper de senten. excommunic.* cap. *Alma mater eod. tit. in* 6. & tota *caussa* 11. *q.* 3. Unde peccat mortaliter excommunicatus, si ante absolutionem Missam audiat, aut aliis Divinis intersit; nimirum publicæ recitationi Horarum canonicarum: benedictioni cinerum, palmarum, & candelarum ab Ecclesia solemniter factæ,

festæ; & quæ nomine Ecclesiæ fit: publicis processionibus; aut si comitetur Eucharistiam, quando infirmis defertur, quia fit a Sacerdote sollemni pompa, & recitatione psalmorum, & hoc ex generali prohibitione non communicandi cum aliis Fidelibus in Divinis, nisi excusetur ob ignorantiam, vel necessitatem vitandi scandali, vel ob aliam justam caussam, ut bene advertit Bonacina *qu.* 2. *pun.* 3. Si enim nullus sit, qui Sacerdoti celebranti assistat, & ministrare possit; tunc excommunicatus toleratus potest illi deservire, si inducatur a Sacerdote, ut sibi ministret, quando ex necessitate celebrare debet; secus si non sit toleratus. Ita Bonac. *l. c.* §. 1. Suar. *disp.* 12. *sect.* 1. *n.* 2. Palaus *pun.* 9. *num.* 2. Henriq. *lib.* 13. *c.* 7. *n.* 2. Coninch *disp.* 14. *dub.* 7. Alterius *lib.* 3. *disp.* 10. *c.* 2.

32. Excommunicatus Missam audiens, licet peccet mortaliter contra prohibitionem Ecclesiæ, nullam tamen pœnam incurrit, quia in jure nulla est lata pœna contra excommunicatum Missam audientem; non incurritur autem pœna, nisi sit in jure expressa. Deinde non incurrit irregularitatem, cum actus assistendi Missæ non sit actus Ordinis, nec minorem excommunicationem, ut sentit Palaus *disp.* 2. *pun.* 9. *nu.* 2. quia hæc non imponitur excommunicato communicanti cum aliis, sed aliis communicantibus cum excommunicato. Bonacina *supra* §. 1. *nu.* 6. Cornejo *disp.* 10. *de excommun.* §. 4. *dub.* 2. *qu. ultim.* Diana *par.* 5. *tr.* 9. *res.* 95. nisi forte Sacerdos excommunicatus procuret, ut Missa coram se celebretur, quia tunc incurrit irregularitatem, cap. *Tanta de excessib. Prælator.* & cap. *Illud de Clerico excommun. ministrante.* Ratio est, quia Sacerdos, qui procurat, & est auctor, ut coram se Missa celebretur, æquiparatur illi, qui per se ipsum Missam celebrat; sed excommunicatus, qui Missam celebrat, incurrit irregularitatem; ergo etiam illam incurrit, qui est auctor, ut alter coram se celebret; nam qui per alium facit, per se ipsum facere censetur: quæ ratio non valet de non Sacerdote, qui præcipit coram se celebrari, & sic non incurrit irregularitatem; cum non dicatur per alium celebrare. Sic Covarruvius in cap. *Alma mater* 1. *par.* §. 6. Bonacina *quæst.* 2. *punct.* 3. §. 1. *numer.* 7. Palaus *n.* 4. Sayrus *lib.* 2. *c.* 3. *numer.* 14. *&* 15. Suarez *disput.* 12. *sect.* 1. *num.* 7.

33. Excommunicatus assistens Missæ, si admonitus a Sacerdote ut exeat ab Ecclesia, nolit exire, novam incurrit excommunicationem Papæ reservatam, cap. *Eos de sentent. excommun.* & Clement. 2. *eod. tit.* lata a Clemente V. in Concilio Viennensi, *Sacro approbante Concilio*, juncta Glossa *d. Clemen. in summ.* Eamdem excommunicationem incurrit interdictus denuntiatus, qui post admonitionem non vult exire, sed perseverat assistere Sacrificio. Eademque censura afficiuntur omnes, qui impediunt, quo minus publice excommunicati, vel interdicti exeant ab Ecclesia eo tempore, quo Missa celebratur, si admoniti fuerint a Celebrante, ut exeant, ut constat ex d. Clement. *Gravis de sentent. excommunicat.* Sic Bonacina *pun.* 3. §. 1. *n.* 8. Suarez *disp.* 12. *sect.* 1. *num.* 11. Palaus *num.* 4.

34. Quod si excommunicatus non toleratus assistere velit Divinis Officiis, & Sacrificio, monendus est ut exeat, &, si non vult exire, expellendus est etiam vi, si opus fuerit, quamvis sit Clericus; nam licita est defensio Ecclesiasticæ jurisdictionis & censuræ, cap. *Venientes de sentent. excomm.* Si autem nec vi, nec precibus expelli potest, cessare debent Clerici a celebratione Divinorum Officiorum, & a Sacrificio Missæ jam inchoato, si nondum facta est Consecratio; si autem facta est Consecratio, finiendum est usque ad consumptionem inclusive, quia integritas Sacrificii est de Jure Divino, quod debet prævalere Juri Ecclesiastico, non celebrandi coram excommunicato. Astantes vero debent in eo casu recedere ab Ecclesia, excepto Ministro inserviente; secus peccant mortaliter, participando in Divinis cum excommunicato vitando. Sacerdos post ipsam consumptionem, relictis aliis orationibus & precibus, debet ab Altari recedere, seque recipere in Sacristiam, vel in alium locum, ibique reliquas orationes persolvere, ut constat ex cap. *Is cui, de sentent. excomm.* & Clem. 2. *eod. tit.* & tradunt Doctores communiter, quorum aliqui tenent, Sacerdotem debere Sacrum perficere usque ad consumptionem, si excommunicatus adveniat, vel cognoscatur advenisse, inchoato jam Canone ab iis verbis: *Te igitur, Clementissime Pater*, quia ab his verbis aliqua ratione inchoata censetur Consecratio, ut cum Suarez, & Henriquez tradit Bonacina *quæst.* 2. *punct.* 3. §. 1. *num.* 13.

35. Ad hoc, ut Sacerdos teneatur Missam non inchoare, & inchoatam intermittere, nec non Fideles teneantur discedere, non sufficit, ut excommunicatus vitandus, utcumque sit in Ecclesia quasi materialiter, sed requiritur, ut eidem Missæ interesse censeatur; unde si ille solum sit in Ecclesia transeunter, vel si sit in altera parte distanti, quamvis in dicto loco distanti aliam Missam audiat, non tenetur Sacerdos Missam intermittere, nec Fideles discedere, quia non est communicatio cum excommunicato in eodem Officio Divino, sed in materiali loci assistentia. Henriq. *lib.* 13. *c.* 7. Sayrus *lib.* 2. *c.* 3. *num.* 22. Suar. *disp.* 12. *sect.* 1. *n.* 16 Bonac. *qu.* 2. *pun.* 3. §. 1. *nu.* 16. Sacerdos sciens celebrans coram excommunicato vitando, solum peccat mortaliter; & incurrit minorem excommunicationem, non autem irregularitatem, ut habetur ex cap. *Is qui, de sentent. excommunic. in* 6. ibi: *Is qui in Ecclesia sanguinis, aut seminis effusione polluta; vel qui præsentibus majori excommunicatione innodatis, scienter celebrare præsumit: licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in jure) laqueum non incurrit.* Coninch *disp.* 14. *dub.* 7. *nu.* 50. Suarez, Sayrus, Bonac. & alii. Si autem corpus excommunicati vitandi deferatur in Ecclesiam tempore Missæ, aut Divinorum Officiorum, non tenetur Sacerdos desistere a Missa, nec ceteri a Divinis Officiis, vel ab auditione Missæ, dummodo nullam faciant actionem, per quam videantur cum excommunicato communicare, ut cum Henriq. & Sayro tenet Bonacina *pun.* 3. §. 1. *n.* 14. *&* 15. & cum Fr. Christophoro a S. Joseph Ant. a Spiritu S. *disp.* 2. *n.* 318.

36. *An vero peccet excommunicatus non audiendo Sacrum in die festo?*

Resp. negative, quia nemo potest obligari ad id, a quo ratione censuræ tenetur abstinere, & quod præstare non potest sine peccato; quod verum est, etiamsi culpabiliter negligat procurare sibi absolutionem, dummodo id non faciat ex fine non audiendi Sacrum; nam ad hoc Ecclesia solum obligat non impeditos, nec tenentur ex vi illius præcepti auferre impedimenta: alias qui esset in carcere, vel infirmitate oppressus, peccaret omittendo Sacrum, si ex sua negligentia ab infirmitate, vel carcere non liberaretur, ut cum Marchino, Tamb. Trull. & aliis diximus in tertio præcepto Decalogi *c.* 2. *n.* 40. & in præsenti cum Navar. Henriq. Ugolino, & aliis tenet Bonacina *q.* 2. *pun.* 3. §. 1. *n.* 4. ubi cum aliis bene advertit, non excusari a Confessione, vel Communione in Paschate, si negligens sit obtinendi absolutionem, quia præceptum Confessionis, vel Communionis est magis Divinum, quam positivum, & ab Ecclesia solum determinatur tempus, & ordinatur ad reconciliandum hominem cum Deo. Unusquisque autem tenetur auferre impedimenta, quæ impediunt observantiam Divinorum Præceptorum, & obstant, quo minus Deo reconcilietur, quando ad id obligatur. Ita etiam Coninch, Laym. & Avila, quos sequitur Palaus *disp.* 2. *pun.* 9. *n.* 3.

37. Deobligatur excommunicatus quilibet, sive toleratus, sive vitandus, a publica horarum Canonicarum recitatione, si ratione Ordinis, Beneficii, aut Professionis ad id teneatur, ea ratione, qua deobligatur audire Sacrum ob censuræ impedimentum, ne cum aliis fidelibus communicet: non tamen deobligatur a recitatione privata, & peccat, si recitationem omittat, quia non debet reportare commodum ex sua iniquitate, nec censetur cum aliis communicare, si privatim orat vel recitat. Nec excusari potest ab obligatione privatim recitandi, eo quod fructus Beneficii non recipiat, quia retinet adhuc titulum Beneficii, & jus ad fructus percipiendos, quibus sua culpa, & propter suam contumaciam privatur. Navar. *in man. c.* 25. *n.* 102. *&* 103. *&* *tract. de orat. c.* 7. *n.* 28. Covarr. *lib.* 13. *variar. c.* 13. *nu.* 8. & in cap. *Alma mater par.* 1. §. 3. *n.* 8. Palaus *disp.* 2. *pun.* 9. *n.* 7. Bonacina *pun.* 3. §. 2. *n.* 3. Avila *par.* 2. *c.* 6. *disp.* 4. *dub.* 6. Coninch *disp.* 14. *dub.* 7. *nu.* 53.

38. Advertunt Doctores, excommunicatum privatim recitando, non debere dicere *Dominus vobiscum*, sed illius loco debere dicere, *Domine exaudi orationem meam*, cum illa non sint verba privatæ personæ, sed pertineant ad Diaconum, & Sacerdotem, & quia illis, ut persona publica, videtur cum aliis fidelibus communicare. Si tamen ea proferat, non peccat, nisi venialiter, nec fit irregularis, cum irregularitas sit pœna gravissima, quæ non infligitur, nisi ob mortale; secus si illas voces publice & sollemni ritu recitaret, quia tunc exerceret actum Ordinis Sacri, peccaret mortaliter, & sic incurreret irregularitatem. Palaus *supra numer.* 8. Bonacina *num.* 6. & ex communi sententia Leander *disp.* 7. *qu.* 14. Addunt Avila *par.* 2. *cap.* 6. *disput.* 4. *dub.* 6. & Gasp. Hurtado *disp.* 5. *de excommunic. diff.* 1. nullum esse peccatum dicere privatim *Dominus vobiscum*, quia illorum verborum prolatio, absentibus aliis fidelibus, non est cum illis communicatio, sed privata pro illis oratio.

39. Si quæras: *An excommunicatus privatim Officium recitando possit adhibere socium non excommunicatum?*

Resp. negative, quia communicatio cum excommunicato prohibita est, etiam in oratione privata, cap. *Excommuni-*

municatos 11. *qu.* 3. ibi: *Nec eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet*, ubi sermo est de communicatione in oratione privata; nam conjungitur cum communicatione cum cibo, & potu, & communi sermone. Verum hæc communicatio in oratione privata non excedit culpam venialem, cum non sit violatio præcepti in re gravi, sed levi; secus si esset in officio publico. Ita Avila, Henriq. Suar. & Ugolinus, quos affert, & sequitur Bonacina *qu.* 2. *pun.* 3. §. 2. *n.* 4. sequitur Palaus *pun.* 9. *n.* 9. Diana *par.* 5. *tr.* 9. *res.* 89. Excusatur etiam a culpa veniali, si ea aliqua necessitate, seu utilitate socium adhibeat in recitatione Officii Divini, ut si Episcopus, vel Canonicus vocet Capellanum suum, quia famulus non privatur communicatione cum domino in his, in quibus antea tenebatur inservire. Palaus *ibidem*, Bonacina *num.* 5. & aliis relatis, Leander *disp.* 7. *qu.* 8. & 9.

40. Non est prohibitum excommunicato, etiam vitando, ingredi Ecclesiam, ibique morari, & preces privatas fundere seorsim ab aliis fidelibus, quia nullum extat præceptum excludens excommunicatum ab ingressu Ecclesiæ, quando Divina Officia non celebrantur, quin etiam orare potest privatim non solum in diverso sacello, sed etiam in eodem, ubi privatim orant alii Fideles; quia non est inter eos communicatio orationis. Navarr. *in manual.* *c.* 27. *n.* 19. Henriq. *lib.* 13. *c.* 7. *nu.* 2. & cum aliis Diana *par.* 5. *tr.* 9. *res.* 86. Potest excommunicatus ex sua devotione sumere aquam benedictam, mensam benedicere, signare se signo Crucis, adorare Eucharistiam, uti Imaginibus, & aliis similibus rebus sacris, ut his ad devotionem excitetur, & ad pœnitentiam provocetur; nam hæc non computantur inter Officia Divina prohibita excommunicatis. Navarrus *c.* 27. *num.* 36. Bonacina §. 2. *num.* 9. & cum aliis Palaus *pun.* 9. *num.* 14.

41. Potest orare coram Imagine, cui sunt Indulgentiæ concessæ, non quidem animo eas lucrandi, cum pro eo statu sit illarum incapax, sed animo præcise orandi, & bonum aliquod impetrandi; ea ratione, qua sumere potest aquam benedictam, non ut participet fructum, quem habet ex benedictione Ecclesiæ, sed ob reverentiam illius cæremoniæ, & potius confundatur, videns sua culpa privari tot bonis Ecclesiæ. Suar. *disp.* 12. *sect.* 3. *num.* 3. Sayrus *lib.* 2. *c.* 3. *num.* 9. Henriq. *lib.* 13. *c.* 7. *n.* 2. Palaus *n.* 14.

42. Licite potest assistere concioni, nec per hoc alii fideles tenentur recedere, eo quod excommunicatus denuntiatus assistat concioni, aut lectioni Theologiæ, nec Lector Theologiæ tenetur cessare, quamvis sciat, inter audientes esse aliquem excommunicatum denunciatum; nam unusquisque ex audientibus seorsim audit, nec per hoc dicuntur cum excommunicato communicare. Arg. cap. *Responso*, *de sentent. excommun.* Cajet. Sotus, Navarr. aliique communiter, quos affert, & sequitur Leand. *disp.* 7. *q.* 18. Ipse vero excommunicatus, si est vitandus, concionari, aut legere nequit; & si de facto id præstet, tenentur audientes recedere, ne cum eo communicent. Si tamen sit toleratus, potest legere, aut concionari, non quidem propria sponte, quia peccaret mortaliter, sed ad petitionem aliorum fidelium, quibus licitum est ex Concilio Constant. communicare cum excommunicato tolerato. Palaus *nu.* 10. Bonac. §. 2. *num.* 11. addentes, id præstare posse, quamvis non petatur, quando ad id tenetur ex officio, nec alius est, qui vices suas supplere possit, nam censendus est ab auditoribus requiri, siquidem quilibet censetur velle, & petere, quæ sibi necessaria, vel utilia sunt. Denuntiatus vero nihil horum præstare potest, quia prohibitum est illi communicare cum aliis, & aliis cum illo.

DUBIUM V.

An Excommunicatus privetur Ecclesiastica Sepultura.

43. INter Officia Divina, & rerum sacrum, quibus privatur excommunicatus, numeratur etiam Ecclesiastica Sepultura, qua privatur, quamvis decesserit cum signis contritionis exhibitis, & quantum est ex se procuraverit absolutionem, ut constat ex cap. *Sacris*, *de sepulturis*, ubi Innoc. III. addit rationem dicens: *Sacris est Canonibus institutum, ut quibus non communicamus vivis, non communicemus defunctis, & ut careant Ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab Ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerant.* Idem habetur in Clement. 1. *eod. tit.* & in cap. *Consuluisti de Consecr. Eccles. vel Altaris*, & in cap. *Placuit* 23. *qu.* 5. & loquendo specialiter de hæreticis, idem definitur in cap. *Quicumque de Hæret. in* 6. & tenent Doctores communiter. Unde non potest excommunicatus sepeliri in loco sacro, antequam absolvatur. Navarr. *c.* 27. *n.* 23. Sayrus *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 10. Suar. *disp.* 12. *sect.* 4. Bonac. *qu.* 2. *pun.* 3. §. 3. *n.* 1. Coninch *disp.* 14. *dub.* 8. *num.* 59.

44. Nomine loci sacri intelliguntur Ecclesiæ, Cœmiteria, Claustra, & alia loca deputata ex benedictione Episcopi, aut communi usu fidelium ad Divina Officia celebranda, vel ad sepulturas fidelium, cap. *fin. de consecrat. Ecclesiæ.* Bonac. *supra nu.* 3. cum Ugolino, & Suarez. Unde non est prohibitum excommunicatum sepelire in loco, qui est proximus cœmeterio, vel Ecclesiæ, quia ille non est locus sacer, vel etiam in horto Conventus, vel alio loco Monasterii non destinato ad sepulturas fidelium; quia licet hortus, aut Conventus dicatur locus sacer quoad immunitatem delinquentium, non tamen quoad sepeliendum excommunicatum; nam ad hunc effectum nomine loci sacri venit locus sacer stricte, benedictus, & ad sepulturas designatus, ut cum Fr. Christophoro a S. Joseph verb. *Censura dub.* 5. *n.* 12. notat Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 5. *num.* 316. *de excommunicat.*

45. *An vero hoc intelligatur solum de excommunicatis vitandis, vel etiam de toleratis, variant Doctores.* Prima sententia satis communis docet, intelligi tantum de excommunicatis vitandis, non de toleratis, quia de istis non militat ratio ex jure Canonico superius allata, *quibus non communicavimus vivis, non debemus communicare defunctis*, nam post Concilium Constantiens. & Extrav. Martini V. *Ad evitanda scandala*, excommunicatis non vitandis de facto communicamus in vita; ergo etiam communicare possumus defunctis in sepulcro, tum quia prohibitio sepeliendi mortuos excommunicatos directe tendit ad vivos, ut cum illis non communicent, sed eos fugiant, & detestentur, sed a non vitandis fugere non tenemur, sed possumus cum illis communicare; ergo possumus illos tradere sepulturæ Ecclesiasticæ. Navarr. *c.* 27. *n.* 36. Bonac. *pun.* 3. §. 3. *n.* 2. Palaus *pun.* 6. *num.* 12. Coninch *disp.* 14. *dub.* 6. *n.* 45. Sayr. *lib.* 2. *c.* 4. *num.* 12. Corneo *disp.* 10. §. 3. *qu.* 5. *in fine*. Henriq. *lib.* 13. *c.* 11. *n.* 3. Hurtad. *disp.* 7. *diff.* 4. Diana *p.* 5. *tract.* 9. *res.* 76.

46. Secunda sententia docet, excommunicatum toleratum non posse licite sepeliri in loco sacro, quando excommunicatio est publica, sed prius esse absolvendum, saltem post mortem, ut restituatur communioni fidelium, quoad publica Ecclesiæ suffragia, & sepulturam Ecclesiasticam. Ratio desumitur ex cit. *Concil. Constant.* & *Extrav.* Martini V., qui circa finem expresse protestantur, *quod per hoc non intendit excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari*, sed ante Concilium nemo poterat excommunicatum quemcumque, etiam toleratum, sepelire in loco sacro, absque peccato mortali, quia faceret contra prohibitionem, contentam in cap. *Sacris*, & Clement. 1. *de sepulturis*, & aliis etiam juribus; ergo nec post Concilium licitum est illum sepelire in loco sacro, sed carere debet Ecclesiastica sepultura donec absolvatur, quamvis contritus decesserit, nec timeri potest scandalum ex negatione sepulturæ, quando excommunicatio est publica. Si enim excommunicatio sit occulta, & non nisi uni, vel alteri cognita, non est ipsi neganda sepultura Ecclesiastica, eo quod ejus privatio, cum sit publica, requirit etiam causam publicam, ne alius qui publice bonus habetur, hac via infametur. Ita tenent plures relati a Diana *par.* 5. *tr.* 9. *resol.* 76. Avila *part.* 2. *c.* 6. *disp.* 4. *dub.* 8. Covarr. cap. *Alma Mater de sentent. excomm. in* 6. *p.* 1. §. 2. *nu.* 11. Zoes *de sepulturis num.* 9. Ludov. Engel in suo Collegio Juris Canonici *tit. de sepulturis num.* 19. ubi notat, quod notorie excommunicatus, si de facto sepultus esset in loco sacro, posset id dissimulari propter auctoritatem DD. qui primam sententiam docent, nam multa prohibentur, quæ tamen facta sustinentur, cap. *Ad Apostolicam* 16. *de Regularib.* maxime quando irritatio facti multa incommoda secum trahit, ut esset in exhumatione cadaveris.

47. Neganda est Ecclesiastica sepultura excommunicato, etiam tolerato, si decedat impœnitens, & sine ullo signo contritionis, quia excommunicatio major, cum non feratur, nisi ob peccatum mortale, qui in ea moritur absque ullo signo pœnitentiæ, censetur notorie mori in statu peccati mortalis, & hoc titulo privandus Ecclesiastica sepultura, utpote qui a Regno cælesti est exclusus, & suffragiorum Ecclesiæ incapax, ut tradit Palaus *disp.* 2. *pun.* 6. *n.* 12. *verb.* *Notandum duxi*, ubi addit, expediens esse excommunicato tolerato contrito decedenti absolutionem prius impendi, antequam sepeliatur in loco sacro, tum ob reverentiam censuræ, & Divinorum Officiorum, tum ut omnis dubitatio auferatur, an illi prosint Ecclesiæ suffragia.

48. Excommunicatus vitandus non solum privatur Ecclesiastica sepultura, nisi prius absolvatur, sed omni etiam honore Ecclesiastico, qui adhiberi solet in tumulatione fidelium; unde nec in loco profano sepeliri debet cum

pompa

pompa Ecclesiastica, nempe cum Psalmis, Orationibus, Precibus, Cruce, & luminaribus: inde peccant qui funus comitantur, & Clerici, qui cum tali pompa excommunicatum sepeliunt, etiam in loco non sacro; indecens enim est, ut ad locum profanum, & ad sepulturam quasi communem cum bestiis cum tali pompa deferatur corpus; nec pro illo accipi possunt a Clericis oblationes, & eleemosynæ. Suarez *disp.* 12. *sect.* 4. *n.* 14. Palaus *num.* 13. Alterius *lib.* 1. *disp.* 10. *cap.* 6. Corneo *disp.* 10. §. 8. *qu.* 4. Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 2. *n.* 316. Bonacina §. 3. *nu.* 6.

49. Non solum peccant mortaliter sepelientes excommunicatum vitandum in loco sacro, sed etiam incurrunt excommunicationem majorem, a qua *nullatenus absolvantur, nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi, eis quibus per præmissa fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem*, ut habetur ex *Clement.* 1. *de sepol.* quæ Constitutio, cum sit generalis, comprehendit omnes sine ullo discrimine, Sæculares, Clericos, Mulieres, & omnes illum sepelientes; & ita tenent Doctores communiter: non tamen incurrunt excommunicationem minorem, quam antea incurrebant, eo quod communicarent cum excommunicato; nam illa mutata est in majorem, per dicta Clement. Palaus *pun.* 6. *nu.* 16. Suarez *disp.* 12. *sect.* 2. *n.* 13. Bonac. §. 3. *in fine*, Eamdem excommunicationem incurrunt sepelientes, nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, ex *d. Clement.*

50. Ad incurrendam hanc majorem excommunicationem requiritur, quod sepelientes id faciant scienter, & cum præsumptione; unde qui habent ignorantiam juris, vel facti, etiam vincibilem, & culpabilem, talem excommunicationem non incurrunt; nam in dict. Clement. dicitur, *qui scienter præsumpserit*; nec qui id faciunt ex gravi metu coacti, quia *ibid.* dicitur, *qui propriæ temeritatis audacia*. Suarez *disp.* 12. *sect.* 4. *nu.* 9. Bonacina *par.* 3. §. 3. *n.* 8. Avila *par.* 2. *c.* 6. *disp.* 10. *dub.* 6. *dicto* 1. Excusantur a tali censura sepelientes excommunicatum toleratum, quia ex Concil. Constant. & Extrav. Martini V. *Ad evitanda* solum vitare tenemur excommunicatos denunciatos, & notorios Clericorum percussores, non alios, cum quibus sicut in vita, sic etiam in morte communicare possumus. Palaus *n.* 14. *sect.* 4. *a n.* 5. Bonac. *nu.* 8. & cum aliis Leander *qu.* 15. & notavimus supra *num.* 45.

51. Dubium tamen est, *quinam in jure intelliguntur per sepelientes, qui prædictam censuram incurrunt?* nam aliqui volunt intelligi dumtaxat illos, qui propriis manibus excommunicatum sepeliunt, eum in sepulturam inferendo, & terra cooperiendo, non vero mandantes, vel procurantes, quia censura lata contra facientes non comprehendit mandantes, & procurantes nisi exprimantur, ut diximus *supra cap.* 1. *dub.* 6. sed in præsenti mandantes, & procurantes non exprimuntur, & sic censuram non incurrunt, ut cum Henriq. & Avila tenet Bonacina §. 3. *num.* 8. Antonius a Spiritu S. *disp.* 2. *num.* 320. Hurtad. *disp.* 5. *diff.* 4. Villalob. *tract.* 17. *diff.* 30. *numer.* 2. Leander *disp.* 8. *de excommunicat. quæst.* 24. & 25.

52. Verum probabilius est, non modo corpus sepelientes, sed etiam sepeliri mandantes, & procurantes talem excommunicationem incurrere. Ratio est, quia quando Lex, & Constitutio redditur inutilis, & ridicula: nisi extendatur ad casum sub proprietate verborum non comprehensum, ad illum debet extendi, maxime si secundum communem, & usitatum loquendi modum comprehendatur; sed si Clementina non extendatur ad mandantes, & procurantes, sed restringatur solum ad sepelientes propriis manibus, redditur inutilis, & ridiculas nam sepelientes propriis manibus, corpus inferendo in sepulturam, & terra cooperiendo, sunt homines rustici, & ignari, qui censuram ignorant, & facile metu, & auctoritate inducuntur ad illum actum; ergo ad illos solum non debet restringi Clementina, quæ gravissimis verbis, & pœnis prohibet sepulturam Ecclesiasticam excommunicatis vitandi, sed debet extendi ad procurantes, & mandantes, qui communi loquendi modo sepelire dicuntur, quando id præcipiunt, aut procurant; & ita tradunt Suarez *disp.* 12. *sect.* 4. *num.* 10. Filliuc. *tract.* 11. *cap.* 4. *num.* 111. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 8. *num.* 67. & 68. Ugolin. *tab.* 1. *cap.* 9. §. 5. Reginald. *lib.* 32. *num.* 16. Palaus *pun.* 6. *num.* 4. Funus comitantes, Clerici canentes, Crucem portantes, Campanas pulsantes, vel etiam corpus ad sepulturam deferentes talem censuram non incurrunt, quia isti proprie non dicuntur sepelire, solumque remote concurrunt, ut bene notat Diana *par.* 5. *tr.* 9. *res.* 98. incurrunt tamen excommunicationem minorem ob participationem cum excommunicato vitando.

53. Si forte contingat, corpus aliquod excommunicati vitandi sepultum fuisse in loco sacro, tunc si discerni possit ab aliis, extumulandum est, & procul projiciendum: si vero ab aliis discerni nequeat, non est extumulandum, sed ibi relinquendum, quia minus malum est, quod in loco sacro maneant ossa excommunicati, quam quod inde corpora fidelium ejiciantur, ut clare constat ex cap. *Sacri*, *de sepolt.* Ecclesia tamen remanet polluta, nec in ea celebrari potest, vel alia officia persolvi, donec reconcilietur, ex cap. *Consuluisti*, *de consecr. Eccles. vel Altaris*. Bonac. *pun.* 3. §. 3. *num.* 5. Palaus *pun.* 6. *n.* 13. Henriq. *lib.* 13. *c.* 11. *num.* 3. Alterius *disp.* 10. *c.* 6. Si ante mortem dedit signa pœnitentiæ, prius absolvi debet antequam sepeliatur, cap. *A nobis de sent. excomm.* Si vero jam fuit sepultus, non est exhumandus, sed quamprimum petenda est absolutio a legitimo Superiore, ut fiat dignus Ecclesiastica sepultura, & illius ossa non projiciuntur, ut cum Ugol. & Sayro notat Bonac. *pun.* 3. §. 3. *num.* 7. addens, sepeliendum esse in loco sacro, si ante mortem fuit in foro pœnitentiæ absolutus, quia caput *A nobis* nihil aliud petit, nec privari debet Ecclesiastica sepultura, quæ est effectus excommunicationis, a qua jam fuit absolutus; si vero moriatur impœnitens, tunc carere debet Ecclesiastica sepultura, & illius ossa sunt projicienda. Idem habet Palaus *numer.* 13. & Antonius a Spiritu Sancto *disp.* 2. *num.* 321.

DUBIUM VI.

De quarto effectu Excommunicationis, qui est privatio Beneficiorum, & illorum fructuum.

54. Excommunicatio de se non privat excommunicatum Beneficiis ante excommunicationem legitime obtentis, ut cum communi sententia tenet Palaus *disp.* 2. *de censur. pun.* 11. *n.* 2. sed reddit inhabilem ad alia obtinenda, adeo ut omnis collatio beneficii Ecclesiastici facta excommunicato sit ipso jure nulla, & invalida in utroque foro, prout decrevit Innoc. III. in cap. *Postulasti*, *de Clerico excommun. ministrante*, ubi ait: *Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica Beneficia conferri non possint, nec illi valeant ea retinere licite, nisi forsitan, cum eis fuerit misericorditer dispensatum, cum ea non fuerint canonice consecuti.* Nomine collationis intelligitur omnis electio, præsentatio, nominatio, permutatio, resignatio, vel litterarum impetratio, quæ si dirigantur ad excommunicatum sunt nullæ; nam Beneficium, cum detur propter Officium Ecclesiasticum, qui hoc exercere non possunt, indigni sunt, ut illis beneficia conferantur; unde nec beneficia acquirere, permutare, aut resignare potest in favorem tertiæ personæ. Ita Navarr. Sayrus, Suar. Henriq. Ugolinus, Vasq. quos affert, & sequitur Bonac. *q.* 2. *pun.* 4. §. 1. *n.* 1. Palaus *disp.* 2. *pun.* 10. *n.* 1. Diana *par.* 5. *tr.* 9. *res.* 99. Coninch *disp.* 14. *dub.* 9. *num.* 69. Garzia *de Beneficiis par.* 7. *c.* 13. *num.* 15. Antonius a Spiritu S. *disp.* 2. *num.* 325.

55. Si collatio beneficii, electio, præsentatio, facta sit excommunicato ante contractam excommunicationem, tunc valida est talis collatio, præsentatio, seu nominatio, quamvis acceptatio sequatur tempore excommunicationis. Ratio est, quia jura solum prohibent, & irritant collationem beneficii factam excommunicato, non vero ipsius acceptationem, quæ proinde remanet valida. Siquidem dispositio legis irritantis collationem beneficii factam excommunicato, cum sit odiosa, ut pœnalis, potius est coarctanda, & non extendenda ad casus in jure non expressos; est etiam licita talis acceptatio, cum nullo jure sit prohibita, nisi alias animum habeat exercendi munera beneficii ante obtentam absolutionem, quia est acceptatio pro tempore habili, & licita, & electio fuit personæ tunc dignæ, & habilis; quare poterit excommunicatus valide, & licite acceptare, & possidere beneficium sibi ante excommunicationem collatum, & ita observare praxim, & consuetudinem Romanæ Rotæ, testatur Covarruv. in cap. *Alma Mater par.* 1. §. 7. *num.* 4. Palaus *pun.* 10. *n.* 10. Sayrus *lib.* 2. *c.* 5. *n.* 51. Henriq. *lib.* 13. *c.* 13. *num.* 3. Bonac. *supra numer.* 9. Diana *par.* 4. *tr.* 4. *res.* 56. & *par.* 5. *tr.* 9. *res.* 102. Candid. *disq.* 18. *art.* 14. *dub.* 3. Garzias *de benef. p.* 7. *c.* 13. *n.* 19. aliique satis communiter. Eodem modo dicendum est de resignatione, & permutatione beneficii; nam si tempore, quo beneficium permutatum, vel resignatum confertur a Superiore, quis est liber ab excommunicatione, valida est collatio, & acquisitio beneficii, quamvis tempore permutationis, vel resignationis esset excommunicatione ligatus, ut cum Garzia tenet Palaus *num.* 2.

56. Si vero collatio beneficii facta sit excommunicato tempore, quo est excommunicatus, remanet nulla, & irrita, quamvis acceptetur ab ipso post obtentam absolutionem, sed necessaria est nova collatio, electio, seu præsentatio. Ratio est, quia collatio, quæ ab initio

fuit nulla, non convaleſcit per abſolutionem poſtea ſecutam, ſecluſa diſpenſatione, juxta Regul. juris, quod ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere, *ff. de regul. juris l.* 1. ſed collatio beneficii facta excommunicato ab initio eſt irrita, & invalida, ut ſupra diximus; ergo non convaleſcit ſine diſpenſatione, ſed debet revocari. Navarr. *c.* 25. *n.* 21. Coninch *diſp.* 14. *dub.* 9. *nu.* 54. Bonac. pun. 4. §. 1. n. 10. Palaus *num.* 20. Candid. *dub* 4. Diana *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 56. *&* *par.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 101. & alios referens Leander *diſp.* 9. *quæſt.* 11.

57. Nec dicas: *electionem, ſeu collationem beneficii factam excommunicato virtualiter perſeverare uſque ad tempus acceptationis, cum autem tempore acceptationis ille ſit liber ab excommunicatione, ſequitur, quod talis electio, ſeu collatio tunc convaleſcat, & fiat valida, ſi Electores, ſeu Collatores perſiſtant in ſua prima voluntate.* Sed contra dico, talem electionem, ſeu collationem non poſſe virtualiter perſeverare, cum ab initio non ſit valida, utpote facta excommunicato incapaci; quod enim ab initio non ſubſiſtit, tractu temporis non firmatur, nec convaleſcit; unde talis collatio non poteſt fieri valida per acceptationem, ſed requiritur nova collatio, ſeu præſentatio facta ab illo, qui facultatem habet beneficium conferendi; illa autem obtenta, poterit tunc beneficium retineri, ut habetur ex cap. *Poſtulaſti de Cler. excomm. miniſtr.* ubi Innoc. III. dicens: *Beneficia Eccleſiaſtica licite retineri non poſſe ab excommunicato, etiam poſt obtentam abſolutionem*, ſubdit: *niſi forſitan cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum;* unde poſt obtentam abſolutionem, interveniente diſpenſatione, licite poterit excommunicatus Eccleſiaſtica beneficia retinere. Leſſius *lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 22. *n.* 119. Coninch *diſp.* 14. *dub.* 9. *nu.* 73. Sanch. *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 7. *n.* 12. & cum aliis Bonac. *pun.* 4. §. 1. *n.* 10. qui tamen circa finem oppoſitum probabile putat.

58. Excipitur collatio beneficii facta a Pontifice illi, quem cognoſcit, & ſcit eſſe excommunicatum; nam conferendo beneficium cenſetur cum illo diſpenſare, ut beneficium conſequi, & retinere poſſit: ſiquidem Princeps jure ſuo inhabilem cognitum ut talem, aſſumens ad aliquam Dignitatem, cenſetur in ſua lege diſpenſare, & habilem reddere, quod præſtare non poteſt Epiſcopus, qui non poteſt excommunicatum reddere habilem ad beneficium, niſi prius ipſum abſolvat ab excommunicatione. Valida eſt etiam collatio beneficii facta a Pontifice excommunicato, quamvis excommunicationem ignoret, quia in ſuis proviſionibus adeſſe ſolet clauſula abſolutionis a cenſuris, ad effectum gratiam conſequendi.

59. Non ſolum excommunicatus eſt incapax beneficii Eccleſiaſtici, ſed etiam penſionis, quæ fundatur in titulo ſpirituali, & dicitur *Præſtimonium*, eſtque portio quædam, quæ extrahitur a beneficio pingui, & confertur Clerico in titulum cum onere alicujus miniſterii ſpiritualis, nam talis penſio habet rationem beneficii; unde invalida eſt ſi conferatur Clerico excommunicato, ut cum communi ſententia tenet Suar. *diſp.* 13. *ſect.* 1. *n.* 7. Alterius *tom.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 6. *c.* 4. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 13. *n.* 2. Sayrus *lib.* 2. *c.* 5. *num.* 15. Diana *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 55. *&* *par.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 103. Antonius a Spiritu Sancto *diſp.* 2. *nu.* 328. idemque probabilius dicendum de quacumque alia penſione ſpirituali, quæ datur Clerico beneficium reſignanti, permutanti, liticedenti, ſuſtentationem non habenti; nam hæc etiam eſt ſpiritualis, & datur cum onere ſpirituali, nempe recitandi Officium Beatæ Virginis, & durat per totam vitam Clerici, cui aſſignata eſt, nec aliis dari poteſt, quam Clericis habentibus ſaltem tonſuram, nec vendi poteſt, nec permutari, ſine licentia Papæ, ſic Covarr. in cap. *Alma Mater par.* 1. §. 7. *n.* 2. *verſ.* 9. Coninch *diſp.* 14. *dub.* 9. Suarez, Vaſquez, & alii relati a Leandro *diſp.* 9. *qu.* 16. Secus dicendum de penſione mere temporali, quæ datur Laicis ob aliquod ſervitium præſtitum Eccleſiæ. Hæc enim penſio nullo modo eſt beneficium Eccleſiaſticum, nullum habet annexum onus ſpirituale; nam hæc, ſi conferatur excommunicato, valida eſt. Henriquez, & Diana *loc. cit.* Bonacina *punct.* 4. §. 1. *num.* 4. Vaſquez *de excomm. dub.* 6. *num.* 4. Antonius a Spiritu Sancto *num.* 328.

60. Quoad fructus beneficiorum certum eſt, excommunicatum accipientem collationem beneficii tempore excommunicationis non facere fructus ſuos, quia nullum habet titulum illos accipiendi, & retinendi, eo quod collatio beneficii ſit nulla, & irrita: ſi tamen inſervivit beneficio, aut quia ignorabat ſuam excommunicationem, aut quia non poterat ſine ſcandalo, & dedecore ſe retrahere a receptione, & ſervitio talis beneficii, eo quod excommunicatio ſit occulta, tunc poterit eam partem fructuum ſibi retinere, quæ ad honeſtam ſuſtentationem juxta prædictum ſervitium debebatur, & quæ daretur alteri Clerico, ſi beneficio inſerviſſet; non enim illam partem recipit tamquam fructum beneficii, ſed tamquam mercedem correſpondentem operi, & ſervitio præſtito. Alterius *lib.* 2. *de Cenſur. diſp.* 6. *c.* 8. *in prin.* Henriq. *lib.* 13. *cap.* 14. *nu.* 3. Coninch *diſp.* 14. *dub* 9. *num.* 71. Palaus *diſp.* 2. *pun.* 11. *nu.* 1. Leander *diſp.* 9. *quæſt.* 26.

61. Si autem poſt beneficium legitime acceptum quis labitur in excommunicationem, ſicut non privatur ipſo jure titulo, & poſſeſſione ſui beneficii, ita nec ipſo jure privatur fructibus, redditibus, & emolumentis ejuſdem beneficii, ſed illos licite poteſt retinere, donec per ſententiam Judicis declaratoriam illis non ſpolietur, dummodo tamen per ſe, vel per alium exequatur onera ejuſdem beneficii. Ratio eſt, quia illa privatio, cum ſit pœna graviſſima, non eſt imponenda, niſi expreſſa ſit in jure, ſed nullo jure id invenitur determinatum; ergo non eſt imponenda talis privatio ante ſententiam Judicis. Nec obſtat cap. *Paſtoralis* §. *verum de appellat.* ubi Innoc. III. de excommunicato ait: *Illi proventus Eccleſiaſtici merito ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communio denegatur:* non obſtat, inquam, quia ly *ſubtrahuntur* intelligi poteſt, ac debet de ſubtractione per ſententiam Judicis, ut habet Gloſſa, *ibi* in verb. *ſubtrahuntur:* & ita tenent Sanch. *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 51. *numer.* 12. Hurtad. *diſp.* 9. *diff.* 1. Coninch *diſp.* 14. *dub.* 9. *n.* 81. Candid. *diſq.* 28. *de benef. art.* 15. *dub.* 2. *concl.* 3. Palaus *diſp.* 2. *pun.* 11. *num.* 4. Bonac. *pun.* 4. §. 2. *nu.* 2. Diana *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 54. *&* *par.* 5. *tr.* 9. *reſol.* 104. Antonius a Spiritu Sancto *diſp.* 2. *n.* 339. contra plures alios relatos a Leandro *diſp.* 9. *qu.* 28. qui *qu.* 30. addit, quod etiamſi ex jure haberetur, talem privationem ipſo facto incurri, uſu tamen, & conſuetudine id eſſe abrogatum, ut proinde poſſit in conſcientia licite fructus accipere, & retinere, donec per ſententiam Judicis illis privetur, ſi per ſe, vel per alium præſtet onera beneficii, recitet horas, &c.

62. Poſita ſententia Judicis, tenetur excommunicatus reſtituere fructus perceptos tempore excommunicationis, etiamſi non ſtet per ipſum quominus abſolvatur, etiamſi recedat a contumacia, & in gratia conſtituatur, quia talis privatio fructuum, eſt effectus excommunicationis, vel ipſo facto ſecundum plures, vel poſt ſententiam Judicis, & durat uſquedum ponatur abſolutio, niſi hæc illi injuſte denegetur; nam ſi excommunicatus paratus ſit obedire, & abſolutio ei injuſte denegetur, tunc facit omnes fructus ſuos a die, quo per eum non ſtetit ut abſolvatur, ſed ex culpa Judicis; ſic enim injuſte impeditur, ne officio ſuo, & ſuo muneri ſatisfaciat, perinde ac ſi vinculis detineretur, ut cum Palao, & communi ſententia notat Antonius a Spiritu Sancto *n.* 343. Si autem ipſe excommunicatus ſit pauper, illiſque fructibus indigeat ad ſui ſuſtentationem, illos poteſt ſibi applicare, cum non ſit deterioris conditionis, ac alii pauperes, quibus eſſent applicandi, niſi forte applicari debeant alicui loco pio, quo nomine ipſe non venit, niſi in extrema neceſſitate.

63. Si certo conſtet, excommunicationem fuiſſe injuſtam, aut illa per ſententiam fuit declarata injuſta defectu cauſſæ, poterit excommunicatus in foro externo repetere fructus, quibus fuit privatus, vel ab iis, quibus applicati fuerunt, vel ab ipſo Judice, qui injuſtam ſententiam tulit, cum fuerit cauſſa talis damni, ut cum aliis tenet Leander *diſp.* 9. *qu.* 40. *&* 45. Si tamen Judex bona fide proceſſit ſecundum allegata, & probata; tunc non tenetur ad intereſſe, nec ad damnum inde ſecutum, ad quod tenentur falſi teſtes, qui malitioſe falſum depoſuerunt in judicio. Poteſt injuſte excommunicatus repetere diſtributiones quotidianas, quæ dantur intereſſentibus, ſi ſit præſens in oppido, & erat ſolitus frequentare Chorum, & aſſiſtere Divinis Officiis, nec ſit in mora petendi abſolutionem. Leander *qu.* 41.

64. Quod dictum eſt de inhabilitate excommunicati ad beneficia, volunt plures, intelligendum eſſe ſolum de excommunicato vitando, & nominatim denuntiato, non vero de tolerato, cui valide conferri poteſt beneficium. Ratio eſt, quia Innocentius III. in cap. *Poſtulaſti, de Clerico excommunicato miniſtrante* ideo aſſerit, excommunicatum eſſe a beneficiis excludendum, quia non poteſt in officio cum aliis communicare, quæ ratio valet ſolum de excommunicato vitando, non de tolerato, & ſic de illo, non de iſto intelligi debet inhabilitas ad beneficia, tum quia Concil. Conſtant. concedens aliis, quod poſſint cum excommunicato tolerato communicare, concedit conſequenter illi poſſe valide beneficium conferri. Navarr. in cap. *Fratres, de pœnit. diſp.* 5. *n.* 45 allegans Gloſſam 2. in cap *Apoſtolicæ, de Clerico excom. miniſtr.* Hurtad. *diſp.* 2. *diff.* 2. *n.* 6. Stephanus Bauni *diſp.* 7. *de excom. qu.* 18. *dicta* 3. & alios referens Diana *par.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 99.

65. Verum probabilius eſt, id eſſe intelligendum de quocumque excommunicato, etiam tolerato, adeo

ut

ut collatio beneficii isti facta, sit irrita, & nulla. Ratio est, quia jura vetera indefinite loquuntur de omnibus excommunicatis, sive vitandis, sive non vitandis, & volunt, collationem beneficii factam cuicumque excommunicato irritam esse, & nullam. Nec illis favet Concil. Constant. nec Bulla Martini V. *Ad evitanda*; nam licet concedant fidelibus posse communicare cum excommunicatis toleratis, nullum tamen favorem intendunt istis concedere, nec illos in aliquo relevare. Si autem valida esset collatio beneficii facta excommunicato tolerato, ad quod vi juris communis inhabilis est, magnum favorem illis concederet, & plurimum illos relevaret, ac proinde standum est juri communi, secundum quod collatio beneficii cuicumque excommunicato facta, nulla est, & invalida. Sic tenent communiter Doctores, Abbas in cap. *Postulastis cit. n.* 4. Covarru. in cap. *Alma mater part.* 1. §. 7. *n.* 2. Henriq. *l.* 13. *c.* 3. §. 3. *& c.* 7. §. 3. Suar. *disp.* 13. *sect.* 1. *n.* 25. Alterius *l.* 2. *disp.* 6. *cap.* 2. *dub.* 2. Anton. a Spiritu Sancto *numer.* 330. Palaus *punct.* 10. *numer.* 3. Coninch *disp.* 14. *dub.* 9. *num.* 70. Bonacina *punct.* 4. §. 1. & alios referens Leander *disp.* 9. *q.* 4.

66. Idem valet de collatione beneficii facta excommunicato ignoranti se esse excommunicatum, quia ignorantia, licet illum excuset a culpa, non tamen reddit validam collationem, quæ in foro conscientiæ est ipso jure nulla, ut pluribus relatis, tenet Leander *q.* 5. Debet tamen excommunicatio esse valida; nam si a parte rei fuit nulla, non reddit excommunicatum inhabilem, quamvis sententia excommunicationis lata fuerit secundum allegata, & probata, quia pœna illa non imponitur excommunicationi putatæ, sed veræ. Si ergo excommunicatio a parte rei fuit nulla, nullum parit effectum, nec reddit inhabilem. Sic Glossa in cap. *Sæpe*, verb. *Rata manet, de appel.* Covar. Navar. Suar. & alii, quos sequitur Leand. *q.* 6. *&* 7.

DUBIUM VII.

De quinto effectu Excommunicationis, qui est privatio Jurisdictionis Ecclesiasticæ.

67. Excommunicatus vitandus, seu non toleratus privatur omni usu, & exercitio jurisdictionis spiritualis, adeo ut omnia ipsius acta non solum illicita, sed etiam sint invalida pro utroque foro, tam interno, quam externo, quia, cum sint ab Ecclesiæ corpore præcisi, exercere non possunt, quæ sunt intra corpus Ecclesiæ, & nomine illius geruntur, & cum illis prohibita sit communicatio cum aliis Fidelibus, prohibitum pariter est exercitium jurisdictionis Ecclesiasticæ pro utroque foro, ut colligitur ex cap. *Ad probandum, de sent. & re judicata*, cap. *Audivimus, dist.* 24. *q.* 1. & cap. *Adversus, de immunit. Eccles.* juncta Glossa *ib.* nam Ecclesia non solum prohibet excommunicatis vitandis usum jurisdictionis, sed etiam ab illis aufert, ut ex communi sententia docent Suarez *disp.* 14. *sect.* 2. Sayrus *l.* 2. *c.* 6. *num.* 15. Bonacina *punct.* 5. *n.* 1. Anton. a Spiritu Sancto *disp.* 2. *num.* 346.

68. Inde excommunicatus vitandus non potest alium excommunicare, dicto cap. *Audivimus* 24. *q.* 1. nec aliam sententiam valide proferre, cap. *Ad probandum, de sent. & re judic.* ubi sententia data a multis Judicibus cassanda dicitur, id est cassa declaratur, ut explicat *ibid. Glossa*, eo quod unus ex illis erat excommunicatus, & docet Suarez supra *n.* 5. & Sayrus *n.* 5. Absolutio, dispensatio, & concessio facultatis pro Sacramentis administrandis facta ab excommunicato, est nulla, quia sunt actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, quam non habet excommunicatus, ut cum Sayro, Coninch, & aliis tenet Palaus *disp.* 2. *punct.* 13. *n.* 9. Nec item potest conferre beneficia, ut habetur cap. *Unic. Ne Sede vacante in* 6. nec valide eligere, cap. *Cum dilectus de consuetudine*, cap. *Cum inter de elect.* ubi electio a suspensis celebrata censetur irrita; omnis autem excommunicatus est hoc ipso suspensus ab Officio, & Beneficio: excipitur Electio Summi Pontificis, quæ valida est, quamvis fiat a Cardinalibus excommunicatis, ob vitanda gravia mala, & schismata, quæ inde oriri possent, ut habetur in Clement. *Ne Romani §. Ceterum de elect.* Leander *disp.* 10. *quæst.* 13.

69. Non potest excommunicatus alteri delegare suam jurisdictionem, cum hæc delegatio sit exercitium jurisdictionis. Semel facta delegatione, si excommunicetur ille, qui delegavit, cessat jurisdictio in delegato, si res sit integra, & nullo modo incœptus actus jurisdictionis circa illam, nam jurisdictio delegati totaliter pendet a delegante, & sic, ista ablata, vel impedita per censuram, cessat jurisdictio in delegato, si res sit adhuc integra; secus si res non sit amplius integra, sed judicium sit incœptum, nam tunc illi conceditur facultas prosequendi usque ad conclusionem, cap. *Relatum*, cap. *Gratum §. licet de Offic. Delegati*, Sayr. *l.* 2. *cap.* 6. *num.* 2. Avila *p.* 2. *c.* 6. *disp.* 15. *dub.* 2. Palaus *punct.* 13. *n.* 10. Anton. a Spiritu Sancto *n.* 349. Hoc tamen non habet locum, quando delegatus facit unum Tribunal cum delegante, ut contingit in Vicario Generali cum Episcopo; tunc enim, cessante jurisdictione in delegante, cessat etiam in delegato, quamvis res non sit amplius integra, sicut cessat per mortem delegantis, cap. *Romana de Offic. Vicarii in* 6. & cum Sayro, Suarez, Bonacina, & aliis tradit Palaus *n.* 10. Non tamen cessat facultas delegata ad Confessiones audiendas, quamvis per mortem, seu excommunicationem cesset, aut suspendatur facultas delegantis, quamvis res sit integra, quia est gratia facta, quæ ob mortem, vel impedimentum delegantis non infirmatur. Palaus *n.* 10. Bonacina *punct.* 5. *numer.* 13. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 3. Avila *disput.* 6. *dub.* 3.

70. Hoc totum intelligi debet de excommunicato vitando, qui privatus est omni jurisdictione Ecclesiastica, non vero de excommunicato tolerato, quia eo ipso, quod Ecclesia illum tolerat, & cum eo communicationem permittit, censetur etiam permittere usum jurisdictionis, & sic acta per ipsum gesta sunt valida, quamdiu per oppositam exceptionem non repelluntur: unde possunt excommunicare, beneficia conferre, eligere, præsentare, & alia hujusmodi jurisdictionalia valide exercere, nisi a parte adversa contra eum tamquam minus idoneum excipiatur. Supposita enim communione permissa cum excommunicato tolerato, debent ipsius acta sustineri, nisi opponatur exceptio, ne plura incommoda, & inconvenientia sequantur, quæ Concilium Constantiense sublata voluit: quia nimo Concilium ipsos excommunicatos nullatenus in aliquo relevare, vel eis quomodolibet suffragari voluit, sicut antehac, ita & nunc saltem oppositi exceptione eorum acta sunt invalida. Sic Navar. in *Manual. c.* 27. *n.* 21. Sayrus *l.* 2. *c.* 6. *n.* 1. Suarez *disp.* 11. *sect.* 4. *n.* 9. Hurtad. *disp.* 5. *diff.* 2. *in fine*, Lessius *l.* 2. *c.* 29. *dub.* 7. *num.* 17. Excipiens tamen tenetur excommunicationis speciem, & illius auctorem manifeste probare intra octo dies, sin minus nulla est exceptio, juxta Textum *in c.* 1. *de except. in* 6. Bonacina *q.* 2. *punct.* 5. *n.* 4. Palaus *punct.* 13. *n.* 4. Coninch *disp.* 54. *dub.* 10. *n.* 89.

71. Quæres: *An electio, ad quam concurrit excommunicatus simul cum aliis, sit nulla, & irrita?*

Resp. esse nullam, & irritam, si suffragium excommunicati ita sit necessarium ad electionem, ut sine illo non sit valida electio. Arg. cap. *Ad probandum, de sent. & re judic.* ubi actus factus a duobus Judicibus, quorum unus erat excommunicatus, dicitur nullus; at si, secluso suffragio excommunicati, adhuc remanet sufficiens numerus pro valida electione, tunc remanet valida electio, quamvis excommunicatus suffragium ferat simul cum aliis, quamvis alii scienter excommunicatum admittant, quia nullus datur textus talem electionem annullans: illi enim, qui pro contraria sententia solent afferri, solum dicunt, irritandam esse a confirmatore, vel loquuntur in casu, quo suffragium excommunicati sit necessarium, tum quia per consortium excommunicati, & inhabilis, non inhabilitantur electores; siquidem *utile per inutile non vitiatur, de Regula Juris in* 6. Ita cum Ricardo, Henriq. Coninchо, Laymano, Bonacina, Hurtado, Palaus *disp.* 2. *punct.* 13. *n.* 13. contra Suar. Sayrum, & alios ibidem relatos.

72. Præsentatio ad beneficium facta a Patrono excommunicato vitando est nulla, si fiat a Patrono Ecclesiastico titulo Clericali, seu per facultatem titulo beneficii sibi competentem, cap. *Cum autem*, cap. *Nobis*, & cap. *Paul. de Jurepatr.* Ita Palaus *n.* 15. Si autem præsentatio fiat a Patrono Laico, aut etiam Clerico per facultatem sibi competentem titulo patrimonii, aut alio non Ecclesiastico, tunc valida est præsentatio, quamvis illicita, quia non est actus jurisdictionis, & potestatis Ecclesiasticæ; illam tamen Episcopus non tenetur admittere, quamvis facta sit de persona alias digna, & ab excommunicato tolerato, quia nemo tenetur cum excommunicato communicare. Suar. *disp.* 14. *sect.* 2. *n.* 30. Layman *l.* 1. *tract.* 5. *p.* 2. *num.* 3. Coninch *disp.* 14. *dub.* 10. *numer.* 95. Addunt nonnulli, Episcopum non posse licite talem præsentationem admittere, si fiat ab excommunicato vitando, quia peccaret venialiter, communicando cum excommunicato vitando. Suarez supra *n.* 28.

73. Quamvis Episcopus non teneatur admittere præsentationem factam ab excommunicato, si tamen illam admittat, tenetur præsentatum instituere, estque valida talis institutio, sive valida sit præsentatio, sive non, quia, stante invaliditate præsentationis, jus integrum devolvitur ad institutorem, ut cum Suar. Coninch, Hurtado, Layman tenet Palaus supra *n.* 20. idque verum

putat,

pucat, etiamsi Episcopus instituens ignoraverit excommunicationem præsentantis; nam talis ignorantia non versatur circa substantiam, sed circa caussam illius; est tamen sufficiens hæc ignorantia, ut institutor institutionem rescindat, ut cum Coninch tradit *ibidem*. Palaus.

74. Quæres 2. *An resignatio beneficii facta ab excommunicato sit valida?*

Resp. validam esse, quamvis facta sit ab excommunicato vitando, in favorem tertiæ personæ, quia talis resignatio nihil est aliud, quam cessio beneficii, quæ fieri potest, vel etiam expedit, quod fiat ab excommunicato non potente munera illius exercere. Nec obstat, quod fiat in favorem tertii, quia resignatio in favorem tertii solum addit supra cessionem, designationem personæ, cui beneficium est conferendum, quæ designatio nullum tribuit jus designato, cum revocari possit, donec designatus provisus sit a Pontifice, & sic valide fieri potest ab excommunicato. Bonac. *p.* 5. *n.* 7. Palaus *n.* 26.

DUBIUM VIII.

De sexto effectu Excommunicationis, qui est inhabilitas ad exercendos Actus legitimos in Judicio.

75. INhabilitatur etiam excommunicatus ad exercendos actus legitimos in judicio, sive Ecclesiastico, sive Sæculari, adeo ut in nullo horum possit esse Judex, Actor, Advocatus, Tabellio, Testis, tum ex communi ratione, qua ille prohibetur cum aliis communicare; tum specialiter ex cap. *Veniens, de Testib.* cap. *Decernimus de sent. excom. in 6.* & cap. 1. *de exceptionib. in 6.* & aliter faciens non solum peccat mortaliter, quia in re gravi, & magni momenti frangit præceptum Ecclesiæ, sed acta ab ipso facta in judicio sunt illicita, & invalida, quamvis velit agere in judicio per Procuratorem, ut constat ex cap. *ult. de Procuratorib.* ubi declaratur nulla institutio Procuratoris facta ab excommunicato vitando. Sic Doctores communiter.

76 Hoc tamen intelligi debet de excommunicato vitando, seu non tolerato; nam de tolerato recurrit doctrina posita *dub. præc. n.* 79. unde valida sunt acta ab ipso facta, tamquam Advocato, Actore, Judice &c. si nemo contra illum, tamquam inhabilem ad standum in judicio, excipiat. Si enim aliquis excipiat, irrita manent acta ab ipso facta, cap. *A nobis de except.* & *c.* 1. *eod. tit. in* 6. Judex quamvis graviter teneatur excommunicatos vitandos repellere a judicio per Textum expressum in cap. *Decernimus de sent. excom. in* 6 quod idem habetur cap. *Pia de except. eod. tit.* cap. *Intelleximus de judiciis*, & cap. *Exceptionem de except.* & possit etiam repellere excommunicatos toleratos per allata jura, non tamen tenetur illos expellere, nisi excommunicatio sit notoria, vel aliquis contra eos excipiat, tum quia potest, sed non tenetur cum illis communicare. Ita Suarez *disp.* 16. *sect.* 3. *num.* 2. Coninch *disp.* 14. *dub.* 11. *num.* 101. Bonacina *punct.* 7. *n.* 9. Filliuc. *tr.* 12. *cap.* 7. *q.* 4. *dicto* 4. *num.* 177. Hurtad. *disp.* 8. *diff.* 3. *num.* 6. Palaus *punct.* 14. *num.* 6. Diana *p.* 5. *tract.* 9. *n.* 110.

77. Potest tamen, ac debet excommunicatus etiam vitandus stare in judicio ut reus, ibique accusari, citari, & conveniri potest, ne commodum reportet ex sua malitia, quod certe reportaret, si non posset accusari, & quocumque alio modo in judicio conveniri, cap. *Intelleximus 7. de Judiciis*; potest etiam in judicio se ipsum defendere, & respondere ad ea, quæ sibi objiciuntur, quia defensio est juris naturalis; unde potest probare, excommunicationem fuisse invalidam, aut sibi injuste denegari absolutionem, quam petit: potest excipere, si Judicem suspectum habeat, & appellare si credat, se injuste esse condemnatum, & ita etiam potest objicere excommunicationem Accusatori Testi, &c. Ita expresse Leander *disp.* 12. *q.* 2. ubi affert Navar. Suar. Alterium, Filliuc. Bonac. Hurtad. & alios.

78. *An vero reus excommunicatus vitandus citatus, & in jus vocatus possit comparere, & respondere per se ipsum, vel id facere debeat per procuratorem?* Responsio satis communis tenet, quod id facere debeat, non per se ipsum, sed idoneum procuratorem, si illum inveniat, & possibilitatem habeat, quamvis caussa sit gravis, ut constat ex cit. cap. *Intelleximus de judiciis*, ubi Pontifex ait: *Quia postulasti a nobis? Utrum excommunicatus in judicio stare possit. Respondemus, quod conveniri potest, & debet per alium in judicio respondere: ne videatur de sua malitia commodum reportare*; & ibi agebatur de caussa matrimoniali, quæ gravissima est, & tamen Pontifex ait: debet per alium respondere, & inde valide, & licite ad hunc effectum procuratorem pro se constituere, & procurator similiter potest pro illo respondere, & caussam agere, & illum defendere.

79. Si autem idoneum procuratorem non inveniat, vel pauper sit, & non possit illum adducere, tunc potest per se ipsum in judicio comparere, & se ipsum defendere, & ad hoc uti juris remediis, etiam excipiendo contra Actorem, Judicem, & Testes, quia Ecclesia pro sua pietate non vult illi auferre defensionem naturalem, in quo casu alii, qui necessario interveniunt in judicio, licite possunt cum illo communicare, nec incurrunt excommunicationem minorem. Ita Glossa cit. cap. *Intelleximus*, verb. *Conveniri*: idque etiam constat ex cap. *Si vere de sent. exc.* & ita tenent Avila *p.* 2. *c.* 6. *disp.* 7. *dub.* 2. Hurtad. *disp.* 8. *diffic.* 4. Henriq. *l.* 13. *c.* 7. *n.* 5. Villalob. *tr.* 17. *diffic.* 14. *n.* 5. Laym. *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *num.* 15.

80. Opposita sententia, quæ & ipsa est satis probabilis, absolute affirmat, reum excommunicatum in omni casu posse per se ipsum comparere in judicio, non solum casu, quo non inveniat idoneum procuratorem, quod omnes admittunt, sed etiam si illum inveniat; nam in cap. *Cum inter*; cap. *Dilecti*, & cap *Venerabilem de except.* absque restrictione permittitur excommunicato, ut possit se ipsum in judicio defendere, unde non debet cogi respondere per alium. Nec obstat cit. caput *Intelleximus*, quia ly *per alium* non excludit ipsum reum, quasi quod non possit per se ipsum comparere, sed solum intendit Pontifex, quod debeat respondere, si non possit, vel non sit idoneus per se, hoc facere debeat per alium. Ita tenent Coninch. *n.* 116. & 157. Alterius *l.* 2. *disp.* 3. *c.* 2. *vers. sed licet*, Diana *p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 111. Palaus *disp.* 3. *punct.* 14. *n.* 26. Suar. *disp.* 14. *sect.* 4. *n.* 8. Bonacina *punct.* 7. *n.* 8. Leander *disp.* 12. *q.* 10.

81. Secus dicendum est de reo non vocato in judicium, sed voluntario, qui ante absolutionem non debet audiri, quia caput *Intelleximus de judic.* ubi reum in jus venire compellitur, loquitur de reo necessario, id est de illo, qui cogitur respondere in judicio, & se defendere, non de reo voluntario, qui non cogitur ab aliquo comparere in judicio, sed ad judicium suo commodo venit, & potius habet vim actoris, quam rei, siquidem ipse provocat actorem ad agendum, nempe ut suum judicium prosequatur, actor autem non auditur in judicio, ut supra dictum est. Ita Abbas in cap. *cum inter de excep. n.* 12. Suar. *disp.* 14. *n.* 13. Alterius *supra c.* 2. *vers. Quarto quæri potest*, Filliuc. *tr.* 12. *c.* 7. *q.* 5. *dicto* 1. Baunii *disp.* 7. *de excom. q.* 21.

82. Alia plura ad rem præsentem spectantia tractant Palaus, Bonacina, & Leander distincte explicantes, quandonam excommunicatus exercere possit officium Procuratoris, Testis, Advocati, Tutoris, & Curatoris, & alios contractus civiles inire, quæ apud ipsos videri possunt.

DUBIUM IX.

De septimo effectu Excommunicationis, qui est privatio communicationis politicæ, & civilis cum aliis Fidelibus.

83. COnveniunt Doctores communiter, cuilibet excommunicato majori excommunicatione, sive sit vitandus, sive toleratus, per se loquendo, prohibitam esse communicationem, seu conversationem politicam, & civilem cum aliis fidelibus, adeo ut cum eis neque contrahere commercia, aut negotia habere, cum eis cohabitare, aut familiariter conversari non valeat, ut constat ex cap. *Nuper*, cap. *Si aliquando, de sent. excomm.* cap. *Ad mensam*, cap. *Si quis lateus* 24. *q.* 1. cap. *Sicut Apostoli*, cap. *Excommunicatos, cum seq.* 11. *q.* 3. quod idem prohibitum est fidelibus communicare cum illis, quando sunt vitandi, & publice denuntiati. Pro quo nota, excommunicatos excommunicatione majori alios esse, ac dici toleratos, quia Ecclesia eos tolerat, ac permittit, quod fideles illos vitare non teneantur, sed cum eis, sicut cum aliis, tam in divinis, quam in humanis, ac politicis, communionem habere possint, alios vero esse vitandos, eo quod tam ipsi teneantur vitare, seu communionem habere cum fidelibus quam fideles tenentur illos vitare, seu cum illis commercium, & conversationem non habere. *Quinam autem sint vitandi, seu tolerati?*

84. Dico, quod licet olim omnes excommunicati excommunicatione majori essent vitandi, publici quidem publice, occulti vero occulte, cap. *Cum non ab homine, de sent. excom.* Hodie tamen post Concilium Constantiense circa annum 1414. celebratum, ex moderatione Martini V. in Constitut. quæ incipit: *Ad vitanda scandala*, nullus excommunicatus est necessario vitandus a fidelibus, nisi sit specialiter, & nominatim denuntiatus a Judice Ecclesiastico, vel nisi sit notorius percussor Clerici. Tunc autem quis dicitur notorius percussor Clerici, quando factum adeo notorie constat, ut *non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari*, ut

ut loquitur Pontifex in cit. Bulla; unde si percussio Clerici est adhuc occulta, vel factum ipsum non potest probari, aut aliqua ratione excusari; ut si percussor dicat, se Clericum percussisse ex joco, aut inadvertenter, vel ignorasse, illum esse Clericum, talis percussor non est vitandus, ut communiter admittunt Doctores.

85. Quamvis fidelibus permissum sit ab Ecclesia communicare cum excommunicatis toleratis, seu non vitandis, isti tamen tam in divinis, quam in humanis, & politicis tenentur se gerere tamquam excommunicatos, & vitare; quantum possunt, fidelium communionem, nec ultro possunt cum illis se ingerere, nisi ab eis requirantur: quia Martinus V. per suam Bullam solis fidelibus permittit communicare cum excommunicatis toleratis, non vero permittit istis ultro se ingerere, & communicare cum aliis fidelibus, quibus non intendit in aliquo favere, nec eos in aliquo relevare, ut habetur ex citata Bulla, ubi circa finem habetur: *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, & interdictos, seu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari*; ac proinde non possunt se ultro ingerere, & communicare cum aliis fidelibus, quamvis isti possint cum illis communicare.

86. Casus, in quibus prohibitum est fidelibus communicare cum excommunicatis vitandis, continentur illo versiculo:

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

Per ly *Os* intelligitur discursus, & confabulatio cum excommunicatis, etiamsi fiat per litteras, internuntium, aut per alia signa. Intelliguntur etiam prohibita per hanc particulam oscula, amplexus, & alia signa amicitiæ, nec non munerum receptio, vel ad eos missio, quia est quædam communicatio, ut habet Bonacina *punct.* 6. §. 2. & alii cum ipso, non tamen prohibetur retentio munerum, quæ ante excommunicationem sunt recepta, quamvis bonum consilium sit remittere munera, ut excommunicatus confundatur, & inde occasionem capiat resipiscendi, ut cum Avila, Navarro, Sayro, & aliis notat Bonacina.

87. Per ly *Orare* intelligitur prohibita communicatio in Sacris, & Divinis, id est in Orationibus, Processionibus; Missis, & aliis Divinis Officiis; unde non licet orare cum excommunicatis vitandis, ut supra dictum est, non tamen prohibitum est pro illis privatim orare; vide quæ diximus supra *dub.* 4. Per ly *Vale* prohibetur omnis honorifica, & amica salutatio, etiam signis, & gestu facta, ipsi assurgendo, & aperiendo caput, vel alio simili modo. Asserunt plures, licitum esse prius salutantem resalutare, eo quod sit quædam debiti solutio, quæ etiam debetur inimicis; sed hoc non approbat Bonacina cum Avila *supra num.* 4. quia cum generaliter prohibitum sit communicare cum excommunicato, ipsumque salutare, si ipse illicite salutat, non habet jus, ut resalutetur, sed in pœnam delicti est illo privatus, & sic non est licitum ipsum resalutare, nec ab illo litteras accipere, seu rescribere; non tamen est illicitum ipsum alloqui dicendo: *Deus te convertat, Deus te illuminet*, si non proferantur animo salutandi, aut honorandi, ut habet *ib.* Bonacina.

88. Per ly *Communio* intelligitur prohibita qualibet societas facta cum excommunicatis vitandis in habitatione, contractibus, judiciis, laboribus, & exercitiis; unde non licet cum illis contractus inire, & idem opus cum illis facere. Per ly *Mensa* prohibetur communicatio in cibo, & potu, quæ fit in eadem mensa communi per modum societatis; unde non est licitum cum excommunicato in eadem mensa sedere, vel cibos communes, etiam in diversa mensa, cum illo sumere: & inde, qui scit in eadem mensa, in eodem convivio, in eodem refectorio adesse excommunicatum vitandum, tenetur recedere, & non recedendo peccat, & incurrit minorem excommunicationem. Si tamen quis per accidens, & non per modum societatis reperiatur in diversorio, seu caupona, poterit in eodem cubiculo, & in eadem mensa comedere, dummodo quisque suum habeat cibum, nec comedat per modum societatis, sed quisque suæ intendat refectioni, ut cum Suar. Sayro, & Avila tenet Bonacina *punct.* 6. §. 2. n. 6.

89. Plures tamen dantur causæ, in quibus absque culpa, & pœna licitum est cum excommunicato vitando communicare, quæ referuntur Can. *Quoniam multos* 11. q. 3. & continentur illo versiculo:

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

Utile denotat utilitatem, tum spiritualem, tum corporalem, tam ipsius excommunicati, quam participantis, & communicantis cum illo, vel alterius tertii, modo utilitas sit vera, & non ficta; unde ratione utilitatis spiritualis licitum ex tam verbo, quam facto excommunicatum hortari ad resipiscentiam, & conversionem, ad eum litteras mittere, & alia urbanitatis signa ostendere, quando creditur, monitionem esse profuturam, quia, quando finis est licitus, sunt etiam licita media, quæ ad ipsum ordinantur. Avila *p.* 2. *c.* 6. *d.* 5. *p.* 11. *dub.* 2. Bonacina *punct.* 6. §. 2. *num.* 10. Propter utilitatem communicantis licitum est ab excommunicato consilium petere, si sit Advocatus, aut Medicus, pro se, vel pro alio, quando non est alius, qui æque utiliter, & bene possit consulere: Licitum est insuper ab illo exigere debitum: & excommunicatus potest ab illis suum creditum petere, & exigere privatim, secus in judicio, quia ibi non admitteretur. Bonacina *numer.* 12. *& seqq.*

90. *Lex* significat legem matrimonii, ratione cujus uxor communicare potest cum marito excommunicato, etiam denuntiato, sicuti prius, quoad torum, & cohabitationem, reddendo, & petendo debitum, & in colloquiis familiaribus pertinentibus ad gubernationem domus, in mensa, & aliis, sicut poterat ante excommunicationem, ctt. Can. *Quoniam multos* 11. q. 3. ubi absolute conceditur uxori, ut possit communicare cum viro absque ulla restrictione, ut constat ab illis verbis textus: *Apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus, videlicet uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos servientes.* At quia in correlativis dispositum de uno, censetur dispositum pro alio, ubi eadem ratio invenitur, quod dictum est de uxore potente communicare cum marito excommunicato, valet etiam de marito in ordine ad uxorem, quia militat eadem ratio, scilicet animæ periculum, & utilitas domestica, ob quod uxori permissum est communicare cum marito. Bonacina *n.* 18. *& seq.* Navar. *c.* 27. *num.* 27. Covarruvias in cap. *Alma mater* 1. *part.* §. 1. *numer.* 8. & alios referens Diana *part.* 5. *tractat.* 9. *resol.* 125.

91. *Humile* denotat subjectionem, ratione cujus liberi non emancipati, servi, ancillæ, & mancipia, atque rustici servientes communicare possunt cum patre, & domino, illique servitutis officia præstare, ut constat ex cit. cap. *Quoniam multos*, ubi de his omnibus fit mentio. Eadem ratione parentes, domini, & superiores communicare possunt cum filiis, & servis excommunicatis, quia in his etiam militat eadem ratio, scilicet evitatio periculi animarum, ut tenent Doctores communiter.

92. *Res Ignorata* denotat quamcumque ignorantiam, sive juris, sive facti, quæ excusat a communicatione cum excommunicato, quando quis ignorat, aliquem esse excommunicatum; vel si scit esse excommunicatum, ignorat esse vitandum, dummodo ignorantia non sit crassa; nam ignorantia invincibilis in qualibet materia excusat a culpa, & pœna, ut diximus *suo loco*. Non sufficit habere dubium de alterius excommunicatione, ut eum vitare teneatur, quia propter dubium nemo privandus est jure suo, quod habet ad communionem cum aliis, sed habere debet certitudinem moralem de alterius excommunicatione, & ratione illius esse vitandum; nam utrumque requiritur, ut ab ejus communicatione removeatur. Bonacina *n.* 42. Avila *n.* 11. Palaus *n.* 25.

93. *Necesse* denotat quamcumque notabilem necessitatem spiritualem, seu temporalem, sive deinde se teneat ex parte ipsius excommunicati vitandi, sive ex parte communicantis cum illo, vel alterius tertii, ratione cujus separari non possunt a communicatione. Si enim utilitas licitam reddit talem communicationem, multo magis licitam reddit necessitas, dummodo sit gravis, nec aliter separari possit, sitque necessitas animæ, vel corporis, famæ, aut fortunæ; sive talis necessitas proveniat ex violentia, vel metu gravi injuste incusso, sive aliunde. Unde licitum est, urgente necessitate, excommunicatum hospitio recipere, eique ministrare, & eleemosynam dare, & vicissim ab eodem petere, & accipere. Licitum est etiam cum eo communicare in eo loco, ubi adhuc est bonæ famæ, si alioquin esset infamandus. Hac ratione nominatim excommunicatus in uno loco erit alibi publice vitandus, si excommunicatio publice sciatur: occulte vero, si occulte, quia per denuntiationem factam in uno loco jus amisit ad famam in omni loco, ita tamen, ut non debeat publice vitari, si excommunicatio sit occulta, quia in tali loco non amisit jus ad famam publicam. Sylvester verb. *Excommunicatio* 5. *n.* 16. Covar. in cap. *Alma mater* 1. *p.* §. 2. *n.* 3. *&* 6 *&* §. 3. *n.* 2.

94. Qui extra casus a jure permissos communicat cum excommunicato vitando, peccat mortaliter quidem, si communicat in rebus sacris, & divinis, juxta superius dicta: venialiter autem, qui solum participat in rebus humanis, & civilibus, citra scandalum, & contemptum. Idem valet de excommunicato communicante cum fidelibus non excommunicatis, & hoc ratione parvitatis materiæ, quia talis communicatio in actibus humanis, & communibus censetur materia parva insufficiens ad peccatum mortale, ut cum Cajetano, Navarro, Soto, Henriquez, & aliis docet Bonacina *quæst.* 2. *punct.* 6. §. 1.

§. 1. n. 5. Quod verum est, etiamsi frequens sit talis communicatio, quia quod est de se peccatum veniale, per multiplicationem actuum non transit in mortale, ut tenent cit. Doctores, quos sequitur Palaus *disp.* 2. *punct.* 18. *n.* 3. Sayr. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 4. Diana *p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 2. & aliis apud ipsos.

95. Nec obstat, quod per communicationem cum excommunicato vitando incurratur excommunicatio minor, per quam quis privatur passiva participatione Sacramentorum, a qua nemo excluditur per solum peccatum veniale. Sed contra dico, per talem communicationem cum excommunicato vitando incurri excommunicationem minorem excludentem a passiva Sacramentorum participatione, non tamen esse peccatum mortale, quia hoc pendet a potestate Ecclesiæ privantis inobedientes passiva Sacramentorum participatione ob censuram incursam propter solum peccatum veniale, cum a tali pœna possit quis faciliter liberari, ut docent citati Doctores.

96. Peccat tamen mortaliter, & incurrit majorem excommunicationem, qui communicat cum excommunicato in crimine criminoso, id est, quando cooperatur crimini, vel contumaciæ, propter quam lata est excommunicatio. Cap. *Nuper*, & cap. *Si concubinæ de sent. exc.* quia agentes, & consentientes digni sunt, ut pari pœna plectantur. Et inde si lata sit excommunicatio contra concubinarium recusantem concubinam domo expellere, qui auxilium, favorem, aut consilium præbet tali concubinario, ne concubinam domo expellat, dicitur participare in crimine criminoso; unde peccaret mortaliter, & majorem incurreret excommunicationem. Similiter, qui dat consilium, aut impedit ne alter debitam restitutionem faciat, aut ne percussor Clerici pœniteat, & exeat ab excommunicatione, dicitur participare in crimine criminoso, quod idem valet in aliis casibus similibus, & sic peccat mortaliter, & incurrit eamdem excommunicationem, quia est particeps in eodem casu & peccato, pro quo lata fuit excommunicatio: & ita tenent Doctores communiter, Navarrus, Henriq. Suar. Alterius, & Bonacina §. 1. *n.* 8.

97. Ad incurrendam hanc excommunicationem quinque requiruntur conditiones. Primo, ut communicet in crimine postquam criminosus excommunicationem contraxit; qui enim communicat in primo actu, quando nondum est excommunicatus, non incurrit dictam excommunicationem. Secundo, ut participet in eodem crimine, propter quod alter jam fuit excommunicatus. Tertio, quod communicet cum criminoso, sciens illum jam fuisse excommunicatum propter tale crimen; secus excusaretur ab incurrenda pœna in cap. *Nuper de sent. exc.* dicitur; *quod participet scienter*. Quarto, ut ille, cum quo communicat, sit vitandus, & nominatim excommunicatus, & denuntiatus; nam post Constantiense permissum est participare cum excommunicatis toleratis. Addunt nonnulli, participantem cum notorio percussore Clerici non incurrere dictam excommunicationem, nisi forte talis percussor fuerit denuntiatus, excommunicationem incurisse; nam in dicto cap. *Nuper* solum fit mentio de participante cum nominatim excommunicato. Ita Sanch. & Avila apud Bonacinam *supra n.* 9. Quinto, quod communicatio, aut cooperatio in crimine non sit adeo levis, ut pro nihilo habeatur; nam ad incurrendam excommunicationem requiritur materia gravis, & sufficiens ad peccatum mortale. Sic Doctores communiter, qui advertunt, participantem in crimine criminoso non posse absolvi, nisi ab illo, qui absolvere potest principalem, cum quo communicavit; ut constat ex cit. cap. *Nuper*, & omnes omnes Doctores.

98. Universaliter notandum est, quod sicut ab observantia legum humanarum excusat justa, & rationabilis caussa, puta ignorantia invincibilis, gravis necessitas, gravis metus, vel grave periculum mortis, infamiæ, jacturæ bonorum, & damni corporalis: ita similiter poterit excusari excommunicatus, qui propter similem caussam excommunicationem non observat: & si excommunicatio sit occulta, quamvis sibi bene cognita, ad evitandum scandalum, gravem jacturam famæ, bonorum &c. poterit excommunicatus administrare, vel recipere Sacramenta, Divinis interesse, & ultro cum aliis conversari, dummodo hoc necessarium sit ad evitanda illa damna, quæ alia ratione non possunt vitari; ubi enim nullum periculum damni est, vel, si adest, alia ratione, quam transgressione legis vitari potest, debet excommunicatus se abstinere, & observare excommunicationem.

99. Alii effectus excommunicationis magis remoti sunt Irregularitas, & quod, si quis insordescat in excommunicatione per annum, sit suspectus de hæresi, & contra eum possit ab Inquisitoribus procedi ex Trident. *sess.* 25. *c.* 3. & quod Rescripta quæcumque a Pontifice impetrata sint invalida, & nihil ei prosint; ut constat ex cap. 1. *de Rescr. in* 6.

DUBIUM X.

De Minori Excommunicatione.

100. Licet olim plures fuerint minores excommunicationes, tum a jure, tum ab homine impositæ, quarum aliquæ privabant omnium Sacramentorum participatione, & aliæ solum a participatione Eucharistiæ; hodie tamen unica tantum est a jure imposita ob participationem cum excommunicato vitando, juxta textum in cap. *Excommunicatos*, & cap. *Cum excommunicato*, *& seq.* & cap. *Finali*, *de Clerico excommunicato ministrante*, cap. *Nuper*, *de sent. excomm.* & cap. *A nobis*, *de except.* ut cum Victoria, Cajetano, Navarro, & aliis tradit Palaus *punct.* 24. *n.* 1. Contrahitur hæc excommunicatio minor per participationem & communicationem cum excommunicato majori excommunicatione vitando, sive vivo, sive mortuo, in casibus a jure prohibitis. Si enim mortuum, antequam absolvatur, comites ad sepulturam, incurris minorem excommunicationem; nam quibus in vita communicare non possumus, nec in morte permissum est communicare, cap. *in Sacris*, *de sepult.* Illam non incurris communicando cum excommunicato tolerato, quia post Concilium Constant. hoc est fidelibus permissum.

101. Definitur hæc excommunicatio *Censura Ecclesiastica, privans fideles passiva Sacramentorum participatione, & electione ad Beneficia Ecclesiastica.* Inde taliter excommunicatus non privatur jurisdictione, nec suffragiis communibus Ecclesiæ, nec communicatione exteriore, tam in civilibus, quam in sacris, audiendo Missam, Divina Officia, &c. sed licite iis potest interesse sine peccato. Mortaliter peccat recipiendo Sacramenta, nisi ignorantia, seu alia gravis caussa excuset, sed valide recipit, excepto Sacramento Pœnitentiæ: siquidem in eo recipiendo peccat mortaliter ex defectu doloris, & dispositionis ad gratiam, & sic invalide recipit, nisi prius curet a tali excommunicatione absolvi. Idem dicendum de Sacerdote tali excommunicato scienter conferente Sacramenta, nisi ob gravem caussam excusetur; eo quod Sacramenta conferat indigno & indisposito; peccat, inquam, non contra præceptum Ecclesiæ; sed contra præceptum naturale Divinum, quo Sancta sancte tractare tenemur.

102. *An vero peccet administrando Sacramenta, sicut peccat ea recipiendo?* Probabilius est non peccare, nec etiam venialiter, quia excommunicatus excommunicatione minori non est privatus activa participatione Sacramentorum, sed tantum passiva, ut cum aliis tenet Bonacina *q.* 3. contra nonnullos volentes peccare mortaliter, aut venialiter. Mortaliter peccat celebrando, quia recipit Sacramentum Eucharistiæ, non tamen fit irregularis, nec incurrit aliam pœnam ipso jure, cum nullibi sit expressa, sed puniri potest arbitrio Superioris, ut patet ex cap. *Si celebrat*, *de Clerico excomm. ministrante*, ut cum Suar. & Avila notat Bonac.

103. Secundus effectus excommunicationis minoris est privatio electionis passivæ ad Beneficia Ecclesiastica adeo, ut nec eligi, nec præsentari possit ad Beneficia, cit. cap. *Si celebrat.* Unde peccant mortaliter eligentes, præsentantes, & conferentes scienter Beneficia excommunicato minori excommunicatione, sicut etiam mortaliter peccat ipse excommunicatus illud recipiens, quia in re gravi faciunt contra præceptum Ecclesiæ. Palaus *punct.* 26. *n.* 13. Bonacina *q.* 3. *n.* 7. Sayrus *l.* 22. *n.* 22. Electio tamen, & præsentatio est valida, quia in dicto cap. non apponitur clausula irritans, sed potest per sententiam Judicis irritari. Non privatur electione, præsentatione, seu collatione activa, quia hæc spectat ad jurisdictionem, cujus usus ea excommunicatione non impeditur. Dixi, *ad Beneficia Ecclesiastica*; nam si agatur de officio aliquo, aut dignitate temporali, electio ad illam nullo jure prohibetur, nec irritari debet.

104. Ab hac minori excommunicatione absolvere potest Episcopus, & quilibet proprius Sacerdos, cap. *Nuper de sent. excom.* Proprius Sacerdos dicitur non solum Episcopus, & Parochus, & qui in suos subditos habent jurisdictionem ordinariam, sed etiam qui illam habent delegatam; unde quilibet Sacerdos approbatus ad Confessiones audiendas dicitur proprius Sacerdos respectu illorum, quos potest a peccatis absolvere, cap. *Omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* & sic quilibet Sacerdos, qui facultatem habet ordinariam, aut delegatam audiendi Confessiones, absolvere potest ab hac excommunicatione: quod certum est apud omnes Doctores.

105. Dubium solum est, *an id præstare possit quilibet Sacerdos, etiam non approbatus ad Confessiones audiendas.* Plures affirmant, modo non sit conjuncta cum peccato mortali, quia Sacerdos quilibet absolvere potest a culpis venialibus: sed hæc excommunicatio de se contrahitur pro-

propter venialia; ergo potest simplex Sacerdos absolvere ab illa. Hodie tamen hoc non est satis tutum, propter Decretum contrarium Sacræ Congregat. prohibentia absolutionem venialium factam a simplici Sacerdote non approbato ad confessiones audiendas, quod Decretum allatum est a nobis in *tract. de pœnit. cap. 13. dub. 4. n. 28.* Absolutio ab hac excommunicatione sufficienter datur verbis eam exprimentibus, nec requiritur aliqua determinata cærimonia pro foro externo, sicut requiritur pro excommunicatione majori.

106. Hic nobis agendum esset de excommunicationibus in particulari, & maxime de contenta in Bulla Cœnæ; at quia nimis cresceret volumen, id consulto omittimus, & reservamus ad speciale opusculum a nobis dandum, si otium erit. De illis fuse, & luculenter tractant Suar. Alterius, Duardus, Navar. Leand. Palaus, & Bonacina speciali Volumine, apud quos, occurrente casu, videri possunt.

CAPUT IV.

De Suspensione, & Degradatione.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex sit Suspensio.

TRibus modis sumi potest Suspensio. Primo *latissime*, pro prohibitione cujuscumque officii, etiam sæcularis. Secundo *minus late*, prout importat privationem usus alicujus Officii Ecclesiastici ob ignorantiam, vel morbum, & hoc modo Clericus fieri potest suspensus sine culpa, non tamen sine caussa. Tertio accipitur *stricte*, & *proprie* pro censura Ecclesiastica, qua quis ita prohibetur exercere actus Ordinis, ut fiat irregularis, si illos exerceat, & de hac loquimur in præsenti, & bene definitur: *Censura Ecclesiastica, qua Clericus impeditur, ne functiones exerceat sui Officii, vel Beneficii.* Dicitur *Censura* loco generis, & per illam convenit cum Excommunicatione, & Interdicto, a quibus differt per alias particulas, ut diximus supra *c. 1. n. 5.* nam excommunicatio privat bonis spiritualibus, quatenus habent rationem communicationis cum fidelibus: interdictum, ut sunt quædam participatio rerum sacrarum: Suspensio vero prout sunt actus Officii, vel Ordinis, seu usus Ecclesiasticæ potestatis.

2. Suspensio multiplex est, nam alia est ab officio tantum, sive Ordinis, sive Jurisdictionis. Alia a beneficio tantum, id est ab administratione, & fructibus beneficii percipiendis. Alia ab officio, & beneficio simul. Item alia est totalis, quæ suspendit in totum ab officio, & beneficio, id est ab omni actu Ordinis, & Jurisdictionis, ut nullum exercere possit actum Ordinis, aut Jurisdictionis. Alia partialis, quæ solum suspendit ex parte, ut quando quis suspenditur a celebrando, sed non ab audiendis confessionibus, vel e contra. Alia insuper est temporalis, quæ fertur ad tempus determinatum. Alia perpetua, quæ simpliciter fertur absque limitatione temporis. Alia est pœnalis, quæ fertur in punitionem, & vindictam delicti commissi, & hæc non est censura, sed pura pœna. Alia est medicinalis, qua intenditur emendatio delinquentis, & hæc est proprie censura. Alia denique est a jure, alia ab homine, ut dictum est supra de Censuris in communi.

3. Omnes, qui possunt excommunicare, possunt etiam suspendere; nam qui potest majus, potest minus in eodem genere; suspendere autem minus est, quam excommunicare; non tamen e contra omnes, qui possunt excommunicari, possunt suspendi; siquidem omnes Christiani possunt excommunicari, non tamen suspendi, sed solum personæ Ecclesiasticæ habentes aliquem Ordinem, vel Jurisdictionem Ecclesiasticam, ut patet ex tradita definitione suspensionis; non tamen omnes personæ Ecclesiasticæ suspendi possunt; nam Summus Pontifex suspendi non potest, sicut nec excommunicari, cum non habeat in terris Superiorem, a quo suspendatur, vel excommunicetur. Episcopi autem, licet possint suspendi, privilegium tamen illis concessum est ob eorum dignitatem, ut generali sententia suspensionis, & interdicti non comprehendantur, nisi specialis eorum mentio fiat, ut cum Hurtado, Henriq. Laym. & aliis tenet Palaus *disp. 5. punct. 2. n. 5.* & constat ex cap. *Quia periculosum de sent. excomm. in 6.* & intelligitur de Episcopis etiam non consecratis, dummodo sint confirmati ut probat Palaus *l. c.* Abbatissa, Priorissa, & alia hujusmodi Præfecta Monialium, licet suspendi possit ab Officio suæ Œconomiæ, ejusque actibus, non tamen est capax suspensionis, quæ sit censura Ecclesiastica, cum non suspendatur ab aliquo actu Ecclesiastico ratione Ordinis Clericalis alicui competenti, cum sit incapax, tum Ordinis Clericalis, tum veræ Jurisdictionis Ecclesiasticæ.

4. Non solum singulares personæ, sed etiam integra Communitas Clericorum, puta Capitulum suspendi potest, ex cap. *quia sæpe de elect. in 6.* ubi totum Capituli corpus, & singuli Capitulares, qui bona Prælati defuncti occuparunt, vel diripuerunt ab Officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis suspenduntur, quousque restituerint quidquid de bonis perceperint supradicta. Quando suspensio simpliciter fertur in communitatem, non afficit singulas personas distributive secundum ipsarum particularia ministeria, sed afficit communitatem, id est personas communitatis, prout constituunt unum corpus secundum officia, & beneficia illis communia, quæ scilicet communi suffragio conferuntur; si autem fertur in communitatem, & singulas illius personas, propter culpam particularium, ut in cit. cap. *quia sæpe de elect. in 6.* tunc non afficit personas innocentes, sed solum delinquentes, & sic innocens, cessante scandalo, potest se gerere tamquam non suspensum in ordine ad officium, & beneficium sibi proprium. Coninch *disp. 15. dub. 3. n. 26.* Avila *p. 3. disp. 3. dub. 2. concl. 3. & dub. 4. concl. 1.* Navarr. *consil. 40. l. 1.* Antonius a Spiritu S. *disp. 4. num. 702.*

5. Suspensio, prout est censura Ecclesiastica, incurri non potest absque culpa, & quidem absque culpa gravi, & mortali, quando suspensio est gravis, ut est illa, quæ regulariter imponitur a jure, & quidem debet esse culpa propria, quia, cum sit pœna, supponit culpam in eo, qui punitur, secundum vulgata principia juris, & constat ex dictis supra *c. 1. dub. 5. n. 45.* Dubium solum est, *an suspensio imponi possit pro peccato veniali?* Resp. suspensionem totalem ab officio, & beneficio, vel ab alterutro illorum supponere culpam gravem, quia est pœna gravis; si autem est suspensio minor, quia privat solum ab aliqua parte, puta ab uno actu eligendi, a distributionibus unius horæ, vel ad tempus, puta per unum mensem, tunc imponi potest pro culpa veniali, quia non censetur pœna gravis. Palaus *disp. 4. punct. 3. n. 4.* Sanchez, Hurtado, & Coninch, quos sequitur Ant. a Spiritu S. *n. 703.*

6. Potest suspensio imponi non solum per modum censuræ proprie dictæ, sed etiam per modum pœnæ: si imponatur a Judice per modum censuræ, ad eam præcedere debet canonica monitio, non autem si a Canone jam sit lata, vel imposita, arg. cap. *Reprehensibilis de appell.* ut diximus supra *cap. 1. dub. 9.* Quod si feratur suspensio in pœnam delicti, nulla est necessaria prævia monitio; unde si Prælatus prohibeat subdito oretenus, & solo verbo, ne celebret, tunc est pœna, non censura rigorosa, quæ debet ferri in scriptis, præcedente monitione, nulla pro illa ferenda requiritur determinata forma, sed sufficiunt quæcumque verba illam exprimentia. Palaus *disp. 4. punct. 4. num. 1.* Navarr. *c. 27. n. 161.* Henriquez *l. 12. c. 32. n. 3.*

DUBIUM II.

De effectibus Suspensionis.

7. EFfectus suspensionis est privare suspensum actibus, exercitio, seu usu alicujus potestatis, seu juris alias ratione officii sui competentis, ut constat ex tradita definitione suspensionis, dubium solum est: *an talis privatio sit late, vel stricte interpretanda, adeo ut suspensus ab uno effectu, seu actu, censeatur etiam suspensus ab aliis actibus, & effectibus?* Et dico, hanc pœnam esse stricte accipiendam, ut suspensus ab uno actu non sit suspensus ab aliis, nisi sint connexi cum primo; ut docet Henriq. *l. 13. c. 32. n. 1.* in quo differt ab excommunicatione, cujus omnes effectus sunt jure communi connexi, ut non nisi a Papa possint separari; unde attendi debent verba juris, aut judicis, ut suspensio restringatur ex proprietate verborum ad effectum expressum. Si absolute proferatur sine expressione alicujus effectus, censetur invalida, nec ullum sortiri effectum. Suar. *disp. 25. sect. 2. n. 8. & 9.* Alterius, Filliuc. Cornejo, quos affert, & sequitur Leander *de Censur. tr. 1. disp. 4. q. 7.* contra Sayrum Ugolinum, & alios, quos sequitur Bonacina *punct. 2. n. 1.*

8. Suspensus ab officio non est eo ipso suspensus a beneficio: nec e contra suspensus a beneficio est etiam suspensus ab officio, quia sunt duo disparata, & unum stare potest sine altero, nec nomine officii venit beneficium, aut e contra. Palaus *punct. 5. §. 1. n. 5.* & cum aliis Diana *p. 5. tr. 10. resol. 1.* unde suspensus ab officio percipere potest fructus sui beneficii, si alias per se, vel per alium inserviat beneficio; cum enim suspensus ab officio non privetur beneficio, ita nec privari debet fructibus ejusdem beneficii: potest etiam eligi valide

ad

ad aliud beneficium, quia talis electio nullo jure redditur irrita, sed ad summum irritanda, ut cum Suar. tenet Coninch *disp.* 15. *dub.* 2. *concl.* 3. Suspensus a beneficio, si ejusdem administrationi se ingerat, & fructus percipiat, perdit ipso jure beneficium, cap. *Cupientes* §. *caeterum de elect. in* 6. & fructus perceptos restituere tenetur, saltem post sententiam Judicis, non ante, si per se, vel per alium beneficio inservivit.

9. Suspensus ab Ordine non censetur suspensus a Jurisdictione Ecclesiastica, nec e contra, quia suspensio, cum sit stricte interpretationis, extendi non debet ultra verborum proprietatem; & inde si Episcopus sit suspensus ab Ordine, quamvis non possit confessiones audire, potest tamen alteri delegare facultatem confessiones audiendi; nam hoc spectat ad potestatem Jurisdictionis, illud ad potestatem Ordinis. Suspensus ab Ordine, si actum exerceat sibi prohibitum, contrahit irregularitatem, *c.* 1. *de sent. & re judic. in* 6. non autem si exerceat actum Jurisdictionis.

10. Suspensio ab Ordine simpliciter lata, impedit, ac prohibet usum cujuscumque Ordinis, tam majoris, quam minoris, quia suspensio indefinita aequivalet universali. Palaus *p.* 5. §. 1. *n.* 11. Suspensus simpliciter a collatione, seu receptione Ordinum, non videtur suspensus a collatione, seu receptione primae tonsurae, cum haec propria non sit Ordo. Bonac. *punct.* 2. *n.* 6. & cum aliis Diana *p.* 5. *tr.* 1 *n. resol.* 6. Suspensus ab Ordine superiori non censetur suspensus ab inferiori; nam qui prohibet majus non statim prohibet minus, & sic suspensus a Presbyteratu exercere potest officium Diaconi, & Subdiaconi. Bonacina *n.* 7. Palaus §. 1. *n.* 11. Diana *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 5.

11. Suspensus vero ab Ordine inferiori non potest licite exercere actum superioris Ordinis, tum quia, destructo fundamento, destruuntur omnia, quae fundantur in illo; sed Ordines superiores fundantur in inferioribus, & sic prohibitus exercere actus inferiores, nec etiam superiores exercere potest, tum quia indignus exercere actus inferiores, magis indignus est, ut exerceat superiores, cui enim, quod minus est non licet, nec quod majus est licere debet. Cap. *qui illicitum de sent. excom.* juncta Gloss. *verb. minora*, & cap. *Cui licet de Regul. Juris in* 6. Reginald. *l.* 32. *n.* 15. Hurtad. *diff.* 4. *n.* 8. Bonacina *punct.* 2. *num.* 7. Diana *p.* 5. *tr.* 6. Si tamen de facto illum exerceat, non incurrit irregularitatem, si alias non exerceat actum Ordinis, a quo est suspensus, quia hoc illi prohibetur solum ratione incedentiae, ut cum Cornejo, Diana, & Coninch tenet Leander *disput.* 3. *quaest.* 16.

12. Suspensio lata simpliciter absque determinatione temporis semper durat, donec per habentem potestatem auferatur; si vero lata sit cum determinatione temporis, puta per sex menses, vel sub conditione, donec restituat tempore elapso, vel impleta conditione, per se ipsam cessat absque nova Superioris absolutione, juxta ea, quae diximus supra *de excommun. c.* 2. *dub.* 1. *n.* 6. Navar. *in man. c.* 27. *n.* 161. Tollitur etiam per relaxationem, sive dispensationem, si ea lata fuit, ut pura poena propter peccatum praeteritum, sive deinde lata sit in perpetuum, sive ad certum tempus, & illud nondum sit elapsum. Nulla sunt necessaria verba determinata pro absolutione Clerici a suspensione, sed sufficiunt quaecumque verba importantia talem absolutionem; puta: *Ego absolvo te a vinculo suspensionis, quam incurristi, & restituo te ad executionem tui officii, vel Ordinis, vel ad tuum beneficium*, ut cum aliis tenet Bonacina *disp.* 3. *q.* 6. *punct. ult.*

DUBIUM III.

De Depositione, & Degradatione.

13. DEpositio, seu Degradatio est perpetua remotio ab Ordinibus, vel Altaris ministerio. Differt a Censuris, & irregularitate, quia istae sunt temporales, & cessant per absolutionem, vel dispensationem, non sic degradatio, quae est perpetua: & est duplex, alia verbalis, quae proprie dicitur *Depositio*, estque poena Ecclesiastica, qua Clericus cum certa verborum forma, ac sollemnitate privatur in perpetuum omni officio, ac beneficio Clericali, non tamen privatur privilegio fori, & Canonis; unde puniri non potest a Judice laico; & percutiens verbaliter degradatum, incurrit excommunicationem Canonis, *si quis suadente*.

14. Degradatio realis, seu actualis, quae proprie dicitur *Degradatio*, est, quando Clericus jam verbaliter degradatus per sententiam spoliatur vestibus omnibus, ac signis Clericalibus, & omni privilegio Clericali, adeo, ut non incurrat excommunicationem, qui taliter degradatum percutit, non tamen Charactere, qui indelebiliter inhaeret Animae, nec potestate ordinis; unde si esset Sacerdos, & consecraret cum debita materia, forma, & intentione, valide consecraret. Sic Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat.* 110. *n.* 5. *& seq.* Bonacina *punct. ult. n.* 5. Sayrus *l.* 5. *c.* 22. *n.* 25.

15. Haec poena non nisi Clericis in Sacris constitutis infligi solet, quamvis inferioribus etiam imponi possit; ordinarie est irremissibilis, & solum a Papa remitti potest, quin etiam taliter degradatus tradi solet Curiae saeculari morte plectendus ob crimina gravia, & extraordinaria. Depositio autem verbalis facta ob adulterium, & alia crimina adulterio minora, remitti potest ab Episcopo post peractam poenitentiam, cap. *At si Clerici* §. *de adulteriis, ubi D. D. de Judiciis*, ibi: *de adulteriis vero, & aliis criminibus, quae sunt minora, potest Episcopus post peractam poenitentiam dispensare.*

16. Degradatio verbalis fieri potest in absentem; realis vero non nisi in praesentem. Crimina, propter quae imponitur verbalis depositio, sunt Adulterium, Concubinatus perseverans post monitionem, Simonia notoria, Stuprum, Incestus, Furtum, Perjurium, Homicidium, & alia, quae inferunt irregularitatem. Moneta *de Distribut. quotid. q.* 17. *n.* 6. Barbosa *allegat.* 110. *n.* 10. Crimina vero, ob quae Clericus est realiter degradandus, & relaxandus, tria sunt in jure Canonico. Primo, crimen haeresis manifestum, cap. *Ad abolendam*, cap. *excommunicamus de Haereticis*, & cap. 1. *eod. tit. in* 6. Requiritur, quod reus sit relapsus, vel negativus, seu impoenitens; convictus tamen per legitimos testes etiam super credulitate, & pertinacia. Secundo est falsificatio litterarum Pontificis, cap. *Ad falsariorum crimine falsi*. Tertio est gravis calumnia proprio Episcopo illata, cap. *Si quis Sacerdotem* 17. 11. *q.* 1. requiritur tamen, quod sit incorrigibilis. Suar. *disp.* 30. *sect.* 2. *n.* 4. Alia crimina ex Constitutionibus Pontificiis adducuntur, & sunt Sodomia frequentia; Clericus non Sacerdos Missam celebrans, aut Confessiones audiens, & absolvens; sollicitans in Confessione mulieres ad turpia gravitate excessiva; Monetarii, vel monetas tondentes intra Italiam; copula sacrilega, & frequens cum Moniali, pro quibus videri potest Pignatellus *tom.* 8. *consult.* 91. *n.* 7. & Barbosa *allegat.* 110. *n.* 18. *& seq.*

17. Sollemnitas depositionis verbalis praescribitur in *c.* 2. *de poenis in* 6. & ita fieri debet, ut si Episcopus sit deponendus, Metropolitanus cum aliis duodecim Episcopis sententiam ferat; si Sacerdos sit deponendus, sufficit, ut cum proprio Episcopo conveniant sex alii Episcopi; si Diaconus, vel Subdiaconus, tres; si in Minoribus constitutus, sufficit Episcopus cum Capitulo. Hodie vero ex jure novo *Trid. sess.* 13. *c.* 4. *de ref.* caussa Episcopi est Papae reservata, aliorum autem caussam solus Episcopus per se, vel per suum Vicarium Generalem cognoscere potest, eosque verbaliter deponere. Palaus *disp.* 4. *punct. ult. n.* 6.

18. Degradatio realis, seu actualis, & sollemnis non nisi ab Episcopo consecrato fieri potest, Barbosa *cit. allegat.* 110. *n.* 24. assistentibus duodecim Abbatibus infulatis, vel aliis personis in Ecclesiastica Dignitate constitutis. Forma, & sollemnitas actualis degradationis expressa reperitur in *c.* 2. *de poen. in* 6. ut degradandus indutus Vestibus Sacris sui Ordinis, & portans ejusdem Ordinis instrumenta, adducatur ad praesentiam Episcopi, & ab eo illis publice exuatur, prolatis verbis hujus poenae effectum declarantibus; exuitur etiam veste talari, & raditur in capite; &, si est Sacerdos, in manibus, idque ad terrorem tantae condemnationis. Sic spoliatus signo calcei repellitur, & inde traditur, relaxatur Judici saeculari, ut ejus jurisdictioni tamquam pure laicus subdatur. Inde per satellites ad carceres Curiae saecularis ducitur ultimo supplicio plectendus. Episcopus tamen a Judice saeculari petit, ut misericorditer agat, & reum citra mortis, vel mutilationis poenam puniat, ut tradit Clericatus *c.* 153. *n.* 33.

CAPUT V.

De Interdicto, & Cessatione a Divinis.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex sit Interdictum.

INterdictum est Censura Ecclesiastica, privans hominem usu quorumdam Sacramentorum, Divinorum Officiorum, & Ecclesiasticae Sepulturae, quatenus illa sunt participatio quaedam rerum sacrarum, colligitur ex cap. *Non est vobis de Sponsal.* & ex cap. *Quod in te, de poenit. & remiss.* & in re est communis. Dicitur *quatenus illa sunt participatio quaedam rerum sacrarum*, per quas par-

particulas differt ab excommunicatione, & interdicto; nam excommunicatio eodem usu privat, in quantum est communicatio cum fidelibus; suspensio vero in quantum usus ille est exercitium Ecclesiasticæ potestatis.

2. Interdictum triplex est, *locale*, *personale*, & *mixtum*. Interdictum *locale* est, quando prohibetur, ne in tali loco celebrentur Divina Officia; unde immediate afficit locum, in quo non possunt Officia Divina celebrari, & mediate afficit personas, quæ non possunt in tali loco interesse Divinis Officiis. *Personale* afficit immediate personas, quibus prohibitum est assistere Divinis Officiis in quocumque loco: siquidem hujusmodi interdictum sequitur personam quocumque ierit, sicut umbra sequitur corpus, & lepra leprosum. *Mixtum*, quando locus, & personæ talis loci immediate interdicuntur; unde interdictum mixtum includit locale, & personale simul. Interdictum locale non afficit personas, quæ poterunt alibi Missam audire, & Divinis Officiis interesse; nec personale afficit locum, in quo possunt Officia celebrari, exclusis personaliter interdictis.

3. Interdictum tam locale, quam personale aliud est *generale*, aliud *speciale*. *Generale* est, quo interdicitur locus universalis, ut Regnum, Provincia, Diœcesis, Civitas, Villa, vel Castrum, & hoc afficit omnes illius Regni, vel Communitatis. *Speciale*, seu *particulare* est, quo locus particularis, puta Templum aliquod particulare interdicitur in aliqua Civitate, in qua sunt plures Ecclesiæ. Similiter interdictum personale est, quando totus Populus Civitatis, Collegium, aut Capitulum, seu persona particularis interdicitur.

4. Cum odia sint restringenda, verba interdicti sunt stricte interpretanda; unde, interdicto generaliter populo alicujus Civitatis, nisi aliud exprimatur, non intelligitur interdictus Clerus, qui poterit celebrare, & Divinis interesse; nec, interdicto Clero, censetur Populus interdictus, cap. *Si sent.* & cap. *Si Civitas, de sentent. excom. in 6.* Nec sub generali interdicto Cleri comprehenduntur Religiosi utriusque sexus, qui licet in favorabilibus veniant nomine Cleri, non tamen in materia odiosa, sicut est interdictum. Nec item comprehenduntur Episcopi, nisi de eis fiat expressa mentio, juxta caput *Quia periculosum, de sent. excomm. in 6.* immo nec alii Prælati Ecclesiastici, nec Canonici Cathedralis, sed solum inferiores Clerici sæculares, quia hi soli veniunt nomine Cleri in materia odiosa, nisi secus exprimatur, vel aliunde de opposito constet. Barbosa *l.* 1. *Juris Eccles. univers. c.* 39. *n.* 6. Bellettus *disq. Clerical. p.* 1. *§.* 2. *n.* 4. *&* 5. Fagnanus cap. *Bonæ memoriæ l.* 1. *n.* 12. *de postul. Prælat.* & alii.

5. Interdicto populo, censentur interdicti omnes habitatores illius loci, etiam existentes in suburbiis; tam nocentes, quam innocentes, tam præsentes, quam absentes, ex cit. cap. *Si sent.* & ibi Glossa *de sent. excom. in 6.* cum hoc tamen discrimine, quod nocentes, licet ab ea Civitate discedant, remanent interdicti: innocentes vero, si alibi suum domicilium transferant, statim sunt ab interdicto liberi, ut cum Mastrio tenet Clericatus *c.* 151. *n.* 4. ubi etiam notat, quod sub tali interdicto non comprehenduntur hospites, & scholares, si non sunt culpabiles in eo delicto, propter quod latum est interdictum. Ratio est, quia ad hoc, ut innocens ligetur interdicto civitatis, aut populi, requiritur quod sit civis, & pars illius populi, ut constat ex cit. cap. *Si sententia, de sent. excom. in 6.* cujusmodi non sunt, qui inhabitant in civitate, ut hospites, studii, vel aliorum negotiorum caussa. Suar. *disp.* 32. *sect.* 1. *n.* 15. Bonacina, alios referens, *punct.* 1. *n.* 17.

6. Interdicto universaliter Populo, vel Clero, non censentur proinde interdictæ Ecclesiæ, vel loca Sacra talis loci, in quibus peregrini, & aliæ personæ singulares, seu Clerici non interdicti poterunt ibi celebrare, & Divinis Officiis assistere, exclusis dumtaxat illis de Clero, seu populo, qui sunt interdicti. Navarrus *in manual. c.* 27. *numer.* 167. Palaus *disput.* 5. *punct.* 2. *§.* 2. *numer.* 11. Ratio est, quia nullibi in jure expressum reperitur, quod sub interdicto generali personali comprehendatur etiam locale.

7. Interdicta civitate, censentur etiam interdicta suburbia, & continentia ædificia. Item Ecclesiæ omnes, etiam Regularium exemptorum in civitate, aut suburbiis constructæ; secus interdictum illud redderetur inutile, eo quod quilibet in suburbiis, aut in Ecclesiis Regularium Missam audire, & Divinis Officiis interesse posset, prout expresse dicitur cap. *Si civitas* 17. *de sententia excommunicat. in 6.* Eadem ratione, interdicta Ecclesia, est etiam interdictum Sacellum, seu Cœmeterium ipsi contiguum; ut nullus in eo possit sepeliri, quia accessorium sequitur naturam sui principalis; secus si non sint contigua, cit. cap. *Si civitas*, quia sic non sunt pars illius: dicitur autem Cœmeterium Ecclesiæ contiguum, quando inter illud, & murum Ecclesiæ nihil mediat. Suarez. *disp.* 32. *sect.* 2. *num.* 27. Coninch *disp.* 17. *num.* 19. Bonacina *num.* 22.

DUBIUM II.

De effectibus Interdicti.

8. TRes sunt effectus interdicti generaliter lati, nimirum privatio participationis quorumdam Sacramentorum: prohibitio Divinorum Officiorum: & privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Primus effectus est privatio tam activa, quam passiva non omnium, sed quorumdam Sacramentorum; nam Sacramentum Baptismi, & Confirmationis possunt sollemniter ministrari etiam ipsis interdictis, & in loco interdicto, quia sunt Sacramenta necessitatis, ut habetur cap. *Responso*, cap. *Quoniam*, & cap. *Alma Mater, de sent. excommunic. in* 6. Confirmatio enim est quasi complementum Baptismi, cum detur ad confirmandam, & fortiter profitendam Fidem Christianam in Baptismo susceptam; & inde etiam tempore interdicti Chrisma confici potest in die Cœnæ Domini, ex citato cap. *Quoniam eod. tit. in* 6. nam vetus Chrisma non debet adhiberi, & concesso principali, censetur concessum accessorium, nempe confectio Chrismatis pro confectione dictorum Sacramentorum requisiti. Specialiter tamen interdictis, sicut & iis, qui generali interdicto caussam dederunt, Sacramentum Confirmationis dari non potest, ut cum Suarez *disput.* 32. *sect.* 2. *num.* 9. notat Bonacina *disput.* 5. *punct.* 2. *§.* 1. u. 4.

9. Sacramentum Pœnitentiæ, cum & ipsum sit necessitatis, potest similiter ministrari, in quovis interdicto, etiam locali, & personali, non modo infirmis, & morituris, sed etiam sanis, nisi sint excommunicati, vel nisi caussam dederint interdicto, & nondum satisfecerint, nec idoneam cautionem de satisfaciendo præstiterint, cap. *Alma mater, de sent. excomm.* Sacramentum vero Eucharistiæ, non nisi in mortis articulo, aut probabili periculo mortis, puta in difficili, & periculoso partu, imminenti prælio, aut alia simili caussa, ministrari potest. Arg. cap. *Quod in te, de pœnit. & remiss.* & cap. *Præmittimus* 57. *hoc tit.* Extrema Unctio omnino prohibetur, seclusa extrema necessitate, in qua moribundus alia Sacramenta suscipere non posset. Palaus *disp.* 2. *punct.* 4. *§.* 1. *n.* 20. Navar. *c.* 27. *n.* 179. Suar. *disp.* 33. *sect.* 1. Bonac. §. 3.

10. Sacramentum Ordinis tempore interdicti nec licite ministrari potest, nec recipi, nisi in casu magnæ necessitatis, & penuriæ Sacerdotum, quia tunc Clericis non interdictis conferri posse, tenent Sylvester verb. *Interdictum* 5. u. 9. Angelus, Avila, Henriq. quos affert, & sequitur Bonacina *punct.* 2. *§.* 3. *num.* 3. Sacramentum Matrimonii, quamvis Navarrus, Sayrus, Toletus, Henriq. & alii relati a Bonacina *supra n.* 8. afferant, non modo valide, sed etiam licite celebrari posse in loco, & tempore interdicti, & a personis interdictis. Oppositum tamen est probabilius; nam tempore interdicti tria tantum Sacramenta ministrari permittuntur, nempe Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, & Eucharistia tempore mortis, ut colligitur ex cap. *Alma mater, de sent. excom. in* 6. cap. *Quoniam eod. tit.* & cap. Nau *est vobis, de Sponsalibus*. Cum ergo Matrimonium sit Sacramentum, & non sit exceptum, remanet comprehensum in generali prohibitione; validum tamen est, si celebretur: Sponsalia vero non prohibentur, quia non sunt Sacramentum; prohibetur sollemnis benedictio Sponsorum, si forte Matrimonium celebretur. Suar. & Bonac. *l. c.* ubi admittit, Sponsos posse privatim benedici, januis clausis.

11. Secundus effectus interdicti est prohibitio Divinorum Officiorum, quorum nomine venit non modo Sacrificium Missæ, sed omnis publica, & sollemnis oratio, quæ est ab Ecclesia instituta, & a solis Clericis ad Dei laudem, & cultum exercetur, cujusmodi sunt sollemnes benedictiones Aquæ benedictæ, Cinerum, Candelarum, Palmarum, quæ nomine, & auctoritate Ecclesiæ ab illius Ministris, & Sacerdotibus fiunt: Litaniæ cum sollemni Processione, & publica, ac sollemnis Horarum Canonicarum recitatio; nam privatim recitari possunt, & ad illarum recitationem tenentur Clerici, non obstante interdicto locali, vel personali, quia etiam Clerici, & Religiosi tempore generalis interdicti, quando ipsi specialiter interdicti non sunt, possunt, ac debent, ut ante; Missas, & Divina Officia celebrare, sed januis clausis, non pulsatis campanis, voce submissa, & exclusis interdictis, ut habetur ex cap. *Alma Mater hoc tit. in* 5.

12. In eodem cap. *Alma Mater* permittitur, ut in quatuor festivitatibus, Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, & Assumptionis B. Virginis Mariæ a primis Vesperis usque ad Completorium inclusive interdictum ma-

maneat suspensum, adeo ut tempore interdicti generalis Missæ Sacrificium, & alia Divina Officia publice, & sollemniter celebrari possint, januis apertis cum sonitu campanarum, admissis etiam interdictis, qui caussam interdicto dederunt, modo isti non appropinquent Altari, nec veniant ad Offertorium, & Communionem, exclusis tamen excommunicatis, quod privilegium fuit extensum a Martino V. & Eugenio IV. ad Festum, & totam Octavam Corpus Christi, & a Leone X. ad Festum Conceptionis B. Virginis Mariæ pro sola Hispania, ut habet Henriq. *l.* 13. *c.* 48. *n.* 2.

13. Hoc privilegium celebrandi dictis Festivitatibus intelligitur tantum de interdicto locali generali, non autem de interdicto locali speciali, seu particulari; tunc enim in dicta Ecclesia interdicta, nec in dictis Festivitatibus licitum est celebrare, quia hoc fieri potest in aliis Ecclesiis ejusdem Civitatis: nec item de interdicto personali; sive generali, sive particulari, quia in his nihil est immutatum a jure novo in cap. *Alma Mater*, sed remanet rigor juris antiqui lati a Bonifacio VIII. Unde in Ecclesiis specialiter interdictis, in quibus asservatur Eucharistia, semel tantum in hebdomada licitum est celebrare pro renovanda Eucharistia, & ea conservanda pro Infirmis, ex cap. *Permittimus* 57. *hoc tit.* Ita plures, quos sequitur Covar. in cap. *Alma Mater* 2. *p.* §. 4. *n.* 1. Navar. *c.* 27. *n.* 175. Avila *p.* 5. *disp.* 4. *sect.* 2. *dub.* 3. *concl.* 1. Alterius *disp.* 5. *c.* 1. *col.* 3.

14. Tempore interdicti possunt pulsari campanæ ad excitandum populum pro Salutatione Angelica, sicut etiam dum Viaticum portatur ad infirmos, ut docent Sylvester *verb. Interdictum* 5. *n.* 7. Suar. *disp.* 34 *sect.* 2. *n.* 19. & Covarr. *l. c. n.* 5. eo quod hæc non veniunt nomine Divinorum Officiorum; possunt etiam pulsari campanæ ad convocandum populum ad concionem, ut ad correctionem induci valeant. Possunt interdicti licite ingredi Ecclesiam orationis caussa tempore, quo Divina Officia non celebrantur, & ad concionem audiendam, quia hoc non venit nomine Divinorum Officiorum quæ prohibentur tempore interdicti.

15. Tertius effectus interdicti est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, adeo ut tempore interdicti generalis, & localis, nullus adultus aut infans sepeliri possit in loco sacro, nisi speciale habeat privilegium, quod ab Innocent. III. fuit concessum Clericis, qui non dederunt caussam interdicto, & illud servaverunt. Ait enim Pontifex cap. *Quod in te*, de pœnit. & remiss. *Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus, tam Unctio, quam Ecclesiastica sepultura: concedimus tamen en gratia, ut Clerici decedentes, qui tamen servaverint interdictum, in Cœmeterio Ecclesiæ sine campanarum pulsatione, cessantibus sollemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur*, non solum autem in Cœmeterio, sed etiam in Ecclesia sepeliri possunt, quia jam usus obtinuit, ut Clerici intra Ecclesiam sepeliantur.

16. Nomine Clericorum veniunt omnes, qui gaudent privilegio Clericali, & omnes Religiosi utriusque sexus, non solum Professi, sed etiam Novitii, qui omnes tempore interdicti generalis localis sepeliri possunt in loco sacro, cum Officio, & Missa Defunctorum, ex cit. c. *Alma Mater*, quod si, terminato Officio, corpus sepeliendum sit extra Ecclesiam in Cœmiterio, aut per vias deferendum sit ad Ecclesiam, id fieri debet silentio modo prædicto.

17. Laici, qui tempore interdicti moriuntur, sepeliri debent in loco aliquo non benedicto, cessante interdicto, possunt transferri ad locum sacrum saltem, qui non dederunt caussam interdicto, aut si dederint cum pœnitentiæ signa decesserint, ut post Glossam in cap. *A nobis* 28. *de sent. excom.* notat Navarrus *c.* 27. *in man. n.* 175. Si autem contingat contra prohibitionem juris aliquem interdictum sepeliri in loco sacro, debere exhumari, ut alibi sepeliatur in loco prophano, tenent plures, quia durante interdicto afficitur effectu interdicti, qui est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, non autem si id cognoscatur postquam cessavit interdictum. Bonacina *punct.* 5. *n.* 8. Sayrus *c.* 8. *n.* 22. & cum aliis Leander *disp.* 6. *q.* 5. Alii absolute affirmant non esse exhumandum, quia nullo jure id reperitur expressum, quamvis secus dicendum sit excommunicatis, qui sepulti in loco sacro debent exhumari, cap. *Sacris de sepult.* nam hæc pœna non est extendenda ad alium casum jure non expressum, maxime quia excommunicati privantur communione fidelium, non sic interdicti.

18. Si Ecclesia, seu locus particularis sit interdictus, in eo sepeliri non possunt fideles durante interdicto: si quis specialiter, & nominatum sit interdictus, sive Clericus, sive laicus, sepeliri non potest in loco sacro antequam absolvatur. Interdictus ab ingressu Ecclesiæ audire non potest in Ecclesia Divina Officia, nec celebrare, nec sepeliri, bene tamen celebrare poterit in Cœmeterio, aut Oratorio privato auctoritate Episcopi non erecto, quia in lege pœnali, qualis est ista, Cœmeterium, & Oratorium privatum non veniunt nomine Ecclesiæ. Suar. *disp.* 35. *sect.* 4. *a n.* 9. Bonac. *punct.* 5. *n.* 11. Diana *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 75. Palaus *disp.* 5. *p.* 4. §. 4. *n.* 3.

DUBIUM III.

De Pœnis violantium Interdictum.

19. OMnes tam Clerici, quam sæculares violantes interdictum in materia Sacramentorum, peccant mortaliter: sive ministrando, sive recipiendo Sacramenta, quia faciunt contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi. Peccant etiam Clerici, secundum probabiliorem sententiam, peccato de genere suo mortali, si assistant, & Divina Officia celebrent in loco interdicto aliter, quam permissum est in cap. *Alma Mater*, nisi excusentur ex ignorantia, aut parvitate materiæ: si enim parti solum Divini Officii non notabili Clericus interdictus assistat, vel illam recitet in loco interdicto, extra casum a jure permissum, peccat solum venialiter ratione parvitatis materiæ. Suar. *disp.* 34. *sect.* 4. *a.* 10. Sayr. *l.* 5. *c.* 14. *num.* 5. Coninch *disp.* 17. *dub.* 3. *a num.* 64. Bonacina *disp.* 5. *punct.* 7. *n.* 3. Palaus *disp.* 5. *punct.* 5. *num.* 1. ubi addit, Clericum ex exercitio minorum Ordinum nia unquam peccare mortaliter, quia tale exercitium fieri potest etiam a laicis, quamvis fiat a Clericis ex officio.

20. Clerici tam Sæculares, quam Regulares violantes interdictum tam locale, quam personale, tam generale, quam speciale per exercitium alicujus Ordinis Sacri, ultra culpam mortalem incurrunt varias pœnas; nam primo contrahunt irregularitatem, cap. *Is, qui* 18. §. *fin.* & cap. *Is, cui* 20. *de sent. excom. in* 6. Secundo incurrunt suspensionem ab Officio, Beneficio, & Jurisdictione, cap. *Tanta est* 18. *de excessib. Prælat.* quam pœnam incurrunt etiam violantes interdictum per aliam actionem, quæ non sit exercitium alicujus Ordinis, ut cum Sayro, Bonacina, & aliis tenet Palaus *disp.* 5. *punct.* 6. *n.* 4. quamvis Gonzalez in cit. *c. fin. de excessib. Præl.* cum aliis probabiliter asserat, violantes interdictum ordinarie, non ipso jure esse suspensos ab Officio, & Beneficio, seu suspendendos, quod etiam *loc. cit.* notat Palaus. Tertio privantur jure activæ, & passivæ electionis, adeo ut nec eligere, nec eligi, aut postulari possint, cap. *Is qui* §. *is vero de sent. excom. in* 6. & cap. 1. *de postulat. Prælat.* ubi postulatio personæ, quæ interdictum violaverat, repellitur ut indigna. Sic cum Soto, Sylvestro, & aliis Palaus *n.* 3.

21. Religiosi etiam exempti non observantes interdictum generale locale, quod ab Ecclesia Cathedrali, & Parochiali observatur, celebrando in suis Ecclesiis, vel admittendo alios ad Divina Officia, ultra prædictas pœnas incurrunt excommunicationem, ex *Clem.* 1. *de exc.* Navar. *c.* 27. *n.* 146. §. 6. & cum Suarez Sayro, & Avila, Palaus *n.* 5. Religiosi, etiam exempti, non solum tenentur servare, sed etiam tenentur in suis Ecclesiis publicare interdictum, & alias censuras ab Episcopo latas, quando Episcopus id mandat, ut habetur ex Trident. *sess.* 25. *de Regul. c.* 12. ibi: *Censuræ, & interdicta nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, & serventur.* An, & quale privilegium concessum sit tempore interdicti, videatur Compendium privilegiorum.

22. Laici violantes interdictum locale generale, seu speciale, regulariter loquendo, secluso scandalo, & contemptu, peccant solum venialiter; mortaliter, tamen, si violant interdictum personale, sive sit generale, sive personale. Ratio est, quia interdictum personale directe afficit personas laicas, non sic interdictum locale, quod directe afficit locum, & indirecte personas; illiusque observantia directe pertinet ad Clericos, non ad laicos, qui proinde solum peccant venialiter illud violantes; peccant tamen mortaliter violantes interdictum personale, nisi ignorantia, seu parvitas materiæ illos excuset. Diana *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 62. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 18. *p.* 2. & alios referens Anton. a Spiritu S. *disp.* 5. *num.* 801.

23. Nonnulli tamen dantur casus, in quibus laici interdictum locale violantes peccant mortaliter. Primo, si adsit scandalum, aut contemptus. Secundo, si per vim ingrediantur ad audienda Officia Divina, vel, si postquam sunt ingressi, non obtemperant Ministris Ecclesiæ volentibus eos excludere. Tertio, si per vim Clericos inducant, ut coram ipsis Officia Divina celebrent. Quarto, si, pulsatis campanis, vel publico præconio, præsumant convocare Populum ad audienda Divina in loco interdicto, ut cum aliis tenet Palaus *punct.* 5. *n.* 5. Anton. a Spiritu Sancto *n.* 802. Laicis violantibus interdictum nulla est pœna ipso jure posita, præterquam

in Cle-

in Clement. *Gravis de sentent. excom.* ubi ligantur excommunicatione majori laici cogentes aliquem celebrare Missam, & Divina Officia in loco interdicto, aut prohibentes, ne interdicti exeant, postquam fuerint a Celebrantibus admoniti exire, ut cum Navarro, & Sayro notat Ant. a Spiritu S. *num.* 806.

D U B I U M IV.

De Cessatione a Divinis.

24. Cessatio a Divinis similitudinem habet cum suspensione, & interdicto; proprie tamen non est censura Ecclesiastica, cum non magis nocentes, quam innocentes afficiat, sed est simplex prohibitio facta Ministris Ecclesiæ, ne audeant publice Officia Divina persolvere, aliqua Sacramenta ministrare, & sepelire Laicos in loco sacro, & hoc in signum doloris, & tristitiæ conceptæ ob injuriam Ecclesiæ factam, seu honori Divino illatam, & in illius reparationem, ut hac ratione delinquens cogatur desistere ab injuria, & satisfactionem exhibere. Unde si quis celebraret dum adest cessatio a Divinis, peccaret quidem, quia faceret contra prohibitionem Ecclesiæ, sed non incurreret irregularitatem, quam incurrit, qui censura irretitus celebrat, seu ministrat in Sacris, ut cum Bonacin. Ant. a Spiritu S. Palao, & Diana diximus *supra cap. 1. n. 4.*

25. Cessatio a Divinis duplex est, alia generalis, qua universaliter prohibentur Divina in toto aliquo Regno, Civitate, Terra, Oppido, Villa; alia specialis, & particularis, qua prohibentur Divina in loco particulari, ut in una, vel pluribus Ecclesiis, ut cum Suarez, Avila, & Henriquez tenet Bonac. *quæst. 6. pun.* 1. Non debet imponi, nisi ob delictum gravissimum, notorium, & manifestum notorietate facti, ut illius scandalo per talem cessationem possit occurri, ut cum aliis tenet Palaus *pun. 9. §. 3. n. 2.* unde imponi non potest pro delicto levi, ut colligitur ex cap. *Irrefragabilis §. ceterum de Offic. Ordin.* & cap. *Si Canonici*, cap. *Quamvis eod. tit. in* 6. debet igitur tale delictum esse gravissimum, ut cessatio a Divinis imponi possit, & causa, ob quam imponitur, exprimi debet in instrumento publico per Tabellionem, seu aliis patentibus litteris Sigillo authentico munitis, quæ debent tradi ei, contra quem cessatio indicitur, ut constet, an emendationem, & satisfactionem præstare velit, ut habetur cap. *Si Clerici de Offic. Ordin. in* 6. & cap. *Quamvis eod. tit.*

26. Tempore cessationis a Divinis, tam generalis, quam particularis non est licitum publice recitare Divina Officia, nec Missam celebrare, etiamsi servetur moderatio tradita in cap. *Alma Mater*, nec etiam in Festivitatibus, in quibus id licet tempore interdicti generalis; nam in cap. *Alma Mater* sermo est de tempore interdicti, non vero de tempore cessationis, nec aliter usu, aut consensu Doctorum receptum est, ut cum Suarez, Coninch, Sayro, & aliis tradit Bonac. *disp. 6. pun. 3. num.* 1. licitum tamen est semel in hebdomada celebrare Missam, cum uno, aut altero Ministro tantum, ad renovandam Eucharistiam propter infirmos, ne species putrescant. Bonac. *loco cit. nu.* 3. Suarez *disp. 39. sect. 2. num.* 4. sequitur Palaus *pun. 9. §. 2. n.* 4. Licitum tamen est recitare privatas Orationes, etiam in Ecclesiis: & Beneficiati tenentur recitare privatim horas Canonicas, easque recitare possunt bini, vel terni voce submissa, janua clausis, & sine cantu, nam hæc recitatio non videtur esse publicum Officium, sed privatum, sicut fit extra Ecclesiam, ut cum Henriquez, Avila, Sayro, Suarez, & aliis tradit Bonacina *num.* 3. & Palaus *num.* 10.

27. Tempore cessationis possunt administrari in periculo mortis Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, non tamen Sacramentum Ordinis, & Extremæ Unctionis, nec Eucharistiæ respectu bene valentium; possunt tamen hæc Sacramenta ministrari etiam tempore cessationis, sicut tempore interdicti, quando scilicet infirmus decederet sine alio Sacramento. Unde licitum est in Hebdomada Sancta, si cessatio perseverat, consecrare Chrisma, & benedicere Oleum, quia hæc necessaria sunt pro ministratione Baptismi, & Confirmationis. Palaus *supra n.* 11. Bonac. *n.* 5. Probabilius etiam videtur, seclusa consuetudine, tempore cessationis Nuptias non esse celebrandas, sicut nec tempore interdicti.

28. Tertius effectus cessationis est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ quoad Laicos, prout tradit Navarr. *cap. 27. num.* 188. quamvis plures id negant, ut cum Suarez, Bonacina, Coninch, & aliis tenet Palaus *supra num.* 12. quia nomine Divinorum Officiorum, quibus privat cessatio a Divinis, non venit sepultura Ecclesiastica; unde juxta hanc sententiam tempore cessationis non solum Clerici, etiam primæ Tonsuræ, ut omnes concedunt, sed etiam Laici sepeliri possunt in loco sacro, & in Ecclesia, cum silentio, & sine Divinis Officiis. Palaus *supra*, Bonac. Suarez, Layman, sequitur Ant. a Spiritu S. *disp. 3. n.* 366.

29. Violantes cessationem a Divinis celebratione Divinorum Officiorum, administratione, seu receptione Sacramentorum, peccant mortaliter, quia faciunt contra legem Ecclesiasticam ob gravissimam causam impositam, non tamen contrahunt irregularitatem, aut aliam pœnam, quæ non est jure statuta, exceptis Regularibus Professis, etiam exemptis, qui non observantes in suis Ecclesiis generalem cessationem ab Ecclesia Matrice, seu Parochiali observatam, incurrunt in excommunicationem latam in *Clement. 1. de sentent. excomm.* quæ tamen non est reservata. Illam non incurrunt alii, etiamsi communiter vivant sub regula, quia non sunt Religiosi, nec item incurrunt Religiosi, sive exempti, sive non exempti, si cessatio non est generalis, sed tantum pro Ecclesia aliqua particulari, vel si est generalis, non observatur ab Ecclesia Matrice, vel Parochiali, ut constat ex dicta *Clem. 1. de sent. excom.* quæ solum loquitur de cessatione generali. Palaus *pun. 9. §. 4.* Bonac. *pun. 3. n. 9.* Suarez *disp. 39. sect. 3. num* 36. & alii communiter.

C A P U T VI.

De Irregularitate.

D U B I U M I.

Quid, & quotuplex sit Irregularitas.

Irregularitas, quæ sic dicitur ab *in*, & *regula*, eo quod irregularis careat regula, & non sit intra regulam ab Ecclesia præscriptam, ut cum aliis notat Bonac. *disp. 7. qu.* 1. recte definitur *Impedimentum Canonicum per se primo impediens Ordinis susceptionem, secundario vero, & consequenter eorumdem usum*. Cum dicitur *Impedimentum*, distinguitur irregularitas a censuris, quæ ex natura sua infliguntur tamquam pœnæ medicinales propter culpam, ut delinquentes resipiscant a delicto, vel illud caveant in posterum; irregularitas vero inhabilitat personam ad Ordinem Ecclesiasticum consequendum, vel illud exequendum, si jam Ordinem suscepit, & hoc propter aliquem defectum, seu maculam, sive physicam, sive moralem; nam decet eos, qui ad Altaria ministerium assumuntur, integros, puros, & immaculatos esse, tam corpore, quam animo.

2. Dicitur *Canonicum*, quia tale impedimentum non est inductum jure Divino, sed jure Canonico; unde irregularitas non incurritur, nisi in casibus in jure expressis, nec, regulariter loquendo, potest esse ab homine, sed debet esse a jure, & per se primo impedit susceptionem Ordinum, & consequenter, ac secundario illorum usum, & exercitium. Quamvis autem irregularitas affinitatem habeat cum censuris, non tamen est censura proprie dicta, siquidem censura numquam incurritur, nisi propter peccatum; irregularitas vero non solum propter peccatum contrahi potest, sed etiam propter defectum, ob decentiam, & decorem status Clericalis servandum, & ab illis solum contrahitur, qui sunt Ordinis capaces, in quo conveniunt Doctores communiter.

3. Irregularitas communiter dividitur in irregularitatem, quæ provenit ex defectu, & irregularitatem, quæ provenit ex delicto, & utraque in totalem, & partialem, prout totaliter, aut partialiter impedit usum, & exercitium Sacrorum Ordinum. Utraque habet sub se plures species irregularitatis. Ex defectu sunt illæ, quæ proveniunt ex defectu animi, corporis, natalium, ætatis, libertatis, vel Sacramenti, seu ex bigamia, & ex defectu lenitatis. Irregularitates ex defecto sunt, quæ proveniunt ex reiteratione Baptismi, ex violatione censuræ Ecclesiasticæ, ex indebita susceptione Ordinum, ex delicto Hæresis, & aliis delictis infamiam inducentibus, & ex Homicidio, de quibus breviter successive dicemus.

4. Solus Pontifex, aut Concilium generale inducere potest irregularitatem, non autem Episcopi, aut Prælati inferiores, quia nimirum irregularitatem statuere ad illum spectat, qui statuere potest Jus Canonicum commune; hoc autem spectat ad Pontificem, aut Concilium generale, non vero ad Prælatos inferiores, qui proinde non possunt inducere irregularitatem, ut cum communi docet Palaus *disp. 6. punct. 2. n.* 1. & inde est, quod irregularitas numquam contrahitur, nisi in casibus in jure expressis, & determinatis, ut clare constat ex cap. *Is, qui de sent. excom. in* 6. ibi: *Licet in hoc temere agat, irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in jure)* la-

& furorem, raro præsumitur perfecte sanus, absque timore reincidentiæ in eamdem infirmitatem. Secus dicendum de illo, qui ad breve tempus incidit in furorem, & amentiam ex aliqua vehementi passione, febri, & qualitate transeunte, qua cessante, cessat amentia, & sensus remanent integri. Ita tenent Palaus, Navarr. Bonac. & alii.

15. Cessante furore, & amentia, potest quis admitti ad exercitium Ordinis antea suscepti, si nulla sit indecentia, vel periculum, quod judicare debet Episcopus, attentis circumstantiis subjecti, & ægritudinis. Spatium judicandi, an perfecte convaluerit, assignatur spatium unius anni in cap. *Communiter dist.* 3. Suarez tamen *d.sp.* 52. *sect.* 1. *n.* 5. tenet, non esse necessarium expectandum tantum tempus ad faciendum hoc judicium, eo quod non sit in usu, sed relinquendum esse prudentis arbitrio: & Bonac. *qu.* 2. *pun.* 2. *nu.* 23. ait, caute procedendum esse, & non nisi cum socio adjuncto permittendam esse celebrationem, qui Sacrificium perficiat, si Celebrans deficiat.

16. Lunatici, qui habent lucida intervalla, & dæmoniaci, seu energumeni, quamvia semel tantum fuerint a malignis spiritibus vexati, sunt irregulares, nec possunt ad Ordines Sacros promoveri, nec susceptos exerceri, quamvia liberi sint a tali vexatione, ut habetur ex cap. *Maritum* 2. & cap. *Clerici* 4. *dist.* 33. Navar. *c.* 27. *num.* 203. Bonac. *n.* 2. qui putat, posse susceptos Ordines exercere ex dispensatione Episcopi, modo constet, ipsum a dæmone spatio unius anni non fuisse vexatum, ex cap. *Communiter dist.* 33. ita etiam Suarez *disp.* 51. *sect.* 2. *nu.* 7. Barbosa *de potest. Episcopi p.* 2. *alleg.* 42. *n.* 52. Villalobos *tr.* 31. *diff.* 23. *n.* 5.

17. Sunt irregulares ignorantes, & illiterati, qui omni carent scientia, siquidem naturali ratione constat, ad aliquod munus non esse admittendos illos, qui tale munus nesciunt exercere; onde si quis ita sit illiteratus, ut nec Grammaticam audierit, nec ordinari, nec in Ordinibus susceptis ministrare possunt. Hæc irregularitas de se, absque alia dispensatione tollitur, sublata caussa, seu ignorantia per acquisitionem debitæ scientiæ. Quænam, & quanta scientia requiratur pro unoquoque Ordine, habetur ex Trid. *sess.* 23. *c.* 4. 11. 13. *&* 14. Tollitur etiam per dispensationem a Papa, quando defectus scientiæ non est tantus, ut non sit omnino illiteratus, sed quando non pollet ea scientia, quam requirunt Sacri Canones.

18. Irregulares sunt etiam Neophyti, qui ex lege Judaica, aut Saracena noviter sunt conversi ad Fidem Christianam, & baptizati. Arg. *c.* 1. *dist.* 48. ubi & hujus ratio additur illis verbis: *Evidens namque est Apostolicum præceptum, dicens, non Neophytum, ne forte in superbiam elatus, in judicium incidat, & laqueum Diaboli.* 1. ad Timoth. 3. Poterit tamen ordinari post aliquod temporis spatium a suscepto Baptismo, arbitrio Episcopi statuendum, qui attenta qualitate personæ, ejusque integritate, fide, scientia, & experientia, modo majus, modo minus temporis spatium poterit præfigere, ut cum aliis tenet Leander *disp.* 25. *de irregular. quæst.* 8. Descendentes ex Judæis, & Saracenis, si in infantia fuerint baptizati, non dicuntur Neophyti, nec ullam incurrunt irregularitatem, quamvis eorum patres in infidelitate persistant.

DUBIUM III.

De Irregularitate ex defectu corporis.

19. EX defectu corporis illi sunt, ac censentur irregulares, qui ita sunt corpore vitiati, ut vel absolute nequeant exercere Ordinis ministeria, vel non sine aliorum horrore, & abominatione. Ita habetur ex Can. *Illiteratas dist.* 39. ibi: *Illiteratas, aut aliqua parte corporis vitiatos, vel imminutos, nullus præsumat adClericatus Ordinem promovere*; ubi Glossa verb. *imminutos*, addit ly *enormiter*. Idem habetur ex cap. *ult. de corpore vitiatis*, & cap. 2. *de Cleric. ægrot. ministrante*. In dubio, *an hæc deformitas sit gravis, adeo ut irregularitatem inducat*, judicanda est ab Episcopo, ex cap. 2. *de corpore vitiatis*. *An vero idem judicium faciendum sit a Prælato Regulari respectu suorum Religiosorum?* negat Barbosa *de potest. Episcopi part.* 2. *alleg.* 42. *num.* 60. Henriquez *lib.* 13. *c.* 14. §. 1. Rodriquez *in compendio quæst. Regul. ref.* 52. *n.* 17. sequitur Bonac. *qu.* 2. *pun.* 2. *nu.* 36. *in fine*, volentes, pertinere solum ad Episcopum. Alii tamen dicunt, pertinere ad Prælatum Regularem. Ant. a Spiritu S. *d. p.* 2. *n.* 44. & cum Peyrino, Avila, Layman, Miranda, Suarez, & aliis tenet Diana *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 73. quia hoc magis spectat ad jurisdictionem Episcopalem, quam habent Superiores Regulares, quoad Ordinis Characterem. Advertit tamen cum Suarez, Layman, liberum esse Episcopo, qui datus est Ordines, admittere, vel rejicere tale judicium factum a Prælato Regulari circa defectum corporis sui subditi, ut non inducat irregularitatem.

20. Cæcus sine dubio est irregularis, & ille, cui unus oculus erutus est. Can. *Si Evangelica dist.* 55. ibi: *nam illi, cui erutus est oculus, non possunt secundum Canones Sacerdotii jura concedi*. Siquidem hujusmodi carentia oculi notabilem parit deformitatem; secus vero dicendum, si careat solo lumine, aut visu oculi dextri, modo habeat utrumque oculum integrum; & de illo, qui habet visum, & intuitum brevem, aut non videt sine perspicillis, quia hujusmodi vitium non inducit notabilem deformitatem. Si autem careat visu oculi sinistri, quem oculum canonis appellant, volunt nonnulli esse irregularem: negant alii magis communiter, si absque aliqua notabili deformitate, & indecentia Canonem legere possit. Addit Tambur. *tr.* 3. *de irregularitate c.* 8. §. 1. non esse irregularem illum, cui unus oculus deest, sive sit dexter, sive sinister, sive unius oculi visus, si notabilis deformitas non appareat, vel per artem sufficienter tegatur, ut tegi potest, si oculus vitreus substituatur, & sine deformitate possit legere Canonem, quam deformitatem, ait, facile posset evitari; pro se citat Nav. *in sum. c.* 27. *n.* 299. Suarez *disp.* 51. *sect.* 2. *n.* 13. Gasp. Hurt. *disp.* 2. *diff.* 14. Joan. Præp. & Layman.

21. Non est irregularis qui nubem, aut maculam habet in oculo; qui oculos habet lacrymantes, aut sine palpebris; qui unum oculum habet altero grandiorem; qui luscus est, aut strabo, id est, qui oculos habet distortos, aut dispares, si hujusmodi defectus notabilem non afferant deformitatem, quod judicare spectat ad Episcopum, aut Prælatum Regularem respectu suorum Religiosorum. Bonac. *q.* 2. *pun.* 2. *n.* 3. *&* 4. Palaus *c.* 8. §. 1. *n.* 3. Leander *disp.* 2. *a q.* 10. *& seqq.*

22. Surdus, aut mutus sunt irregulares; ille tamen, si jam est ordinatus, potest privatim celebrare; surdaster vero non est irregularis, nec blæsus, qui in loquendo aliquantulum præpeditur. Irregularis est, qui caret pollice, indice, naso; qui est notabiliter gibbosus, aut claudus, si magna sit gressus deformitas, ita quod baculo, vel pede ligneo niti debeat. Non est irregularis, qui sex digitos habet, aut aliquos conjunctos, seu aliquo caret ex minoribus, si notabilem deformitatem non afferat, nec sit ineptus ad exercitium Ordinis. Universaliter defectus corporis, qui non reddit patientem inhabilem ad Altaris ministerium & exercitium Ordinum, & qui affert talem deformitatem, quæ faciliter studio, & arte tegi possit, non inducit irregularitatem, quia Sacri Canones nihil aliud intendunt, nisi expellere ab Altari notabiliter deformes, & inhabiles. In dubio Episcopi est judicare, *an deformitas, vel defectus sit notabilis, ut irregularitatem incurrat*, ut diximus supra. Ita tenent Tamb. *lib.* 10. *tr.* 4. *c.* 8. *a n.* 5. Bonac. *q.* 2. *pun.* 2. Leander *disp.* 2. *q.* 15. *& seqq.* Venerus *in exam. Episc. lib.* 1. *cap.* 22. Diana *par.* 4. *tr.* 2. *res.* 73.

23. Irregulares sunt leprosi, lunatici, & epileptici, seu qui morbo caduco laborant: tamen si tales integre convaluisse videantur, quod judicio Episcopi judicandum relinquitur, & repertantur jam antea ordinati, & per mensem, aut per annum eo morbo non laborarunt, possunt admitti ad celebrationem, quia præsumuntur liberati. Sacerdos quoque morbo caduco laborans, si raro cadat, sine clamore, sine spumarum emissione, & sine notabili indecentia, & corporis agitatione, ei privatim celebrare permittitur cum adjuncto socio, qui Sacrificium perficiat, si forte ille deficiat. Cap. *Nuper dist.* 7. *qu.* 2. Navar. *c.* 27. *nu.* 203. Henriquez *lib.* 14. *c.* 8. *nu.* 8. Sayrus, Molina, Ugolinus, & alii, quos affert, & sequitur Bonac. *pun.* 2. *n.* 22.

24. Quæres: *An, & quando mutilantes se ipsos, vel qui ab aliis fuerunt mutilati, censeantur irregulares?* Mutilatio propria dicta est abscissio alicujus membri, aut partis principalis, quæ peculiarem, & distinctam operationem, seu functionem habet in corpore humano, cujusmodi sunt manus, pes, oculus, auris &c. Unde non est irregularis, qui abscindit alteri digitum, quia non est membrum, sed pars membri, nec qui abscindit labia, dentes, capillos, nasum, & auriculam, id est cartilaginem, quæ circa aurem est, non autem organum, quia non sunt membra, sed ornatus membrorum; nec qui detrahit alteri visum, seu excæcat, si non extrahit oculum, nec qui membrum debilitat, sed non abscindit, quia non mutilat, ut per distinctas *quæstiones* explicat Leander *disp.* 17. *qu.* 1. *& seqq.* ubi etiam Doctores pro qualibet parte refert.

25. Resp. cum distinctione; nam vel aliquis se ipsum sponte mutilavit sine caussa, vel fuit ab alio mutilatus sine caussa, sive ex justa caussa, puta infirmitatis, vel etiam vi fuit ab alio violenter mutilatus. Qui se ipsum mutilavit sine caussa fit irregularis, non solum si membrum aliquod principale, sed etiam si partem illius, puta digitum, aut

partem manus, seu pedis abscindat, etiamsi non impediat ministerium, & exercitium Ordinis, vel deformitatem ingerat; fit, inquam, irregularis, non ob defectum relictum, sed ex delicto mutilationis, quia nemo est sui corporis, suorumque membrorum dominus, ut nec abscindere possit, nec alicujus abscissionis consentire, nisi hoc necessarium sit ad conservationem totius corporis, aut membri principalis, ut habetur Can. *Si quis abscidit*, Can. *Hi, qui se*, & Can. *Qui partem dist.* 55. Nec obstat, quod defectus digiti non inducat irregularitatem, ut diximus supra, quando non impedit exercitium Ordinis, quia ut notat Glossa ad cap. *Significavit*, *de corp. vitiatis*, in hoc casu non tam consideratur defectus, quam sævitia, & mala voluntas.

26. Quod verum est, etiamsi culpa abscindentis sibi membrum, aut digitum, vel partem illius non esset notoria, sed occulta; nam Canones superius allati non fundantur in notorietate culpæ, & delicti, sed in prava voluntate, ac sævitia, quam quis secum exercuit, prout tradunt Suarez *disp.* 51. *sect.* 6. *n.* 6. Nicol. Garzias *de Benef. par.* 7. *cap.* 12. *n.* 5. Sayrus, & Molina, quos affert, & sequitur Palaus *disp.* 6. *pun.* 12. *nu.* 2. contra Navarr. *cap.* 27. *n.* 198. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. *n.* 4. & alios, qui ad incurrendam hanc irregularitatem requirunt notorietatem peccati, quod quis commisit abscindendo se ipsum.

27. Hinc remanet irregularis, qui ex zelo indiscreto sibi amputavit virilia, seu castrare fecit, caussa sedandi libidinem, & castitatem conservandi, vel existimans hoc modo se obsequium præstare Deo, quoniam non ferro, sed religione castitas quærenda est, ut habet Glossa in cap. *Significavit*, *de corp. vitiatis*, ubi sermo erat de Presbytero jam ordinato, qui se castrare fecit, eo quod putaverit, se obsequium præstare Deo, qui arcetur ab Altaris ministerio, ut non possit celebrare Missam: & in cap. *Hi, qui se dist.* 55. fit sermo de Laicis caussa sedandæ libidinis, se se abscindentibus, qui fiunt irregulares, nec ad Ordines promoveri sinuntur.

28. Qui sectus fuit in infantia, vel ex justa caussa, puta ob infirmitatem, fecit sibi virilia amputari, non remanet irregularis, sed licite potest ad Ordines promoveri, & in suscepto Ordine ministrare; nec qui, cum sex digitos in una manu haberet, unum superfluum resecavit, ut decisum habetur in Can. *Si quis a Medicis dist.* 55. & cap. 3. *&* 5. *de corp. vitiatis*; nam cessat ratio superius allata imponendi irregularitatem, scilicet perversa voluntas, & sævitia in se ipsum, cum hoc non sit factum sine rationabili caussa. Eadem ratione non remanet irregularis ille, cui absque sua culpa fuerunt virilia amputata, seu membrum aliquod abscissum, si membrum amissum non sit tale, ut usum Ordinis impediat, aut notabilem afferat deformitatem. Si enim alicui fuisset abscissus digitus necessarius ad Eucharistiæ fractionem, ut est pollex, aut index, tunc esset irregularis solum ex defectu corporis, adeo ut abscissio, si contingat ante susceptos Ordines Sacros, non possit ad illos promoveri; si vero contingat post Sacerdotium assumptum, non possit Missam celebrare, sed potest in aliis Ordinibus, & Officiis ministrare, pro quibus nec est impeditus, nec deformis.

29. Hoc extendit Palaus *pun.* 12. *nu.* 4. ad illum, qui ob vocem musicam conservandam sibi testiculos amputare fecit, quem dicit non esse irregularem, quia relati Canones expresse loquuntur, qui sibi testiculos amputari fecit, aut permisit ex culpa sua, id est ex indignatione, aut indiscreto castitatis zelo, non vero de illo, qui id fecit ob vocem musicam conservandam. Cum autem irregularitas non incurratur, nisi sit in jure expressa, sequitur, quod testiculos sibi amputantes ob vocem musicam conservandam, non sint irregulares, cum nullibi hoc reperiatur expressum. Oppositum tenet Leander *tr.* 2. *disp.* 2. *qu.* 57. & utique probabiliter, quia vocis conservatio, cum non sit caussa sufficiens ad talem actionem faciendam, seu permittendam, nec erit caussa sufficiens excusans ab irregularitate, ut habetur ex cap. *Presbyterum*, & cap. *Continebatur de homicidio*; ita etiam tenet Thesaurus *de pœn. par.* 2. *verb. membrorum mutilatio cap.* 1. *vers. amplo* 2. & alios referens Diana *par.* 10. *tr.* 13. *resol.* 11.

30. Quæres: *An remaneat irregularis ille, cui a marito fuerunt amputata virilia, eo quod inventus fuit turpiter agere cum propria uxore; vel a Judice in pœnam delicti fuit membrum aliquod amputatum, non impediens Ordinis executionem?* Affirmant Sayrus *lib.* 6. *c.* 7. *nu.* 15. Bonac. *qu.* 2. *pun.* 2. *n.* 29. *&* 33. Suarez *disp.* 51. *sect.* 2. *n.* 8. Diana *par.* 4. *tr.* 2. *res.* 60. & alii plures, quos affert, & sequitur Leander *tr.* 2. *disp.* 2. *qu.* 59. aut quia ille dabat operam rei illicitæ, & periculosæ, vel quia id colligitur ex Can. *Is, qui dist.* 55. & cap. *Significavit*, *de corp. vitiatis*. Verum hujusmodi textus solum loquuntur de illo, qui per se, vel per alium virilia sibi amputavit ex indignatione, vel zelo indiscreto, non vero de illo, qui amputationi caussam dedit; & cum irregularitas non incurratur, nisi sit in jure expressa, sequitur in tali casu non incurri. Qui dat operam rei illicitæ, & periculosæ, tunc fit irregularis ex mutilatione, seu homicidio, quando illa est de se inductiva talis mutilationis; secus si non sit periculosa, seu illius inductiva, cujusmodi non est adulterium, quod licet sit peccaminosum, non est tamen caussa proxima inductiva mutilationis. Sic tenent Garzias *de Benef. p.* 7. *cap.* 1. *num.* 20. *& seq.* Palaus *pun.* 12. *num.* 3. Coninch. *dub.* 13. *n.* 108. Hurtad. *disp.* 2. *diff.* 14. *numer.* 52. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 4.

31. Quod ille, cui sunt amputata virilia, si vel de jure, vel ex dispensatione ad Sacros Ordines admittatur, debeat partem ex sectam in pulveres redactam, aut arefactam secum portare dum Missam celebrat, est error vulgi, cum hoc nullo jure præcipiatur, nec ideo minus foret integritate corporis, & virilitate destitutus, ut advertit Glossa in Can. *Eunuchus*, *dist.* 55. Sic Nav. *c.* 27. *n.* 200. & cum aliis Leander *qu.* 61.

32. Quæres 2. *Quinam dispensare possit in irregularitate proveniente ex vitio corporis?*

Resp. Id spectare ad summum Pontificem, quando vitium est tale, ut de se impediat susceptionem, aut exercitium sacrorum Ordinum; in dubio poterit Episcopus interpretari, seu declarare hic, & nunc: an vitium sit tale, ut irregularitatem inducat, non tamen super illo dispensare. Quod si irregularitas oriatur ex culpabili abscissione membri, si membrum, & delictum sit occultum, poterit in ea irregularitate Episcopus dispensare, vi concessionis sibi factæ a Conc. Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* Palaus *supra n.* 6. ait, id præstare posse, quamvis abscissio sit publica, quando delictum est occultum.

33. Prælati Regulares vi suorum privilegiorum dispensare possunt cum suis subditis super irregularitate proveniente ex vitio corporis, quando vitium non est tam fœdum, ut ex eo scandalum oriri rationabiliter timeatur, tum ut ad Ordines promoveantur, tum ut ministrent in susceptis. Palaus *disp.* 6. *pun.* 11. *in fine*, Ant. a Spiritu S. *disp.* 2. *num.* 62. Leander *disp.* 2. *qu.* 84. *& seqq.* inde inferens, quod dispensare potest cum subdito, qui carens pede ambulat cum pede ligneo, ut celebret, quia ex tali impedimento non oritur scandalum, cum Religiosus deferens vestes longas, illud facile cooperiat, & cum illo Diana *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 73. & cum subdito carente oculo sinistro, ut celebret, si oculo dextro tanta virtute visiva polleat, ut sine deformitate Canonem legere possit; & cum habente manus tremulas, ut saltem in occulto; non tamen dispensare potest cum totaliter cæco. Videantur Leander, & Diana *loco cit.*

DUBIUM IV.

De Irregularitate proveniente ex defectu Natalium, & Libertatis.

34. EX defectu natalium irregulares sunt illegitimi, sive deinde sint naturales, sive spurii. Naturalis dicitur, qui natus est ex parentibus liberis; Spurius, qui natus est ex adulterio, incestu, aut sacrilegio, ut habetur ex cap. 1. *&* 2. *de Filiis Presb.* & hæc irregularitas introducta fuit jure Canonico, partim in detestationem paterni sceleris, partim ob turpitudinis notam, quam filius ex tali nativitate, juxta communem hominum existimationem, contrahere censetur; partim quia timetur, ne filius paternæ incontinentiæ imitator existat, ut cum aliis notant Leander *disp.* 3. *q.* 2. & Palaus *disp.* 6. *pun.* 9. *n.* 1.

35. Legitimantur per subsequens matrimonium contractum inter eorum parentes, dummodo tempore conceptionis, aut nativitatis potuerint inter se contrahere, quia nullum inter ipsos adesset impedimentum dirimens, cap. *Conquestus*, & cap. *Tanta*, *qui filii sint legitimi*. Per professionem emissam in Religione approbata legitimantur quoad Ordines, ut scilicet possint ad Sacros Ordines promoveri, non tamen quoad Dignitates, & Prælaturas, tam intra, quam extra Religionem, ad quas non possunt promoveri sine dispensatione, ex *cit. cap.* 1. *de Filiis Presb.* ibi: *Filii Presbyterorum, ut cæteri ex fornicatione nati, ad Sacros Ordines non promoveantur, nisi aut Monachi fiant, vel in Congregatione Canonica regulariter viventes: Prælationem vero nullatenus habeant.*

36. Infantes expositi in Hospitali, aut alibi, habentur pro legitimis, & ordinari possunt absque dispensatione, ex Bulla Gregor. XIV. edita an. 1591. in gratiam Confraternitatis de Urbe pro expositis, quia nimirum filii ex legitimo matrimonio procreati exponuntur sæpissime ob paupertatem parentum, & sic, ne illis fiat præjudicium, omni-

omnibus a jure censetur legitimitas, & quia quilibet præsumendus est legitimus, dum non probetur contrarium. Dianæ *par. 2. tr. 15. res. 22. & par. 4. tr. 2. resol. 58.* Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 12 n. 205.* Palaus *disp. 6. pun. 9. n. 3. & tr. 13. de Benef. disp. 4 pun. 1. §. 1. nu. 8.* & alios plures referens Leander *disp. 3. qu. 6.* contra alios oppositum sentientes.

37. Cum illegitimis solus Pontifex dispensare potest, ut promoveantur ad Ordines majores, ad Beneficia curata, & ad alias dignitates Ecclesiasticas, & ad Canonicatum in Ecclesia Cathedrali, cum istæ requirant Sacerdotium, ex Trid. *sess. 24. cap. 12. de Reform.* Episcopus autem potest cum illis dispensare, ut promoveantur ad Ordines Minores, & ad Beneficia simplicia curam animarum non habentia, ut habetur ex Can. 1. & 2. *de filiis Presbyt.* & tenent communiter Doctores, Barbosa *de potest. Episc. part. 2. alleg. 45. n. 19. & seqq.* Marchinus *de Ordine part. 10. cap. 1. num. 17.* Palaus *disp. 6. punct. 9. numer. 7.* Anton. a Spiritu Sancto *disp. 2. num. 74.*

38. Episcopus dispensare non potest cum illegitimo super pluralitate Beneficiorum simplicium, sed præcise ad obtinendum unicum, quia caput 2. *hoc tit.* loquitur in singulari, ibi: *ex dispensatione Episcopi licite potest obtinere Beneficium*, & cum simus in materia odiosa, & prohibita, non debet extendi; nec potest obtinere Beneficium simplex, in quo Pater immediate antecessit, nec in eadem Ecclesia, in qua Pater illegitimi Beneficium habet, ex Trid. *sess. 25. cap. 15. de Reform.*

39. Dispensatio illegitimis facta, cum sit odiosa, & contra jus, est stricte interpretanda; unde dispensatus simpliciter ad Ordines, intelligitur dispensatus solum ad Minores, nec extenditur ad Beneficia, cum hæc sint separabilia, & disparata; & dispensatus simpliciter ad Beneficium, intelligitur dispensatus ad obtinendum unicum, & simplex, non autem ad obtinendum Beneficium Curatum, aut aliam Dignitatem Ecclesiasticam, ut docet Barbosa *alleg. 45. n. 2. & seqq.* Garzias *de benef. par. 1. c. 6. n. 59. & 70.* Palaus *disp. 6. pun. 8.* & alios referens Leander *qu. 44. & seqq.*

40. Quæres: *An Prælati Regulares non solum dispensare possint cum suis subditis, ut promoveantur ad Ordines Sacros, sed etiam, ut possint habere Gradus, Dignitates, & Prælaturas in Religione?*

Resp. attento jure communi, hoc facere non posse, cum hoc expresse prohibeatur cit. cap. 2. *de filiis Presbyt.* ibi: *Prælationem nullatenus habeant*: bene tamen dispensare posse virtute suorum privilegiorum, prout docent Villalob. *tom. 1. tr. 13. diff. 60.* Portel. *verb. Illegitimus n. 9.* Diana *par. 4. tr. 2. res. 65. & par. 10. tract. 13. resol. 39.* Leander *disp. 3. qu. 7. & 75.* Ant. a Spiritu S. *disp. 2. num. 80.* ubi affert privilegia hujusmodi Regularibus concessa: hujusmodi est privilegium Eugenii IV. concessum Congregationi S. Joan. Evangelistæ in Lusitania; privilegium Gregorii XIII. incipit *Circumspecta Romani Pontificis*, in quo moderavit Constitutionem Sixti V. & concedit Generali, & Provinciali, ut in suis Capitulis dispensare possit cum Religiosis illegitimis ad honores, gradus, & dignitates: aliud privilegium Gregor. XIV. concessum Cler. Regul. Ministrantibus infirmis. Possunt etiam Prælati Regulares dispensare per se ipsos, & extra Capitulum ex Constit. Clement. VIII. facta Patribus de Observantia, & alia Pauli V. ut videre est apud Leandrum *loco cit.*

41. Ex defectu libertatis sunt irregulares servi proprie dicti, quamdiu manent in servitute, ut constat ex *toto tit. de Servis non Ordinan.* quia, cum non sint sui juris, non possunt ministeriis Ecclesiasticis mancipari; si autem, sciente, & non contradicente domino, ordinentur, cessat irregularitas, & statim acquirunt libertatem, ex can. *Si servus dist. 54.* ibi: *Si servus, sciente, & non contradicente domino, in Clero fuerit ordinatus, ex hoc ipso quod constitutus est, liber, & ingenuus erit*; & ita tenent Doctores communiter, Palaus *disp. 6. pun. 23. n. 2.* Marchinus *de Ordin. tr. 1. par. 10. cap. 3. nu. 4.* Suarez *disp. 51. sect. 3. n. 5.* Leander *disp. 5. qu. 3.*

D U B I U M V.

De Irregularitate, quæ nascitur ex Bigamia.

42. Bigamia est multiplicatio nuptiarum, seu matrimonii, unde Bigamus dicitur, qui binas contrahit nuptias, & est triplex; vera, interpretativa, & similitudinaria. Bigamia vera tunc contingit quando quis plura Matrimonia valida successive contraxit, & consummavit, quia tunc vere carnem suam in plures divisit, prout requiritur ad bigamiam; unde non sufficit Matrimonium esse ratum, si non fuit consummatum. Interpretativa dicitur, per quamdam juris interpretationem, quando scilicet quis Matrimonium validum contraxit, & consummavit cum vidua, vel cum ab alio violata, vel cognovit suam uxorem, postquam cum alio adulteravit; tunc enim interpretatione juris perinde se habet, ac si plures habuerit uxores, ut constat ex Can. *Maritum dist. 33.* Can. *si quis viduam*, Can. *si cujus*, & Can. *si laici dist. 34.*

43. Bigamia similitudinaria sic dicitur, per quamdam similitudinem cum bigamia vera, & tunc contingit, quando quis in Ordinibus Sacris constitutus, aut in Religione professus, matrimonium, licet invalide, contrahit, & consummavit, cum quacumque muliere, etiam virgine; hic enim per votum sollemne matrimonium spirituale contraxit cum Deo, vel Ecclesia; unde si postea matrimonium carnale, licet invalide contrahat, & consummet, similis evadit iterato contrahenti, unde incurrit bigamiam similitudinariam, ut constat ex Can. *Quotquot*, & Can. *Monacho 27. qu. 1.* juncto cap. *Nuper a nobis 5.* & cap. *ult. de bigamis non ordinandis.*

44. Ex hac triplici bigamia nascitur irregularitas, ut constat ex *toto tit. de Bigamis non ordinandis*, estque antiquissima, ex traditione Apostolica deducta, ut constat ex Apost. 2. Cor. 2. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum*: & idem habetur de Diaconis infra: *Diaconi sint unius uxoris viri*, non quod debeant necessario habuisse uxorem, sed quod non debeant habuisse plures. Hæc irregularitas dicitur ex defectu Sacramenti, seu significationis matrimonii; nam matrimonium consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, juxta illud Apost. ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Hanc autem conjunctionem non significat, qui carnem suam divisit in plures uxores, aut contraxit cum vidua, aut ab alio corrupta, cum non sit conjunctio unius cum una, eaque virgine, sicut Filius Dei per carnis assumptionem copulavit sibi Ecclesiam unam, & ab alio non assumptam.

45. Idque verum est, sive quis plures uxores duxerit ante Baptismum, sive post; sive unam antea, & alteram post Baptismum, aut viduam duxerit, ut habetur ex Can: *Si quis viduam dist. 34.* ibi: *Si quis viduam, licet Laicus, duxerit uxorem, sive ante Baptismum, sive post Baptismum, non admittitur ad Clerum, quia eodem vitio videtur exclusus. In Baptismo enim crimina dimittuntur, non accepta uxoris consortium relaxatur*; dummodo tamen utrumque matrimonium sit consummatum. Non enim sufficit, si alterum sit ratum, ut habetur ex cap. *Debitum 5. de Bigamis non ordinan.* ubi is, qui mulierem ab alio viro desponsatam per verba de præsenti, sed ab illo non cognitam, duxit uxorem, non censetur bigamus, nec impeditur promoveri ad Sacerdotium. *Quia*, inquit Pontifex, *nec illa, nec ipse carnem suam divisit in plures*, prout requiritur ad veram bigamiam.

46. Idem valet, si contrahat cum vidua, seu ab alio corrupta, quam putabat esse virginem, aut post adulterium propriam uxorem cognovit, inscius patrati delicti. Ratio est, quia hic non agitur de irregularitate proveniente ex delicto, seu propria culpa, ad quam requiritur cognitio, & scientia, sed de illa, quæ provenit ex defectu Sacramenti; hic autem defectus significationis Sacramenti æque potest inveniri, sive adsit scientia, sive ignorantia. Nav. *c. 27. nu. 195.* Garzias *de Benef. par. 7. cap. 6. n. 16.* Barbosa *de potest. Episc. alleg. 49. n. 9.* Fagnanus cap. *Nuper a nobis n. 5. hoc tit.* idque extendunt etiam ad casum, quo mulier dissentiens, & violenter fuit ab alio cognita: nam illa violentia, quam patitur, feminam excusare potest a culpa, non autem tollit defectum Sacramenti. Palaus *disp. 6. pun. 8. num. 6.* Suarez *disp. 49. sect. 3. n. 26.* & alios referens Leander *disp. 6. qu. 20.*

47. Non contrahit irregularitatem, nec efficitur bigamus vir, qui extra matrimonium constitutus, pluries, aut cum pluribus feminis est fornicatus, aut qui duxit in uxorem prius a se defloratam, quia non deficit significatio Sacramenti; non enim carnem suam divisit in plures, sed adhuc est unicus unius uxoris sponsus, & matrimonium quadam fictione juris retrotrahitur ad tempus præteritum, & purgat vitium præcedens, cap. *Tanta, qui filii sint legitimi.* Nav. *c. 27. n. 195.* Barbosa *supra nu. 5.* Palaus *pun. 8. n. 7.* Leander *qu. 25.*

48. Summus Pontifex dispensare potest in omni bigamia, & inde orta irregularitate, quia hæc inducta est solo jure Ecclesiastico, non Divino. Ita cum aliis Leander *disp. 6. qu. 28.* In supplicatione tamen, quando petitur dispensatio, exprimi debet species Bigamiæ, ut si est vera, interpretativa, vel similitudinaria, & quoties illam contraxerit; non est tamen necesse dicere, ter, vel quater contraxisse matrimonium, sed sufficit explicare contraxisse binas nuptias, prout tenet Palaus *disp. 6. pun. 8. circa finem*, & Diana *par. 8. tr. 3. res. 58.*

49. Episcopus nullatenus dispensare potest in bigamia vera, vel interpretativa, & irregularitate inde contracta, nec etiam ad Ordines minores suscipiendos, aut in illis mi-

ministrandum, nec item ad primam Tonsuram, aut beneficium simplex. Ita Fagnanus cap. *super eo num.* 29. *& seqq. hoc tit.* Nicolaus Garzias *de Benef. part.* 7. *cap.* 6. *n.* 3. ubi refert declarationem Sacr. Congr. Concilii circa hoc factam die 30. Januarii 1589. & a Sixto V. approbatam. Barbosa *de potest. Episcop. part.* 2. *alleg.* 49. *n.* 25. ubi refert aliam declarationem Sacr. Congreg. Concilii in Feretrana 13. Aprilis 1630. & colligitur ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 17. *de Reform.* & tenent Doctores satis communiter, quos affert, & sequitur Leander *disp.* 6. *qu.* 32. contra nonnullos *ibidem* relatos. Potest tamen Episcopus dispensare in bigamia similitudinaria, si Clericus in Sacris constitutus cum virgine contraxit, ut habetur ex cap. *Sane Sacerdotes de Cler. Conjug.* Si autem contraxit cum vidua, non potest Episcopus cum illo dispensare, quia non est bigamia similitudinaria pure, sed includit interpretativam, in qua non potest Episcopus dispensare: & ita decretum habetur in cap *Fin. de Bigamis*, ubi Innoc. III. definit, non licere dispensare cum Clericis in Sacris constitutis, qui cum vidua contraxerunt: idem dicendum, si contraxerunt cum pluribus. Leander, alios referens, *qu.* 36. *&* 37.

50. *An vero Prælati Regulares dispensare possint cum suis Religiosis super irregularitate contracta ex Bigamia?* Negant Barbosa *dicta allegat.* 49. Tambur. *de jure Abbat. tom.* 2. *disp.* 17. *qu.* 3. *nu.* 2. & alii, quos sequitur Diana *part.* 4. *tr.* 2. *res.* 63. Sed melius affirmant Leander *qu.* 39. Palaus *disp.* 6. *pun.* 8. *num.* 21. Ant. a Spiritu S. *disp.* 2. *numer.* 92. qui referunt privilegia Regularibus quoad hoc concessa. Hujusmodi est privilegium Sixti IV. relatum in *Compendio Minorum*, *verb. Absolutio extraord. quod fratres* §. 4. concedens Prælatis Regularibus, ut possint dispensare cum suis subditis in omni bigamia vera, interpretativa, & similitudinaria. Datur aliud privilegium Pauli III. concedens illis facultatem ad dispensandum in omni irregularitate, non excepta bigamia, nec homicidio voluntario; unde virtute horum privilegiorum possunt Prælati Regulares dispensare cum suis subditis in omni bigamia.

51. Clericus in Minoribus constitutus, si fiat bigamus, bigamia vera, aut interpretativa, privatur ipso facto privilegio Canonis, & Fori, ut decisum habetur in cap. *Unica de Bigamis in* 6. ubi Gregor. X. ait: *Altercationis antiquæ dubium præsentis declarationis oraculo decidentes, Bigamos omni privilegio Clericali declaramus esse nudatos, & coercioni fori sæcularis addictos; consuetudine contraria non obstante. Ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre Tonsuram, vel habitum Clericalem*, quæ pœna a bigamia incurritur ipso facto, prout indicant illa verba, *declaramus esse nudatos*, quæ important pœnam latæ sententiæ; unde peccant mortaliter si deferant Tonsuram, & habitum Clericalem, cum hoc sub excommunicatione illis prohibeatur. Hoc solum procedit de bigamia vera, & interpretativa, non vero de similitudinaria; nam constituti in Ordine Sacro non privantur privilegio Clericali, nisi per degradationem, ut notat Palaus *pun.* 8. *n.* 13.

DUBIUM VI.

De Irregularitate ex defectu lenitatis.

52. EX defectu lenitatis contrahitur irregularitas ab illis, qui sine culpa concurrunt ad homicidium licitum, & justum, factum auctoritate publica, cujusmodi sunt Accusatores, & Delatores. Item Judices, & ejus Assessores, & Consultores, Advocati, Testes, Notarii, sententiam scribentes, vel subscribentes, & Ministri justitiæ sententiam exequentes. Hi enim omnes, morte, vel mutilatione secuta, quamvis nullum committant delictum, quia tamen alienum sanguinem fundunt, aut ad fundendum concurrunt, carent perfecta mansuetudine, & lenitate requisita in Ministro Altaris, qui repræsentat personam Christi, qui ut Agnus mansuetissimus, proprium pro nobis fudit Sanguinem, & pro suis crucifixoribus Patrem exoravit. Sic enim habetur in cap. *Clerici*, & cap. *sententiam sanguinis, ne Clerici, vel Monachi*, & cap. *penult. de homicid.* & cap. 1. *de Cler. pugnant. in duello*, cap. *in Archiepiscopatu, de Raptoribus*, & Clement. *Si furiosus de homicid.* & Can. *Miror*, Can. *Clericum*, & Can. *De his Clericis dist.* 50. Ut autem distincte procedamus, sit:

§. I.

De Accusatore, & Denuntiatore in caussa sanguinis.

53. HInc fiunt irregulares omnes, sive Clerici, sive Laici, qui alium criminaliter accusant coram Judice Laico de crimine digno mortis, si mors inde sequatur, quia cooperantur ad judicium, & mortem, prout fatentur Doctores communiter. Nec taliter accusans liberatur ab irregularitate, quamvis protestetur, se non intendere pœnam mortis, aut sanguinis; nam talis protestatio est inutilis, & nihil operatur, cum sit contraria facto; siquidem criminaliter accusando petit vindictam, & pœnam a Judice infligendam, cui contrariatur protestatio a se facta, quod non intendat pœnam sanguinis, aut mortis, ut bene advertit Covar. in *Clem. unic. de homicidio p.* 2. §. 5. *num.* 5. Suarez *disp.* 47. *sect.* 2. *num.* 10. Navar. *lib* 5. *consi.* 9. *homic.* Henriquez *lib.* 14. *cap.* 11. *num.* 14. & cum aliis Leander *disp.* 7. *quæst.* 45.

54. Immunis est ab irregularitate, qui alterum criminaliter accusat de delicto levi non trahente ad pœnam sanguinis, etiamsi Judex inde ite, & injuste illum condemnet ad mortem, quia tunc malitia, vel inscitia Judicis non debet nocere accusatori, qui non dat caussam sufficientem tali occisioni; vel si reus de levi crimine accusatus, ob alia delicta condemnetur ad mortem. Covar *loco cit* §. 5. *n.* 3. *not.* 9. Navar. *Man. cap.* 27. *nu.* 214. Bonac. *disp.* 7. *qu.* 4. *pun.* 2. *nu.* 7. Palaus *pun.* 14. §. 2. Immunis pariter est, si criminaliter accuset coram Judice Ecclesiastico, qui non potest procedere ad pœnam sanguinis, & per accidens est, si reum deinde tradit Judici sæculari puniendum. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 11. *n.* 5. Sayrus *lib.* 6. *cap* 18. *n.* 14 Avila, Cornejo, Villalob. & alii, quos affert, & sequitur Leander *disp.* 7. *qu.* 50. *&* 51.

55. Non contrahit hanc irregularitatem accusator, seu denuntiator, si non criminaliter, sed civiliter accuset, hoc est non petendo vindictam publicam, sed præcise satisfactionem sibi debitam, & illati damni compensationem, quamvis delictum sit dignum morte, & ad illam reus condemnetur. Præmissa tamen protestatione, quod ipse non intendit, nec velit vindictam, nec mortem, sed dumtaxat suum interesse, seu illati damni compensationem, quia tunc per accidens tantum mors sequitur ex tali accusatione, ut constat ex cap. *Postulasti, de homicidio*, & cap. *Prælatis eod. tit. in* 6. Addita ibid. ratione: *Nam alioquin, si Prælati, aut Clerici propter metum hujusmodi (quia Judex ad pœnam sanguinis posset procedere de suis malefactoribus) saltem conqueri non auderent, daretur plerisque materia, seu occasio irritandi eosdem, & illorum bona libere deprædandi.* Ita Covar. in Clem. *Si furiosus* 2. *p.* §. 5. Barbosa *in dict. cap. Prælatis*, Henriquez *lib.* 14. *cap.* 11. *nu.* 4. Suarez *disp.* 47. *sect.* 2. *nu.* 19. Palaus *pun.* 14. §. 2. *num.* 2. Bonac. *quæst.* 4. *p.* 2. *num.* 3.

56. Immunis pariter est Clericus ab irregularitate, si post sibi damnum illatum latronem insequitur fugientem cum rebus suis, eumque capit; idem valet, si clamando vicinos excitat, ut eum detineant, & sic detentum Judici tradit, etiamsi mors inde sequatur, dummodo statim, vel ante sententiam, expressam protestationem faciat, se non intendere, nec velle mortem furis, sed dumtaxat suum interesse, quia capiendo furem, & Judici tradendo ob recuperandas res sibi furto sublatas, non magis influit in mortem inde consequentem, quam dum civiliter accusat: protestatio tamen debet esse expressa, nec sufficit tacita, aut interna, ut habetur, ex cap. 2. *de homic. in* 6. ibi: *Protestando expresse*, ubi autem expressum requiritur non sufficit tacitum. Gloss. *ibid.* verb. *Protestando expresse.* Sic Covar. *supra cit.* §. 5. *nu.* 3. *ver.* 10. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 12. *n.* 8. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 18. *n.* 7. & Leander *disp.* 7. *qu.* 64.

57. Hoc tamen procedit, quando Clericus, præmissa protestatione, reum civiliter accusat, seu detinet, in caussa propria petendo suum interesse; vel in caussa suæ Ecclesiæ, vel suorum parentum, fratrum, liberorum, propinquorum, & consanguineorum, quia damnum, & injuria illata consanguineis reputatur propria accusatoris, & ad ipsum pertinere. Sic Palaus *pun.* 14. §. 2. *n.* 6. *&* 7. qui id extendit ad consanguineos usque ad quartum gradum. G. Hurt. *disp.* 2. *diff.* 11. *n.* 41. Diana *par.* 4. *tract.* 2. *resol.* 33. & alios referens Leander *quæst.* 55. Non tamen liberatur ab irregularitate, si reum dignum morte civiliter accuset, quamvis præmissa protestatione, in caussa extraneorum. Palaus *loco cit.* Navar. *cap.* 27. *n.* 217. Bonac. *pun.* 2. *n.* 4. Suarez *disp.* 47. *sect.* 2. *n.* 17. Leander *quæst.* 58.

58. Qui alium civiliter accusat cum expressa protestatione contra pœnam sanguinis immunis est ab irregularitate, quamvis talis protestatio facta sit animo ficto, desiderando interius vindictam, & sanguinem accusati. Ratio est, quia Textus in cap. *Prælatis de homic. in* 6. solum requirit externam protestationem, non vero præcipit, quod animo fiat, tum quia protestatio facta apud Judicem ignarum fictionis tantum valet, ac si fieret animo sincero, & non ficto. Covar. *in Clem. si furiosus part.* 2. §. 5. *nu.* 2. *ver.* 6. Bonacina *quæst.* 4. *par.* 2. *num.* 11. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *res.* 75. Barbosa *in Collect.*

ad

ad cap. Prælatis num. 9. Suarez *disp.* 47. *sect.* 1. *num.* 3. & alios plures referens Leander *qu.* 47. Protestatio autem hoc modo fieri potest: *Domine, peto curet mihi satisfactionem, vel restitutionem exhiberi a Titio, qui mihi damnum intulit, protestorque, me nulla ratione intendere pœnam sanguinis, vel mutilationem, vel mortem.* Ita expresse Bonac. *disp.* 7. *qu.* 4. *pun.* 2. *n.* 9. addens, non sufficere ad evadendam irregularitatem, si solum dicat: peto meum interesse, sed requiritur expressa protestatio, ex d. cap. *Prælatis*.

59. Non solum Clerici, sed etiam Laici eximuntur ab irregularitate, si aliquem civiliter accusent in caussa sanguinis præmissa protestatione; secus si accusent criminaliter, quia licet ipsis non sit prohibitum criminaliter accusare, nec accusando peccent, sicut peccant Clerici, quibus prohibitum est coram Judice laico, non vero coram Ecclesiastico, criminaliter ad pœnam sanguinis accusare, juxta caput *Postulasti de homicid.* & cap. 2. *eod. tit. in* 6. fiunt tamen irregulares ex defectu lenitatis. Si tota aliqua Communitas, seu Universitas Procuratorem, seu Syndicum constituat ad accusandum criminaliter in caussa sanguinis, omnes de tali Communitate, & Universitate, qui suum præstiterunt consensum, fiunt irregulares, quia Procurator agit nomine Communitatis, Bonac. *p.* 2. *n.* 13.

§. II.

De Judice, assessore, & aliis Ministris.

60. JUdex, sive Ecclesiasticus, sive Secularis, juste proferens sententiam mortis, seu mutilationis, effectu secuto, contrahit irregularitatem ex defectu lenitatis, ut constat ex cap. *Sententiam Sanguinis, ne Clerici, vel Monachi*, cap. *penult. de homicidio*, & aliis juribus relatis supra *nu.* 52. ubi allata est ratio, quia proferre sententiam sanguinis, etiam juste, & sine peccato, est contra mansuetudinem Ecclesiasticam; requiritur tamen, quod mors, seu mutilatio sequatur; nam si reus alia pœna puniatur, Judex per hoc non evadit irregularis, cum irregularitas non contrahatur, nisi morte, seu mutilatione secuta, ut docent communiter Doctores. Inde Judex non fit irregularis, si reum condemnet ad pœnam fustigationis, flagellationis, detrusionis in carcere, triremium, & hujusmodi, quamvis pars aliqua sanguinis effundatur, aut reus per tormenta, & labores debilitetur, & citius moriatur; nam hæc irregularitas solum incurritur per sententiam mortis, aut mutilationis, effectu secuto. Ita cum communi sententia Suarez *disp.* 47. *sect.* 1. *n.* 2. Avila *par.* 7. *disp.* 5. *sect.* 1. *in fine*. Sayrus *lib.* 6. *c.* 15. *num.* 4.

61. Excipitur Summus Pontifex, qui est incapax irregularitatis, adeo ut evectus ad Summum Pontificatum statim fiat liber, si forte antea aliquam contraxit, prout colligitur ex cap. *Licet de vitanda, de Election.* cap. *ubi periculum* 3. *eod. tit. in* 6. Excipiuntur etiam Inquisitores hæreticæ pravitatis, & illorum Assessores, Consultores, & Commissarii, favore fidei per privilegium concessum a Paulo IV. & S. Pio V. si hæreticum ad pœnam jure statutam etiam mortis condemnent. Excipiuntur pariter Judices Ecclesiastici, qui reum confessum, & convictum tradunt Judici sæculari, quamvis prævideant, illum pœna mortis, aut mutilationis fore plectendum. Suarez *disp.* 47. *sect.* 1. *n.* 11. Bonac. *qu.* 4. *pun.* 1. *n.* 24. præmissa ab istis protestatione, ne reo pœna mortis inferatur, & pro eo intercedendo.

62. Non incurrunt irregularitatem Episcopus, & alii Prælati Ecclesiastici jurisdictionem temporalem habentes, si Judicem constituant in caussa sanguinis, illi dumtaxat jurisdictionem criminalem conferentes, aut si legem statuant sub pœna mortis, seu mutilationis transgressoribus imponenda, dummodo ipsi sententiam mortis non proferant, nec mandent aliquem in particulari occidi; nam lex illa directe, & per se non ordinatur ad homicidium, sed ad bonam gubernationem Reipublicæ, ut crimina evitentur, & quia talis lex generaliter tantum in malefactores, non vero in aliquam personam particularem, statuit pœnam sanguinis. Ita Palaus *pun.* 14. §. 2. *nu.* 3. Bonac. *pun.* 1. *n.* 25. & 28. & aliis relatis, Leander *disp.* 7. *qu.* 20. & 21.

63. Quod dictum est de Judice, idem dicendum est de Assessoribus, & Consiliariis, qui Judici ad ferendam sententiam assistunt, & suo consilio, & voto ad illam concurrunt, qui omnes fiunt irregulares, etiamsi mors sine sanguinis effusione fiat, ut si reus suspendatur, vel alia ratione suffocetur. Palaus *disp.* 6. *pun.* 14. §. 2. *n.* 2. & §. 3. *n.* 7. Suarez *disp.* 47. *sect.* 1. *n.* 4. & ex communi sententia Ant. a Spiritu S. *disp.* 2. *n.* 105. Ratio est, quia isti omnes ad mortem, & pœnam sanguinis vere, & proprie concurrunt.

64. Theologi, Confessarii, & Jurisperiti non fiunt irregulares, si solum in genere interrogentur, *an quis ob tale delictum mortem mereatur*, & respondeant *mereri*. Siquidem non influunt in mortem proxime, & directe, sed explicant quid de hujusmodi malefactoribus jura statuunt. Nec item fiunt irregulares, si non in genere, sed in casu particulari interrogentur, *An hic reus sit suspendendus, & morte plectendus?* si dicant, *secundum jura, fures, grassatores viarum, homicidæ, &c. sunt suspendendi, & morte plectendi*, quia non suadent, nec consulunt mortem, sed veritatem aperiunt, & docent, quid jura statuunt, ut ex communi Doctorum tradit Leander *qu.* 30. & 31. ubi addit, illos non solum in genere, sed etiam in particulari respondere posse Judici interroganti, *hunc reum secundum jura esse suspendendum, aut capite plectendum*. Sequitur Diana *par.* 3. *tr.* 5. *res.* 80.

65. Non est irregularis Confessarius, qui absolutionem negat Judici nolenti condemnare reum dignum morte, quia Confessarius aliter facere non potest absque peccato; siquidem absolvere non potest pœnitentem existentem in peccato mortali, nisi resipiscat, & emendationem proponat. Cum autem Judex teneatur condemnare reum dignum morte, potest illi Confessarius negare absolutionem, si non proponat facere id, quod tenetur; nec est credibile, Ecclesiam velle irregularitatem imponere Confessario exequenti Officium suum; non enim intendit mortem rei, sed salutem pœnitentis. Ita cum Henriquez, Avila, Suarez, tenet Palaus *pun.* 14. §. 3. *nu.* 8. sequitur Bonac. *pun.* 1. *n.* 29. & cum aliis Leander *qu.* 32. Idem dicendum de Confessario obligante reum pœnitentem juridice interrogatum ad fatendam veritatem, etiamsi mors sequatur; secus si non teneatur delictum a se commissum fateri, quia tunc contrahit irregularitatem ex delicto. Excusatur etiam Confessarius, si persuadeat reo, ut acquiescat justæ sententiæ mortis, & non appellet injuste. Palaus *n.* 9. Bonac. *num.* 30. Leander *qu.* 33. 34. & 35.

66. Testis, qui voluntarie testificatur contra reum in caussa sanguinis, fit irregularis, si mors sequatur, aut mutilatio, ut tradunt Doctores communiter, quia testificando ad mortem vere concurrit; nec excusatur, si protestationem faciat contra pœnam sanguinis; nam protestatio est contraria facto, & illos solum excusat, qui in judicio sanguinis caussam propriam, non alienam prosequuntur, ut diximus supra *n.* 57. Dixi, *qui voluntarie testificatur*; nam si testificari recusans, ad id compellatur a Judice, non incurrit hanc irregularitatem, quia non libere, sed coacte hoc facit, ut cum aliis docet Palaus *loc. cit. n.* 3. & Leander *disp.* 7. *qu.* 69. Nec valet eadem ratio de Judice, & aliis Officialibus justitiæ, quia isti voluntarie officium assumpserunt, licet postea assumptum necessario administrent, & ad mortem rei concurrant.

67. Similiter Notarii, Scribæ, & alii Ministri, qui dictant, vel scribunt sententiam mortis, aut suo sigillo authenticam faciunt. Item qui reum torquent ad fatendum crimen, & multo magis, executores sententiæ, & ministri justitiæ, & satellites, qui custodiæ caussa, reum comitantur ad supplicium, fiunt irregulares, secuta morte, quia ad illam proxime concurrunt. Navar. *cap.* 27. *num.* 217. Suarez *disp.* 47. *sect.* 4. *n.* 1. aliique communiter. Excusatur famulus Notarii, qui sententiam transcribit, & famuli Ministrorum, qui dominum comitantur, non ut satellites, sed ut famuli. Palaus *supra* §. 4. *n.* 2.

68. Omnes alii, qui non auctoritate publica tamquam Ministri, sed privata; non proxime, & directe, sed per accidens solum, & remote concurrunt ad mortem, & pœnam sanguinis, non contrahunt irregularitatem. Palaus *pun.* 14. §. 4. & Doctores communiter, in cap. *Tua nos de homicidio*; & inde non fiunt irregulares artifices, qui conficiunt, aut vendunt funes, gladios, & alia instrumenta, quæ deservire possunt ad mortem, & occisionem rei, quia remote nimis ad mortem concurrunt; nec qui impetrat a Judice, ut reus ducatur per aliam viam breviorem, ne per plateam, ubi parentes vivunt, adducatur; nec item si voce, vel punctione jumentum instiget, quo reus occidendus vehitur, etiamsi ex eo mors aliqualiter acceleretur; nec qui reum monet, ut in via procedat, ut scalam ascendat, manus ligandas præbeat, & caput stipiti admoveat, quia hæc levia sunt, & pro nihilo reputantur, nec ab illis fiunt, tamquam a ministris justitiæ, ut habet Palaus *loco cit.* Diana *part.* 3. *tr.* 5. *resol.* 27. & 79. & *par.* 8. *tract.* 7. *resol.* 61. Leander *qu.* 94. & *seqq.*

69. Prælati, & Clerici temporalem jurisdictionem habentes fiunt irregulares, si assistunt executioni sententiæ mortis, cap. *ex litteris de excessib. Prælat.* & cap. *sententiam, ne Clerici, vel Monachi*; non autem alii Clerici, vel Laici, qui non habent jurisdictionem temporalem, quia citata jura solum loquuntur de Prælatis jurisdictionem temporalem habentibus, quia sua præsentia, & auctoritate auxilium præstant executoribus sententiæ, ad

quam proinde dicuntur cooperari, quod non valet de aliis Clericis non habentibus Jurisdictionem temporalem, Et licet velint nonnulli, Clericos, ex curiositate spectatores ultimi supplicii peccare, cum hoc illis sit prohibitum, cit. cap. *sententiam*, id tamen non excedere culpam venialem, etiamsi ex sola curiositate faciant, docet Palaus §. 4. n. 2. Suarez *disp.* 47. *sect.* 4. *in fine*, sequitur Bonac. *qu.* 4. *pun.* 1. *nu.* 16. Alii tamen asserunt, illos non peccare, nec etiam venialiter, secluso scandalo, quia Canones, qui contra hoc afferuntur, contraria consuetudine jam sunt abrogati, ut docet Diana *part.* 4. *tract.* 2. *ref.* 35. & cum aliis tenet Leander *disp.* 7. *qu.* 104.

§. III.

De Irregularitate propter Homicidium in Bello justo, aut Chirurgiam.

70. RESP. omnes pugnantes in Bello justo, sive aggressivo, sive defensivo, sunt irregulares ex defectu lenitatis, si aliquem propriis manibus occidant, aut mutilent; nam licet id faciant sine peccato, tamquam ministri publici, & facultate a Republica accepta, tamen in illis datur defectus lenitatis, ratione cujus indecens est, ut ad ministerium Altaris admittantur, ut constat ex cap. *Petitio tua*, *de homic.* & can. *si quis* 4. *dist.* 51. & tenent Doctores communiter. Non sufficit tamen sola vulneratio, si mors non sequatur, ex d. cap. *Petitio tua*, ibi: *Pro eo quod aliquos percussisti*; nam talis irregularitas ex solo vulnere in jure statuta non reperitur, & sic non contrahitur.

71. Inde non remanent irregulares illi, sive Clerici, sive Laici, qui nullum occiderunt, aut mutilarunt, quamvis aliquem, seu aliquos vulneraverint, ut colligitur ex cit. cap. *Petitio*, ubi Sacerdoti pugnanti in bello, qui aliquos percussit, seu vulneravit, & multi ab aliis fuerunt occisi, mandatur ob irregularitatem tunc solum abstinere a celebratione, quando remorsum habeat conscientiæ, quod ab eo revera aliquis fuerit occisus. Si ergo sibi sufficienter constat, a se nullum fuisse occisum, aut mutilatum, non debet abstinere a celebratione. Unde patet disparitas inter illos, qui pugnant in bello injusto, quod licet in utroque bello pugnantes, aut auxilium quomodolibet ferentes, videantur una caussa moralis, tamen cum pugnantes in bello justo contrahant irregularitatem, solum ex defectu lenitatis, jura statuunt, quod illam contrahant tantum, qui propriis manibus aliquem occidunt, aut mutilant, in bello vero injusto cum irregularitas contrahatur ex delicto, si unus occulatur, omnes fiunt irregulares, etiam illi, qui propriis manibus nullum occiderunt. Ita Covarr. in *Clem. un. de homicidio*, *p.* 2. §. 3. *n.* 2. Navarr. *cap.* 27. *nu.* 215. *& seqq.* Suarez *disp.* 47. *sect.* 5. *num.* 1. *& sect.* 6. *num.* 5. Palaus *pun.* 14. §. 7. *num.* 1. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 8. *numer.* 2. Bonacina *quæst.* 4. *punct.* 4. *num.* 7. *& 10.*

72. Hinc sequitur, nec peccare, nec fieri irregulares Clericos, & Religiosos bello justo interessentes, & milites, sive ante, sive in ipso conflictu hortantes, & animantes ad pugnandum, non solum generaliter, & in universum, ut tenent communiter Doctores, sed etiam, ut irruant in hostes, & inimicos occidant, quia talis interessentia de se non est mala, nec ullo jure prohibita; solumque Clericus prohibetur propria manu pugnare, & aliquem occidere; nec contrahunt irregularitatem per solam assistentiam, & hortationem, sed quando propria manu aliquem occidunt. Navar. *cap.* 27. *n.* 216. Suarez *disp.* 47. *sect.* 6. *n.* 8. Leander *disp.* 7. *qu.* 115. *& 116.* & cum aliis Bonac. *qu.* 4. *pun.* 4. *n.* 7. Ant. a Spiritu S. *disp.* 2. *n.* 135.

73. Resp. 2. Clerici pugnantes in bello justo defensivo non contrahunt irregularitatem, si propria manu aliquem occidunt, vel mutilant ad defensionem propriæ vitæ, ex Clement. *Si furiosus de homicidio*, estque communis apud omnes. Idque verum est, si necessario pugnant pro defensione Ecclesiæ, seu Patriæ, quamvis aliquem occidant, quia defensio Ecclesiæ, vel Patriæ favorabilior est, quam defensio vitæ propriæ, aut alterius particularis; unde si ob defensionem vitæ propriæ licitum est occidere, vel mutilare absque irregularitate, idem licitum erit pro defensione Ecclesiæ, & Patriæ. Item pro defensione Regis, vel Principis, quem vident occidendum ab hostibus, si hostes non interficiant. Ita Sayrus, Candidus, Dicastillus, Palaus, quos affert, & sequitur Ant. a Spir. S. *disp.* 2. *n.* 137. Leander *disp.* 7. *qu.* 117. *& seqq.*

74. Hoc tamen procedit, quando Clerici in bello justo defensivo insistant ex necessitate ad defendendam Ecclesiam, vel Patriam, quia Laici deficiunt, aut non sufficiunt; nam tunc adest moderamen inculpatæ tutelæ, ut non fiant irregulares, si aliquem propriis manibus occidant; secus si Laici non deficiant, sed sufficiant, tunc enim illorum actio non est necessaria, nec evitant irregularitatem, si aliquem occidant. Abbas in cap. *Petitio hoc tit.* Sylvester *verb. Homicidium* 3. *qu.* 6. Layman *l.* 3. *tr.* 3. *cap.* 9. *n.* 2.

75. Resp. 3. Clericos omnes, & Religiosos in Sacris constitutos contrahere irregularitatem ex defectu lenitatis, si officium, & artem exerceant Chirurgiæ, & Medicinæ per incisionem, & adustionem, quamvis sint in arte periti, & omnem adhibeant diligentiam, ne mors sequatur, cum hoc sit illis specialiter prohibitum in cap. *sententiam sanguinis*, *ne Clerici*, *vel Monachi*, & cap. *Tua nos de homicidio*, ibi: *Religiosus chirurgiam exercens, si ex ea mors sequitur, irregularis est, etiamsi sit peritus, & diligens, & hoc fecerit caussa pietatis, quia dedecet Clericos, & Religiosos hujusmodi officium exercere ob periculum mortis, quod illi solet esse adjunctum, a quo pericula convenit Clericos in Sacris constitutos, & Religiosos esse alienos*; proinde censentur irregulares ex defectu lenitatis, si ex illorum actione, utpote illicita, periculosa, & illis prohibita, ratione periculi, ne mors sequatur, ut docent Glossa, & Abbas in d. cap. *Tua nos de homicidio*. Navar. *c.* 7. *q. n.* 228. Covar. in *Clem. si furiosus* 2. *p.* §. 4. *n.* 3. *& 10.* Suarez *disp.* 45. *sect.* 6. *n.* 12. Bonac. *disp.* 7. *qu.* 4. *pun.* 5. *n.* 4. Sayrus *lib.* 7. *c.* 2. *n.* 7. Avila *par.* 7. *disp.* 6. *sect.* 1. *dub.* 2. & alii plures relati a Leandro *disp.* 9. *qu.* 9. quamvis ipse probabiliter teneat oppositum.

76. Non contrahunt hanc irregularitatem Clerici in minoribus Ordinibus constituti, quamvis sint Beneficiati, si exerceant Chirurgiam, cum incisione, vel adustione, dummodo diligentiam adhibeant ad prævavendum mortis periculum, quia illis non est specialiter prohibitum. Molina *tom.* 4. *de Just. tr.* 3. *disp.* 75. *num.* 2. & cum aliis Diana *part.* 4. *tr.* 2. *ref.* 24. Leander *disp.* 9. *quæst.* 2. Excusantur etiam ab irregularitate Monachi, & Clerici in Sacris constituti, si Medicinam, & Chirurgiam exerceant sine incisione, & adustione, quamvis ex illorum curatione mors inculpabiliter sequatur, quia nullibi est hoc illis prohibitum; nam cap. *sententiam sanguinis*, *ne Clerici*, *vel Monachi*, & cap. *Tua nos de homicidio* solum prohibent adustionem, & incisionem. Quod const. ex cap. *Ad aures de ætat. & qualit.* ubi Clemens III. respondet Canonico Coloniensi, eum non fuisse irregularem exercendo medicinam, secuta inde morte, si diligens fuerit ad eam cavendam; unde solum incurrerent irregularitatem Clerici, vel Monachi, si ex eorum imperitia, vel negligentia infirmus moriatur; non vero si secundum regulas artis ei mederent, etsi moriatur infirmus. Ita Cardin. in d. cap. *Ad aures n.* 2. Covarr. in *Clem. si furiosus de homicid.* 2. *par.* §. 4. *nu.* 3. Felinus in cap. *Tua nos eod. tit.* ubi de Romana praxi testatur Bonac. *disp.* 7. *qu.* 4. *par.* 5. *n.* 4. *& 5.* Molina, Sayrus, Henriquez *ibid.* relati, sequitur Anton. a Spiritu S. *disp.* 2. *num.* 146.

77. Item excusantur ab irregularitate, qui hoc faciunt cum incisione, & adustione in extrema necessitate, ut tempore pestis, quando non est alius, qui hoc munus præstet, quia non erat conveniens illos irregularitate puniri propter opus alias jure naturali, & caritatis debitum, & præceptum. Ita cum Rodriquez, Molina, Henriquez, Avila, & Sayro, Bonac. *num.* 4. *vers. Addo*, Palaus *pun.* 15. §. 4. *n.* 4. Diana *pun.* 4. *tract.* 2. *resol.* 23. Item si extra hoc tempus id faciant cum ignorantia invincibili hujus prohibitionis; nam ignorantia invincibilis, cum excuset a peccato, ita excusat a pœna. Sic Diana *ibidem*. Pariter excusantur, si applicant Emplastrum mollificativum, quo apostema se se aperit, & mors inde sequitur sine eorum culpa; nam talis actio non est proprie adustio, vel incisio. Ita cum Molina, & Rodriquez, Bonac. *pun.* 5. *n.* 5.

78. Item excusantur, si secundum peritiam artis jubeant incisionem, & adustionem, etiamsi mors inde sequatur, quia pœna lata contra facientes non ligat mandantes, neque consulentes, nisi exprimantur. Ita cum Molina, & Rodriquez Bonac. *ibid.* aut si consulant secundum regulas artis, ut membrum cancro infectum abscindatur, aut vena aperiatur ad emittendum sanguinem. Bonac. *ibid.* addens, non esse irregularem Clericum in Sacris constitutum, si exerceat officium Medici, & Chirurgi, abscindendo, vel adurendo secundum regulas artis, prout etiam cum aliis tenet Leander *disp.* 9. *quæst.* 25. apud quem multa alia reperies ad officium Medici, & Chirurgi spectantia.

79. Hic solum adverto, non esse prohibitum, nec contrahere irregularitatem Clericos, & infirmarios, qui infirmum movent, aut volvunt in lecto, seu de lecto ad lectum transferunt; cibum, aut potum illi præbent, aut aliud bona fide operantur, ex quo mors, aut ejus acceleratio præter intentionem sequatur, nisi interveniat culpa gravis, & lata. Unde rejiciendi sunt scrupuli, quos aliqui Sacerdotes assistentes infirmis habent, illos volvendi, vel alimentum præbendi, ne ut dicunt, infirmi in ma-

monibus illorum moriantur. Hoc enim ridiculum est, ut ait Antonius a Spiritu Sancto *disp. 9. num.* 149. cum nulla intercedat culpa, sed potius meritum magnum, cum sit officium, & exercitium Christianæ pietatis, & sic nulla potest adesse irregularitas, ut ex communi sententia docet Bonacina *quæst. 4. punct. 7. num.* 12. sic etiam Avila *disp. 6. sect. 1. dub. 8. concl.* 1. & 2. Sayrus *lib. 7. cap. 6. num.* 13. Diana *part. 3. tract. 5. resol.* 79. & *par. 5. tract. 3. resol.* 117. & alios referens Leander *disput. 9. quæst.* 34. & 35.

Plura si cupis, videre poteris Pontificem nostrum in sua Constitutione Edit. Latin. posita sub num. 101. *ita se habet:*

„ 1. Quidam Clericus prima Tonsura, ac minoribus Ordinibus præditus Mutinæ discessit mense Majo cum Exercitu Gallico in cohortem Equitum Bituricensium sponte sua cooptatus; cum illis forte militibus admixtus fuit, qui ad expugnandum Goitum missi fuerant, quæ arx ad Mincium posita, quinque, vel circiter milliaris a Mantua distat. Equidem obnoxius fuit tormentis bellicis, quæ ab hostibus explodebantur, tamen eo nunquam devenit, ut suum sclopetum exploderet; certoque affirmat, nemini vulnus, aut necem intulisse. Mense Junio nondum absoluto, facultatem obtinuit, ut negotiis suis domesticis expediendis domum reverteretur; quam deserere amplius non potuit, eo quod Bituricensium Equitum cohors in Galliam rediisset: quapropter induit rursus habitum Clericalem, studiis Ecclesiasticis operam impendit, & cursum, quem primo inierat, prosequi vehementer exoptat. Hinc a nobis postulas, utrum aliqua irregularitate devinctus sit, ob quam susceptos antea Ordines exercere nequeat, nec ad reliquos assumi valeat, nisi prius Apostolicæ Sedis facultas intercesserit.

„ 2. Cum igitur hic Clericus neminem interfecerit, neque mutilaverit, uti constat ex eo, quod sclopetum minime disploserit in hostes, proculdubio respondendum videtur, nulli irregularitati fuisse obnoxium, quamvis militiæ adscriptus in acie constiterit, & conditionem a Clerico prorsus alienam delegerit, & in eo discrimine versatus ultro fuerit, ut aliquem necaret, aut mutilum efficeret.

„ 3. Ad rem declarandam afferri potest exemplum Clerici, qui Magistratus sæcularis personam susceperit, quæ ab ipso longe abhorret, mortisque sententiam in aliquem reum pronuntiaverit.

„ 4. Inquiritur, an hic Clericus irregularis factus sit, licet ea sententia demandata executioni nequaquam fuerit. Id plures affirmant. Alii vero, ne Theologis examinandis cum labore tempus insumant, decernunt petendam esse dispensationem ab irregularitate *ad cautelam*. Apud Corradum *in praxi dispens. lib. 5. cap. 2. n. 3. & in additionib. post. eumdem librum fol.* 31. *n.* 57. Reliqui tamen unanimes asserunt, eumdem Clericum immunem esse ab irregularitate, si ob ejus sententiam reus non perierit, eo quod ex homicidio solum irregularitas dimanet. Suarez *de censur. disp. 47. sect. 1. n.* 3. Navarr. *cons. 9. sub n. 4. de pænit. & remiss.* Thesaur. *de pænis Eccles. part. 2. cap. 2. vocabulo Judices Laici munus exercentes §. Contraria.* Sperel. *decis.* 77. Ciarlin. *controv.* 203. *per tot.* Capon. *discept.* 30. *per tot.* Pasqualig. *quæst. moral. jurid.* 17. *num.* 3. Leander *tom. 5. tr. 2. de irregularit. disp. 7. qu. 5. &* 6. Eidem opinioni adhæret Romanæ Rotæ Tribunal *in decis.* 1191. *num.* 1. *coram Seraphino*, ipsique Decreta Sacræ Congregationis Concilii conformantur *in Vercellen. die 3. Febr. ann.* 1629. *& in Spoletana die 14. Decembr.* 1630. *in Sutrina 25. Maji* 1695. *in S. Severini irregularit. 2. Junii* 1703. Sed opinio, quæ poscendam dispensationem tradit *ad cautelam*, probata non fuit a Paluccio, qui olim Sacræ Congregationis Concilii Secretarii munus exercuit, *apud Ciarlin. in dict. controv.* 203. §. *final.* neque illam secutus est Cardinalis Panciaticus ejusdem Congregationis Præfectus, quo tempore Secretarii munus commissum nobis fuit, uti deprehenditur ex ejus suffragio in Caussa Sancti Severini, quod nos ipsi retinemus; ea vero ratione potissimum ductus fuit, nempe supervacaneum esse dispensationem *ad cautelam* exposcere pro illa re, in qua constat nullam fuisse a jure sancitam irregularitatem.

„ 5. Agit de hac eadem quæstione Diana *in edit. coord. tom. 5. resol.* 89. eamque sententiam amplectitur, quam paullo ante judicavimus, illudque superaddit, si irregularis evadit Judex, qui reo mortem edixit, omnique studio contendit, ut supplicio reus afficeretur, quamvis conatus suos frustra contulerit, ac reus mortem declinaverit, si, inquam, statuenda Judici videatur irregularitas, idem prorsus decernatur necesse est in illum, qui sclopetum displodens glandes plumbeas in alium emisit, licet ipsum non attigerit, vel si vulnus alicui inflixit, in optimam valetudinem ille restitutus fuit, nec ullo membro diminutus. Id vero nemo umquam asseruit, & ne quidem somnio effinxit. Idem Diana sapienter advertit, concedi a Sacr. Pœnitentiaria, vel Dataria dispensationes ejusmodi, non tamquam necessarias, sed ut omni scrupulo, animique sollicitudine Fideles eripiantur.

„ 6. Proculdubio exemplum Clerici, qui Magistratum haud sibi consentaneum gerit, quive ob latam mortis sententiam nullam contrahit irregularitatem, si reus mortem minime subierit; id, inquam, exemplum satis fortasse ostendit irregularem haud esse Clericum, qui militiam professus est, si numquam in hostes sclopetum explosit, & pro certo habet nemini mortem intulisse, neminemque mutilum effecisse; immo fortasse aliquis ultra hos fines progredi non dubitabit, allatoque Judicis exemplo perductus fatebitur irregularitati obnoxium non esse Clericum, qui ad pugnam profectus decertavit, sclopetum displosit, sed neminem certe occidit, aut parte aliqua corporis imminuit. Attamen ingenii tui vim intelligentes, non immerito timemus id Judicis exemplum haud satis esse, ut propositæ sententiæ acquiescas; & cum discrepantiam in iis quoque rebus invenire soleas, quæ reliquis omnibus simillima videntur, fortasse hoc discrimen in medium proferes, irregularem non fore Judicem, qui morte aliquem damnaverit, si deinde reus eo supplicio eripiatur, eo quod Judici solum objici potest illius mors, quem ipse sententia sua damnaverat; quare cum reus mortem decretam effugerit, omnis irregularitas declinatur. Clericus autem, qui pugnam iniit, & sclopetum suum explosit, ut irregularitate immunis existimetur, haud satis est, quod neminem ipse interfecerit, aut mutilaverit, sed aliorum quoque homicidia, & mutilationes ipsi tribuuntur; nam cum ceteris, qui hæc commiserunt, unum veluti corpus ipse constituebat. Id profecto magnum discrimen inter Judicem Clericum, & Clericum militem intercedere apertissime demonstrat.

„ 7. Equidem sapienter, uti soles, responsum fecisti; tamen tum *in facto*, tum *in jure* satisfacere tibi contendemus. Goiti expugnatio ita se habuit, quemadmodum non Clericus ipse, sed plures alii, qui interfuerunt, fide, atque integritate cogniti, nobis exposuerunt. Dux fœderati Exercitus extemplo cohortem misit, ut parvum Goiti oppidum, quod exigua Germanorum copia tenebat, occuparet. Noctis tempore cohors profecta est, cui noster Clericus adjungebatur. Pervenit ad vallum Goiti palis munitum, cum tenebræ adhuc cælum obtegerent. Germani milites de adventu hostium admoniti, tormenta bellica sæpius absque ullius offensione disploserant. Postea ad exercitum Germanum, qui non longe aberat, tacito noctis tempore se contulerunt: sub lucem fœderati decessum hostium, oppidumque militibus vacuum deprehenserunt. Itaque mœnia ingressi sunt, eaque in suam potestatem redegerunt, ita tamen, ut nullus ex Germanis occisus, aut mutilatus fuerit (quod Clerico expeditionis comiti tribuendum judicares) neque ullus ex fœderatis mortem oppetiit in illa expugnatione, neque corporis partem ullam obtruncatam amisit, quod Clerici vitio vertendum non fuisset, ut immunis irregularitate censeretur. En tibi rei totius seriem, quam polliciti sumus, nunc ad rationes ex jure desumptas veniamus; ac primum hoc discrimen anteponendum est, ac videndum, an bellum æquitati consentaneum putetur, vel ab ipsa prorsus alienum.

„ 8. Nam si bellum injustum indicitur, irregulares fiunt illi etiam, qui nullum ex hostibus necarunt, aut mutilarunt, dummodo militum aliorum opera aliqui ex hostibus mutilati, vel interfecti fuerint. Id unanimes fatentur Theologi, Pontas *in suo Diction. Cas. Conscient. in vocab. Irregul. casu* 70. Recentiores tamen sic explicant, ut illos solum irregulares existiment, qui licet neminem occiderint, aut mutilaverint, operam tamen suam præbuisse censeantur illis, qui necem hostibus intulerunt, aut illos parte aliqua corporis imminuerunt; porro vicinioribus, & circumadstantibus id tribui potest, non vero illis, qui remota in parte exercitus consistunt. Excogitari quidem nequit post aciem instructam, quæ longissimum agri spatium occupat, eos milites, qui in sinistro cornu positi neminem mutilarunt, aut occiderunt; eos, inquam, contulisse operam suam reliquis militibus, qui in dextero complures hostes morti dederunt, aut ferro mutilarunt. Gibalin. *in sua tractat. de Irregul. cap. 4. consectar. 7. diffic.* 2. Diana *in sua edit. coordinata tom. 5. tr. 5. resol.* 98. & 99. Nonnulli quoque arbitrantur irregulares fieri Laicos, qui bellum injustum capessunt, si ipsorum comites occiderint, aut aliquem

„ ex

„ ex hostibus mutilaverint, quamvis illi nihil tale quidpiam commiserint. Clericum vero bello injusto decertantem, putant irregularitati penitus obnoxium, licet nec ipse, nec ceteri milites gladio interfecerint hostes, nec eos quidem mutilaverint. At vero, cum jus Pontificium id Clerico ejusmodi nequaquam decernat, hæc sententia probari nequit, uti Suarez *de Censuris disp. 47. sect. 5.* luculenter ostendit. Schmalzgrueb. *ad tit. Decretal. de homicidio volunt.* a *num. 137. ad 143.* Majolus *in Can. Clerici 23. qu. 8.* & perpauci alii, qui contrariam opinionem ex hoc Canone tuentur: *Clerici, qui in quacumque seditione (aliter factione) arma volentes sumpserint, aut sumpserunt, reperti, amisso Ordinis sui gradu, in Monasterio pœnitentiæ tradantur.* Hi Scriptores, inquam, magnopere errant, eo quod is Canon de suspensione tantum agit, non vero de irregularitate, quæ quidem suspensio non *ipso facto* irrogatur, sed Judicis sententia decernenda est.

„ 9. Sin autem bellum justissimum appareat, tunc bellum defensionis a bello offensionis oportet secernere, & bellum pariter, ubi quis hostem manu interfecit, vel mutilavit, & bellum, ubi nullum ipse ex his facinus, sed alii certe milites admiserunt. Cum bellum justum ad defendendam Patriam, Ecclesiamque suscipitur, Laicus, qui pugnando hostes interficit, nulla irregularitate devincitur. Idem prorsus de Clerico statuendum est, si jussus bellum ineat, nec pro Ecclesia, vel Patria tuenda Laici sufficiant, juxta textum cap. *Pervenit. 2. de Immunit. Eccles.* Gonzalez *c. Petitio n. 7. & 8. de homicidio.* Gibalinus *de irregular. cap. 40. consectar. 7. difficult. ult. n. 42.* Quod si bellum justum ad offendendum suscipiatur, accurate perpendi debet, utrum Laicus, aut Clericus hostem manu sua peremerint, vel mutilaverint. Nam, si ipsi nihil horum patraverint, omni prorsus irregularitate immunes habentur, licet alii milites in eadem acie hostes morte affecerint, aut parte aliqua corporis imminuerint. In bello ejusmodi nihil interest, quid alii gesserint, & solum oportet expendere, quid Clericus, aut Laicus, de quibus agimus, manu sua perfecerint, ut inde statuatur, utrum irregularitatem subierint. Ita fuse demonstrat Schmalzgrueber *cit. tit. de homicid. voluntar. & casuali lib. 5. decret. a n. 128. ad 136.* qui plures alios ejusdem sententiæ Theologos enumerat.

„ 10. Honorii III. responsum rem totam facilius declarat in cap. *Petitio, de homicidio voluntario.* Ipsum datum fuit Sacerdoti Pelagio, seu Serotino, qui anxius, ac sollicitus de interfectis Turcis, qui oppidum suum invaserant, ad Pontificem confugerat: *Petitio tua*, inquit Pontifex, *nobis exhibita continebat, quod cum inimici Dominicæ Crucis, ac blasphemi nominis Christiani, castrum quoddam, quo moraberis, graviter invasissent, exequutibus inde habitatoribus, tam Clericis, quam Laicis, contra eos, ac invicem confligentibus, hinc inde occisi quamplurimi extiterunt; unde cum pro eo quod aliquos percussisti, irregularitatem metuas incurrisse: Mandamus, quatenus si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, a ministerio Altaris abstinens revertatur, cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare.* Ex his sane verbis definitur irregularitati non esse obnoxium Sacerdotem, qui bellum justum offensionis invenerit, incertumque est, utrum aliquem in conflictu necaverit, aut mutilaverit, quamvis alii multos interfecerint, aut mutilos reddiderint. Id Pontas *in suo diction. cas. conscient. in vocab. Irregular. cas. 69.* ducti eadem Pontificis auctoritate, & Conventus Condomi habiti, *tom. 1. Conf. 7. sect. 2.* recte, ac sapienter perpendunt.

„ 11. Inter ceteros, qui de irregularitate studio accurato disseruerunt, Gibalinus merito recensetur. Ipse potissimum *cap. 4. consectar. 7. diffic. 4.* illud inquirit: *Quinam fiant irregulares in bello justo aggressivo, secuto aliquo homicidio?* Et statim respondet his verbis: *Neminem alium, quomodocumque concurrat ad bellum justum, fieri irregularem propter homicidia, quæ committuntur ab aliis, quod fatentur omnes, & colligitur ex cap. Petitio &c. nihil hoc loco distinguendum esse inter Laicos, & Clericos; omnes enim, si propria manu mutilent, aut occidant, sunt irregulares in hoc bello; nulli autem sunt, si a mutilationibus, & cædibus ipsi abstineant. Neque etiam quidquam facit, quod Clerici tunc in bello assistentes, sint in Sacris, quia capitulum Petitio loquitur de Sacerdote, quem non damnat irregularitatis, nisi illum conscientia alicujus a se occisi mordeat: neque in his videtur ullus ambigendi locus.*

„ 12. Postremo etiam accedit irregularem haud fore Clericum, aut Laicum, qui manu sua aliquem peremerit, aut mutilaverit, si has cædes patrarit, ut vitam suam in discrimine positam vindicaret. Sic decernitur in *Clementina Si furiosus, de homicidio.* Equidem plures in dubium revocant, utrum hæc Pontificis Constitutio non solum privatas rixas, sed etiam pugnas, & conflictus complectatur, tamen unanimi consensu major pars Theologorum *in Decrett. Sorbonicis, quæ collegit Sainte Beuve casu 108. tom. 5.* existimat, tum privatis in dissidiis, tum in prælus locum obtinere rationem tuendæ vitæ, & pro qua hostis necandus est. Quapropter, si Pontifex immunem irregularitate declarat eum, qui *cum moderamine inculpatæ tutelæ* privatim rixando adversarium suum interficit, immunis quoque irregularitate censendus est, qui in acie pugnando, servatoque eodem moderamine cædem committit. *Canonum Interpretes in cap. Petitio, de homicidio*, Fagnanus n. 3. Gonzalez *n. 2.* Pirhinghius *in 5. lib. decretal. tit. 12. sect. 4. n. 115.* Suarez *de censuris disp. 37. sect. 5. n. 1.* Sylvester *in sum. in vocab. homicid. tertio n. 8. vers. secundum existentes in bello.* Theophylus Raynaudus *de Religioso loricato pronunt. t. §. 1. tom. 17. suorum operum pag. 221.* Hinc memoriæ proditur, Patrem Anselmum Petramellaram Capuccinum, qui manu sua septem Turcas obtruncavit, cum victoria superbi, atque insolentes navim ejus invaserant, ad pedes Sancti Pii V. supplicem, ac provolutum, ut irregularitatis vinculo solveretur, omni prorsus irregularitate immunem a Pontifice declaratum fuisse, eo quod parumper deposito Crucis signo, quod manibus gerebat, ensem distrinxerat, ut vitam defenderet, pro qua tuenda septem ex hostibus neci tradiderat. Id Boverius, idemque Raynaldus *in annal. Capuccinor. ad annum 1571. num. 6. loco citato* commemorant.

„ 13. Sed ad caussam nostram redeamus. Certissimum est nulli irregularitati subjectum fuisse Clericum, si in Goiti expugnatione nemini ex Germanis, aut Fœderatis vulnus, aut mors illata fuit; sin autem Germanus aliquis interemptus cecidit, aut mutilatus fuit, tum (licet aggressio facta sit) Clericus ab irregularitate etiam vendicatur, si sclopetum suum numquam explosit: ideoque pro certo habet, neminem interfectum manu sua, vel mutilatum extitisse; nam id bellum æquitatis legibus consentaneum debet existimari. Pontas *allato casu 69.* omni prius irregularitate seclusa ob caput jam allatum, *Petitio de homicidio*, monet petendam esse dispensationem *a portu armorum.* Hoc tamen consilium simile prorsus videtur illi, quod traditur a quibusdam Clerico Judici, qui sententia sua morte aliquem damnavit, licet inferitu reus liberatus inde fuerit, nempe, ut a Sede Apostolica dispensationem *ad cautelam* exposcat. Quapropter iisdem rationibus, quibus usi sumus, ut supervacaneam hanc dispensationem *ad cautelam* ostenderemus, iisdem, inquam, rationibus dispensatio *a portu armorum* penitus inanis demonstratur.

„ 14. Igitur aperte constat ex ipsa re, & Pontificio Jure, Clericum, de quo agimus, nulla irregularitate fuisse illigatum: tamen haud persuasum omnino tibi esse putamus, eo quod indolis tuæ præstantiam, ingeniique vim in disputationibus perspectam habemus, ita ut vel minima perscruteris accuratissime. Quare haud facile probabis discrimen, quod inter bellum justum, & injustum interposuimus, nempe irregularem fieri militem in bello injusto, licet haud ipse manu sua, sed alii ejusdem exercitus homicidium commiserint: contra vero irregularitate liberum esse, qui in bello justo manu sua neminem obtruncaverit, licet alii a cædibus non abstinuerint. Quippe videtur juxta hominum opinionem, ac judicium conferre plurimum Clericus ad patranda homicidia, quæ ab aliis admittuntur, idque radix irregularitatis, atque origo habetur. Insuper exposcea fortasse a nobis, ut explicemus illud, quod libere asseruimus: *Nam id bellum æquitatis legibus consentaneum existimari debet.*

„ 15. Itaque cupientes tibi omnino satisfacere primum aggredimur, nempe, ut allatam rationem belli justi, atque injusti explanemus. Fatemur igitur illos *dare operam rei licitæ*, qui bello justo decertant, & neminem manu sua interficientes, omnem, quam possunt, diligentiam impendunt, ne ulla fiant homicidia. Post hæc, si aliquis in acie perimatur, illi quidem irregulares non fiunt, quamvis ad homicidium influere videantur. Cap. *Dilectus*, cap. *Significasti 1.* cap. *Ex literis*, cap. *Joannes, de homicidio.* Illi vero, qui injusto certamine præliantur *dant operam rei illicitæ.* Quare cum facili negotio deprehendere potuerint *in eo facinore illicito* cædes evenire posse, ideo subeunt irregularitatem, quamvis ipsi a cædibus abstinuerint, & commilitones tantum alieno sanguine manus suas adsperserint. S. Thom. 2. 2. *quæst. 64. art. 8.* Avila *de censuris part. 7. disp. 6. sect. 3. n. 2. in respons. ad primum.* Insuper, cum irregularitas ad Ecclesiasticam disciplinam spectet, Legislatores irrogandam illis putaverunt, qui bellum injustum ineunt, licet neminem

„ minem occiderint, & alii solam in eadem acie cædes patraverint, nempe, ut homines a suscipiendis bellis injustis removeant. Contra vero irregularitas illis nequaquam inducitur, qui bello justo cædem nullam faciunt, quamvis ab homicidio reliqui non abstineant, videlicet, ne ab ejusmodi bellis ineundis homines nimiam retardentur. Schmalzgrueber *eod. tit. 12. lib. 5. decretal. num. 133.*

„ 16. At in quo belli æquitas posita sit difficillimum est judicare. Equidem, cum bellum inter duos movetur, alteri tantum ex ipsis æquitas suffragetur necesse est ob eam rationem, quam Grotius *de Jure belli, & pacis lib. 2. cap. 23. n. 13.* & Vitriarius *in Instit. Juris naturæ, & gentium lib. 2. cap. 23. num. 16.* Juris publici peritissimi, his verbis exhibent: *At, ut neuter bellantium injuste agat, fieri sane potest. Injuste enim agit nemo, nisi qui & scit, se rem injustam agere; multi enim id nesciunt. Sic juste, id est bona fide potest litigari utrinque. Multa enim & in jure, & in facto, unde jus oritur, fugere homines solent.*

„ 17. Quapropter si contingere queat, ut uterque bellantium injuste non agat, licet æquitas belli uni solum parti conveniat, a Theologis inquiritur, utrum miles arma capere possit pro illo, quem certo scit bellum injustum movere, vel si incertus de hac re fuerit, an deceat prius veritatem perscrutari, quam militiam capessat: unanimes autem affirmant, nullam illi præstandam esse operam, qui bellum injustum aggreditur; neque ab ipsis subjectis. Diana *in edit. coordin. tom. 7. tract. 7. resol. 36.* Quod si isti prorsus ignari sint, an eorum Princeps juste, vel injuste bellum indicat, tunc omnes fatentur, non opus esse, ut id prius exquirant, quemadmodum ex Sancto Augustino *in lib. 22. contra Faustum relat. in Can. Quid culpatur 23. quæst. 1.* desumitur: *Ita ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Si vero miles Principi bellanti subjectus minime fuerit, negotium haud ita facile dissolvitur. Contendunt aliqui, prius investigandam belli æquitatem, quam miles hujusmodi bello nomen suum præbeat; id vero alii nequaquam necessarium existimant. Inter ceteros Diana *in eodem loco resol. 38. & resolut. 41.* hanc sententiam tuetur, eamque nos ipsi plurimum æquitati consentaneam judicamus. Nam belli concitandi caussæ omnes in medium non proferuntur; plures enim in animis Principum conditæ, & velut obductæ tenebris delitescunt. Accedit etiam, quod Christiani Principes nullum bellum suscipiant, quin ante a viris doctrina, ac Theologiæ scientia præstantibus consilium expetiverint. Quare milites, sive inter subjectos numerentur, sive a Principe bellante nullo modo dependeant, ob hanc caussam omnem ex animo scrupulum, ac sollicitudinem deponere queunt, & facere reipsa consueverunt. Postremo Principes, cum necessitas postulat, extemplo milites conscribere nequirent, si concedendum prius esset militibus, ut serio perpendant, an bellum ejusmodi defensionis, sive offensionis cum æquitate conjungatur.

„ 18. Hæc tibi afferenda putavimus, ut illud probetur, quod superius indicavimus, nempe: *Num id bellum æquitatis legibus consentaneum existimari debet.* Postquam vero tibi satisfecimus, nunc superest, ut nostras aliquas difficultates exsolvamus. Ac primum Monacellus Romanæ Curiæ peritissimus *in Formul. Legali tom. 2. tit. 13. formul. 3. num. 37.* hæc scripta reliquit: *Clericus, qui militiæ nomen dedit, & armatus in bello servivit, stipendium accepit, & expeditionibus militaribus se associavit, indiget dispensatione ab Irregularitate incursa, licet moraliter certus sit, neminem mutilasse, læsisse, aut occidisse.* Eadem prorsus verba Schmalzgrueber *eodem tit. 12. num. 136.* commemorat, & ambo testantur, id sancitum fuisse a Sacra Congregatione Concilii die 13. Januarii anno 1703. cum Iprensis Caussa proposita fuisset. Insuper certum est, in Romana Curia, Clericum Beneficio, vel Pensione præditum, *ipso jure* illis spoliari, si inter milites cooptatur, quamvis in nullo se conflictu immisceat, sive (ut Curiæ verbis utamur) *etiamsi sæva non exerceat* (*in dec. 69. & dec. 216. coram Cardinali Celsu*) Immo cum in dubium vocaretur, an eadem pœna irrogari deberet Clerico, qui inter Pontificis milites adscribitur, *& sæva non exercet*; improbata fuit opinio Cardinalis de Luca, & Clericum ejusmodi Beneficio, vel Pensione destitutum *ipso facto* Sacra Congregatio constituit *die 13. Novembris anno 1737. in Caussa Ulyssiponensi Orientalis Pensionis*, uti recens Secretarius sapienter evulgavit; *& die 11. Maji an. 1716. in Caussa Perusina Pensionis coram Herrera.* Porro hæc decisio inter ceteras ejusmodi Herreræ typis editas enumeratur, eamque Fargna *de Jurepatr. part. 2. can. 26. cas. 2.* commemorat, quem sane nominamus libentissime, eo quod studiis nostris interfuerit, cum Romæ immoraremur.

„ 19. Proculdubio Sacram Concilii Congregationem maximi facimus, in qua magnam vitæ partem impendimus, cum pro tenuitate nostrarum virium Secretarii munera fungeremus. Attamen ex longa experientia deprehendimus, ejusdem Sacræ Congregationis sententias temere in medium proferri ab illis, qui numquam ipsas viderint, eosque plerumque decipi. Quare sapientes viri admiratione maxima corripiuntur, dum audiunt aliquid insolitum a Sacra Congregatione fuisse sancitum. Itaque, ut obsecundaremus intellectui, qui voluntati oblactabatur magnopere propensæ ad observantiam erga Sacram Congregationem, ex actis desumendam putavimus sententiam ejusdem Congregationis, de qua sermo est, idque minime supervacaneum fore ducimus, uti paullo inferius demonstrabimus.

„ *Ipren. Irregularitatis.*

„ *Henricus Boffaert in Sacro Diaconatus Ordine constitutus, & Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Ipren. alias sæculari militiæ nomen dedit, ac arma tulit pro servitio Regis Catholici in Germania inferiori, se immiscendo in variis bellicis expeditionibus, in quibus, ut moris est, homicidia, furta, rapinæ, incendia, aliaque hujusmodi secuta fuerunt, absque eo, quod tamen quemquam interfecerit, aut mutilaverit, & deinde forsan in suis Ordinibus, non tamen in contemptum clavium, se exercuit. Cupiens autem ad Sacrum Presbyteratus Ordinem promoveri, supplicem Sanctissimo porrexit libellum pro absolutione, cum rehabilitatione, & dispensatione ad Ordines, & Beneficia, dubitans, ne ex caussa præmissa aliquam irregularitatem contraxerit: illoque ad hanc Sacram Congregationem, & ab ista ad Episcopum pro informatione remisso, iste de expositorum veritate testatur, & ait, Oratorem ex levitate animi prædicta perpetrasse, sed metu irregularitatis incurrendæ, sclopum semper in aerem explosisse, ne aliquem occideret, eumque moraliter certum esse, neminem occidisse, mutilasse, aut etiam læsisse: & a tempore, quo arma tulit, numquam Altari ministrasse, nec ullas sui Ordinis functiones exercuisse, quod juramento declaravit coram eodem Episcopo. Testatur insuper, illum a tribus annis ad meliorem frugem reversum, pœnitentiæ signa dedisse, & ab anno commoratum esse in Seminario, in quo etiam de præsenti reperitur, spiritualibus exercitiis, ac studiis vacando, proindeque eumdem petita gratia dignum censet.*

„ *Proposita igitur Caussa per supplicem libellum, duabus vicibus rejecta fuit instantia, nempe sub die 21. Maji 1701. & 17. Decembris ejusdem anni, ac postremo sub die 30. Septembris proxime præteriti rescriptum fuit: Expectet. Modo autem post lapsum fere quinque annorum prædictus Orator supplex redit ad EE. VV. instando declarari.*

„ *Primo, an indigeat dispensatione, & quatenus affirmative.*

„ *Secundo, an sit concedenda in casu &c.*

„ *Die 13. Januarii 1703. Sacra Congregatio Concilii respondit affirmative ad utrumque.*

„ 20. Examinemus accurate, quid inter Monacellum, & Schmalzgrueber, ac Sacræ Congregationis sententiam ab ipsis prolatam intersit. Illi de Clerico verba faciunt: *Clericus, qui militiæ nomen dedit.* Sacra autem Congregatio de Diacono: *Henricus Boffaert in Sacro Diaconatus Ordine constitutus.* Equidem Clerici nomine Diaconus etiam juxta Canones intelligitur, tamen usitato vocabulo is Clericus appellatur, qui solum primam Tonsuram, aut minores Ordines accepit. Insuper Sacra Congregatio Beneficium commemorat, quod illi tamen prætereunt: *Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Iprensis.* Iidem Scriptores generatim solum affirmant, certum esse a Clerico neminem manu sua fuisse interfectum. *Licet moraliter certus sit, neminem mutilasse, læsisse, aut occidisse.* At Sacra Congregatio, quæ etiam verba diligenter expendit, speciem hujusce certitudinis exponit, prout supplex Orator declaraverat: *Metu irregularitatis incurrendæ, sclopum semper in aerem explosisse, ne aliquem occideret, eumque moraliter certum esse, neminem occidisse, mutilasse, aut etiam læsisse.*

„ 21. Equidem Sacra Congregatio haud probat hanc certitudinem, quam Orator attulerat, sed tantum memorat ab illo expositum fuisse, quod a cædibus abstinuerit, eo quod sclopetum suum semper in aerem disploserit: id autem vix intelligi potest: cum enim de pluribus expeditionibus, pluribusque conflictibus res agatur, in quibus animi vehementer commoveri solent, quis umquam affirmare certo, ac reipsa possit

„ sem-

„ semper in aerem sclopetum se explosisse, ideoque cædem nemini intulisse? Porro duobus modis id contingere potest, nempe, aut linea verticali, aut curva sclopetum exploditur. Si primum fiat, globus plumbeus in altum sic impellitur, ut decidens aliquem graviter queat offendere. Si vero secundus fiat, experientia satis ostendit tantam inesse vim, tantumque impetum globulis plumbeis, qui hoc pacto vibrantur, ut mortem aliquando inferre possint, quod revera contingit militibus in posteriore acie collocatis, qui vulnerantur ab igniris globulis, qui ab hostibus non quidem verticali, sed curva linea emittuntur. Hanc autem rationem explodendi sclopetum a Diacono servatam fuisse in suis expeditionibus verosimile videtur; nam miles, qui verticali linea sclopetum semper exploderet, pœna immunis nequaquam discederet.

„ 22. Cum hæc ita se habeant, si Monacellus, & Schmalzgrueber aliquid statuere volebant ea ex sententia Sacri Concilii Congregationis, aliter se gerere debuerant. Nam exponi necesse fuerat a Sacra Congregatione judicatum fuisse dispensationem ab irregularitate necessariam Diacono Canonien, qui militiæ nomen dedit, bellicis expeditionibus pluries interfuit, & tamen affirmavit a cædibus se abstinuisse, eo quod sclopetum semper in aerem disploserit. Si illi hoc modo scripsissent, tum facile quisquis dignoscere potuisset, id Clerico, de quo verba instituimus, nihil prorsus adversari. Siquidem ipse prima solum Tonsura, ac minoribus Ordinibus initiatus fuit, nulloque Beneficio prædims, qui uni tantum belli expeditioni se immiscuit; & ideo pro certo magis affirmare potest, quod neminem manu sua interfecerit, mutilaverit, aut læserit, quia sclopetum suum nullo modo explosit.

„ 23. Responsum Honorii III. superius allatum *in cap. Petitio de homicidio* pro Sacerdote datum fuit. Quare suspicari aliquis poterit, nihil penitus referre ad quæstionem, quam modo pertractamus, Ordinis Sacri rationem, ac titulum, qui Clericum minoribus Ordinibus præditum, a Clerico Sacris Ordinibus initiato secernit. Ut res plane expendatur, illud advertendum est, quod Theologi docent, nempe, discrimen esse inter eum, qui militiæ haud nomen dedit, sed in conflictu solum militibus se adjungit, & in acie decertat, atque inter eum, qui inter milites adscriptus bellum ingreditur, etiamsi cum hoste manum non conserat. Inquiritur ergo, an Clericus ad sacros Ordines assumptus, qui militiam profitetur, irregularitati sit obnoxius. *In Can. Si quis in vocabulo militiaverit distinct.* 51. Thesaurus *de pœnis Ecclesiast. part.* 2. *c.* 1. *in vocab. Bello.* Ac primum unanimes Theologi fatentur, Lorca *in* 2. 2. *Divi Thomæ qu.* 40. *art.* 1. *sect.* 3. *disp.* 51. *n.* 12. Castro Palaus *in tom.* 1. *tr.* 5. *disp.* 5. *punct.* 6. *n.* 5. Card. de Lugo *in suis respons. moral. lib.* 5. *dub.* 14. Diana *in edit. coordin. tom.* 7. *tr.* 7. *resol.* 52. levem solummodo culpam admitti a Clerico, qui ad minores Ordines exceptus, inter milites sponte cooptatur: lethali vero culpa vacuum non esse Clericum, qui Sacris Ordinibus ornatus militiam amplectitur. Eamdem pariter culpam tribuendam Clerico existimo, qui licet minores solum Ordines assecutus fuerit, Beneficium tamen possidet. Nam quæ illicita decernuntur Clericis ad Sacros Ordines evectis, eadem prorsus afficiunt Clericos, qui Beneficium habuerint. Alias quoque rationes enumerat Schiara *in sua Theolog. bellica tom.* 1. *lib.* 2. *diffic.* 2. *n.* 6. Quapropter si irregularitas in Ecclesiasticos constituitur, qui militiam suscipiunt, illi solum Clerici intelligendi sunt, qui Sacris Ordinibus initiantur, aut Beneficium aliquod obtinent. Nam res agitur de irregularitate *ex delicto*, non *ex defectu*. Illa vero criminis gravitatem pro certo habere debet, sive *Censura* putanda sit, quemadmodum Thomistæ contendunt, sive, ut aliis placet, gravis tantum pœna Ecclesiastica.

„ 24. Neque hic ullam vim habet, quod superius dictum est, Beneficiis, ac Pensionibus *ipso facto* destitui Ecclesiasticum, qui se inter milites adscribit. Quippe id Romanis a Pontificibus decernitur, ac potissimum a Sixto V. neque irregularitatem consequitur jactura Pensionum, ac Beneficiorum; nam irregularis etiam *ex delicto*, nisi forte ob militiam id obvenerit, suas Pensiones, ac Beneficia retinet, donec interposita Judicis sententia spoliatus ipsis declaretur; & priusquam Judex hanc sententiam pronunciet, jure potest Ecclesiasticus sua Beneficia alicui dimittere, uti clare deprehenditur ex cap. *Ex litteris, de excessibus Prælatorum*; idemque Gibalinus *de irregularit. cap.* 2. *part.* 3. *consectar.* 5. fuse demonstrat.

„ 25. Inquirunt Theologi, utrum irregularis judicandus, vel immunis censendus sit aliquis, cum delictum in dubium vocatur, & quæstionem hoc pacto dirimunt, si dubio, incertoque crimine *in Forum externum* irregularitas deducitur, ut pœnæ statuantur, nempe, ut Clericus suo carere Beneficio declaretur; tum nulla irregularitas præponenda est ob eam caussam, quod nequaquam licet certam pœnam pro incerto crimine constituere. Sin autem res agitur de irregularitate *pro interiori Foro*, nempe, ut Clericus ab exercendis suis Ordinibus abstineat, & ne ad alios assumi contendat; tunc irregularitas pro certo habenda est; nam cum dubia res videtur, tutior pars est eligenda. Cap. *Ad audientiam*, & cap. *Significasti* 2. *de homicidio*. Eodem cap. *Ad audientiam*, Abbas *num.* 2. Marian. Socin. *n.* 18. Ostien. *n.* 1. Joannes Andreas *n.* 7. Fagnan. *n.* 2. *& seqq.* Barbosa *num.* 2. *&* 3. Porro hæc sententia Clerico, de quo verba facimus, tum *in Foro externo*, tum *in Foro conscientiæ* plurimum suffragatur. Etenim *in Foro externo* certum prorsus esse debet, quod neminem occiderit, aut mutilaverit; de qua re nihil omnino ipse dubitat, cum tormentum suum numquam exploserit; *in Foro conscientiæ* rei dubietas satis esse putatur, quæ sane dubietas penitus eximitur ob certissimam illam cognitionem, quam modo exposuimus. Postremo Benedictionem nostram tibi impertimur.

DUBIUM VII.

De Irregularitate orta ex Homicidio voluntario.

80. Homicidium aliud est voluntarium, aliud casuale: voluntarium dicitur illud, quod est in se, & directe volitum, aut in sua caussa proxima; ut si quis animo, & voluntate occidendi Petrum in eum sclopetum explodat, lethaliter vulneret, aut venenum propinet: casuale est, quod nec directe, nec indirecte per se intenditur, sed præter intentionem accidit; ut si quis putans occidere feram, occidat hominem. Homicidium voluntarium potest esse justum, sine peccato, auctoritate publica factum, & ex illo nascitur irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis, quam contrahunt Judex reum ob delicta condemnans, & alii justitiæ Ministri in caussa sanguinis ministrantes, aut in bello justo occidentes, de qua diximus *dub. præced.* vel potest esse injustum, & peccaminosum, ex quo nascitur irregularitas ex delicto, quæ est omnium maxima, & difficilior dispensatu, de qua loquimur in præsenti.

81. Resp. 1. ex homicidio voluntario injuste patrato contrahitur irregularitas ex delicto, adeo ut homicida, quantumvis delictum sit occultum, nec promoveri possit ad Ordines absque dispensatione, nec in susceptis ministrare: ita expresse statutum habetur in jure Canonico *toto tit. de homicidio*, & per multos Canones *dist.* 50. Idemque definitur in Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.* ibi: *Quia sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id, nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferre liceat, sed omni Ordine, ac Beneficio, & Officio Ecclesiastico perpetuo careat*; & jam antea dictum fuerat Exod. 21. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur*: & ita tenent Doctores omnes, quando homicidium fuit secutum; non enim sufficit, fuisse attentatum, nisi sit opere completum, ut diximus *supra dub.* 1. *num.* 6.

82. Eamdem irregularitatem contrahunt quicumque injustam occisionem, aut mutilationem hominis mandant, consulunt, aut ad illam favorem, aut auxilium præstant; dummodo effectus sequatur ex tali auxilio, consilio, aut favore, quia omnes isti sunt rei homicidii; & omnium pœnarum illius, *l. Nil interest* 15. *ff. Ad legem Cornel. de sicar.* ibi: *Mandator cædis pro homicida habetur*, Can. *si quis viduam* 8. *dist.* 50. cap. *sicut dignum*, & cap. *significasti de homicid.* & cap. 2. *de Cler. pugnante in duello*, ubi habetur, *homicidium tam facto, quam præcepto, sive consilio, aut defensione perpetrari, non est dubium*: & ita tenent Doctores communiter.

83. Primo igitur contrahit irregularitatem non solum homicida, qui de facto alterum occidit, sed etiam qui mandat, tale fieri homicidium; quod verum est, etiamsi mandans revocaverit mandatum, si hoc non fuit illi intimatum ante patratum homicidium, sibi demandatum; nam tunc mandatarius agit nomine mandantis; secus si revocatio fuit sufficienter mandatario intimata, quia jam non operatur nomine mandantis, sed nomine proprio. Navar. *c.* 27. *n.* 233. Suarez *disp.* 44. *sect.* 1. *n.* 7. Henriq. *lib.* 14. *c.* 16. *n.* 2. Sayrus *lib.* 7. *c.* 2. *n.* 13. Diana *part.* 2. *tr. miscell. resol.* 17. Non est necesse, ut mandans moneat occidendum, ut sibi caveat, ut perperam dixerunt aliqui; sed sufficit, quod revocet mandatum, & inti-

intimet revocationem mandatario. Avila part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 4. concl. 3. Sayrus lib 7. cap. 2. num. 14. Diana part. 4. tract. 2. resol. 14.

84. Quod si mandans non potuit intimare mandatario longe absenti revocationem mandati, licet ab aliquibus liberetur ab irregularitate, eo quod ipse fecit quantum potuit pro tali revocatione intimanda, nec possit teneri ad impossibile, dicendum tamen est, ipsum non liberari ab irregularitate, quia in eo casu mandatarius necem operatur nomine mandantis, qui censetur semper influere moraliter in occisionem factam a mandatario, ut in simili diximus supra tract. 2. cap. 3. dub. 1. n. 5. & ita tenent Avila supra dub. 4. concl. 2. Bonac. q. 4. punct. 8. num. 15. & alii communiter.

85. Contrahit etiam irregularitatem mandans homicidium, si tali occasione mandatarius ipse occidatur, maxime si erat famulus mandantis, & periculum fuit prævisum; nam qui se ipsum injuste, ac temerarie exponit proximo mortis periculo, censetur homicida sui ipsius: ita etiam qui mandat, & consulit alicui, ut tali periculo se exponat, censetur esse caussa homicidii, & sic evadit irregularis. Nec obstat, quod præter intentionem, & indirecte mors sequatur, quia si periculum fuit prævisum, cogitare poterat, & debebat, mortem accidere posse. Palaus disp. 6. punct. 15. §. 2. n. 5. Bonacina quæst. 4. punct. 7. nu. 17. Covarr. in Clem. Si furiosus 2. part. §. 2. nu. 1. Avila supra dub. 5. Concl. 4. Diana par. 4. tract. 2. resol. 62. & 14.

86. Eadem ratione dicendum est, irregularem esse illum, qui mandat aliquem verberari, & illicite percuti, cum expressa prohibitione, ne occidatur, aut membro aliquo priveur, si mandatarius, excedendo fines mandati, verberando occidat, quia hoc expresse cavetur in c. fin. de homicidio in 6. ubi etiam additur ratio, quia mandans verberare in culpa fuit, imperando aliquid, ex quo evenire posse homicidium, debuit cogitare. Sic Navarr. cap. 27. n. 233. & 240. & consil. 27. de homicid. Covarr. supra §. 1. nu. 2. Avila dub. 2. concl. 2. Bonacina punct. 8. n. 18. contra Sayrum lib. 7. c. 2. nu. 7. & alios, quos sequitur Ant. a Spiritu S. disp. 2. n. 167.

87. Secundo contrahit irregularitatem consulens homicidium, si consilium efficaciter influat, ut si homicida vi consilii, aut mandati, homicidium committit, alias non commissurus, quia tunc suasione, & consilio est vera caussa moralis illius, arg. Can. Perniciose 13. dist. 1. de Pœnit. Can. si quis viduam dist. 50. cap. significasti, & cap. sicut dignum de homidio; quod verum est, etiamsi ante mortem secutam consilium fuerit revocatum, quia consulens adhuc censetur caussa moralis homicidii, quando quis, rationibus sibi propositis, consilium exequitur, ut in simili diximus supra tract. 2. agentes de obligatione restitutionis cap 3. dub. 2. a num. 17. ubi etiam allata est disparitas, quæ intercedit inter mandantem, & consulentem, quod ille non censeatur amplius moraliter influere, revocato mandato; bene tamen consulens, qui, revocato consilio, adhuc censetur moraliter influere, motivis, & rationibus manifestatis, quibus alter permotus opus exequitur.

88. Non est tamen improbabile, consulentem excusari ab irregularitate, si serio consilium revocavit, & suasionibus, & rationibus contrariis conatur, quantum potest, alterum avertere ab opere exequendo, etsi, hoc non obstante, sequatur effectus. Sic, alios referens, Diana part. 3. tr. 5. resol. 83. & part. 4. tract. 2. resol. 14. Suarez disp. 44. sect. 3. n. 13. Palaus disp. 6. punct. 15. §. 2. n. 4. sequitur Antonius a Spiritu Sancto disp. 2. nu. 179. Addit Palaus, quod consulens, si nihil se proficere advertat, debeat occidendum monere, ut sibi caveat, alias non erit liber ab irregularitate, homicidio subsecuto, quantumcumque pœniteat. Excusatur etiam ab irregularitate, qui consuluit minus malum parato facere majus, puta percussionem dumtaxat, aut mutilationem illi, qui alias erat paratus occidere, ut diximus loco supra cit.

89. Contrahunt etiam irregularitatem omnes illi, qui efficaciter, & proxime cooperantur ad homicidium, ex cap. significasti de homicidio. Quod si plures ex communi consensu, & communicato consilio ad aliquem occidendum insurgant, omnes remanent irregulares, licet ab uno tantum vulneretur, vel occidatur, sive qui occidit, aut mutilavit præ omnibus cognoscatur, sive ignoretur. Ratio est, quia licet in tali casu unus tantum occiderit, aut mutilaverit, reliqui tamen suo modo concurrunt, & præbent caussam mortis, dum præsentia, & assistentia alter alterum, & maxime homicidam audaciorem, occisum vero timidiorem reddunt, & omnes censentur una caussa moralis, & sic omnes irregularitatem incurrunt. Ita D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7. Covarr. in Clem. p. 2. §. 2. n. 3. Suarez disp. 44. sect. 3. n. 33. & disp. 45. sect. 3. nu. 9. Sayrus lib. 7. cap. 4. n. 13. Bonacina q. 4. punct. 8. nu. 29.

90. Dixi, quando plures ex communi consilio, & consensu; nam si subito exorta rixa, sine præcedenti consilio, & consensu plures ita surgant, & unus occidatur, aut mutiletur, si ignoratur a quo fuerit occisus, omnes censentur irregulares, si omnes dubitant an vulnus illud intulerint lethale, ratione cujus fuit mortuus, quia sic videtur definitum in cap. Ad audientiam, & cap. significasti de homicidio; nam quando constat de homicidio, & ignoratur a quonam ex pluribus concurrentibus, & percutientibus, aut sclopetum explodentibus ille fuerit occisus, aliquis remanet irregularis, & cum de illo determinate non constet, omnes censentur irregulares, cum omnes potuerint occidisse, nec sit major ratio de uno, quam de alio. Si vero constat quis illorum occiderit, vel lethaliter percusserit, ille solus, non autem ceteri sunt irregulares, ex cit. cap. significasti 18. §. Nos in præmissa de homicidio. Si quis certo sciat, se non vulnerasse, aut leviter tantum, nec animo occidendi adfuisse, in foro conscientiæ non debet se habere pro irregulari, ut habet Barbosa in d. cap. significasti n. 10. Avila disp. 6. sect. 4. dub. 3. Bonacina punct. 8. num. 29. Sayrus lib. 7. c. 4. num. 13. Diana part. 1. tr. 15. resol. 18.

91. Quæres 1. An contrahat irregularitatem ille, qui potens injustum homicidium impedire non impedivit? Conveniunt satis communiter Doctores, non incurrere irregularitatem, si homicidium impedire non tenetur ex justitia, sed solum ex caritate, quia tunc ad illud nec physice, nec moraliter cooperatur. Nec obstat cap. sicut dignum de homicid. ubi Alexand. III. ait: Qui potuit hominem liberare a morte, & non liberavit, occidit; nam intelligitur de illis, qui ex officio, & justitia impedire tenentur, vel de præsumpta voluntate, & favore præstito, ut patet ex illis verbis, ut percussoribus opem ferret: vel certe loquitur de homicidio late, & improprie tali, prout est contra caritatem, non contra justitiam, sicut accipitur a D. Ambrosio in cap. Pasce dist. 86. ibi: si non pavisti, occidisti. Sic Navarr. cap. 27. n. 231. Molina tr. 3. disp. 33. memb. 5. Suarez disp. 45. sect. 4. n. 5. Bonacina punct. 8. num. 37. Palaus punct. 15. §. 7. n. 1. & cum aliis Leander disp. 10. qu. 87.

92. Si autem teneatur ex justitia homicidium impedire; tunc prima sententia docet, incurrere irregularitatem, si non impedit, cum facile possit, quia non impediendo vere peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem damni, & fit irregularis, tamquam moraliter influens in homicidium. Ita tenent Navarr. c. 24. n. 22. & c. 27. n. 232. Palaus p. 15. §. 7. nu. 3. Sayrus c. 4. n. 3. Sylvester verb. Homicidium 3. q. 5. Barbosa in caput sicut 6. de homicid. n. 18. & 19. Suarez disp. 46. sect. 4. n. 5. Bonacina qu. 4. nu. 37. qui inde inferunt, Officiales, Ministros, & alios ex officio constitutos, & ex justitia obligatos ad defendendam vitam proximi, contrahere irregularitatem, si dum possunt, omittunt homicidium impedire.

93. Secunda sententia, quæ & ipsa est satis probabilis, negat, incurrere irregularitatem, qui non impediunt homicidium, quamvis ex justitia impedire teneantur. Ratio est, quia in jure non est expressa irregularitas, nisi contra occidentes, mandantes, consulentes, ceterosque per actum positivum influentes, non vero contra illos, qui nullum actum eliciunt, sed negative se habent; unde licet isti mortaliter peccent contra justitiam, & teneantur ad restitutionem damni secuti, non tamen incurrunt irregularitatem, quæ non incurritur, nisi sit in jure expressa. Sic tenent Hurtad. disp. 2. diff. 9. num. 34. Ant. a Spiritu S. disp. 2. nu. 198. alios referens Leander disp. 10. q. 88. & probabile dicit Diana part. 4. tr. 2. resol. 7. & alii plures, qui inde inferunt, non incurrere irregularitatem Judices, & Officiales non impedientes homicidia, quamvis ad id teneantur ex justitia. Nec Clericum, qui cognovit feminam, quæ ex ipso concepit, & scit ipsam procurare abortum fœtus animati, tacet, & non impedit, tum propter dicta, tum quia pater non tenetur lege justitiæ defendere vitam filii, sed lege pietatis, & officii paterni, ut notat Lessius lib. 2. de just. c. 9. dub. 13. num. 94. quæ & his similia infert Leander disp. 10. quæst. 89. & seqq.

94. Quæres 2. An incurrat irregularitatem, qui ratum habet homicidium suo nomine factum?

Resp. negative, si ad id nullum præstitit auxilium, aut consilium. Ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus a jure expressis, tum quia homicidium jam factum præcise approbans, non est caussa illius, nec in illud aliqua ratione efficaciter influit. Nec obstant Regul. 10. juris in 6. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari, & cap. Eum, qui 23. de sent. excom. in 6. ubi ille, qui percussionem Clerici suo nomine factam, ipso nesciente, si postea approbat, & ratam habet, excommunicationis reus declaratur; nam ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur quoad culpam, non vero semper quoad pœnam, maxime illam, quæ specialem expressionem in jure requirit, cujusmodi est irregularitas, ex cap. 11, qui de sent. excom. in 6.

in 6. Qui ratum habet percussionem Clerici ideo incurrit excommunicationem, quæ sic in jure determinatur, quod non debet extendi ad irregularitatem, cum odia non sint extendenda: & ita tenent Sayrus *lib. 7. c. 4. n. 17.* Suarez *disp. 44. sect. 3. nu. 24.* Palaus *p. 15. §. 2. nu. 7.* Bonacina *punct. 8. nu. 42.* Diana *part. 4. tract. c. resol. 13.* & alios plures referens Leander *disp. 10. q. 35.*

95. *An vero irregularitatem incurrat, qui ratum habet homicidium, quod coram illo, & suo nomine patratur.* Resp. Affirmative, si aliquo signo externo, aut nutu illud approbat, & sibi gratum esse demonstrat; nam tunc ad illud concurrit, præbendo animum occidenti: at si solo animo interno homicidium approbat, nullo dato signo ad extra, non incurrit irregularitatem, quia non influit in tale homicidium. Diana *part. 4. tr. 2. resol. 9.* Antonius a Spiritu Sancto *disp. 2. n. 185.* Leander *q. 37.*

DUBIUM VIII.

De Irregularitate contracta ex Homicidio facto in defensionem propriam, aut ex homicidio casuali.

96. IN quinto præcepto Decalogi *cap. 1. dub. 6.* loquentes de homicidio, diximus, licitum esse cuilibet, sive Laico, sive Clerico, injustum invasorem occidere, non solum pro necessitate sui defensione, seu pro tuenda vita propria cum moderamine inculpatæ tutelæ, sed etiam pro defensione suorum bonorum temporalium, honoris, & pudicitiæ, ac etiam pro defendenda vita innocentis in iis casibus, in quibus licitum est defendere vitam propriam, ac proinde non peccare injustum aggressorem, & invasorem occidendo; nam talis occisio a jure non voluntaria, sed necessaria reputatur, ac proinde immunis a peccato, quia non sponte, sed coactus occisor mortem alterius eligit, ut suam vitam, & bona tueatur, in quo nullum est peccatum, cum jure naturæ possit, ac teneatur vitam propriam conservare, & ad hoc vim vi repellere sibi liceat; dummodo hoc fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, quæ in eo consistit, quod aggressus constitutus sit in ea necessitate, ut nec fuga, nec clamore, nec alio modo defendere possit vitam suam, nisi occidendo, seu mutilando injustum aggressorem, ut fusius diximus *loco cit.* ubi distincte ad hoc pertinentia sunt explicata. Nunc autem quæritur: *an taliter invasus contrahat irregularitatem, si injustum aggressorem occidat?*

97. Resp. Laicum, seu Clericum non peccare, nec incurrere irregularitatem, qui pro justa defensione vitæ, membrorum, vel bonorum, famæ, & honoris, vel fortunæ injustum aggressorem occidit, servato moderamine inculpatæ tutelæ. Et quidem, quod non peccet, constat ex dictis *loco cit.* quod vero non contrahat irregularitatem ex eo patet, quod ille non contrahat irregularitatem ex delicto, cum tale homicidium sit licitum, & careat omni culpa, nec ex defectu lenitatis, quia hic non datur, quando cædes contingit ex necessaria defensione sui, colligitur ex *Clement. unica de homicidio*, ubi dicitur, *illum non incurrere irregularitatem, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem.* Ita Covarruv. *in dicta Clementina unica de homicid. 3. p. n. 1.* Palaus *punct. 8. n. 1.* Suarez *disp. 45. sect. 1. nu. 4.* Barbosa in cap. *Significasti, de homicid. a n. 12.* Navarr. *c. 27. n. 207. & 212.* Bonacina *punct. 6. a num. 1.* aliique communiter, quos affert, & sequitur Leander *disp. 12. a quæst. 1. & seqq.*

98. Nec obstat Trident. *sess. 14. cap. 7. de reform.* ubi Ordinario loci committitur dispensatio cum illo, qui non ex proposito, sed casu, & vim vi repellendo suum occidit invasorem, quia loquitur de illis, qui excedunt moderamen inculpatæ tutelæ, ut cum communi aliorum notat Leander *qu. 1.* Eodem modo de homicidio facto cum defensione immoderata, & tutela culpabili, intelliguntur Canones, qui in contrarium solent afferri.

99. Resp. 2. Ex homicidio casuali, quod contingit præter intentionem operantis, quando dabat operam rei licitæ, nulla contrahitur irregularitas, si sufficiens, ac debita fuit adhibita diligentia pro illo præcavendo, ut constat ex cap. *Lator*, cap. *Dilectus*, & cap. *Significasti*, & aliis juribus relatis *toto tit. de homicidio*. Ratio est, quia homicidium, quod nullo modo est peccaminosum, nullam inducit irregularitatem, quæ solum contrahitur ex delicto; sed homicidium omnino, & simpliciter casuale non est peccaminosum, cum nec directe, nec indirecte sit voluntarium, & sic non inducit irregularitatem: bene tamen si non fuit adhibita necessaria diligentia pro illo præcavendo, quia tunc censetur voluntarium, saltem indirecte, & sic inducit irregularitatem. Ad hoc tamen non sufficit negligentia, quæ sit culpa solum venialis, sed requiritur culpa theologica gravis, quæ sit peccatum mortale, cum irregularitas sit pœne gravis, quæ non contrahitur, nisi propter peccatum grave. Sic tenent Doctores communiter, Suarez, Salonius, Molina, Henriquez, Avila, quos affert, & sequitur Bonac. *quæst. 4. punct. 7.* Diana *part. 4. tract. 2. resol. 21.* & cum aliis Leander *disp. 16. quæst. 5.*

100. Major difficultas est de homicidio casuali, quod sequitur ex opere illicito, *an inducat irregularitatem?* in quo discrepant Doctores. Alii absolute affirmant, quia in cap. *Dilectus filius*, & cap. *Joannes*, ubi definitur, non fuisse incursam irregularitatem ob quædam homicidia casualia, eo quod non fuerint facta dando operam rei illicitæ; unde a contrario sensu sequitur, quod esset incursa irregularitas, si fuissent facta dando operam rei illicitæ. Ita Navarr. *c. 27. n. 200.* Sylvester verb. *Homicidium 2. nu. 1.* Layman *lib. 3. tr. 3. part. 2. nu. 4.* Fagnan. in cap. *Ad audientiam, de homicidio*, & antiquiores etiam Canonistæ.

101. Alii absolute negant, dicentes, illum, qui dat operam rei illicitæ, ex qua sequitur homicidium casuale, non fieri irregularem, si ad illud vitandum sufficientem, & debitam adhibuit diligentiam, quia hujusmodi homicidium procedens ex opere, sive licito, sive illicito, est mere casuale, & omnino involuntarium in ratione homicidii, & sic non potest caussare irregularitatem. Ita Suarez *disp. 45. sect. 6. n. 9.* Antonius e Spiritu Sancto *disp. c. num. 254.* Leander *disp. 16. qu. 7.* Sed alii melius distinguunt inter opus illicitum, eo quod sit periculosum, & de se proxime inductivum, & caussativum necis, ut raro, aut numquam, sine alicujus occisione contingat, & inter opus illicitum, & prohibitum ex alio titulo, & dicunt, ex illo, non ex isto contrahi irregularitatem, si casuale homicidium sequatur, cum quibus

102. Resp. dantem operam rei illicitæ, & periculosæ, contrahere irregularitatem, secuto effectu, si actio sit periculosa, eo quod ex natura sua sit ordinata ad homicidium, vel mutilationem, & cum illo fere semper, & hic, & nunc sit conjuncta, ut est mittere bombardam ad arcem, aut sagittam in exercitum, & id ab operante cognoscatur, etiamsi ad homicidium vitandum omnem cautelam, & diligentiam adhibuerit. Secus dicendum, si opus illud de se non sit periculosum, nec ex natura sua inductivum, & caussativum mortis, sed illicitum, & prohibitum ex alio titulo: tunc enim illud exercens non evadit irregularis, si ex illo mors alterius casualiter, & fortuito sequatur, dummodo sit adhibita necessaria diligentia ad necem alterius præcavendam. Ita tenent Covarruvias *in Clement. Si furiosus p. 2. §. 4. n. 10.* Cordubi *lib. 2. quæstion. qu. 26.* Molina *tom. 4. tract. 5. disp. 77. n. 5.* Navarr. *c. 27. nu. 221.* Avila *part. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 1. verb. Sed est tertia opinio*, Palaus *disput. 6. punct. 15. § 4. n. 40.* Sayrus, aliis relatis, *lib. 7. c. 5. nu. 12.* & alii plures relati a Leandro *loco cit.*

103. Ratio primæ partis est, quia eo ipso, quod quis exercet opus periculosum, & mortis inductivum, ut raro, aut fere numquam exerceatur absque eo, quod tale effectum caussset, indirecte saltem, & in caussa censetur, velle tale homicidium, & sic merito eidem imputatur ad culpam, & contrahit irregularitatem. Nec ipsum excusat præstita diligentia ad evitandam mortem, quia jure præsumitur, quod in similibus operibus diligentia sufficiens, vel non adhibeatur, vel adhibita non sufficiat. Ratio secundæ partis est, quia homicidium casuale ex tali actione illicita, nec directe, nec indirecte, nec in se, nec in caussa est voluntarium, cum caussa de se non sit inductiva talis effectus. Nec etiam dici potest voluntarium ratione alicujus negligentiæ gravis in eo præcavendo commissæ, unde non debet ipsi imputari, nec ad culpam, nec ad pœnam irregularitatis, si debita fuit diligentia præmissa, ut suppono.

104. Hinc plura inferuntur; sequitur enim, Clericum non esse irregularem, qui equum ferocem equitans casu aliquem occidit; nec item, si aliquem occidat dando operam periculosæ venationi aprorum, aut ursorum; vel si pulsando campanas tempore interdicti, tintinnabulum cadat, & hominem casu occidat; aut si arborem in die festo cædat, & cadens casu aliquem opprimat, posito quod semper fuerit adhibita necessaria diligentia, & cautela. Non incurrit irregularitatem, qui reficiendo tecta projicit lapides, & ligna, quibus aliquis fortuito transiens fuit occisus, si adhibuit necessariam cautelam, clamendo, & ponendo signum necessarium, & consuetum, quia tunc mors illa est mere casualis, & fortuita. Juvenes, qui ex ludo rumpunt vesicas turgidas, manent irregulares, si illorum fragore, & crepitu faciant feminam abortire, si, prævisio periculo, id ea intentione faciant, ut abortus sequatur; secus si non fuit periculum præcognitum, nec intentum. Plures casus hujusmodi passim reperies apud Auctores, & apud Leandrum *disp. 16.* decisos habes per distinctas quæstiones.

105. Quæres; *in dubio incursæ irregularitatis, si, præmissa sufficienti, & necessaria diligentia pro veritate inquirenda, dubium adhuc manent, an quis reputari debeat irregularis?*

Resp.

Resp. negative, sive sit dubium juris, sive facti, id est, sive dubitetur, an alicui facto de jure annexa sit irregularitas; sive dubitetur, an factum sit commissum, cui noscitur irregularitas de jure esse annexa. Ratio est; quia in dubio melior est conditio possidentis; quod universaliter verificatur in quacumque materia, si homicidium excipias, ut diximus agentes de conscientia dubia in *tract. de actibus humanis cap. 3. num. 123.* &, pluribus allatis, tenet Bossius *variar. moral. part. 2. tit. 1. num. 1353.* & cum aliis Leander *tract. 1. disp. 1. quaest. 18. de irregularitate*. Deinde, quia irregularitas non contrahitur, nisi sit in jure expressa, cap. *Is qui, de sent. excommunicationis in 6.* et in jure non est expressum, in dubio facti, ultra casum homicidii, irregularitatem incurri, & sic non est asserenda.

106. Specialis est ratio in dubio facti homicidii, in quo quis debet censeri irregularis, quoad effectum abstinendi a Divinis, scilicet a receptione, & usu Ordinum, quia sic decisum habetur in cap. *Ad audientiam*, & cap. *Significasti 2. de homicidio*, ubi definitum est, quod ille, qui alterum percussit, debeat censeri irregularis, si dubium est, an vulnus fuerit lethale, & an percussus ex tali vulnere sit mortuus, ut, pluribus relatis, tenet Bossius *loco cit. num. 1360.* Sequitur Leander *quaest. 16.* quando dubium est; an sua actione consilio, vel favore homicidium perpetraverit, secus si dubium sit solum de mutilatione; nam mutilatio non est proprie homicidium, de quo jura loquuntur, quod in dubio facti homicidii censendus sit irregularis; unde talis irregularitas non est extendenda ad mutilationem dubiam, cum odia potius sint restringenda, ut cum Sanchez, Suarez, Bonacina, & aliis tenet Leander *q. 17.* & cum aliis Bossius *supra num. 1361.*

DUBIUM IX.

De Irregularitate ex aliis Delictis.

107. **A**Lia Delicta, ex quibus contrahitur irregularitas, sunt; primo reiteratio Baptismi, quando scilicet quis serio, & scienter alium rebaptizat, quem scit jam antea fuisse baptizatum, & tunc irregularitas contrahitur, tam ex parte baptizantis, quam ex parte baptizati, nisi ignorantia juris, aut facti ipsum excuset cap. *Ex litterarum de Apostatis*, & Can. *In quolibet 1. quaest. 7.* ac alibi. Haec irregularitas non contrahitur ex reiteratione Confirmationis, quia non est in jure expressa: nec item si rebaptizatio fiat sub conditione: *Si non es baptizatus*, &c. quamvis id fiat temere, & non praemissa debita inquisitione, utrum Baptismus antea fuerit rite collatus nec ne; siquidem leges poenales debent intelligi cum effectu. Qui autem jam baptizatum iterum baptizat sub conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, revera non baptizat, quia apposita conditio de praeterito, aut praesenti, si non subsistit, semper annullat, & impedit actum, & sic non inducit irregularitatem. Addit cum aliis Leander *disp. 58. quaest. 4.* ad incurrendam hanc irregularitatem non sufficere, si rebaptizatio sit occulta, sed requiri, quod rebaptizatio sit sollemnis, & publica; secus nec baptizans, nec baptizatus ex hoc titulo evaderet irregularis.

108. Secundo incurritur irregularitas ex mala Ordinum susceptione, ut si quis furtive fuerit ordinatus, aut sollemniter ministret in Ordine, quem non habet; aut si ab Episcopo excommunicato, interdicto, aut suspenso, simoniaco, schismatico fuerit ordinatus, prout ex variis Textibus juris probat Navarr. *cap. 27. num. 241.* Qui Ordine sacro ordinatur ante legitimam aetatem, vel extra tempora legitima, aut absque litteris dimissorialibus, aut per saltum, accipiendo Diaconatum, non praemisso Subdiaconatu, non est quidem irregularis, cum nullibi reperiatur talis irregularitas in jure expressa, bene tamen remanet ipso jure suspensus; si autem, antequam absolvatur a suspensione, ejusmodi Ordinem exercest, fit irregularis, ut notat Navarrus *citato cap. 27. num. 241. & 242.*

109. Tertio contrahitur irregularitas ex violatione censurae Ecclesiasticae, quando nimirum Clericus aliqua censura innodatus, excommunicatus excommunicatione majori, suspensus, aut interdictus aliquem actum Ordinis sollemniter exercet; tunc enim per tale exercitium contrahit irregularitatem, nisi ignorantia juris, aut facti ipsum excuset. Sic definitum est in jure Canonico *toto tit. de Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante*. Ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur, ut ministerium, quod Clericus censuratus exercet, sit tale, ut fieri non possit, nisi ab habente talem ordinem, cujusmodi est celebratio Missae, collatio Sacramenti Ordinis, Confirmationis, & Extremae Unctionis, & collatio Baptismi cum sollemnitate, canere sollemniter Evangelium cum Stola, & Epistolam cum Manipulo; unde Clerici in Minoribus constituti vix possunt hoc titulo irregularitatem contrahere, nam eorum ministeria videmus sollemniter exerceri etiam ab illis, qui non sunt in tali Ordine constituti, ut tenet Navarr. *c. 27. num. 243. & 244.* qui hoc idem dicit de illo, qui canit Epistolam in Missa sine Manipulo, & qui privatim Baptismum administrat.

110. Non incurrunt excommunicationem Clerici censurati, si ea ministeria exerceant, quae sunt propria Ordinis, sed Jurisdictionis, quamvis id illicite faciant, ut si Episcopus censura innodatus excommunicet, vel absolvat ab excommunicatione, omissa sollemnitate precum, & stolae. Item si Parochus assistat Matrimonio, sed non benedicat Nuptias, & ita de aliis actibus, qui solius sunt Jurisdictionis, & non Ordinis. Excusatur ab irregularitate censuratus, qui exercet actum Ordinis ad vitandum grave scandalum, seu infamiam: ne prodeat delictum occultum a se commissum, & ne gravem infamiam incurrat, si desistat ab Ordinis exercitio, quia leges humanae non videntur obligare cum tanto incommodo, praeciso scandalo, & infamia. Excommunicatus, sive vitandus, sive toleratus, fit irregularis, si actum Ordinis exerceat, quia jura indistincte loquuntur, & indistincte debent intelligi de omni excommunicato.

111. Quarto contrahitur irregularitas ob crimen haeresis; unde Haeretici, Apostatae a fide, Schismatici, eorumque fautores, & receptores sunt irregulares, etsi sint occulti, dummodo illorum haeresis signo aliquo externo sit manifestata, ut habetur cap. *Quicumque de haereticis in 6.* & Can. *Saluberrimum 1. quaest. 7.* intelligitur de auctoribus, & receptoribus, qui sunt formaliter tales, qui scilicet favent haereticis, seu schismaticis formaliter sumptis, seu qua tales sunt. Extenditur haec irregularitas etiam ad filios haereticorum usque ad secundam generationem per lineam paternam; per maternam vero sistitur in prima, quod intelligitur de filiis haereticorum, qui ante mortem non sunt conversi ad fidem.

112. Infames, qui recta carent existimatione apud homines non possunt ordinari; nam ex Apostolo, qui ad Ordines sunt promovendi *debent habere testimonium bonum ab iis, qui foris sunt*. Et quidem infamia dupliciter potest contingere: primo sine culpa, quando quis artem vilem, & ignominiosam exercet, cui ex jure est annexa infamia: tales sunt histriones, circulatores, & mimi, qui ex officio publice comoedias repraesentant, qui sunt irregulares ex defectu bonae famae. Idem asserunt nonnulli de Macellariis, & Tabernariis, qui ex infamia officii sunt irregulares; attamen cum haec infamia non sit in jure expressa, Palaus *disput. 6. punct. 20. num. 6.* tenet, illos non esse irregulares.

113. Secundo contingit infamia ex delicto notorio, & publico, cui a jure annexa est infamia, ut habetur cap. *Infames 6. qu. 1.* & cap. *Qui aliquo crimine dist. 51.* Crimina, quae a jure habent annexam infamiam, sunt Adulterium, Incestus, Raptus Virginis, Sodomia, Veneficium, Duellum, Sacrilegium, Simonia, Crimen laesae Majestatis, & Perjurium in judicio, & alia, quae in dicto capite *Infames* numerantur, quando scilicet publica, & notoria sunt; si enim sunt occulta non pariunt infamiam, nec irregularitatem, excepto homicidio voluntario, quod quamvis occultum, inducit irregularitatem, ut colligitur ex cap. *fin. de Temporib. ordinat.* ibi: *Si proposita crimina Ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (praeter reos homicidii) post poenitentiam in jam susceptis, vel suscipiendis Ordinibus impediri*. Navarrus *cap. 27. num. 248.* Si autem delictum processu temporis fiat publicum per propriam confessionem, vel alias legitimas probationes in judicio factas, tunc statim absque alia Judicis sententia oritur infamia jam in jure statuta.

DUBIUM X.

De dispensatione Irregularitatis.

114. **D**Uobus modis tollitur irregularitas; primo per cessationem caussae, seu defectus: sic, cessante infamia per publicam emendationem, & cessante defectu corporis, vel aetatis, tollitur irregularitas. Secundo tollitur per dispensationem, pro qua tamen nulla datur determinata forma: conveniens est illa: *dispenso tecum in irregularitate, quam contraxisti propter talem caussam*, ut cum Henriquez notat Leander *disp. 27. quaest. 1.* Ut dispensatio sit licita requiritur caussa, ut constat ex Trid. *sess. 23. cap. 14.* ibi: *cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima caussa possit dispensare*; data a Pontifice valet etiam sine caussa. Quinam autem possit dispensare,

115. Resp. Summus Pontifex dispensare potest in omnibus

nibus irregularitatibus, quia irregularitas, etiam ex homicidio, & bigamia est de jure humano, & Ecclesiastico, supra quod est Summus Pontifex, qui est talis juris conditor, & legislator, in quo omnes conveniunt. Remanet difficultas de Prælatis inferioribus, de quibus jam plura diximus supra. Et quidem de dispensatione irregularitatis provenientis ex vitio corporis diximus *supra n.* 32. de illa, quæ provenit ex defectu natalium *n.* 37. *& seqq.* & de illa, quæ nascitur ex bigamia *n.* 48. Remanet aliquid dicendum de dispensatione proveniente ex homicidio voluntario, aut casuali.

116. Episcopus in sua Diœcesi dispensare potest in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, ea excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, ex concessione sibi facta in Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 6 *de Reform.* ubi dicitur: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare*; & cum hæc facultas jure ordinario sit annexa muneri Episcopali, potest illam alteri committere: eamque transire ad Capitulum Sede Vacante, notat Barbosa *in Collectaneis ad cit. locum Concilii Trid. num.* 4. ubi alios refert.

117. Episcopus dispensare potest in irregularitate proveniente ex homicidio occulto caussa defensionis facto, quamvis occisor excessisset moderamen inculpatæ tutelæ, quia Concilium Tridentinum, concedens facultatem Episcopis dispensandi in homicidio occulto, solum excipit homicidium simpliciter voluntarium, injustum, directe intentum, & volitum, cujusmodi non est homicidium factum in sui defensionem, quod licet sit injustum, & peccaminosum ob excessum inculpatæ tutelæ, non tamen est simpliciter voluntarium, sed quasi coactum, & necessarium. Deinde, quia, nullo intercedente excessu, non videtur necessaria dispensatio; nam qui ob extremam, & omnino inevitabilem suæ vitæ defensionem alium occidit, nullam incurrit irregularitatem. Clement. *Si furiosus, de homicidio*, Navarr. *cap.* 27. *n.* 240. Barbosa *de potest. Episcopi allegat.* 39. *a n.* 53. *& seqq.* Avila *disp.* 6. *sect.* 5. *dub.* 5. *concl.* 1. Idem potest in quocumque alio homicidio casuali occulto; non vero si sit publicum, aut deductum ad forum contentiosum.

118. Non potest Episcopus dispensare in irregularitate contracta ex homicidio justo publica auctoritate facto in judicio sanguinis, & in bello justo ex defectu lenitatis, quam contrahunt Judices, Officiales, & Ministri proxime concurrentes ad mortem; nec non milites pugnantes in bello justo, quia Tridentinum solum concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto, cujusmodi non est illud, quod fit auctoritate publica. Suarez *disp.* 47. *sect.* 6. *in fine*, Palaus *disp.* 6. *punct.* 14. §. 7. *n.* 6. Navarr. *cap.* 27. *n.* 217. Potest tamen dispensare in irregularitatibus provenientibus ex mutilatione, etiam injusta, & directe intenta, quando est occulta; nam Tridentinum solum excipit irregularitatem provenientem ex homicidio voluntario; unde videtur concedere facultatem pro omnibus aliis, siquidem exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis. Navarrus *n.* 240. Suarez *disp.* 44. *sect.* 1. *num.* 4. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 71. Barbosa *in Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 6. *de Reformat. n.* 36.

119. Prælati Regulares possunt cum suis subditis dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario, sive ante ingressum Religionis, sive post illum tale crimen fuerit commissum, & hoc variis privilegiis Regularibus concessis, dummodo crimen fuerit occultum, ut constat ex *Compendio privilegiorum Societatis Jesu, Verb. dispensatio* §. 5. *&* 6. & probat Palaus *disp.* 6. *punct.* 12. §. 3. *n.* 4. Idem habetur ex *Compend. privileg. Minorum Verb. dispensatio* §. 21. & Verb. *Absolutio ordinaria quoad fratres* §. 40. & ex concessione Martini V. facta Priori S. Benedicti Vallisoletani, & quia talis concessio facta fuit Priori locali, infert Candid. *tom.* 2. *disp.* 24. *art.* 6. *dub.* 8. non solum Provinciales, aut Generales, sed Superiores locales hanc dispensationem impendere suis subditis, cum quibus possunt dispensare, etiamsi homicidium sit directe voluntarium, & publicum, ex concessione Sanct. Pontificis Pii V. facta Congregationi Cassinensium, ut probat Antonius a Spiritu Sancto *in Direct. disp.* 1. *nu.* 80. videri potest Leander *disp.* 17. *qu.* 32. ubi rem fuse tractat, Miranda *in man. tom.* 2. *quæst.* 8. *Concl.* 5. Portel. *in dub. Regul. verb. Dispensare num.* 8. Hyacinthus Donatus *tom.* 2. *tract.* 11. *quæst.* 9. *& seqq.*

120. Delictum dicitur occultum ad effectum obtinendi dispensationem, quod a nemine scitur, vel a tam paucis, ut non sit notorium, & publicum, ut si in aliqua Civitate notum sit tribus, aut quinque, adhuc dicitur occultum, multo magis si non est deductum ad forum contentiosum, vel si est deductum, non fuit probatum; nam tunc non dicitur deductum ad forum contentiosum cum effectu, etiamsi falsis testibus, & mediis depravatis sententia absolutoria sit obtenta, quia tunc remanet, ut erat prius, id est non probatum, ut cum Sanchez, Barbosa, & Bossio diximus *in tract. de Matrim. cap.* 18. *dub.* 12. §. 4.

Et hæc de Justitia, Restitutione, Contractibus, & Censuris breviter dixisse sufficiat, ad majorem Dei gloriam, ejusque Sanctissimæ Matris, & Doctoris Gentium, quæ omnia judicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, summique Pontificis correctioni subjecta esse volo, paratus delere, & corrigere, si quæ delenda, & corrigenda judicaverit.

F I N I S.

SERIES BULLARUM

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI XIV.

Quibus confirmantur pleraque ex iis, quæ in hoc Volumine continentur.

DE DOMINIO.

BULLA PRIMA.

De Indultis S. R. E. Cardinalibus testandi, & disponendi de Sacris Supellectilibus.

Extat hæc Bulla in Tomo III. Bullarii sub numero V. data die 22. Aprilis an. 1749. Pontificatus vero anno IX.

INter arduas Apostolici Ministerii Nostri curas, sicuti Nos oportet, non modo Patrem in abscondito orantes, sed publicis etiam Ecclesiæ officiis, sacrisque conventibus præsidentes, Divinam opem sine intermissione implorantes; ita Nos decet Pontificii Sacelli, in quo pleraque hujusmodi officia per unum sollemniter peraguntur, splendori, & cultui prospicere, ejusque rationibus, juribusque tuendis, debitum providentiæ studium impendere.

§. 1. In ultimo, cum quo decessit, Testamento bon. mem. Joseph S. R. E. Cardinalis Accoramboni nuncupatus, Sacelli sui domestici vasa argentea auro obducta, una cum reliqua sacra Supellectile, reliquit in usum similis Sacelli, quod ab Ignatio Accoramboni agnato in suis ædibus Spoleti constituendum mandavit. Sed contendentibus Cameræ Nostræ Apostolicæ Ministris, invalidam hac in parte fuisse dicti Cardinalis dispositionem, & prædictam argenteam, aliamque Supellectilem sacram, Pontificio Nostro Sacello adjudicari postulantibus; eaque controversia delata ad Tribunal dilecti Filii Thesaurarii Nostri generalis: hujus Auditor, omnibus attente perpensis, sententiam pro Nostro Pontificio Sacello pronuntiavit. A qua sententia quum dilectus etiam Filius Philippus Accoramboni præfati Cardinalis heres ad plenam Cameram appellasset, visum est Nobis universum Collegium Clericorum Præsidentium, aliorumque Officialium præfatæ Cameræ, quo die Caussam hanc dijudicaturi erant, coram Nobis convocare; idque eo libentius fecimus, quod, quum omnia fere Curiæ Nostræ Tribunalia, per hos transactos Pontificatus Nostri annos, præsentia Nostra decoraverimus, nondum id erga illustre illud Officialium, & Judicum Apostolicæ Sedis Collegium præstiteramus. Itaque indicto coram Nobis die 12. mensis Januarii anni 1748. Cameræ plenæ consessu, & partium rationibus per singulos Clericos in eadem suffragium ferentes, diligenter discussis, totius Collegii consensione Decretum prodiit: *Mandatum Domini Thesaurarii esse exequendum, & sententiam confirmandam, juxta modum a Sanctitate Sua declarandum quoad Candelabra, & Supellectilia excepta in Bulla Urbani VIII.* quod ubi approbatione Nostra confirmatum fuit, mandavimus, ut universa domestici Sacelli prædicti Cardinalis Supellex, *exceptis Candelabris, Malluviis, & Gutturniis*, Bacili, & Bocali *vulgo nuncupatis*, quæ quidem heredi reliquimus, in Pontificii Sacelli Nostri Sacrarium inferretur.

§. 2. Hujus resolutionis fundamentum agnitum fuit in fel. record. Prædecessoris Nostri Urbani Papæ VIII. Constit. CLXVI. quæ incipit *Æquum est*, in qua ulterius Prædecessoris Clementis Papæ VII. Constitutionem renovans, omniaque, & singula indulta disponendi de sacra domesticorum Oratoriorum Supellectile, S. R. E. Cardinalibus alias concessa, abrogans, decrevit, & statuit, ut sequitur: *Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam ipsam Constitutionem Clementis Prædecessoris hujusmodi innovantes, & ampliantes, quod de cetero perpetuis futuris temporibus præfata omnia, & singula Mitræ, Pluvialia, Tunicellæ, aliaque ornamenta, & vestimenta, ut Calices, Patenæ, Vasa, etiam aurea, & argentea, aliæque res, & utensilia quomodolibet nuncupata, præsertim benedicta, seu consecrata, quibus S. R. E. Cardinales nunc, & pro tempore existentes, etiam præfatam, seu quamcumque aliam similem, vel dissimilem facultatem Apostolicam de illis disponendi, ac ad heredes, etiam ab intestato, transmittendi, ut præmittitur, habentes, non solum in Cappella Pontificis, seu Processionibus, cæremoniis, & aliis functionibus Pontificis præfatis, sed etiam in eorum Cappellis privatis hactenus, vel in futurum pro tempore quomodolibet usi fuerint, ad Sacristiam præfatam ipso jure spectent, & pertineant, & ad illam deferri, illique realiter consignari debeant statim post obitum ipsorum Cardinalium, excepta una Tunicella pro quolibet Cardinale Diacono, & una Planeta pro quolibet Cardinale Presbytero, ac uno Pluviale pro quolibet Cardinale Episcopo, ac exceptis Candelabris, ac Malluviis, & Gutturniis*, Bacili, & Bocali *vulgo nuncupatis, etiam aureis, vel argenteis, hac perpetua valitura Constitutione Nostra statuimus, & ordinamus.*

§. 3. Qua quidem lata lege, Pontificii Sacelli Sacrarii antiqua redintegravit jura, quæ jamdudum fel. rec. Prædecessor pariter Noster Julius Papa III. in sua Constitutione VII. cujus initium est: *Cum sicut*, his verbis asseruerat: *Hujusmodi Paramenta, & ornamenta Cappellæ ipsorum Cardinalium, quæ jam tanto tempore, quod ejus initii hominum memoria non habetur, Cappellæ Apostolicæ, in qua Missæ Papales celebrantur, devolvi consueverunt.* Id autem ad eam ætatem probabiliter referri potest, qua primum cœperunt Ecclesiastica Officia sollemni, & publico ritu in Pontificii Palatii Sacellis persolvi, ex quo scilicet Romani Pontifices Avenione in Urbem reduces fuerunt. Non quod antea quoque in Apostolicis Ædibus Laterani, Oratoria, & Sacella minime existerent; sed quod in ipsis Sacri Conventus non haberentur, qui publice fieri solebant in Urbis Ecclesiis, & Basilicis, ad quas Stationes pro tempore indicebantur, ut ex Sancti Gregorii Homiliis in variis ipsius Urbis Ecclesiis habitis, & ex vetustissimis Ordinibus Romanis colligitur. Id autem cum in Avenionensi Civitate perfici minime potuisset, idcirco ibi in Apostolico Palatio Sacella ad Pontificalium sollemnitatem usum erecta fuerunt; idque in caussa fuit, ut Romæ quoque post Pontificum reversionem, magnifica in Apostolicis Palatiis Sacella extruerentur, in quibus pleræque functiones peragerentur, quæ antequam Pontifices Avenione Sedem figerent, ut supra dictum est, publice in Basilicis, aliisque Urbis Ecclesiis fieri consueverant.

§. 4. Et sane in Ordine Romano, quem edidit Jacobus olim Sancti Georgii in Velabro Diaconus S. R. E. Cardinalis Cajetanus, qui Cardinalitiam Dignitatem a Bonifacio VIII. Patruo suo accepit, ne verbum quidem legitur de Sollemnitatibus in Pontificii Palatii Sacello habitis antequam Pontifices Avenionem migrarent. Contra vero in altero Ordine Romano, quem scripsit Petrus Amelius, postquam Pontifices Romam redierant, de Prædecessore Nostro Bonifacio IX. narratur, quod Beatæ Birgittæ Viduæ Canonizationem in Palatii Sacello peregerit, propterea quod ea nocte, quæ designatam hujusmodi Sollemnitati diem præcessit, gravi morbo correptus fuisset non sine mortis periculo; a quo tamen ipsius Beatæ intercessione liberatus, sequenti die in Basilica Vaticana ritu sollemni Missam celebravit. Præterea in Cæremoniali Augustini Piccolominei, quondam Episcopi Pientini, quem sub auspiciis Leonis Papæ X. Christophorus Marcellus tamquam suum opus edidit, ubi de Dominica prima Adventus, aliisque per anni cursum sollemnitatibus agitur, sæpe quidem Ecclesia, ac sæpe etiam Sacellum, seu Cappella memoratur. Et quamvis recol. mem. Prædecessor Noster Sixtus Papa V. in sua Constitutione XXII. quæ incipit: *Egregia Populi Romani*, antiquam consuetudinem quoad functiones Pontificales in Basilicis, & Ecclesiis per Urbem celebrandas, in pristinum restituere volens, statos dies, certasque Ecclesias pro uniuscujusque sollemnitatis celebritate designasset; nihilominus usus invaluit, ut pleræque ex ipsis in Apostolicarum Ædium Sacellis peragantur.

§. 5. Porro jus istud, quo Cappella Apostolica a tanto jam tempore, ut præfertur, gaudere dignoscitur, & quidem ratione functionum, quæ in ea ab ipsis S.

R. E. Cardinalibus, vel saltem cum eorum assistentia peraguntur, quæque continuam sacræ Supellectilis usum sequuntur; quodque, ut superius etiam demonstravimus, a Prædecessore Nostro Urbano Papa VIII. speciali Constitutione assertum, & confirmatum fuit; non ita labefactari visum est, in casu, de quo agebatur, per Indultum a fel. rec. Benedicto Papa XIII. per Litteras in forma Brevis concessum prædicto Josepho Cardinali, ut harum Litterarum vigore potuerit hic præfatam Cappellæ suæ Supellectilem domestico heredis Oratorio legare.

§. 6. Quamvis enim in hujusmodi Litteris præfatæ Urbani VIII. Constitutioni expresse fuerit derogatum, eidemque Cardinali plena, & ampla concessa sit facultas testandi, & disponendi de omnibus, & singulis Mitris, Pluvialibus, Planetis, Tunicellis, aliisque ornamentis, & vestimentis Ecclesiasticis, & aliis rebus, & utensilibus Divino cultui dicatis, seu destinatis, aureis, seu inauratis, tam privatæ Cappellæ ipsius Cardinalis, quam iis, quibus in Cappellis, Cæremoniis, Processionibus, & aliis Functionibus Pontificiis usus fuisset. Cum tamen idem Cardinalis de præmissis non disposuerit juxta formam in præfato Indulto præscriptam, prædicta Urbani VIII. Constitutio suam vim, auctoritatemque recuperat, & in illius sequelam, jure, meritoque judicatum, rescriptum fuit, ut supra narravimus.

§. 7. Quod autem prædictus Cardinalis de sacro Oratorii sui Supellectile ad formam Indulti non disposuerit, in dubium minime revocatum est. Etenim quum in relatis Benedicti Prædecessoris Litteris ea conditio expresse apposita legatur: *Dummodo tamen de illis in favorem alicujus Ecclesiæ, seu Cappellæ, vel Loci Pii, arbitrio suo disponas*; cumque Cardinalis Accorambonus de præmissis omnibus disposuerit in favorem Cappellæ Spoleti in suis Ædibus erigendæ: clarum est, servatam ab eo non fuisse formam in Pontificio Indulto sibi præscriptam. Nec enim ullius momenti, ad casum, de quo agitur, reputata fuit quæstio, quæ inter Partium defensores agitabatur, an scilicet ea Loca, quæ in privatis Domibus ad Sancti Sacrificii celebrationem destinantur, *Cappellæ* nomine, vel potius *Oratorii* appellanda sint; aut, etiamsi *Cappellæ* nuncupari possint, an saltem ad aliquam distinctionem statuendam inter eas, aliasque Cappellas, quæ in publicis Ecclesiis erectæ sunt, & Altaria lateralia continent, *Cappellæ privatæ* appellari debeant. Nam, si advertatur, *Cappellæ* nomen in præcitato Brevi medium tenere locum inter *Ecclesiam*, & *Locum Pium*, quæ sane nomina ad publica dumtaxat loca referri possunt; ait siquidem Breve in loco supra relato: *In favorem alicujus Ecclesiæ, seu Cappellæ, vel Loci Pii, arbitrio tuo disponas*; facile erit exinde inferre, Pontificem id intelligi voluisse non de Cappella privata in domesticis ipsius Cardinalis Ædibus extructa, vel extruenda, sed de publica Cappella intra alicujus Ecclesiæ ambitum constituta. Eoque magis id rationi consonum apparet, quod cum præfatis Prædecessoribus Nostris, in suis Constitutionibus pro Sacello Pontificio editis, propositum sit, non solum Cameram Apostolicam a tot, tantisque expensis pro ipsius Sacelli apparatu necessariis aliqua ex parte sublevare; verum etiam aliquem justum modum imponere privilegio, quod S. R. E. Cardinalibus concedi consuevit, de bonis, etiam ex Ecclesiasticis proventibus acquisitis, in favorem propinquorum testandi, & disponendi; quo scilicet, si ex Cardinalium testamentis reliqua eorum bona ad propinquos deferantur (quemadmodum de bonis præfati Cardinalis evenisse dignoscitur) sacra saltem vasa, atque ornamenta, vel juxta præscriptum Constitutionum generalium, ad Pontificiæ Cappellæ Sacrarium devolvantur, vel, juxta Indultorum formam, in alicujus Ecclesiæ, seu Cappellæ, vel Loci Pii beneficium cedant. Porro si Indulta hujusmodi, etiam de Cappellis privatis, quæ in Heredum domibus sunt, intelligi deberent, provida Pontificum mens optato frauderetur effectu; cum satis constet in diem contingere, ut Ædium Domini hujusmodi domestica Oratoria in usum propriæ habitationis convertant; eorumdem vero sacra Supellex, jure dominii, quod Heredes liberum in eam exercent, sæpe venalis fiat, ac, dummodo ejus æstimatio ratione benedictionis, aut consecrationis non augeatur, illius pretium libere, & licite in dominorum commodum redigatur.

§. 8. Frustra vero præfati Testamenti defensores replicabant, Cardinalem Heredem promptum, & paratum esse ad publicam Cappellam, sive Oratorium publicum construendum prope domesticas suas Ædes; idque ipsi negari non posse contendebant, propterea quod laudatum Benedicti Prædecessoris Indultum, non ipsi solum Cardinali facultatem tribuerat ita de præmissis testandi, & disponendi, sed etiam *illa ad heredes suos, si ipsum intestatum mori contingeret, transmittendi, dummodo tamen de illis in favorem alicujus Ecclesiæ, seu Cappellæ, vel Loci Pii, vel ipse arbitrio suo disponeret, vel per ipsius heredes, & successores, quatenus ipse ab intestato decederet, disponeretur*, ut in iisdem legitur. Præmissis enim aliis responsionibus, visum est, ipsius Cardinalis Testamentum, quo de Cappellæ suæ Supellectili, ut præfertur, disposuit, prætensam heredis facultatem ex Indulti Litteris desumptam, penitus de medio sustulisse. Hæc siquidem facultas in Litteris ipsis Heredi concessa erat, pro eo casu dumtaxat, quo Cardinalis ipse nihil disposuisset: *si te intestatum mori contigerit &c. quatenus ab intestato decedas &c.* sed alium casum sane non respiciebat, quo scilicet idem Cardinalis testamentariam dispositionem exarasset; at Pontificio Indulto minime conformis fuit illa, quam hactenus examinavimus, quæque caussam dedit, ut Urbani Lex pro Pontificio Sacello dudum statuta, vim suam resumpsisse censeretur.

§. 9. His potissimum fundamentis cum innixum fuerit Rescriptum a plena Camera coram Nobis dicta die congregata editum, Nos illud, iisdem de caussis, jam tunc approbatione nostra ratum fecimus; & tunc tenore præsentium, & Apostolicæ auctoritatis plenitudine, confirmamus, & roboramus. In quo non id Nobis propositum est, ut quidquam detrahamus legitimis Privilegiis, quæ Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, non solum propter conspicuam eorum dignitatem, sed etiam propter gravissimos labores, quos pro Apostolica hac Sancta Sede assidue sustinent, jure, ac merito concessa dignoscuntur; quum etiam Nos ipsi Prædecessorum nostrorum vestigiis insistentes, similia Indulta disponendi de sacris Supellectilibus libenter concesserimus iis, quos ad Cardinalatum Dignitatem assumpsimus; sed eo dumtaxat spectamus, ut conditiones, quæ in eorum Indultis provide apponuntur, suum debitum sortiantur effectum; ipsique, si concessis facultatibus uti voluerint, de sacris hujusmodi Supellectilibus erga Ecclesias, seu Cappellas publicas, aut Loca Pia, benefici sint. Quod ubi in animum induxerint, Nos sane, salva Privilegiorum ipsis concessorum amplitudine, & per modum consilii, ab æquitatis tamen ratione, ut Nobis videtur, minime sejuncti, eosdem vehementer hortamur, ut eas potissimum Ecclesias præ oculis habeant, quas, sive Metropolitanas, sive Cathedrales, sive Abbatiales, aut ad Ecclesiastica ipsorum Beneficia spectantes, gubernaverint, & obtinuerint; quas quidem Ecclesias beatæ memoriæ Prædecessor Noster S. Pius Papa V. in hoc rerum genere tam amplo Privilegio donavit, ut in sua Constitutione XLII. quæ incipit, *Romani Pontificis*, decreverit, & declaraverit, quæcumque ornamenta, paramenta, vasa, & alia utensilia sacra, ad usum, & cultum Divinum in privatis Cappellis, & Oratoriis Episcoporum, Abbatum, aliorumque Ecclesiastica Beneficia obtinentium alias destinata, sub appellatione Spoliorum Cameræ Apostolicæ debitorum minime venire debere, nec etiam sub quibusvis testandi facultatibus, & Indultis comprehendi; sed ad singulas Ecclesias, Monasteria, & Beneficia, in quibus prædicti resederint, aut quibus præfuerint, seu quæ alias obtinuerint, omnino, spectare, & pertinere. Tum etiam pari ratione iisdem commendamus Ecclesias illas, quarum titulum, ac regimen in ipso Cardinalatus ordine obtinuerint, quæ etiam in Sancta Synodo Lateranensi V. impense ipsis commendatæ fuerunt, ut videre est in Cap. III. Bullæ super Reformatione Curiæ a rec. mem. Prædecessore pariter Nostro Leone Papa X. in ipsius Synodi sessione ix. promulgatæ.

§. 10. Volumus autem præsentes Litteras, in dicta Camera, ejusque libris, ad formam Constitutionis rec. mem. Prædecessoris quoque Nostri Pii Papæ IV. de registrandis, admittendas, & registrandas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod dictus Philippus, & forsan alii desuper interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, aut non sufficienter auditos se fuisse contendant, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam substantiali, aut ex alio quovis defectu, etiam substantiali, aut ex alio quovis capite, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel caussa, etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, notari, impugnari, invalidari, & retractari posse, sed ipsas præsentes Litteras semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Sacrario Sacelli Nostri plenissime suffragari.

§. 11. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caussarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, necnon dictæ Cameræ Præsidentes Clericos, aliosque Officiales, nunc, & pro tempore existentes, in quavis caussa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facul-

tate

tate & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 12. Non obstantibus præmissis; & præsertim prædicta lite, seu controversia hujusmodi, cujus statum, & merita, & alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi, illamque penitus, & omnino extinctam esse, & fore etiam decernimus; necnon, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, & quibusvis usibus, & consuetudinibus, & actibus, ex interpretatione Indultorum S. R. E. Cardinalibus prædictis super facultate de bonis, & rebus propriis testandi, nec non illa, & alias ad heredes ab intestato transmittendi concessorum, in contrarium præmissorum forsan introductis & gestis: privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis ejusdem S. R. E. Cardinalium Collegio, ac Ecclesiis, & Locis quibuslibet, & quibuscumque personis cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & dignitatis, etiam individua expressione dignis, etiam in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, ceterisque contrariis quibuscumque, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus eaque respective nullatenus obstare decernimus.

DE JUSTITIA DISTRIBUTIVA

BULLA SECUNDA.

De concursu, & examine habendo pro Parochialium Ecclesiarum collatione: de appellationibus ab irrationabili Ordinarii judicio admittendis, vel rejiciendis.

Extat hæc Bulla in Tom. I. Bullarii sub nu. LXVIII. data die 14. Decemb. 1742. Pontificatus vero anno III.

Hanc ipsam videre potes in Tom. III. hujus Editionis positam inter eas, quæ ad Ecclesiasticos, simulque ad Ecclesiastica spectare visæ sunt, estque ordine decima septima col. 1503.

BULLA TERTIA.

De Præsentatione Dignioris inter approbatos ab Examinatoribus ad Parochiales Ecclesias Jurispatronatus Ecclesiastici, cum resolutione nonnullorum dubiorum.

Extat hæc Bulla in Tom. II. Bullarii sub nu. X. data die 9. Aprilis ann. 1746. Pontificatus vero ann. VI.

Totam percurrere poteris in Tom. III. hujus Editionis ordine decimam nonam col. 1532.

BULLA QUARTA.

Occurritur abusibus in expeditione resignationum Beneficiorum inductis, ad eludendam Constitutionem Gregorii Papæ XIII. incipien. Humano.

Extat hæc Bulla in Tom. II. Bullarii sub nu. X. data die 15. Junii 1746. Pontificatus vero anno VI.

Ecclesiastica ministeria, & officia nec ab obtinentibus temere deseri, aut minus recta ratione, vel causa dimitti, nec a minus idoneis assumi, & exerceri, neque demum ullo pacto in cupiditatis, & avaritiæ fomentum transferri volentes Prædecessores Nostri Romani Pontifices, plura peculiariter observanda statuerunt in admittendis Beneficiorum, sive Officiorum Ecclesiasticorum dimissionibus, ac cessionibus, & eorumdem sic per resignationem vacantium provisionibus, & concessionibus, quæ omnia non modo Nostram approbationem, & confirmationem promereri, sed etiam quo certius propositum reipsa sortiantur effectum, uberioribus providentiæ nostræ consiliis, prout rerum necessitas suasit, stabilienda, & amplianda Nobis esse judicavimus.

Postquam enim beatæ memoriæ S. Pius V. Prædecessor Noster per suam Schedulam motus proprii, quæ incipit, *Cogit Nos*, Anno Domini MDLXVII. die xcia. Martii, Pontificatus sui Anno II. editam, methodum & formam designaverat servandam in expeditione Litterarum Apostolicarum, super gratiis Resignationum quorumcumque Beneficiorum, sive Officiorum Ecclesiasticorum, certasque opportunas clausulas, expressiones, & limitationes, in hujusmodi Litteris respective apponendas provida ordinatione præscripserat; sequenti anno MDLXVIII. per suam Constitutionem, quæ incipit, *Quanta Ecclesiæ Dei*, datam apud S. Petrum Kalendis Aprilis, definivit & declaravit, quonam Beneficiorum, & Officiorum hujusmodi resignationes, seu dimissiones ab Episcopis, & aliis ad id facultatem habentibus, quibusque ex caussis recipi, & admitti possent, aliaque in ipsis dimissionibus, seu resignationibus, necnon eorumdem Beneficiorum resignatorum collationibus respective cavenda decrevit; censuras in contravenientes pronuntiando, aliasque pœnas respective statuendo, prout in Schedula, & Constitutione prædictis plenitus continetur.

Cum vero adhuc præfati Sancti Pii Prædecessoris Leges, & Ordinationes, ad compescendas fraudes, & simulationes, quæ in hujusmodi resignationibus hominum malitia committebantur, non satis prodesse, experiendo compertum esset, placuit felicis recordationis Gregorio Papæ XIII. Prædecessori pariter Nostro in sua Constitutione, quæ incipit, *Humano vix judicio*, data apud S. Petrum Nonis Januarii, Anno Incarnationis Dominicæ MDCXXXIII. Pontificatus sui XII. decernere & constituere, ut omnes & quæcumque resignationes, cessiones, sive retrocessiones, quæ deinceps de quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus tam Virorum, quam Mulierum, Dignitatibus, Officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Militarium, Regularibus, etiam electivis, & manualibus, ac etiam de jurepatronatus Laicorum illustrium, & alias quomodocumque existentibus, sive pacificis, sive in petitorio, aut in possessorio litigiosis, etiam de quibus in Consistorio disponi consuevit, seu debet, in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis, ex quacumque caussa, & quolibet modo fierent, & ab illo, seu illius mandato admitterentur, & super eis provisiones, & quæcumque aliæ dispositiones, sive temporales, sive perpetuæ, aut ad id mandata Apostolica, sub quacumque forma, & quibuscumque, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac piis Locis quantumvis privilegiatis, facta, publicari deberent, una cum Litteris Apostolicis desuper confectis, intra sex menses, si Beneficia citra Montes essent, ultra vero Montes, intra novem menses, a data concessionis gratiæ nometandos. Cumque de forma, & loco hujusmodi publicationum explendarum, plura distincte præscripsisset; illud etiam provide, ut ii, in quos de Beneficiis, hujusmodi resignatis, seu cessis, sub quacumque forma disponi, vel mandari contigisset, intra dictum respective tempus, eorumdem Beneficiorum possessionem, vigore Litterarum Apostolicarum desuper confectarum, apprehendere deberent, vel, si propter litem, aut aliud legitimum impedimentum, hujusmodi possessionem reipsa apprehendere non potuissent, saltem Litteras Apostolicas cum earum publicatione, si tunc facta esset, Judici, seu Executori illarum, vel aliis, ad quos pertineret, intra illud tempus præsentare, & apud illum, vel illos, pro ipsarum Litterarum executione instare, & possessionem hujusmodi instanter petere tenerentur. Quod si quicquam præmissorum omnium omissum fuisset, dictis terminis, ut cuique præscripti sunt, elapsis, voluit, & decrevit, omnes dispositiones, & gratias resignatorum, & cessorum Beneficiorum hujusmodi, cum omnibus inde sequutis, irritas, & inanes esse, nullamque aliam gratiam super iisdem, his quibus concessa fuissent, suffragari, sed eos ad hujusmodi Beneficia quandocumque obtinenda inhabiles, & incapaces fore, & esse: ipsaque Beneficia censeri statim a prima resignatione, seu cessione, eo ipso vacavisse, & vacare, & tamquam sic a principio vacantis, a Sede Apostolica dumtaxat impetrari, & respective concedi posse, & alias, prout in prædicta Constitutione latius, & uberius continetur.

Nos ipsi demum ad Romanæ, & universalis Ecclesiæ gubernacula, licet immerentes, evecti, hanc ipsam resignationum materiam retractare coacti sumus, propter delatam ad aures nostras nonnullorum malitiam, qui malis artibus, & per illicita pacta, fraudulento verborum, & formalitatum circuitu tecta, hujusmodi Beneficiorum resignationes cum reservatione Pensionum, per anticipatas deinde pecuniarum solutiones extinguendarum, in detestabilem negotiationem convertebant; quapropter hujusmodi pacta, & conventiones pro

abolitione, seu cessatione Pensionum, per anticipatas, vel anticipandas terminorum earumdem Pensionum solutiones, contemporanee ad ipsas Beneficiorum resignationes inita, atque conventa, per aliam Constitutionem nostram, quæ incipit, *In sublimi*, datam IV. Kalendas Septembris Anno MDCCXLI. Pontificatus nostri Anno secundo, damnavimus, improbavimus, & omnino irritavimus; pluraque desuper opportune statuimus, atque sancivimus, per quæ illicitarum pactionum hujusmodi exterminationi satis consultum esse, & fore in Domino confidimus.

Sed neque tot salubres, & providas ordinationes, & Constitutiones valuisse ad eliminandas omnis generis fraudes, & corruptelas, quas hominum malitia, & radix malorum omnium cupiditas in hac resignationum materia invenit, magno cum animi nostri mœrore accepimus. Siquidem ad eludendam præfati Gregorii Prædecessoris consultissimam Legem & Constitutionem, plures adinventæ sunt artes, quarum præsidio resignatorum Beneficiorum possessio, & eorumque fructuum, & redituum perceptio, vel numquam, durante resignantium vita, vel nonnisi diuturno tempore elapso, contra Pontificis opinionem, & voluntatem, & contra ipsam admissæ resignationis naturam, in resignatarium cum effectu transires.

Nonnulli enim negotiorum Datariæ nostræ expeditores, postquam super brevi, & compendiaria supplicatione, in qua Resignantis, & Resignatarii nomina, cognominaque, ac titulus, & qualitas Beneficii resignandi adscripta sunt, obtinuerunt *Præsentatam*, quam vocant, a substituto Subdatarii semel apponi; mox ad libellum supplicem super ipsa resignationis gratia exhibitum emanare curarunt rescriptum Datarii, seu Pro-Datarii, Pontificiæ voluntatis, & annuentiæ testem; vel etiam supplicationem in forma a Nobis, sive a Romano pro tempore Pontifice signari; nil amplius solliciti de expeditione Litterarum Apostolicarum (quas intendunt sub data illius diei, qui in prædicta præsentata, seu deinceps in supplicatione adscriptus fuit, quandocumque sibi libuerit, expedire) compluribus prorogationibus ad publicandum, sive in integrum restitutionibus successive se muniunt; quarum quidem terminos, quum ad diem illum initio sibi propositum accommodaverint, minime dubitant de validitate gratiæ resignationis, quantumvis longe post assensum Pontificis, Apostolicas super ea Litteras expedire distulerint.

Alii vero, quum supradictam tantummodo *Præsentatam* in officio Subdatarii reportaverint, minime urgent pro obtinendo rescripto Datarii, aut signatura supplicationis; neque pro expeditione Litterarum Apostolicarum, aut pro prorogationibus, vel in integrum restitutionibus ullo pacto instant, sed retento apud se mandato Procuræ ad resignandum, novas identidem Præsentatas, tamquam ex integro iterum, iterumque referre curant, usque dum, resignantis vita ad interitum vergente, vel alias quandocumque ipsi maluerint, resignationis negotium ulterius promovendum sibi esse ducant; tuncque dumtaxat deprompta una ex obtentis Præsentatis, quam sibi magis expedire judicaverint, sub illius data, & vigore prioris illius mandati, requisitum consensum præstant, atque Apostolicas Litteras expediunt.

Alii demum, præfato rescripto obtento, signataque supplicatione, non desistunt ante, vel post expeditionem Litterarum Apostolicarum multiplices prorogationes ad eas publicandas, aut etiam elapso ipsarum prorogationum termino, restitutiones in integrum adversus hujusmodi publicationis omissionem, petere & obtinere, ut interim, publicatione prædicta minime sequuta, nec possessione Beneficii per resignatarium adepta, ipsius detentio, fructuumque perceptio penes resignantem, quamvis jampridem de Beneficio abdicaverit, usque ad ejus obitum remaneat; nec nisi eo defuncto, vel saltem morti proximo, hujusmodi possessio in resignatarium seu cessionarium (cui, favore obtentarum prorogationum, vel restitutionum in integrum, nihil de suo jure deperit) cum effectu tandem transferatur.

Nos igitur hujusmodi fraudes, & collusiones, in quibus cum animarum pernicie, & recti ordinis subversione, jurium quoque Apostolicæ Sedis detrimentum conjunctum esse animadvertimus, & quarum aliquas judicialibus controversiis non ita pridem locum dedisse, eaque ratione detectas fuisse novimus, de medio tollere, atque in futurum præcavere volentes, Motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione nostris, memoratam Gregorii Prædecessoris Constitutionem de publicandis intra certum tempus prædictarum resignationum gratiis, & de capienda resignatorum Beneficiorum possessione, in omnibus, & per omnia approbamus, confirmamus, & innovamus; utque telativ artibus eadem Constitutio in posterum dolose, ut præfertur, eludi, & effectu fraudari amplius non valeat, hac nostra pariter perpetuo valitura Constitutione in primis Datariæ nostræ Notario, seu Notariis, quos de excipiendis, sive extendendis consensibus pro quorumcumque Beneficiorum, sive Officiorum Ecclesiasticorum, cujuscumque qualitatis, & naturæ existant, resignationibus, etiam ex caussa permutationis, ac cessionibus, & retrocessionibus quibuscumque, tam simplicibus, quam cum pensionis, aut fructuum, vel alia qualibet reservatione, quæ in manibus nostris, aut Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium a quibuscumque, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, sub quacumque forma, & qualibet ex caussa, & favore cujuscumque personæ, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium prædictorum, aut etiam Locorum piorum quantumvis privilegiatorum, ad quemcumque effectum fient, pro parte cujuscumque Personæ, etiam specifica mentione dignæ, ut supra, in posterum rogari contingat, districte vetamus atque interdicimus, ne hujusmodi consensus admittere, recipere, & extendere, ac super ipsis instrumenta conficere, seque de iis rogare audeant, seu præsumant, quoties mandata Procuræ, quæ ad hujusmodi consensus præstandos exhibebuntur, adscriptam habeant datam, seu diem anteriorem octo mensibus, quoad Personas existentes citra Montes, vel duodecim, quoad Personas ultra Montes constitutas, quos quidem menses ab ipso die, quo hujusmodi mandata ad consentiendum eisdem Notariis actu exhiberi continget, numerandos, & computandos esse decernimus; non obstante quacumque anteriori Præsentata, seu rescripto obtento, aut etiam supplicatione sub quacumque data jampridem manu Nostra, aut Successorum Nostrorum signata.

Insuper volumus, & mandamus, post rescriptum a Nostro, & Romani pro tempore Pontificis Datario factum super admissione cujuscumque resignationis, sive cessionis, aut retrocessionis hujusmodi, a quocumque, & favore cujuscumque Personæ, vel Loci pii, ut supra, intra duos ad summum menses, a data rescripti hujusmodi decurrendos, remota omni mora, & prætextu, signandam esse supplicationem, & successive expediendas esse Litteras Apostolicas; ita ut intra sex menses a data concessionis Gratiæ numerandos, quoad Beneficia citra Montes posita, & intra novem, quoad ea, quæ ultra Montes existunt, eorumdem resignatorum Beneficiorum possessio capi, ipsæque resignationum Gratiæ cum Litteris Apostolicis desuper confectis publicari valeant, & cum effectu possessio capiatur, & Litteræ respective publicentur, ad normam prædictæ Gregorianæ Constitutionis, & juxta formam ibi præscriptam.

Ubi vero justis, & rationabilibus de caussis aliquam prorogationem ad publicandum postulari necesse sit; nolumus hujusmodi prorogationes, ne pro prima quidem vice, amplius concedi, nisi docto prius in Officio Subdatarii, non autem alterius cujuscumque Datariæ prædictæ Officialis, de Apostolicis Litteris expeditis. Post primam autem, aut secundam ad summum prorogationem hujusmodi, alias ulteriores prorogationes ad publicandum, etiam quoad gratias resignationum ad hunc diem de præterito admissas, seu concessas, & nondum executioni demandatas, aut publicatas, nemini amplius in posterum concedi volumus, nisi (præter expeditionem Litterarum Apostolicarum, ut supra) coram Datario pro tempore justificatum fuerit legitimum impedimentum, propter quod eædem Apostolicæ Litteræ executioni mandari, aut publicari non possint. Hoc enim concludenter probato, & non alias, eidem Datario relictam volumus facultatem concedendi tot ulteriores prorogationes ad publicandum, quot necessariæ erunt usque ad hujusmodi legitimi impedimenti remotionem.

Quod si constiterit, vel post elapsum tempus, ut supra, præscriptum, præfatos consensus super Beneficiorum resignationibus præstitos, sive admissos, & extensos, vel intra aliud præfinitum tempus, aut supplicationes minime signatas, aut Litteras confectas, & expeditas in posterum non fuisse, vel etiam, elapso tempore in Constitutione Gregoriana præfixo, aut alio ulteriori termino per concessas rite prorogationes obtento, non fuisse captam possessionem, vel factam Litterarum publicationem, ut supra; aut demum, ad novas obtinendas prorogationes, falsum, & insubsistens impedimentum dolose allegatum fuisse; in quolibet ex hisce casibus, volumus, & decernimus, ipsas resignationum gratias, cum omnibus inde sequutis, nullas, irritas, cassas, & inanes esse, & censeri perinde, ac si numquam admissæ, & concessæ fuissent; nec ullam aliam gratiam super hujusmodi Beneficiis, aut etiam restitutionem in integrum his, quibus concessa fuerant, concedi debere, aut concessam ullatenus suffragari; sed eosdem inhabiles, & incapaces esse ad hujusmodi Beneficia sic resignata, & cessa quandocumque obtinenda; ipsaque Be-

neficia

neficio tamquam ab initio vacantia apud Sedem, ab alio quolibet impetrari, & respective ab libitum ejusdem Apostolicæ Sedis alteri cuilibet conferri posse.

Præsentes quoque Litteras, & in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quovis alio defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, aut in jus, vel controversiam revocari posse, sed illa semper, & perpetuo valida, & efficacia fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Non obstantibus quibusvis Resignantium, aut Cedentium voluntatibus, conditionibus, protestationibus, & clausulis in ipsismet resignationibus, seu cessionibus, aut Procuratorum Constitutionibus, & mandatis, ac alias etiam ad præservationem suorum jurium, & significationem, quod non aliter, nec alio modo resignant, seu cedunt, appositis, omnibusque & singulis aliis, quæ idem Gregorius Prædecessor in relata Constitutione voluit non obstare; Datariæ quoque usibus, stilis, tolerantiis, permissionibus, & consuetudinibus, etiam diuturnis, & inveteratis, in contrarium præmissorum quomodolibet facientibus, vel extantibus. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium, & singulorum qualitates præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quatenus eisdem præsentibus adversantur, specialiter, & expresse, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque &c.

BULLA QUINTA.

De Capacitate Canonicorum Regularium Lateranensium, & Sanctissimi Salvatoris, ad obtinenda Beneficia Ecclesiastica sæcularia, cum Cura, & sine Cura, atque Pensiones Ecclesiasticas.

Extat hæc Bulla in Tom. I. Bullarii sub nu. CXXXV. data die 2. Julii ann. 1745. Pontificatus vero anno V.

Vide hanc ipsam de verbo ad verbum ordine decimam tertiam in Tom. III. hujus Editionis col. 1452.

BULLA SEXTA.

Canonicis Regularibus Præmonstratensibus conceditur ex integro Privilegium assequendi, & retinendi quascumque Parochiales, & Vicarias, tam Sæculares, quam Regulares, absque dispensatione Apostolica.

Extat hæc Bulla in Tomo III. Bullarii sub numero XXXIII. data die 2. Septembris an. 1750. Pontificatus vero an. X.

Vide vigesimam primam in Tom. III. hujus Editionis col. 1539.

DE JUDICIIS.

BULLA SEPTIMA.

Reos convictos per indicia indubitata, quamvis non confessos, pœnis ordinariis multandos esse statuitur.

Extat hæc Bulla in Tomo I. Bullarii sub numero LXXI. data die 2. Januarii 1743. Pontificatus vero anno III.

Monsignor Francesco Ricci della nostra Città di Roma, e suo Distretto Generale Governatore, e Vice-Camerlengo.

Avendovi Noi con Viglietto di Segretaria di Stato in data delli 29. Aprile del cadente anno 1742. espressamente ordinato, che, per apportare qualche opportuno rimedio alla frequenza degli omicidj, ed altri delitti qualificati, che si commettono in Roma, e nel Nostro Stato Ecclesiastico da' Rei, sulla confidenza di non potere essere condannati alla morte, se spontaneamente non confessino il lor reato, o confessandolo ne' tormenti, non ratifichino poscia la lor confessione, dovesse convocare avanti di voi una particolar Congregazione con l' intervento de' Monsignori Bardi Segretario della Sacra Consulta, Fabretti, e Clarelli Ponenti della medesima, Toppi Fiscale Generale, & Avvocati, Mocci Luogotenente dell' A. C. Delfini Luogotenente del Cardinal Vicario, Michilli, e Miroglio Luogotenente del vostro Tribunale del Governo, e de Angelis Giudice de' Malefizj di Campidoglio, e sentirne sopra di ciò il di lei sentimento; ci avete rappresentato, che dopo essersi più volte adunata avanti di Voi la detta Congregazione, siansi in essa maturamente considerati li seguenti Dubbj, e con essersi inteso tanto in voce, che in iscritto anche il parere dell' Avvocato de' Poveri, ne siano emanate le infrascritte Risposte.

Primo: An duo, vel tres testes concludentes pernecesse delictum, & aliquas patientes exceptiones, præter illas, pro quibus testes de jure in totum repelluntur a testificando, possint suppleri tam ex aliis indiciis, & conjecturis probatis per testes minus habiles, & idoneos, quam ex numero testium, ad effectum imponendi pœnam ordinariam?

Responsum: Attentis frequentia delictorum, & facilitate, qua Rei negativi evadunt promeritas pœnas, esse consulendum Sanctissimo, ut declaret, in Tribunalibus supremis, & suas vices gerentibus, ac in delictis atrocissimis, homicidiis appensatis, & furibus famosis, posse suppleri tam ex indiciis, quam ex numero, etiam per testes minus habiles, & idoneos.

Secundo: An idem servandum sit in delictis sequutis in Lupanaribus, custodiis Birruariorum, aliisque locis, ubi nec actu, nec habitu solent intervenire, aut intervenerint alii testes, quam Personæ infames.

Responsum: affirmative, dummodo suppletio fiat per indicia, & conjecturas, quæ probentur per alios testes.

Tertio: An contra convictum indiciis indubitatis concludentibus pernecesse taliter, ut adimant ab animo Judicis omnem rationabilem hæsitationem, quod res aliter se habere potuerit, deveniendum sit ad pœnam ordinariam.

Responsum: Affirmative.

Quarto: An, concurrentibus duabus semiplenis probationibus, possint hæ insimul conjungi ad imponendam pœnam ordinariam?

Responsum: Negative.

Quinto: Demum, an in contestationibus faciendis Reis, quando indicia sunt de illis proximis indubitatis, possint reticeri aliquæ circumstantiæ, ad hoc, ut in casu, quo Rei tormentis subjiciantur, & tales circumstantias non contestatas fateantur, haberi possint pro verificationibus a parte post confessionis, taliter ut opus non sit ratificatione ad imponendam pœnam ordinariam?

Responsum: Negative.

§. 2. *Onde Noi considerando esser molto profittevole, non meno alla Giustizia, che al pubblico, e privato interesse la punizione de' delinquenti, e che più facilmente potrà venirsi al conseguimento di questa, ogni volta che diasi esecuzione alle risposte emanate sopra li proposti dubbj: con il presente Chirografo, di Nostra certa scienza, pienezza di volontà, e podestà assoluta, confermando, ed approvando quando faccia di bisogno le suddette risoluzioni, dichiariamo, e comandiamo, che in avvenire tutti li Tribunali Supremi, e che esercitano le Nostre veci, tanto in Roma, che in tutto lo Stato Ecclesiastico, compreso anche le Legazioni di Bologna, Ferrara, Ravenna, Urbino, e Benevento, debbano giudicare, e venire alla condanna, e totale esecuzione delle pene nelli sopra espressi casi, a tenore di dette risoluzioni; quali vogliamo, che abbiano piena forza di Legge universale, e che debbano inviolabilmente osservarsi, come se provenienti fossero dal Gius commune, Canoni anche Conciliari, Costituzioni Apostoliche, Decreti, Statuti, & Opinioni approvate de' Dottori, e perpetuamente durare a beneplacito della Santa Sede Apostolica, derogando per tal effetto, quando mai facesse di bisogno, a qualunque cosa, che potesse fare in contrario, e che, per l' adempimento di questa Nostra volontà, trasmettiate copia del presente Chirografo a tutti i Capi de' Tribunali suddetti, acciò debbano farla conservare nelle loro Cancellarie, e giudicare nella contingenza de' casi secondo l' espresse risoluzioni.*

§. 3. *Volendo in oltre, che il presente Chirografo, colla sola Nostra sottoscrizione, vaglia, & abbia il suo pieno effetto, & esecuzione, benchè non sia registrato nei Libri della Camera, nè in altro modo sia servata la forma della Costituzione di Pio IV.* De registrandis, *alla quale per questa volta deroghiamo, e che contro di esso non si possa opporre di orrezione, surrezione, mancanza della Nostra volontà, & intenzione, o qualsivoglia altro difetto, benchè degno di speciale, & individua menzione, o qualsivoglia altro difetto, nè si possa diversamente interpretare, benchè l' interpretazione provenisse da' Canoni anche Conciliari, Leggi, Costituzioni, Decreti, & Opinio-*

ni approvate, perchè tale è la Nostra volontà, e così vogliamo, con la clausola Sublata, *e Decreto irritante, ed agat altro modo &c.*

BULLA OCTAVA.

De extractione Reorum ad Sacræ Inquisitionis Officium spectantium a Locis immunibus, ad quæ forte confugerint.

Extat hæc Bulla in Tom. III. Bullarii sub num. XL. data die 20. Februarii ann. 1751. Pontificatus vero anno XI.

Epistola Encyclica ad Inquisitores contra Hæreticam pravitatem deputatos.

ELapso proximo Anno MDCCL. edita a Nobis fuit Apostolica Constitutio, data Idibus Martii, cujus initium est, *Officii nostri*, quæque agit de locali Ecclesiarum Immunitate. In ea Nos Decessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Gregorii XIV. Benedicti XIII. & Clem. XII. Constitutionibus inhærentes, sublatis de medio quibusdam cavillationibus, & subterfugiis, quibus earum executio impediebatur, decrevimus, atque statuimus, ut is, qui criminis excepti reus foret, si quando in immunem locum confugeret, extrahi ab eo deberet, quotiescumque indicia ad torturam sufficientia haberentur, quæ delictum comprobarent; utque præterea extractio, nonnisi auctoritate Episcopi, & cum interventu Personæ Ecclesiasticæ ab eodem Episcopo deputandæ fieri deberet; ac demum, ut dum Curiæ Sæculari traditio fieret, indicendæ censuræ essent, ab eadem incurrendæ, nisi extractus Ecclesiæ restitueretur, quoties ab eodem in progressu Caussæ purgata fuissent indicia, ex quibus ipse patrati delicti reus arguebatur. Quia vero memorati Decessores Nostri decreverant, extractionem a loco immuni non nisi a solis Episcopis, aut a Prælatis, qui eisdem Superiores essent, fieri debere, exclusis inferioribus, licet Ordinariis, *ac Nullius Diœcesis*, & separatum Territorium habentibus, quo in casu extractio ad viciniorem Episcopum devolveretur; idem a Nobis pariter in citata Constitutione Nostra decretum fuit.

§. 1. Hæreseos crimen, ut probe compertum habetis, exceptum crimen est, quique illius est reus, asylo Ecclesiæ minime gaudet, iis etiam inhærendo, quæ in Constitutione Gregorii XIV. qua Immunitatis localis regula, ac norma præscribitur, decreta fuerunt. Cum autem in Congregatione Sanctæ Inquisitionis Feria quinta die 28. Januarii vertentis anni 1751. coram Nobis de more habita, excitatum dubium fuisset, quæ ratio servanda, & qui modus adhibendus esset, quoties reus Hæreseos extrahendus esset ab Ecclesia, ad quam confugisset, ne in carcerem duceretur, sive cum ex vinculis, quibus tenebatur, aut ex triremibus, aliove loco, ad quem relegationis, aut operis faciendi caussa damnatus fuerat, fuga evasisset; Nobis, qui præcedenti anno memoratam Constitutionem condidimus, reservavimus, ut super hujusmodi re pronuntiaremus, quod nunc per ea, quæ subjicimus, præstare intendimus.

§. 2. Aut agitur de Hæreseos crimine, quæ præcipua Tribunalis Sancti Officii inspectio est; aut de aliis exceptis criminibus, quæ immunitate non gaudent; aut de aliis criminibus, quæ minime excepta sunt, & quæ immunitate gaudent, sed ideo ad id Tribunal pertinent, quod ab aliquo ex illis commissa sint, qui, utpote ipsius Tribunalis jurisdictioni subjecti, judicium illius subire debent.

§. 3. Si de crimine Hæreseos agitur, cum a Decessore Nostro Joanne XXI. qui XXII. dictus est, in sua Constitutione, cujus initium: *Ex parte vestra*, in Bullario Romano *Tom. I.* jam decretum fuerit, quod Hæretici, aut de Hæresi suspecti, nec non Judæi, qui, cum ad Catholicam Fidem conversi fuerint, deinde in apostasiam incidunt, si ad Ecclesiam confugiunt, statim per Inquisitorem ab eadem extrahi debeant; minime quidem Nostra mens est, ut prædictæ Constitutioni derogemus, immo eamdem observari volumus, eam tamen methodum adhibendo, ac servando, quam modo subjungimus: videlicet, quod Inquisitor, quoties hujusmodi reus ab Ecclesia extrahendus erit, omnem adhibeat curam, ut id majori, qua decet, erga Domum Dei reverentia contingat. Et quoniam fieri omnino nequit, ut ante extractionem, indicia, quæ contra reum habentur, Episcopo communicentur, cum Secreti lex id minime patiatur; & quoniam, ubi etiam id fieri posset, inutile id prorsus esset, cum notum sit, Sacrum Inquisitionis Tribunal ad capturam minime procedere, nisi semiplena delicti probatio præcesserit; non tamen illud omittat, ut vel ante, vel post capturam, Episcopum de ea certiorem faciat, tum propter reverentiam, quæ illius dignitati debetur, tum ut, quantum sui est, id, quod in Constitutionibus Gregorii, Benedicti, Clementis, ac Nostra decretum est, adimpleatur. Quod etiam ea de caussa ita a Nobis decernitur, propterea, quod viderimus, olim in Congregatione Sancti Officii, quæ coram Prædecessore nostro Urbano VIII. *Feria quinta 10. Junii* 1638. habita fuit, proposito casu, ac discusso dubio: *An reus de hæresi inquisitus, confugiens ad Ecclesiam, debeat extrahi ab Episcopo, vel Inquisitore?* Pontifex, *auditis votis, respondit, reum posse extrahi ab Inquisitore, certiorato ante, vel post, Ordinario.*

§. 4. Ubi autem de aliis criminibus exceptis agatur, quæ tamen hæreseos minime sint, ac multo magis si de iis agatur, quæ inter excepta non recensentur, etiamsi ad Sacri Tribunalis cognitionem, vel quia ab aliquo ejusdem jurisdictioni subjecto commissa sint, vel alio quocumque nomine pertineant; declaramus, eos, qui casuum minime exceptorum rei sunt, immunitate gaudere debere; quoties autem casuum exceptorum rei, qui tamen hæreseos rei non sint, ab Ecclesia extrahi debeant, ea omnia exacte observanda esse, tum quæ in Constitutione Nostra, tum quæ in aliis præcedentibus Constitutionibus decreta sunt, indicia nimirum, quæ ad torturam sufficientia sint, Episcopo communicari debere, cum hic Secreti lex minime impedimento sit. Præterea extractionem nonnisi auctoritate Episcopi, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab eodem deputandæ faciendam esse; aliaque omnia servanda, quæ in dictis Constitutionibus leguntur.

§. 5. Quæ hactenus dicta fuerunt, eorum etiam respectu servanda sunt, qui ex carceribus, sive ex triremi, sive ex loco eorum relegationis effugiunt, & in Ecclesiæ alicujus, vel loci immunis asylum sese recipiunt. Si enim hi rei, vel damnati propter hæreseos crimen sunt, eorum extractio ab Inquisitore facienda erit, ita tamen, ut de ea, vel ante, vel post, Episcopus certior fiat; si vero rei aut damnati sint propter aliud delictum exceptum, non autem propter crimen hæreseos, sive pro alio delicto, quod minime exceptum sit: quoad primos, extractio fiat Episcopi auctoritate, & Ecclesiastica persona interveniente, ab eodem Episcopo deputanda; quoad secundos autem, ii in asylo, ad quod confugerent, remanere sinantur, etiamsi ex triremibus cum catenis effugerint, dummodo a prædictarum triremium, aliorumve Justitiæ ministrorum manibus liberi essent; nisi forte Episcopus indultum a Sede Apostolica habeat, ut a triremibus fugitivos extrahere ab Ecclesiis possit, cum in hoc casu, ob fugitivum recuperandum, ad eumdem recurrere liceat, vel etiam ad Apostolicam Sedem, si hujusmodi indulto Episcopus careat; cum ipsa Sancta Sedes in particularibus casibus, quoties id delictum exigat, nequaquam renuat Episcopis auctoritatem impertiri, eos ab Ecclesiis extrahendi, qui e carceribus, ac triremibus effugerint, licet criminis excepti minime rei sint. Hæc Inquisitoribus, quæ significaremus, habuimus, atque interim illorum singulis Apostolicam Benedictionem impertimur.

BULLA NONA.

De Appellationibus, & Inhibitionibus concedendis, vel denegandis.

Extat hæc Bulla in Tom. I. Bullarii sub num. XLVIII. data die 30. Martii 1742. Pontificatus vero anno II.

Hanc ipsam videre potes in Tomo III. hujus Editionis ordine decimam sextam *inter eas, quas de Ordine Sacro collegimus*, col. 1487.

BULLA DECIMA.

Circa immunitatem localem nonnulla dubia declarantur post Constitutiones Benedicti XIII. & Clementis XII. excitata, aliaque opportune statuuntur, & præcipiuntur.

Extat hæc Bulla in Tom. III. Bullarii sub num. XXIX. data fuit die 15. Martii anno 1750. Pontificatus vero anno Decimo.

OFficii Nostri ratio non eam modo sollicitudinem Nobis imponit, ut Sacrorum Canonum Leges, & Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutiones, in quarum interpretatione nihil dubium, aut perplexum occurrit, exactissime servari, & impleri curemus; sed id etiam a Nobis exposcit, ut exorientem circa aliquas ex illis dubiorum segetem, quæ earum debitæ executioni multis modis officere dignoscitur, opportunis editis declarationibus, aut definitionibus, amputare, ac removere studeamus.

§. 1.

§. 1. Sane fel. record. Prædecessor Noster Gregorius Papa XIV. providens Juris Canonici sanctionem præ oculis habens, qua scilicet, sub *Tit. de homicidio voluntario, vel casuali cap. 1.* innovatum fuit vetus præceptum Legis a Deo in Exodo latæ: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur*; per suam Anno Incarnationis Dominicæ MDXCI. nono Kalendas Junii editam Constitutionem, quæ incipit: *Cum alias*, iis, qui proditorie proximum suum occidissent, ad Ecclesias, locaque Sacra, & Religiosa confugientibus, Ecclesiasticam Immunitatem minime suffragari decrevit. Tum vero piæ memoriæ Prædecessor quoque Noster, ac dignitatis Nostræ amplificator Benedictus Papa XIII. Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXV. sexto Idus Junii, edita Constitutione, quæ incipit: *Ex quo Divina*, non eos tantum, qui proditorie, ut præfertur, homicidium patrassent, verum etiam interficientes proximum suum animo præmeditato ac deliberato, ab Ecclesiasticæ immunitatis beneficio exclusit, & repulit. Demum san. mem. proximus Decessor Noster Clemens Papa XII. in sua Constitutione, quæ incipit, *In supremo Justitiæ solio*, Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXXIV. Kalendis Januarii edita, eos etiam, qui homicidium in rixa commisissent, dummodo homicidium non fuisset casuale, vel ad propriam defensionem, immunitatis prædictæ beneficio minime gaudere voluit, atque decrevit.

§. 2. Insuper iidem proxime memorati Prædecessores Benedictus, & Clemens, ad ea, quæ in jure Canonico, & in Gregoriana Constitutione recensebantur, nonnulla alia delicta addiderunt, quæ, si qui commisissent, eos a prædicto beneficio asyli, & confugii apud Ecclesias, ac Loca Sacra, & Religiosa, exclusos fore statuerunt, variasque a Doctoribus, ac dicti Juris, & Constitutionum Apostolicarum Interpretibus, de Immunitate locali agentibus, excitatas quæstiones, & controversias, declarando, ac definiendo sustulerunt, ut ex eorumdem Constitutionum tenore colligere licet, atque etiam ex una e Nostris Institutionibus, quam olim dum Archiepiscopalem Bononiensem Ecclesiam præsentes moderabamur, pro illius Populi curæ Nostræ concrediti instructione, edidimus, quæque impressa extat *Tom II.* Editionis Italicæ *num.* XXI. in Latina vero Editione *num.* LXI.

§. 3. Ad hoc autem, ut Curia aliqua Ecclesiastica, in casu alicujus ex delictis exceptis hujusmodi, ad extractionem delinquentis e loco immuni procedere, eumque ad suos Carceres transferre posset, quum præfatus Benedictus Prædecessor satis esse voluisset, ut super delicti excepti qualitate, ac personæ reitate, ea supperterent indicia, quæ ad capturam decernendam sufficientia reputari solent; ut vero extractum hujusmodi Ministris, & Officialibus Curiæ secularis tradere, & consignare valeret, ea decrevisset indicia ex processu informativo adversus extractum ipsum confecto resultare debere, quæ, justa regulas juris, vocantur *ultra torturam*; alter deinde Prædecessor Clem. XII. ampliando declaravit, ut quoties Ecclesiastico Judici, ex indiciis, non quidem ultra torturam, sed ad torturam tantum sufficientibus, de delicto excepto per extractum commisso constaret, posset idem extractum hujusmodi Curiæ sæculari tradere, & consignare. Ceterum iidem Prædecessores nec auctoritatem Ecclesiasticam ullo pacto per præmissa imminui, nec inde ullam Justitiæ lædendæ occasionem captari posse voluerunt. Siquidem extractiones delinquentium hujusmodi e loco immuni unquam sine auctoritate Episcopi, & interventu Personæ Ecclesiasticæ ab ipso Episcopo deputandæ, fieri posse statuerunt; nec umquam extractos ipsos, prædictis etiam concurrentibus indiciis, Curiæ Sæcularis Officialibus tradi, & consignari, nisi ea lege, sub gravissimarum censurarum pœnis servanda, ut Ecclesiæ, seu Loco immuni restituerentur, quatenus in progressu Causæ iidem extracti indicia hujusmodi purgarent, atque diluerent.

§ 4. Cum autem ea, quæ per Clementem Prædecessorem prædictum, Juris communis, & Gregorianæ, ac Benedictinæ Constitutionum sanctionibus addita fuerunt, ultra fines temporalis Dominii Apostolicæ Sedis minime extenderentur, visum est Nobis, eadem ad alias quoque Regiones, quarum Supremi Principes id postulassent, opportune ampliari posse. Itaque in Concordatis, tam quæ Anno MDCCXLI. cum Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo utriusque Siciliæ Rege Illustri, tum quæ Anno sequenti MDCCXLII. cum alio pariter Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo Emanuele Illustri quoque Sardiniæ Rege sancita fuerunt, præmissas, aliasque in Clementinis Litteris præfatis contentas dispositiones, in eorumdem Regum Dominiis locum habere concessimus; mox etiam ad alia Principum id expetentium Dominia, peculiaribus respective editis Litteris, quarum exemplum videre est in *Tomo I. Bullarii Nostri Constitut.* LXXXVIII. quæ incipit, *Alias feliciis*, extendimus, & amplavimus.

§. 5. Verum, cum tot ista per Prædecessores Nostros prædictos, ac per Nos ipsius adhibita studia, non omnes quæstiones, quæ in Tribunalibus excitari solent, tam super qualitatibus homicidiorum, quæ pro exceptis haberi debeant, quam super modo exequendi præfatas Constitutiones in variis homicidiorum hujusmodi, aliorumque exceptorum delictorum casibus, demandare, seu penitus amovere valuerint; id adhuc operis Nobis relictum esse judicavimus, ut constitutis in hoc rerum genere agendi regulis, ad quas sæpissime tam Ecclesiasticorum, quam Secularium Judicum acta expendere, & exigere necesse est, nequaquam ultra difficultatibus, & dubiis involuntas remanere pateremur. Itaque, omnibus mature pensatis, auditisque nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aliorumque gravium Virorum, Jurisque Canonici peritorum, & in criminalibus Judiciis versatorum consiliis, Motu proprio, ac de Apostolicæ, qua fungimur, auctoritatis plenitudine, Nostram, & Prædecessorum Nostrorum mentem in hunc, qui sequitur, modum declarare, & quædam etiam ex integro, ut infra, statuere decrevimus.

§. 6. Ac primum quidem, cum in memorata Gregorii Prædecessoris Constitutione, quæ incipit, *Cum alias*, dum ea delicta enumerantur, quæ ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio exclusa censeri debent, de Laicis delinquentibus dumtaxat mentio habeatur, deque his etiam tantummodo loquutus fuerit alter Prædecessor Benedictus in supracitata Constitutione, quæ incipit, *Ex quo Divinæ*, placuit laudato Prædecessori Clementi XII. hujusmodi Constitutiones per suam, quæ incipit, *In supremo Justitiæ solio*, ad Ecclesiasticos etiam cujuscumque gradus, & ordinis, homicidium animo præmeditato, ac deliberato patrantes, extendere, & ampliare, ita ut nec ipsi, in hujusmodi casu, Ecclesiastica Immunitate juvari possint; dummodo tamen commissi per eos homicidii causa ab eorum Judice Ecclesiastico competente cognoscatur, ipsique ab eo, si rei reperti fuerint, citra pœnam sanguinis, ad præscriptum Sacrorum Canonum condigna puniantur animadversione.

§. 7. Cum autem dubitatum fuerit, an sub hac Clementis Prædecessoris ampliatione, & extensione Regularium quoque Ordinum Professores, & Alumni comprehendantur; Nos, ad omnem super hoc dubitationem tollendam, decernimus, & declaramus, omnes, & singulos cujuscumque Ordinis, Congregationis, Militiæ, & Instituti Regulares, tam in ipsis expresse Professos, quam illis quomodolibet adscriptos, cujuscumque gradus, & conditionis extiterint, etiamsi ex ipsorum Ordinum Privilegio, seu alias, qualibet expressa, & individua mentio de ipsis, eorumque Ordinibus, ad hoc ut sub præsentis, aut præmissarum Constitutionum censura comprehendantur, habenda foret, si qui umquam, quod Deus avertat, homicidium animo præmeditato, ac deliberato patraverint, a beneficio Immunitatis Ecclesiasticæ, juxta formam earumdem Constitutionum Benedicti, & Clementis, exclusos fore, & censeri.

§. 8. Et quoniam prædictus Clemens Predecessor speciali Decreto edito die 5. Octobris anni MDCCXXXVI. expresse declaravit, Mulieres etiam, quæ aliquod delictum ejusmodi commisissent, quod inter excepta, & ab Immunitatis localis beneficio exclusa, juxta præmissa, haberi debeat, pari jure hac in re cum Viris censeri, & sub dispositione ipsius Litterarum incipien. *In supremo Justitiæ solio*, æque in omnibus comprehendi debere. Nos hujus nostræ Constitutionis tenore declarationem prædictam approbamus, & confirmamus, eique inviolabilis legis, juxta quam in occurrentibus casibus judicari omnino debeat, plenarium robur adjicimus. Decernentes similiter, ac declarantes, sub ejusdem Clementis, nostræque hujus Constitutionis dispositione, etiam Milites, in omnibus, & per omnia comprehensos esse, nec ullum militare privilegium, hac in parte, ipsis suffragari posse, aut debere.

§. 9. Præterea cum in præfata Clementis Decessoris Constitutione ab Immunitatis prædictæ beneficio excludantur omnes, & singuli, tam Laici, quam Ecclesiastici inquisiti, & processati, vel in contumaciam banniti, & condemnati, *ex caussa, & occasione homicidii, etiam in rixa commissi cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem*; sæpe disputari contingit, an is, qui non casu, vel ex propriæ defensionis necessitate, homicidium in rixa commiserit baculo, aut saxo; quæ scilicet vel arma non sunt, vel si ita appellari possent, non tamen arma suapte natura ad occidendum apta reputari solent; ab Immunitatis localis beneficio exclusus haberi debeat. Nos igitur super hujusmodi dubio definiendo decernimus, quemcumque homicidam sive Virum, sive Mulierem, sive Laicum, sive Ecclesiasticum Secularem, aut cujusvis Ordinis Regularem, qui etiam baculo, aut saxo proximum suum occi-

occiderit, Ecclesiastici confugii beneficio minime gaudere, ubi ex delicti circumstantiis dignoscatur, illud actum, quamvis in rixa commissum, non casu, aut ex necessaria defensione, sed ex odio, & nocendi animo, ac voluntate prodiisse. Quæ quidem definitio nostra conformis est Divinæ Legi, quæ habetur in Libro Numerorum *cap. 35.* ubi, designatis Civitatibus refugii pro iis, qui sanguinem proximi nolentes effudissent, ita subjungitur: *Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit, qui percussus est, reus erit homicidii, & ipse morietur. Si lapidem jecerit, & ictus occubuerit, similiter punietur. Si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur. Propinquus occisi homicidam interficiet, statim ut apprehenderit eum, interficiet. Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias, aut, cum esset inimicus, manu percusserit, & ille mortuus fuerit, percussor homicidii reus erit; cognatus occisi, statim ut invenerit eum, jugulabit: quod si fortuito, & absque odio, & inimicitiis quidquam horum fecerit, & hoc, audiente populo, fuerit comprobatum, atque inter percussorem, & propinquum sanguinis quæstio ventilata, liberabitur innocens de ultoris manu, & reducetur per sententiam in Urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec Sacerdos Magnus, qui Oleo Sancto unctus est, moriatur.*

§. 10. Accidit autem in homicidiis id, quod in aliis delictis exceptis locum non habet, ut qui percussus, aut ictus fuerit, non statim moriatur, sed plerumque per aliquot horas, aut dies spiritum trahat. Interim percussor ad Ecclesiam, aliumve locum immunem confugiens, asyli jure gaudet, quo privari non potest, ut homicida, quamdiu percussus ab eo in vivis agit; dumque ex ipso loco immuni de saucii vita sollicite explorare non desinit, si eum diutius victurum intelligit, a capto asylo nequaquam discedit; ubi vero illum ex accepto vulnere vitam amittere agnoscit, arrepta fuga, Magistratuum diligentiam præveniens, tempestive sibi consulit, meritasque pœnas evadit. Quod cum ab iis, qui justitiæ administrandæ propositi sunt, Nobis expositum fuerit persæpe evenire, & quidem non sine magna publicæ tranquillitatis pernicie, ob impunitatis spem, quam facinorosi homines ex hujusmodi evasionis fiducia concipiunt, iidemque postularint, hujusmodi malum opportunis providentiæ nostræ remediis submoveri.

§. 11. Ideo Nos, de prædictorum Fratrum nostrorum, aliorumque prudentium consilio, per præsentes decernimus, ac mandamus, ut percussore ad Ecclesiam, aliumve Sacrum, aut Religiosum locum confugiente, si Chirurgi ad inspiciendum vulnus acciti, *grave vitæ periculum* adesse retulerint, percussor ipse e loco immuni, servatis servandis, extractus, carceribus mancipetur; hac tamen lege, ut Ecclesiæ omnino restituatur, ubi is qui vulneratus fuerit, ultra tempus a legibus constitutum superstes vivat, & quidem sub iisdem pœnis, quibus in memoratis Benedicti, & Clementis Litteris ii subjiciuntur, qui delinquentem ex indiciis ad torturam sufficientibus sibi traditum restituere recusent, postquam in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

§. 12. Quod vero in citata Gregorii Prædecessoris Constitutione circa facultatem demandandi extractionem delinquentium e loco immuni in casibus exceptis statutum fuit, ut scilicet ea ad solos Episcopos, aliosque Episcopis superiores Prælatos pertineat, non vero ad alios Episcopis inferiores, etiamsi alii Ordinarii sint, aut Nullius Diœcesis; ita ut, occurrente casu in loco exempto, & Nullius Diœcesis, tunc negotium hujusmodi ad viciniorem Episcopum devolvatur: id quod ab alio quoque Prædecessore Benedicto in superius allegata ipsius Constitutione confirmatum fuit; id ipsum Nos quidem præsentium Litterarum tenore approbamus, & confirmamus. Sed quoniam nonnullæ ad Nos querelæ super hoc delatæ fuerunt, quod quædam Curiæ Ecclesiasticæ pro parte Officialium Curiæ Sæcularis requisitæ, extractionem delinquentium in casibus exceptis hujusmodi diutius, quam par est, protrahere consueverint: Nos ipsis Venerabilibus Fratribus Episcopis, aliisque Superioribus Ecclesiarum Præsulibus, enixe, studioseque suademus, & respective mandamus, ut omnem querelarum occasionem in hoc rerum genere studeant amovere, & quoties de delinquentibus in casibus exceptis hujusmodi agatur, ad opportuna indicia adversus eos colligenda animum intendere non recusent, sicque ea, quæ juxta præmissa requiruntur, revera suppetere agnoscant, eorumdem delinquentium extractionem a loco immuni quamprimum decernant, ut vel in Episcopalibus carceribus nomine Ecclesiæ detineantur, vel etiam ad Curiæ Laicalis carceres ejusdem Ecclesiæ nomine retinendi, cum debitis cautelis transferantur. Nec enim Ecclesiastici zeli officium in eo statuendum est, ut justitiæ cursus per Apostolicas Constitutiones præscriptus adversus facinorosos homines impediatur; verum in Ecclesiæ immunitate, aliisque omnibus Ecclesiasticorum locorum, & personarum juribus asserendis, & sustinendis, quum ea, contra sacrarum legum præscriptum infringi, ac violari contingat. Quum tamen hujusmodi moras tunc maxime intervenire putemus, cum præfata delicta excepta non in Civitatibus, sed per Diœceses, in locis a Curiæ Ecclesiasticæ residentia remotis, perpetrantur; idcirco Nos per easdem præsentes prædictis Episcopis, aliisque superioribus Prælatis facultatem concedimus, & impertimur, ut, quoties in hujusmodi casibus pro parte Curiæ Laicalis requisiti fuerint, Vicariis suis Foraneis, sive etiam aliis Personis Ecclesiasticis ad id per ipsos Antistites deputandis, committere possint, ut indicia ad extractionem necessaria juridice colligant; ut, his nimirum inspectis iidem Antistites, prout juris erit, ad delinquentium hujusmodi extractionem, quantocius decernendam procedere valeant.

§. 13. Et quidem hæc omnia, quæ per præsentes huc usque declaravimus, definimus, atque statuimus, tam in hac Urbe nostra, & in Bononien. Ferrarien. Beneventana, aliisque omnibus Civitatibus, Terris, & Locis, Nobis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectis, etiam specialem, & individuam mentionem requirentibus, eorumque Curiis Ecclesiasticis, & Sæcularibus, etiam Baronalibus, quam etiam in aliis Regnis, Provinciis, atque Ditionibus, ad quas dictæ Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, sive peculiaribus concessionibus, ut supra, sive per viam *Concordati* extensæ, & ampliatæ fuerunt (quatenus nimirum congruere dignoscantur cum eisdem Concordatis, quibus nulla in re derogare intendimus) locum perpetuo habere, suosque debitos effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis Ditionum, Regnorum, Locorumque hujusmodi tam Ecclesiasticarum, quam Sæcularium Curiarum Judicibus, Magistratibus, Officialibus, & Ministris, aliisque omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, per omnia observari volumus, atque decernimus.

§. 14. Illud etiam, quod in præallegatis Nostrorum Prædecessorum Constitutionibus, sub gravissimarum pœnarum interminatione, districte vetitum fuit, ne scilicet Curiæ Sæculares, eorumque Magistratus, Judices, & Officiales quicumque, ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris, aliquem delinquentem, etiam in casibus exceptis, sine Ecclesiasticæ auctoritatis interventu, capere, extrahere, aut incarcerare, neve ad declarandum, crimina a prædictis admissa esse de exceptis in eorumdem Prædecessorum Constitutionibus (quum id ad solos, ut præfertur, Episcopos pertinere dignoscatur) quoquo modo procedere audeant, seu præsumant; Nos quoque iisdem motu, auctoritate, ac tenore confirmamus, & innovamus, atque ab omnibus, ad quos pertinet, seu pertinebit in posterum, inviolabiliter etiam perpetuo observari præcipimus; contrafacientes quoque, & transgressores, easdem omnes pœnas, quæ in præallegatis Constitutionibus indictæ sunt, omnino incurrere statuimus, atque sancimus. Decernentes, in numero transgressorum hujusmodi eos etiam esse, & censeri, qui, in spretum Ecclesiasticæ auctoritatis, & Canonicarum Sanctionum, præscripto ad Superiores Ecclesiasticos recursu posthabito, Ecclesias, & Loca immunia obsidere præsumunt, ac impediendo, ne ad illos, qui Sacro confugio se tuentur, alimenta deferantur, sive aliter, eosdem in Curiæ Sæcularis potestatem se dedere cogunt; Nos enim eos, qui talia ausi fuerint, sive confugientes hujusmodi de exceptis delictis, sive de aliis non exceptis inquisiti sint, omnes, & singulas pœnas, atque censuras adversus Ecclesiasticæ immunitatis violatores, in jure, ac in prædictis Constitutionibus Apostolicis latas, atque statutas, incurrere decernimus, ac declaramus. Sane hujusmodi artes, atque violentias aliis etiam retro temporibus insectari consuevisse non ignoramus; sed simul etiam ab Ecclesia damnatas semper, atque proscriptas fuisse comperimus; idque satis demonstrant ea, quæ in pluribus Provincialibus Conciliis, labentibus decimotertio, ac decimoquarto Ecclesiæ sæculis, statuta leguntur. (*) Ibi enim, expo-

(*) *Concilium Provinciale Lamberhense hab. anno* 1261. *tom.* 11. *part.* 1. *Labbeana Collectionis Conciliorum col.* 830. *Concil. Exoniense anno* 1287. *tom.* 11. *part.* 2. *dictæ collection. col.* 1281. *tit.* 15. *Concil. Provinciale Nugaroliense anni* 1303. *dicto tom.* 11. *part.* 2. *ejusdem collectionis col.* 1479. *can.* 6. *Concilium Palensinum anni* 1322. *dicto tom.* 11. *part.* 2. *præfatæ collectionis col.* 1697. *cap.* 7. *Concilium Vallisoletanum anni* 1322. *tom.* 3. *collectionis Conciliorum Hispaniarum Cardinalis de Aguirre* (p.563) t.18. n.51. *Concilia Marcianense, & Sylvanectense anni* 1326. *supracitato to.* 11. *par.* 2. *dictæ collectionis Labbeana col.* 1751. *tit.* 11. & *col.* 1770. *cap.* 5. *Concilium Vaurense anno* 1368. *eodem tom.* 11. *part.* 2. *dicta collect. col.* 2012. *tit.* 93.

expositis Ecclesiarum circumsessionibus, interceptione elimentorum, aliisque artibus, quibus ii, qui ad Ecclesias confugerent, ad deditionem adigebantur, quicumque similia attentare præsumpserint, anathematis mucrone feriuntur. Et Nos igitur, qui Ecclesiæ spiritum circa præmissa toties aperte declaratum, atque a Prædecessoribus Nostris constanter servatum, exuere neque possumus, neque volumus, eidem per omnia inhærentes, decernimus, & declaramus, omnes, & singulos, qui sub Ecclesiasticæ Immunitatis tutela degentibus, hujusmodi ratione vim inferre ausi fuerint, præter alias pœnas, atque censuras adversus ejusdem Immunitatis violatores; ut præfertur, latas, atque sancitas, sine alia declaratione incurrendas, omni beneficio, ac privilegio Ecclesiastici confugii, & asyli tam apud Ecclesias, & Loca immunia ab ipsis sic violata, quam apud alias quascumque Ecclesias, & Loca Sacra, & Religiosa, indignos, atque privatos fore, & habendos esse, non secus ac alii omnes, *qui confugientibus vim inferunt, aut ipsos ab Ecclesia, aliave loca immuni violenter extrahunt, & abducunt*; quos scilicet laudatus Pontifex Prædecessor Benedictus XIII. in sua allegata Constitutione, *non illius tantum Ecclesiæ, quam violarunt, sed cujuscumque etiam alterius Ecclesiæ immunitate gaudere nequaquam posse nec debere* declaravit, & quorum Nos numero supradictos etiam jure, & merito accensendos esse decernimus.

§. 15. Denique quum, sicut accepimus, inter temporalis Dominii Nostri, ac nonnullarum finitimarum Ditionum Curias, reciproce quædam consuetudo inoleverit, ut qui certi generis delicta in alterutra ex Ditionibus hujusmodi commiserint, & intra fines alterius se receperint, instante Curia illius Ditionis, in qua delictum commissum fuit, capiantur, eidemque Curiæ tradantur; cumque, sicut etiam Nobis expositum fuit, hujusmodi traditionibus aliquando moram afferri contingat, propterea quod delinquentes hujusmodi, in Terris, ad quas confugerunt, sub Ecclesiæ alicujus, vel alterius loci immunis tutelæ se receperint; Idcirco Nos, Ecclesiasticæ Immunitatis rationes cum recta Justitiæ administratione, & Reipublicæ tranquillitate opportune copulare volentes, decernimus, & mandamus, ut si hujusmodi confugientes delictum aliquod ex iis, quæ in Apostolicis Constitutionibus præfatis excepta sunt, in temporali Romanæ Ecclesiæ dominio patraverint, indicia ad capturam requisita, ab Episcopo Diœcesano, seu respective viciniori illius loci, in quo delictum commissum fuit, excipiantur, seu cumulentur; eaque ad Episcopum alterius loci, in quo delinquens asylum cœpit, sine mora transmittantur, ut hic nimirum, quatenus traditioni præfatæ locus esse debeat, extractionem delinquentis e loco immuni, auctoritate sua, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ, fieri mandet. Eademque ratione, si in præfatis aliorum Principum Ditionibus, in quibus traditionis prædictæ consuetudo viget, ejusmodi delictum commissum fuerit, quod, sive in vim Gregorianæ, aut Benedictinæ Constitutionis, sive ratione *Concordati* cum Apostolica Sede initi, sive extensionis alterius Constitutionis Clementis XII. ab eadem Apostolica Sede specialiter impetratæ, pro excepto haberi debeat; volumus, & statuimus, ut Episcopus ille, ad quem, ratione loci delicti commissi, id pertinere dignoscitur, memorata indicia ad capturam requisita cumulari faciat, eaque transmittat ad Episcopum Ditionis Ecclesiasticæ, intra cujus jurisdictionis fines illius delicti reus asylum delegit, ut hujus scilicet Antistitis auctoritate, aliisque servatis servandis, a confugii loco extrahi, ac si ita res feret, externæ postulanti Curiæ valeat consignari. Volumus tamen, in quolibet ex præmissis casibus, in quibus de delictis, ut supra, exceptis tantummodo agitur, prædictarum Benedicti, & Clementis Constitutionum, seu Concordatorum respective leges, atque tenores, inviolabiliter observari; tum scilicet in eo, ut delinquens Ecclesiæ nomine in carceribus retineatur; tum etiam in eo, ut per Episcopos dumtaxat, privative quoad omnes alios etiam Ecclesiasticos Judices, ex indiciis, ut præfertur, ad torturam sufficientibus, declaretur, an delictum, de quo est quæstio, inter excepta connumerari debeat, nec ne; tum denique in eo, quod pertinet ad obligationem restituendi reum ad formam dictarum Constitutionum, quatenus is in progressu causæ, indicia hujusmodi sibi adversantia purgaverit, atque diluerit.

§. 16. Ipsas demum præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, perpetuæ firmitatis vim, & robur habere, suosque integros, atque plenarios effectus, in locis, atque Ditionibus prædictis, ac respective ubilibet locorum, & gentium, sortiri, & obtinere, eisque ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & quoquo modo pro tempore spectabit in futurum, etiam sub statutis pœnis, atque censuris per contravenientes ipso facto incurrendis, omnino servari; sicque, & non aliter, in præmissis, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Cardinalium hujusmodi Congregationes, & Apostolicæ Sedis Nuntios, nec non Sæculares Curias, & Magistratus, etiam supremos, aliosve quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, & etiam speciali nota, & mentione dignos, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere decernimus, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 17. Non obstantibus præmissis, aliisque quibuslibet Apostolicis Constitutionibus, Regulis, & Ordinationibus, nec non quarumcumque Ecclesiasticarum, aut Sæcularium Curiarum legibus, edictis, stilis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & facultatibus, quibusvis personis, etiam speciali mentione dignis, & quavis quantumcumque sublimi dignitate, & auctoritate fulgentibus, & ex quibusvis etiam gravibus, & urgentissimis caussis, seu quibuscumque Regularium Ordinibus, etiam Mendicantium, & Militaribus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, seu Monachorum, aut Clericorum Regularium Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam Soc. Jesu, aliisque quibusvis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscumque clausulis, & decretis, etiam motu, & potestatis plenitudine similibus, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, formas, & caussas præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, atque etiam insertis, ac respective servatis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, prædictis motu, scientia, & potestatis plenitudine derogamus, & derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque: seu si aliquibus communiter, aut divisim ab hac eadem sit Sede indultum, quod nullo in casu, seu extra certos casus, ceterisque de caussis, excommunicari, suspendi, aut interdici non possint, nisi per Literas ejusdem Sedis, facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

BULLA UNDECIMA.

De non impedienda executione Citationum, Mandatorum, aliarumque Provisionum Romanæ Curiæ, seu Sedis Apostolicæ.

Extat hæc Bulla in Tom. I. Bullarii sub numero XLVII. data die 30. Martii 1742. Pontificatus vero Anno II.

PAstoralis regiminis sollicitudo ex alto Nobis immerentibus commissa exigit, ut non solum curemus novas leges, si quando rerum conditio, aut necessitas postulat, condere; sed etiam, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris provide, ac salubriter constituta sunt, si vel hominum culpa, vel ipsa rerum humanarum fluxa, ac volubili natura in desuetudinem abierunt, in usum revocare, eaque Apostolicæ confirmationis robore communire.

§. 1. Alias siquidem a Congregatione particulari super reformatione Tribunalium Urbis a piæ memoriæ Innocentio XI. Prædecessore Nostro deputata, per ejusdem Prædecessoris Literas, quæ incipiunt: *Decet Romanum*, datas xv. Kalend. Julii Anno Domini MDCLXXXIX. in forma specifica deinde confirmatum, emanavit Decretum tenoris sequentis, videlicet: *Quoniam vero fertur, quod Ministri, & Officiales Civitatum, Oppidorum, & Locorum, in quibus DD. Clerici, & Commissarius Cameræ, aliique Prælati, ratione Episcopatuum, vel Abbatiarum, & Commendarum, & Præfectus Sacr. Palatii Apostolici, exerceant Jurisdictionem temporalem, ac etiam Ministri, & Officiales Baronum, & Domicellorum, & aliorum quorumcumque de facto, quamvis indebite, quandoque præstare audent impedimentum, ne in dictis locis, eorumque Territoriis exequantur per Cursores, & Mandatarios, aliosque Ministros, & Executores Tribunalium Urbis, & alios, quibus demandatum fuerit, citationes, & mandata, aliæque provisiones Judicum, & Tribunalium Romanæ Curiæ, & præsertim Auditoris Cameræ, absque eorum licentia, & beneplacito in scriptis, ut vulgo dicitur,* exequatur. *Ideirco declaratum, & decretum fuit, quod tam citationes verbales, & personales, vel domi, sive in manibus domesticorum, aut per edicta, quam etiam mandata quæcumque, pariter tam in personis, quam in bonis, in quibuscumque caussis civilibus, & criminalibus, libere possint fieri, & exequi absque alia licentia, beneplacito, vel exequatur, aut requisitione Officialium, &*

Mi-

Ministrorum lari; neque dictos Officiales, & Ministros, etiam ipsosmet Cardinales, & Prælatos, & Clericos, & Commissarium Cameræ, ac Barones, & Domicellos, & alios quoscumque, posse in hoc aliquod directum, vel indirectum impedimentum præstare, sub pœnis contentis in Constitutionibus Apostolicis contra usurpantes jurisdictionem Sedis Apostolicæ, vel illam, ejusque liberum exercitium impedientes, aut Curiæ resistentiam facientes, & inadvertenter, ac indebite requisitis de aliqua licentia, vel beneplacito, nullatenus possint, nec debeant, sub eisdem pœnis, apponere Exequatur, vel alias in scriptis apponere manus in ipsis expeditionibus Tribunalium Romanæ Curiæ.

§. 2. Hujusmodi autem tam providum, ac salubre Decretum non modo in nonnullis Ecclesiasticæ nostræ Ditionis Locis numquam observatum fuisse, neque in præsenti observari comperimus; sed insuper, præter eos, qui in eodem Decreto nominati sunt, alios quoque ex multorum fide dignorum relatione, & experientia ipsa, dum in minoribus essemus, Nosmetipsi, non sine animi nostri dolore, & indignatione, cognovimus reperiri, qui debitam citationum, mandatorum, aliarumque provisionum Judicum, & Tribunalium Romanæ Curiæ executionem minime permittere, sibi laudi, atque honori ducunt, nisi prius ipsis exhibita fuerint, & eorum licentia, seu beneplacitum oretenus, vel in scriptis, quod vulgo dicitur, *Exequatur*, fuerit impetratum; quinimmo nonnunquam eo audaciæ, ac temeritatis processerunt, ut etiam impedimentum præstare ausi sint, interdicentes suis Officialibus, ac Ministris, ne eisdem obsequerentur, negarentque eam exhibere commoditatem, opem, atque auxilium, quod pro illis exequendis præbere tenebantur.

§. 3. Et quoniam tanti ausus deformitatem, quo Apostolicæ Sedis dignitas contemnitur, & auctoritas conculcatur, per se ipsi agnoscunt; modo obtegere curant eo prætextu, quod locus eorum regimini, & potestati subjectus ejusmodi potiatur privilegio, ut ex eo caussæ extrahi nequeant, sed in eodem debeant debito fine terminari; modo autem, quod ipsi volunt Partes inter se litigantes ad concordiam adducere, ne substantias suas in rerum minimarum litibus sustinendis insumant.

§. 4. Ut autem hujusmodi malo, quod pessimi exempli, & pravi effectus esse dignoscitur, priusquam magis invalescat, opportuno Pastoralis Providentiæ nostræ remedio occurramus, motu proprio, ac certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium, præfatum Innocentii XI. Prædecessoris nostri Decretum approbamus, confirmamus, & de novo, quatenus opus sit, ferimus, statuimus, ac innovamus, atque illud ab omnibus cujuscumque ordinis, gradus, status, ac dignitatis in perpetuum servari, & custodiri volumus, & mandamus.

§. 5. Præterea decernimus, ac definimus, eodem Decreto omnes, & quoscumque Gubernatores, Rectores, Præsides quorumvis Locorum, Terrarum, Civitatum, ac Statuum, nedum immediate, sed etiam mediate in temporalibus Sedi Apostolicæ subjectos, atque insuper omnes Præfectos, seu Præsides Provinciarum ejusdem Status, quibuslibet suffultos privilegiis, seu facultatibus, etiam Legatorum a Latere; atque insuper Pro-Legatum Avenionensem, atque etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam a Latere nostro Legatos, eorumque Ministros, atque Officiales comprehendi, & comprehensos censere debere.

§. 6. Et quoniam in impedienda executione hujusmodi citationum, mandatorum, aliarumque provisionum Romanæ Curiæ, vel Sedis Apostolicæ, ut plurimum primas partes tenent, aut certe in caussa, & culpa sunt, vel litigantes, vel ii, quorum interest, executiones prædictas impedire, vel alii in caussis, vel rebus, de quibus agitur, nullum interesse habentes; vel Notarii, sive Tabelliones publici, qui acta ad executiones hujusmodi explendas necessaria conficere, & muneris sui partes obire recusant. Nos ad intolerabilem hanc pravitatem prorsus abolendam ex omni parte opportune providere volentes, cupientesque, ut qui Apostolici culminis reverentia, ut par est, non commoventur, pœnarum metu in officio contineantur; motu, & auctoritate simili, hac nostra perpetua Constitutione statuimus, ac definimus, ut omnes, & singulæ personæ tam Sæculares, quam Ecclesiasticæ, & Regulares, cujuscumque dignitatis, status, gradus, & præeminentiæ, seu ordinis, interesse quodcumque in caussis, vel rebus, de quibus agitur, habentes, quæ citationes, & Caussarum commissiones, decretas, vel decernendas, aut quævis alia mandata Romanæ Curiæ, seu rescripta Apostolica justitiam, vel gratiam continentia, quominus juxta illorum tenorem executioni demandentur, per se, vel per alium quovis quæsito colore impedire, aut impediri facere præsumpserint, aut pro illis impediendis ad Sæculares, vel Ecclesiasticos, seu Regulares in quavis dignitate, vel ordine constitutos, seu eorum Officiales publice, vel occulte, per se, vel per alium, quovis quæsito colore recursum habuerint, caussam perdant, & omne jus tam in petitorio, quam possessorio, in re, vel ad rem, de qua agitur, eis competens eo ipso amittant.

§. 7. Aliæ vero personæ, sive Sæculares, sive Ecclesiasticæ, aut Regulares, quæ in caussis, vel rebus hujusmodi nullum interesse habent, executionem citationum hujusmodi, Caussarum commissionum, & aliorum quorumcumque mandatorum, seu rescriptorum, & provisionum Apostolicarum, ut præmittitur, impedientes, aut impedientibus hujusmodi auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte, directe, vel indirecte præstantes, cujuscumque ordinis, gradus, conditionis, vel præeminentiæ existant, si Sæculares fuerint, sententiam excommunicationis, si vero Ecclesiastici, aut Regulares, pœnam suspensionis tam ab exercitio Ordinum, quam cujuscumque Officii, aut Dignitatis ipso facto incurrant, a quibus (excepto quoad excommunicationem mortis articulo) non ab alio, quam a Romano Pontifice pro tempore existente, absolutionis beneficium possint obtinere.

§. 8. Notarii autem, sive Tabelliones publici, qui de executionibus citationum, caussarumque commissionum, & mandatorum, ac provisionum hujusmodi faciendis, aut quo minus fiant, de inhibitionibus requisiti fuerint, & instrumenta publica desuper ad instantiam interesse habentium, seu interesse prætendentium, soluto tamen congruo salario, conficere recusaverint, exercitium officii Tabellionatus amittant, fiantque perpetuo infames, & ad Instrumenta, sive Scripturas publicas in posterum conficiendas inhabiles reddantur, donec ab hujusmodi reatu absolutionem, & infamiæ abstersionem obtinuerint.

§. 9. Non obstantibus Ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, Decretis, & Statutis, etiam Apostolica auctoritate confirmatis, quibusvis privilegiis, indultis, & concessionibus, quacumque possessione, & consuetudine etiam immemorabili, & titulo colorato ex ea resultante, scientia, patientia, & tolerantia quorumcumque Superiorum, etiam Sedis Apostolicæ roborato, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, & excommunicari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem: quod quidem indultum decernimus eis, quacumque auctoritate muniti sint, in hoc aliqualiter suffragari non posse, quominus hujusmodi sententiis, & pœnis subjaceant.

§. 10. Per præsentes autem non intendimus in aliquo derogare privilegiis, gratiis, indultis, a Nobis, aut a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessis nonnullis Locis, Civitatibus, Provinciis, aut Regnis, ut caussæ extra eorum territoria extrahi nequeant, dummodo citationes, caussarumque commissiones, & alia quæcumque mandata, & provisiones Apostolicæ, debitam in iisdem obtineant executionem &c.

BULLA DUODECIMA.

De Appellationibus, & Inhibitionibus concedendis, vel denegandis.

Extat hæc Bulla in Tom. I. Bullarii sub num. XLVIII. data die 30. Martii anni 1742. Pontificatus vero anno II.

AD militantis Ecclesiæ regimen nullo meritorum Nostrorum suffragio, sed imperscrutabilis consilii altitudine evocati, inter graves curas, quas assidue pro Nostro munere sustinemus, postrema illa non est, in quam totis viribus Nobis incumbendum esse ducimus, ut graves nimium, diuturnæ, nulloque umquam tempore intermissæ Episcoporum, aliorumque ordinariam Jurisdictionem habentium querelæ adversus majora Tribunalia, atque illa etiam Nostræ Romanæ Curiæ proposita, tandem compescantur.

§. 1. Intimo siquidem animi Nostri mœrore, cum in Minoribus adhuc essemus, jamdiu intelleximus, plerosque Locorum Ordinarios conqueri, sensim abusum irrepsisse, quod ad malitiosam petentium suggestionem, a Patriarchis, Metropolitanis, Sanctæ Sedis a Latere Legatis, & diversis dictæ Romanæ Curiæ Judicibus, *Inhibitiones* sine delectu causæ, & rei, de qua agitur, examine, passim concedantur. Et quamvis in more positum sit, dictas Inhibitiones indebite expeditas pro causæ meritis revocari, & aboleri; remedium tamen inflicto vulneri non satis esse dicunt, cum interea oporteat Episcopos, aliosque inferiores Judices, in ipso Caussarum, & Judiciorum cursu, otiosos immorari, jus suum judicialiter asserere, & vindicare, & ad continendos

in

in officio populos gravia sæpe incommoda, & dispendia subire.

§. 2. E contrario Nobis quoque, dum etiam in Minoribus essemus, Superiorum Judicum responsiones audire contigit, asserentium, memoratas querelas inanes esse, nec ulli innixas fundamento, utpote ea hac unica re caussam, & originem habentes, quod inferioribus grave est obedientiæ, ac subjectionis jugum erga majora Tribunalia, ipsisque nimis displicet, sibi subditis appellationis beneficio succurri.

§. 3. Porro cum facile hæc dissidia componi, & succrescentia litium semina avelli possint, si quæ a Sacra Tridentina Synodo, ab Apostolicis Constitutionibus, & Congregationum Decretis provide sancita sunt, debitæ executioni mandentur. Nos idcirco ad conservandam Ecclesiæ disciplinam, restituendamque Tribunalibus formam eisdem Canonicis legibus contentaneam, pro credito Nobis Apostolicæ servitutis Officio, opportune duximus consulendum.

§. 4. Inhærentes itaque Decretis ejusdem Sacri Concilii, nec non Congregationis Episcoporum, & Regularium, jussu, & approbatione rec. mem. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris Nostri, alias editis die 16. Octobris MDC. Itemque aliis Congregationis particularis, jussu pariter, & approbatione fel. record. Urbani PP. VIII. similiter Prædecessoris Nostri, promulgatis die 5. Septembris MDCXXVI. eorumque declarationibus nuper superadditis a piæ mem. Benedicto XIII. etiam Prædecessore Nostro, in Appendice Concilii Romani; aliisque Apostolicis Constitutionibus, hac de re editis, & innovatis, & præsertim Constitutioni piæ mem. Gregorii XV. quæ incipit, *Inscrutabili*, sub datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDCXXII. Nonis Februarii.

§. 5. Districte præcipimus, & mandamus, ne deinceps ab exequutione Decretorum dicti Sacr. Concilii Trid. in omnibus illis caussis, & negotiis, in quibus exequutio hujusmodi Episcopis, & Locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicæ Delegatis, ab eodem Sacro Concilio, vel dictis Apostolicis Constitutionibus, *appellatione, vel inhibitione quacumque postposita*, commissa est, appellatio aliqua in Tribunalibus prædictis recipiatur, vel Inhibitiones, Citationes generales, vel speciales, cum Commissione inserta, Monitoria, & alia hujusmodi, per quæ dictorum Decretorum executio retardetur, aut Processus ad ulteriora in eadem executione suspendatur, aut impediatur, quoquo modo concedantur.

§. 6. Itaque a quibuscumque mandatis, prohibitionibus, provisionibus, & statutis, tam in visitatione, quam extra, pro Divino Cultu conservando, & augendo, & præsertim circa ea, quæ observanda, & evitanda sunt in celebratione Missæ, aut alio quovis modo respiciunt executionem Decreti Sacri Concilii *sess. 21. de Ref. cap. 8. & sess. 22. in decret. de observ. & evit. in celebr. Miss.*

§. 7. Item a Decretis cogentibus Clericos tam Sæculares, quam Regulares, etiam Monachos, & exemptos, ad publicas Processiones, servata tamen forma Constitutionis san. mem. Pii V. quæ incipit: *Et si Mendicantium*; prout etiam a Decretis, & provisionibus super præcedentia inter personas Ecclesiasticas, tam Sæculares, quam Regulares in eisdem Processionibus, vel associatione Defunctorum, delatione Umbellæ, & hujusmodi: nec non super observatione censurarum, etiam Episcopalium, & Festorum Diœcesis, juxta dispositionem ejusdem Sacri Concilii *sess. 25. de Regul. cap. 12. & 13.*

§. 8. Item in omnibus iis, quæ ad curam Animarum, & Sacramentorum administrationem quoquo modo pertinent, & præsertim adversus monitiones, censuras, aut alias provisiones, per quas Parochi, aut alii Curam Animarum exercentes, diebus saltem Dominicis, & Festis sollemnibus plebes sibi commissas salutaribus verbis pascere compellantur, docendo ea, quæ ad salutem necessaria sunt, juxta Decretum Sacri Concilii *sess. 5. de Reform. cap. 2.*

§. 9. Item adversus deputationem Vicariorum, etiam perpetuorum, cum assignatione congruæ, per quos Cura Animarum exerceatur, quoties plura Beneficia Curata ex dispensatione Apostolica ab aliquo obtineantur; vel quoties eadem Beneficia Curata Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis, aut piis Locis quibuscumque perpetuo unita, & annexa reperiuntur, juxta præscriptum dicti Sacri Concilii *sess. 7. de Refor. c. 5. & c. 7.* & juxta Constitutionem san. mem. Pii V. quæ incipit: *Ad exequendum*.

§. 10. Item adversus visitationem Beneficiorum Curatorum, ut supra, perpetuo unitorum, nec non quarumcumque Ecclesiarum quomodolibet exemptarum, prout etiam adversus decreta, & provisiones ab Ordinario capiendas, ut quæ in eis reparatione indigent, reparentur, & Cura Animarum, si qua illis imminet, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur, juxta dispositionem Sacri Concilii eadem *sess. 7. de Reform. cap. 8. & sess. 21. cap. 7.*

§. 11. Item a Decretis, seu Mandatis, per quæ Episcopi, etiam uti Apostolicæ Sedis Delegati, in Ecclesiis Parochialibus, aut Baptismalibus, in quibus populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & Cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & Cultum Divinum celebrandum: aut etiam, invitis Rectoribus, procedant ad constitutionem novarum Parochiarum, cum assignatione competentis portionis, ubi ob locorum distantiam, sive difficultatem, Parochiani, sine magno incommodo, ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere non possunt; vel denique propter paupertatem, & in ceteris casibus a jure permissis, deveniat ad uniones perpetuas aliorum Beneficiorum simplicium, non tamen Regularium, juxta dispositionem Sacri Concilii *sess. 21. de Refor. cap. 4. & 5. & sess. 24. similiter de Refor. cap. 13.*

§. 12. Item a deputatione Coadjutorum, aut Vicariorum pro tempore, vel aliis provisionibus ab Episcopo capiendis, etiam tamquam Apostolicæ Sedis Delegato, quando illiterati, & imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores Sacris minus apti sunt Officiis, cum assignatione partis fructuum pro sufficienti illorum victu: nec non a suspensione, atque etiam a privatione illorum, qui turpiter, & scandalose vivunt, & postquam præmoniti sunt, in sua nequitia incorrigibiles perseverant, juxta præscriptum ejusdem Concilii *dict. sess. 21. de Ref. cap. 6.*

§. 13. Item a translatione Beneficiorum simplicium, etiam Jurispatronatus, ex Ecclesiis, quæ vetustate, vel aliis collapsæ sint, & ob earum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in Matrices, aut alias Ecclesias, cum omnibus emolumentis, & oneribus: prout etiam a Decretis cogentibus Patronos, Rectores, Beneficiatos, aut Parochianos, sive Populum ad refectionem, & instaurationem Ecclesiarum Parochialium, servata forma Sacri Concilii *d. sess. 21. cap. 7.*

§. 14. Item a censuris, sequestratione, & subtractione fructuum, aut aliis quibuscumque provisionibus, pro cogendis ad residentiam Parochis, ceterisque omnibus, quibus Cura Animarum incumbit, juxta Decretum ejusdem Sacri Concilii *sess. 23. de Ref. cap. 1.*

§. 15. Item a denegatione, revocatione, suspensione, vel restrictione, & limitatione facultatis audiendi Confessiones, respectu eorum, qui Parochiale Beneficium non obtinent, etiamsi fuerint Regulares, pro excipiendis Confessionibus Sæcularium, juxta ordinationem Sacri Concilii *sess. 23. cap. 15.* & Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, ac præcipue illam fel. record. Clementis X. quæ incipit: *Superna*.

§. 16. Item in illis Civitatibus, aut Locis, ubi vel Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant, vel etiam nullæ sunt Parochiales, a divisione, seu distinctione Parochiarum, earumque ordinatione, sive institutione in titulum perpetuum, juxta Decretum Sacri Conc. *sess. 24. de Ref. cap. 13.*

§. 17. Item a deputatione Vicarii, vel Oeconomi, cum assignatione congrua pro tempore, quo vacat Ecclesia Parochialis: prout etiam ab indictione concursus relatione Examinatorum, nec non prælectione, & provisione Episcopi in eodem concursu, juxta dispositionem Sacri Concilii eadem *sess. 24. de Ref. cap. 18.*

§. 18. Item a Mandatis, seu Decretis inhibentibus prædicationem, vel publicas lectiones, aut coercentibus, vel punientibus quoscumque, etiam exemptos, tam Sæculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint, juxta Decretum Sacri Concilii *sess. 5. de Ref. cap. 2. & sess. 24. similiter de Ref. cap. 3.* & Constitutionem piæ mem. Gregorii XV. quæ incipit, *Inscrutabili* §. *fin.* Una cum declarationibus contentis in Constitutione Clementis Papæ X. quæ incipit: *Superna*.

§. 19. Et generaliter in omnibus iis, quæ pertinent ad Curam Animarum, & rectam Sacramentorum administrationem, adversus visitationem, correctionem, coercitionem, & quascumque alias provisiones Episcopi Diœcesani, etiam quoad exemptos, sive Sæculares, sive Regulares, juxta laudatam Constitutionem Gregorii XV. quæ incipit: *Inscrutabili*.

§. 20. Item adversus quascumque Provisiones, & Decreta pro conservanda, aut restituenda clausura Sanctimonialium, aut pro correctione, seu punitione eorum, qui circa personas intra Monasteria degentes, aut circa clau-

clausuram, vel circa bonorum administrationem deliquerint. Prout etiam ab examine pro approbatione, vel reprobatione Confessariorum, sive Regularium, sive Sæcularium, quomodocumque exemptorum, & tam ordinariorum, quam extraordinariorum, pro excipiendis Confessionibus Monialium, etiam Regularibus subjectarum, iisdemque a Decretis, vel aliis quibuscumque provisionibus cogentibus Administratores, sive Sæculares, sive Regulares quomodolibet exemptos, ad reddendam singulis annis rationem bonorum ad Monasteria Sancti-Monialium hujusmodi pertinentium. Ac demum a quibuscumque Decretis super amotione Cappellanorum, Sacristarum, & aliorum quorumcumque Officialium, & Ministrorum, tam Sæcularium, quam Regularium, ipsis Monialibus, vel eorum Ecclesiis inservientium, juxta dispositionem Sacri Concilii *sess.* 25. *de Regul. & Monial. cap.* 5. 9. & 10. servata tamen, quoad Regulares, & exemptos, forma prædictæ Constitutionis rec. mem. Gregorii XV. quæ incipit: *Inscrutabili*.

§. 21. Item adversus pastoralem Visitationem Diœcesis, & præsertim Monasteriorum Commendatorum, Abbatiarum, Prioratuum, & Præpositurarum, in quibus non viget Regularis Observantia, nec non Beneficiorum, tam Curatorum, quam non Curatorum Sæcularium, & Regularium qualitercumque Commendatorum, etiam exemptorum: prout etiam ab executione eorum, quæ in ipsa Visitatione mandata, decreta, aut judicata fuerint. Nec non similiter a quibuscumque decretis, & provisionibus, etiam extra Visitationem, pro conservatione, vel reparatione Ecclesiasticæ disciplinæ, quoad vitam, mores, & honestatem quorumcumque Clericorum, luxum, comessationes, choreas, lusus, crimina, & sæcularia negotia fugienda, atque evitanda, juxta plura Decreta dicti Sacri Concilii, & præsertim *sess.* 6. *de Ref. cap.* 4. *sess.* 13. *cap.* 1. *sess.* 14. *cap.* 4. *sess.* 21. *cap.* 8. *sess.* 22 *cap.* 1. & *c.* 8. *sess.* 24. *cap.* 10. ad formam tamen Decretorum Sac. Congreg. Episcoporum de mandato san. mem. Clementis VII. editorum Ann. MDC.

§. 22. Item a Decretis cogentibus præsentatos, electos, vel nominatos a quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam Nostris, & Sedis Apostolicæ Nuntiis, ad quævis Ecclesiastica Beneficia ad se subjiciendum examini Ordinarii, antequam instituantur, confirmentur, vel admittantur, quemadmodum cavetur *sess.* 7. *de Reformat. cap.* 13.

§. 23. Item a denegatione Sacrorum Ordinum, vel adscensus ad altos Majores; prout etiam adversus suspensionem ab Ordinibus jam susceptis, ob crimen occultum, sive ex informata conscientia, juxta dispositionem Sacri Concilii *sess.* 14. *de Ref. cap.* 1. & *cap.* 3. & *sess.* 21. *cap.* 1. & *sess.* 23. *cap.* 16.

§. 24. Item a præfixione termini, intra quem Regularis Episcopo non subditus, qui intra claustra Monasterii degat, & extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, a suo Superiore puniri debeat, ac de punitione ipse Episcopus certior fieri, juxta Decretum Sacri Concilii *sess.* 25. *de Regul. cap.* 14. & Constitutionem fel. recor. Clementis PP. VIII. quæ incipit: *Suscepti muneris*. Nec non adversus punitionem, & correctionem eorumdem Regularium, qui circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram ipsam deliquerint, juxta prædictam Constitutionem Gregorii XV. quæ incipit: *Inscrutabili*.

§. 25. Item a censuris, aut aliis provisionibus contra Concubinarios, & præsertim Clericos, etiam retinentes domi, aut extra, mulieres suspectas, juxta præscriptum Sacri Concilii *sess.* 24. *de Ref. Matrim. cap.* 8. & *sess.* 25. *de Ref. cap.* 14.

§. 26. Item adversus privationem Privilegii Fori, & alias provisiones contra Clericos non incedentes in habitu, & tonsura, & in aliis casibus a Sacro Concilio præscriptis *sess.* 14. *de Reform. cap.* 6. & *sess.* 23. *similiter cap.* 6

§. 27. Prout etiam ab examine, approbatione, vel reprobatione Patrimonii Sacri, Pensionis Ecclesiasticæ, aut Beneficii, quoad Clericos promovendos ad Sacros Ordines, juxta dispositionem ejusdem Concilii *sess.* 21. *de Refor. cap.* 2.

§. 28. Item adversus convocationem Capituli, quam faciat Episcopus ad aliquid deliberandum, & juxta vota ipsorum Capitularium concludendum, quoties de re ad ipsum, vel suorum commodum spectante non agatur, juxta Decretum Sacri Concilii *sess.* 25. *de Reformat. cap.* 6.

§. 29. Item a Mandatis, seu Decretis super conversione tertiæ partis fructuum, & quorumcumque proventuum, & obventionum, tam Dignitatum, quam Canonicatuum, personatuum, portionum, & officiorum, in distributiones quotidianas, earumque divisione inter Dignitates obtinentes, & ceteros Divinis interessentes, in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones hujusmodi quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, juxta Constitutionem ejusdem Concilii *sess.* 21. *de Ref. cap.* 3. & *sess.* 22. *similiter de Ref. cap.* 3.

§. 30. Idem adversus exercitium facultatum Episcopis competentium super executione omnium piarum dispositionum, tam in ultimis voluntate, quam inter vivos, in casibus a jure concessis, juxta dispositionem Sacri Concilii *sess.* 22. *de Ref. cap.* 8.

§. 31. Item a visitatione Hospitalium, Collegiorum quorumcumque, & Confraternitatum Laicorum, Eleemosynarum, Montium Pietatis, sive Caritatis, & omnium Piorum Locorum quomodocumque nuncupatorum, etiamsi eorum cura ad Laicos pertineat, aut exemptionis privilegio sint munita. Ac denique a cognitione, & executione eorum omnium, quæ ad Dei Cultum, aut Animarum salutem, seu Pauperes sustentandos instituta sunt, juxta dictum Decretum Sacri Concilii *sess.* 22. *de Ref. cap.* 8.

§. 32. Item a Decretis, seu Mandatis cogentibus Administratores tam Ecclesiasticos, quam Laicos, etiam exemptos, Fabricæ cujusvis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosynæ, Montis Pietatis, & quorumcumque Piorum Locorum, ad reddendam singulis annis ipsi Ordinario rationem suæ administrationis, nisi aliud in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu Fabricæ expresse cautum fuerit, juxta Decreta Sacri Concilii *sess.* 7. *de Ref. cap.* 15. & *sess.* 22. *cap.* 9. & *sess.* 25. *cap.* 8.

§. 33. Item a Decretis compellentibus Notarios, etiam Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creatos, & scribentes in Caussis Ecclesiasticis, vel Spiritualibus, ad se subjiciendum examini; eorumque remotione, vel suspensione in casu delicti, vel imperitiæ, juxta præscriptum Sacri Concilii *dicta sess.* 22. *cap.* 10.

§. 34. Item ab erectione Seminarii, & taxatione quarumcumque Dignitatum, Personarum, Officiorum, Præbendarum, Portionum, Abbatiarum, & Prioratuum cujuscumque Ordinis, etiam Regularis, Hospitalium, quæ dantur in titulum, vel administrationem, & Beneficiorum quorumcumque, etiam Regularium, etiam Jurispatronus, etiam exemptorum, etiam nullius Diœcesis, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis quibusvis Locis Piis, etiam exemptis, annexorum, ac quorumcumque aliorum Ecclesiasticorum redituum, seu proventuum ad Fabricas Ecclesiarum, Confraternitates, & Monasteria omnia, non tamen Mendicantium, pertinentium, nec non decimarum quacumque ratione ad Laicos, atque etiam Milites cujuscumque Militiæ, aut Ordinis, Hierosolymitano excepto, spectantium, pro ejusdem Seminarii manutentione. Prout etiam ab unione, & applicatione aliquot Beneficiorum simplicium; nec non a Decretis cogentibus eos, qui Scholasterias obtinent, vel quibus Lectionis, vel Doctrinæ munus est annexum, ad docendum per se ipsos, vel idoneos substitutos; & generaliter a mandatis, & provisionibus, quæ quoquo modo respiciunt curam, directionem, & administrationem Seminarii, plenamque executionem Decreti editi a Sacro Concilio super Collegio Puerorum in singulis Cathedralibus instituendo, *sess.* 23. *de Refor. cap.* 18.

§. 35. Item a Mandatis, seu Decretis cogentibus Oeconomos, Vicarios Capitulares ad reddendam rationem administrationis per eos gestæ Sede Episcopali vacante, juxta præscriptum Sacri Concilii *sess.* 24. *de Ref. cap.* 16.

§. 36. Item a comminatione excommunicationis jure latæ, & a sententia excommunicationis latæ ab homine, suspensionis, & interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis: & e converso a sententia absolutionis ab eisdem censuris Ecclesiasticis.

§. 37. Et generaliter ab executione aliorum quorumcumque Decretorum dicti Sacri Concilii Trid. Episcopis, atque Ordinariis locorum demandata ab ipso Concilio, & in Constitutione fel. rec. Pii Papæ IV. quæ incipit: *Benedictus Deus*.

§. 38. Volumus, præcipimus, & mandamus, quod ab Archiepiscopis, Patriarchis, seu Primatibus, aliisque Judicibus Ecclesiasticis, etiam Nostris, & Sedis Apostolicæ Nuntiis, vel de Latere Legatis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, atque etiam Cameræ nostræ generali Auditore, Signaturæ Justitiæ Præfecto, ceterisque Judicibus Romanæ Curiæ, eorumque Vicariis, & Officialibus, Citationes generales, vel speciales cum Commissione inserta, Monitoria, & alia hujusmodi cum Inhibitione, per quam executio Decretorum, Mandatorum, & Provisionum hujusmodi retardetur, suspendatur, aut impediatur, minime concedantur, & quatenus nunc, aut imposterum concessa fuerint, nullatenus inhibeant, atque ab Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis impune sperni possint; quæcumque con-

consuetudine etiam immemorabili, vel quovis Privilegio, aut stylo concedendi Inhibitiones in Caussis prædictis, tametsi temporarias, penitus exclusis. Nos enim Citationes, & Monitoria, aliter quam ut præfertur, concessa, vel in posterum concedenda, nulla, atque irrita declaramus, & pro nullis, atque irritis haberi volumus, & mandamus: Decernentes, quod adversus Decreta, Mandata, & Provisiones ejusmodi, quas, vel quæ ab Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis fieri, vel capi contigerit in Caussis, & negotiis prædictis, vel simplex dumtaxat, & extrajudicialis Recursus per viam supplicis libelli, ad Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices, vel respective, & juxta Caussarum naturam, & qualitatem, Appellatio ad quos de Jure, in solo devolutivo, & sine retardatione, vel præjudicio legitimæ exequutionis, recipi, & admitti possit.

§. 39. Quoniam vero in hisce ipsis negotiis, & Caussis, in quibus Inhibitiones Canonicam exequutionem impedientes, aut suspendentes, concedi non debent, dari possunt casus, qui per ipsum Sacrum Conc. Trid. vel juxta ejus mentem, per Apostolicas Constitutiones, & Sacrarum Congregationum declarationes, aut communem Doctorum sententiam, a præfata generali regula de non concedendis Inhibitionibus, eisque posthabendis, excipiuntur, quique ut plurimum non aliter, quam prudenti Judicis arbitrio secundum particulares facti circumstantias æstimari possunt. Hinc Nos, ne sub ejusmodi prætextu, Inhibitiones, ut supra prohibitæ, vulgo, & sine ullo delectu etiam in Casibus non exceptis concedantur: Statuimus, & mandamus, quod in dictis Caussis, & negotiis superius expressis, Metropolitani, Patriarchæ, Primates, aliique Judices prædicti, & præsertim Cameræ nostræ generalis Auditor, ejusque Locumtenentes, & Signaturæ Justitiæ Præfectus, ejusque Auditor, ad quos in contingenti casu pro obtinenda Inhibitione recursum haberi contigerit, etiamsi asseratur, casum illum a Sacro Concilio, vel Apostolicis Constitutionibus, quacumque de Caussa exceptum esse. Nihilominus litteras Citatorias, vel Monitoria cum Inhibitione hujusmodi non concedant, nisi prius ex facti circumstantiis, in supplici libello a Parte recurrente clare, ac dilucide exponendis, & cum aliquo documento semiplene saltem verificandis, eisdem summarie apparuerit, casum illum esse de exceptis, & propterea Episcopo, vel Ordinario Loci inhibendum esse, ne ad ulteriora procedat; tunc enim, & non alias, & postquam ipsi Judices, quorum conscientiam hac in parte oneramus, super dicto supplici libello manu sua rescripserint, quod Inhibitio concedi potest, libellusque cum rescripto ejusmodi in Actis productus fuerit, diligenter ibidem custodiendus, & asservandus, liceat eorum Notariis, sive Actuariis Literas Citatorias cum dicta Inhibitione expedire, & Parti recurrenti tradere, ita tamen, ut in earum calce expresse adjiciatur sequens clausula: *Nos autem, attentis Juribus, & supplici libello Nobis præsentatis, atque in Actis exhibitis, sic ut præfertur, inhibendum esse, speciali Rescripto mandavimus*. Alias litteræ ejusmodi sine tali clausula nullam vim inhibendi habeant in casibus prædictis.

§. 40. Et nihilominus si Notarii, sine dicto speciali Rescripto super supplici libello, aut sine productione illius in Actis, aut sine prædicta clausula, Citationes ullas, aut Monitoria cum inhibitione, sub quocumque prætextu, seu colore, expedire, ac tradere præsumpserint, etiamsi illæ, aut illa a Judice subscripta fuerint, pœnam infamiæ, & perpetuæ inhabilitatis, ad Officium Notarii in Caussis Ecclesiasticis exercendum, & quoad illos Cameræ Nostræ generalis Auditoris, aut aliorum Romanæ Curiæ Judicum superius expressorum, etiam quinquaginta ducatorum auri de Camera, pro una medietate Cameræ Nostræ Apostolicæ, & pro alia ipsi Parti recurrenti, & in caussa interesse habenti, sin minus alicui ex Locis Piis, arbitrio Nostro, Nostrorumque Successorum destinando, applicandam, ipso facto incurrant.

§. 41. Ad hæc, similiter inhærentes dispositioni ejusdem Sacri Concilii *sess. 7. de Ref. cap. 14. & sess 14. c. 5.* necnon etiam decreto piæ mem. Benedicti XIII. hac in re promulgato inter ejus additiones ad decreta Urbani Papæ VIII. in appendice ad Concilium Romanum, volumus, & mandamus, quod Clerici Sæculares, aut Regulares extra Monasterium degentes, quomodolibet exempti, in Civilibus Caussis Mercedum, & miserabilium Personarum, etiamsi certum Judicem a Sede Apostolica deputatum in partibus habeant: In aliis vero, si ipsum Judicem non habuerint, coram Locorum Ordinariis, tamquam ab ipsa Sede delegatis, conveniri in prima instantia, & Jure medio ad solvendum debitum cogi possint.

§. 42. Quo vero ad Personas non exemptas, inhærendo similiter dispositioni ejusdem Sacri Concilii *sess. 13. de Ref. cap. 1. & sess. 22, cap. 7. & sess. 24. cap. 20.* nec non supradictis Decretis generalibus Congregationis Episcoporum editis anno MDC. cum novissimis additionibus, seu declarationibus piæ mem. Benedicti XIII. in Appendice Concilii Romani; Volumus, statuimus, & mandamus, quod Caussæ omnes, tam Civiles, quam Criminales, ad Forum Ecclesiasticum pertinentes, exceptis Privilegiatis, quæ ex eodem Concilio, vel alias juxta Canonicas Sanctiones apud Nos, & Sedem Apostolicam tractari possunt, aut debent, coram Ordinariis Locorum dumtaxat, in prima instantia cognoscantur, neque a Metropolitanis, Patriarchis, aut Primatibus, aliisque Judicibus Ecclesiasticis, etiam Nostris, & Sedis Apostolicæ Nuntiis, vel de Latere Legatis, aut Cameræ Nostræ generali Auditore, & ceteris quibuslibet Curiæ nostræ Judicibus ad se avocari, vel aliis committi possint; nisi per viam legitimæ appellationis, & in casibus ut supra non prohibitis, ad ipsorum Tribunalia deferantur.

§. 43. Appellationes autem non recipiantur, neque Inhibitiones vigore illarum concedantur, nisi prius constiterit, quod nedum per legitimam personam, & intra legitima tempora vere appellatum fuerit; sed etiam, quod appellatum fuerit a sententia definitiva, vel habente vim definitivæ, aut a gravamine, quod per definitivam sententiam reparari non possit: idque per publica Documenta, quæ realiter in Actis exhibeantur. Tunc enim, & non antes, Judici, ad quem appellatum fuerit, in Caussa se intromittere, citationes, & inhibitiones concedere liceat; dummodo tamen concedantur cum inscriptione tenoris Sententiæ, aut Decreti definitivi, seu vim definitivæ habentis, vel damnum per definitivam irreparabile inferentis. Alias citationes, inhibitiones, processus, & inde sequuta quæcumque, sint ipso jure nulla, atque impune sperni possint.

§. 44. Quod si Appellans asserat, Sententiæ, aut Decreti exemplum authenticum, culpa Judicis *a quo*, vel Notarii, sive Actuarii, habere non posse, tunc saltem copiam simplicem Sententiæ, seu Decreti, in Actis producere teneatur, ejusque tenori, in litteris inhibitorialibus inserto adjicienda erit, prout adjici volumus, & mandamus, in earum corpore expressa conditio: *Quatenus tamen tenor insertus vere, & in substantialibus cum originali concordet, eodemque originali præsentes litteræ sint in tempore posteriores, alioquin nullæ, & irritæ censeantur*. Et si secus factum fuerit, inhibitiones aliter concessæ nullatenus afficiant, & Notarii, sive Actuarii, qui illas expediverint, incidant in pœnas superius expressas.

§. 45. Cum vero a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, appellatum fuerit, siquidem res sit de carceratione jam sequuta cum Mandato verbali, non aliter expediri poterunt inhibitiones vigore appellationis, quam constito prius de ipsa carceratione per depositionem saltem duorum testium. Interim tamen appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, donec aliter serv. serv. judicatum fuerit. Ubi vero agatur de censuris jam prolatis, vel de comminatione carcerationis, torturæ, aut censurarum, observetur omnino dispositio dictorum Decretorum Congregationis Episcoporum sub rec. mem. Clemente VIII. juxta additiones, & declarationes piæ mem. Benedicti XIII.

§. 46. Ulterius in prædictis caussis in prima instantia pendentibus, vel aliis superius expressis, in quibus non admittitur appellatio in suspensivo, citationes, quæ expediri solent coram Cardinali Signaturæ Justitiæ Præfecto, vel ob effectum comparendi, vel pro adeundo eamdem Signaturam, tametsi ab ejus Auditore subscriptas, vim inhibendi nullatenus sortiri posse volumus, easque ad prædictos alios dumtaxat effectus, comparendi scilicet, vel adeundi Signaturam, expeditas censeri, non autem ad retardandum executionem, vel suspendendum processum ad ulteriora.

§. 47. Denique quoad Caussas privilegiatas, quæ ut præfertur, in prima etiam instantia apud Nos, & Sedem Apostolicam tractari possunt, nihil ex antiquo mutandum esse volumus; sed monitoria in illis coram Cameræ Nostræ generali Auditore, vel ejus Locumtenentibus, prout hactenus laudabiliter observatum est, expedienda esse, juxta præscriptum Apostolicarum Constitutionum, & præsertim fel. rec. Pauli V. Prædecessoris Nostri in Constitutione, quæ incipit, *Universi*; nec non prædictarum additionum, & declarationum Benedicti XIII. exceptis tamen Monitoriis intimandis ultra montes, in quibus ad evitanda scandala, & litigantium incommoda, volumus omnino renovari, & servari stylum, qui olim in eo Tribunali vigebat, id est, quod ad ejusmodi Monitoriorum expeditionem non aliter procedatur, quam oblato prius ipsi Auditori, vel aliter, alteri ex ejus Locumtenentibus, coram quo Monitorium expediendum erit, supplici libello universam facti speciem clare,

& di-

& dilucide continentes, & prævio etiam ejusdem Judicis rescripto, quod Monitorium expediri possit, penes Caussæ Notarium, vel Actuarium diligenter custodiendo. Et si aliter, quam præfertur, & absque dicto supplici libello, ac speciali Judicis rescripto, dicta Monitoria ultra montes intimanda expedita fuerint, Notarius, sive Auctarius, & Substitutus, qui illa expedivetit, ipso facto incidat in pœnas superius expressas.

§. 48. Omnia, & singula hactenus a Nobis disposita ad rectam judiciorum methodum restituendam, eo impensius ab omnibus exacte custodiri, & observari mandamus, quo clarius constat, hac nostra Constitutione non novas ferri, sed antiquas instaurari leges, provide, sapienterque institutas, & temporum injuria, ac hominum fraude obsoletas, & novo Pontificiæ auctoritatis præsidio communiri ordinem procedendi in Caussis, jamdiu præscriptum superioribus, inferioribus Tribunalibus a Sacra Tridentina Synodo, Congregationum Decretis, & Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, aliisque Ordinationibus Apostolicis. Ideoque si ipsi Judices, omni semoto, ut par est, humanæ cupiditatis affectu, præ oculis solum habuerint, quæ tam maturo, tamque salubertimo sunt constituta, & ordinata consilio, facile eorum quilibet agnoscet, quæ sui, & quæ alieni Ministerii partes esse debeant in admittendis, ac respective rejiciendis Caussarum Appellationibus, & Inhibitionibus. Atque ita fiet, ut non solum unicuique in suo ordine debita Jurisdictionis, & auctoritatis prærogativa servetur; sed etiam ut, extinctis prorsus, ac radicitus avulsis omnium contentionum, & discordiarum seminibus, mutuo caritatis vinculo Tribunalia socientur, & inter illa recte agendi disciplina Christiano Populo utilis, & necessaria restituatur.

§. 49. Demum ut, exemplo Nostro, omnes præmissorum executioni caute, & pro viribus incumbant, & ut præsertim Notariis, Tabellionibus, & eorum Actuariis, & Substitutis omnis contraveniendi ansa præcidatur, volumus, & expresse mandamus, Processus, & Acta Caussarum in Nostra Romana Curia coram quovis Judice pendentium, ac Inhibitiones, Appellationes, Monitoria, aliasque Citatoriales, & Inhibitoriales litteras, quas ab iisdem Notariis, eorumque Substitutis, scientibus, vel insciis Judicibus, vel alias quomodolibet in posterum expediri contigerit, sedulo cognosci, & examinari per fide dignas Personas a Nobis opportune deputandas, quæ si deprehenderint, easdem Inhibitiones contra hujus Constitutionis formam, & ad subterfugienda Ordinariorum, & Episcoporum judicia, quæsito gravaminis colore, fuisse perperam concessas, & expeditas, in eosdem Notarios, & Substitutos Canonicis pœnis, aliisque a Nobis supra expressis, severe pro modo culpæ animadvertant.

§. 50. Decernentes has præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; sicque, & non aliter, in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caussarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & ejusdem Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 51. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac usibus, & stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, præfatis, aliisque quibuslibet Judicibus, Curiis, Tribunalibus, & Personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissima mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque &c.

DE MUTUO, ET USURA

BULLA DECIMATERTIA.

Fructus Censuum, Cambiorum, &c. a Communitatibus Ditionis Ecclesiasticæ contractorum, ad æquitatis rationem reducuntur.

Extat hæc Bulla in Tomo I. Bullarii sub n. CXXXIX. data die 7. Septembris anno Pontificatus vero anno Sexto.

Ci è stato riferito da Persone degne di tutta fede, che alcuni de' nostri Sudditi nelle gravi angustie, in cui si sono trovate le Comunità del nostro Stato Ecclesiastico per l'ultimo passaggio, ed accantonamento delle Truppe straniere, che incominciò l'anno 1742. scordati affatto dell'obbligo, che a ciascuno impone la natura medesima, in vece di sollevare, e soccorrere a tutto lor potere la Patria, ed il Principato, tratti e trasportati dall'ingordigia di vil guadagno, non hanno avuto rossore di opprimere, ed aggravare maggiormente le Comunità di esso nostro Stato con usure esorbitanti di cinque, sei, sette, ed ancora otto, e nove per cento, abusando dell'estremo bisogno, in cui quelle erano de trovar danaro. Anzi taluno di essi nostri Sudditi, rivolgendo la comune e pubblica calamità in privato e vergognoso mercimonio, aver presa da altri danaro a minore interesse, per poi darlo alle suddette Comunità a più gravi, e maggiore usure.

§. 1. Quindi è, che volendo Noi da un canto comprimere la soverchia avidità de costoro, e dall'altro sgravare per quanto ci è possibile le suddette Comunità del riferito ingiusto peso: Seguendo l'esempio di parecchi altri Principi, e specialmente di Clemente VIII. e del Vener. Servo di Dio Innocenzo XI. nostri gloriosi Predecessori, i quali per via di legge generale ridussero i frutti de' Censi imposti similmente dalle Comunità, e respettivamente delle Doti, e Compagnie d'Uffizio a quella moderata ragione, che correva comunemente ne' tempi loro. Col parere, e consiglio d'una Congregazione particolare di quattro Cardinali, e sei Prelati, tenuta di nostro ordine li 30. dello scaduto Agosto sopra il riparto delle spese fatte, e debiti contratti per causa di detto passaggio, ed accantonamento dalle predette Comunità: di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra Sovrana Podestà, ordiniamo, e comandiamo, che tutti e singoli Censi creati, ed imposti, oppur anche Cambj, ed altri debiti fruttiferi passivamente contratti dal giorno, e tempo, che entrarono le Truppe Estere dentro i confini del nostro Stato Ecclesiastico, da qualunque Comunità, e Università di esso Stato, compresevi anche le quattro Legazioni di Bologna, Ferrara, Romagna, ed Urbino, come pure tutti i Luoghi Baronali, (eccettuando solamente la Legazione d'Avignone, e il Ducato di Benevento) oppure da Persone private, ad intuito però e contemplazione, e con promessa di rivelazione di esse Comunità, sopra qualunque sorte di Beni, tanto Urbani, che Rustici in qualsisia Provincia, Città, Terra, Castello, Territorio, e Luogo del medesimo Stato, di qualunque prezzo, valore, qualità, quantità, e denominazione, con qualsivoglia obligo, eziandio giurato, di Guarentiglia, o Camerale, in favore di Persone del medesimo nostro Stato, e soggetto al nostro temporal Dominio, sieno, e s'intendano dal giorno d'oggi in poi creati, imposti, e contratti alla sola ragione di scudi quattro per cento, e non più, come Noi in virtù della presente Cedola di nostro Moto proprio da ora in poi li riduciamo, e moderiamo: Salva però sempre alle medesime Comunità la facoltà di ricomprare li medesimi Censi, come anche con espressa dichiarazione, che rispetto a gli altri Censi, e Cambj, che sono stati imposti, o contratti a meno del quattro per cento, non s'intenda per questo fatta alcuna mutazione, o innovazione.

§. 2. In sequela di che vogliamo, e dichiariamo, che le Comunità, e Università suddette Debitrici di dette Persone soggette al nostro temporal Dominio per causa di detti Censi, o Cambj, o altri debiti fruttiferi da esse Comunità, o da altri per loro eziandio obbligati come principali, principalmente, ed in solido, o in altro qualunque modo eziandio in forma della nostra Camera Apostolica, per qualunque Scrittura publica, o privata, e con qualsivoglia licenza, e facoltà contratti, non siano tenuti ed obbligati, nè possino essere forzati, e costretti per i frutti da decorrere da oggi in avvenire, che alla sola ragione di

scudi

scudi quattro per ogni centinajo, ed anno, ancorchè li creditori siano Persone constituite in qualonque dignità Ecclesiastica, e Secolare, Privilegiate, e Privilegiatissime, cosicchè per la loro Dignità, e altro qualunque titolo, fosse bisogno per comprenderle di speciale ed individua menzione; E molto più se fossero (lo che Noi però non vogliamo credere) Chiese, Monasterj, o Luoghi Pii, Cavalieri di qualunque Ordine Militare, anche Gerosolimitani, Compagnia di Gesù, e Monaci delle undici Congregazioni, e altri Regolari, rispetto a' quali li suddetti Contratti sarebbero anche più ingiusti, e vergognosi. Che perciò vogliamo ed ordiniamo, che niuno affatto di tali Creditori, che abbia dato, come sopra, danaro ad alcuna di dette Comunità del nostro Stato, e direttamente, o indirettamente sotto il proprio, o anche sotto nome altrui, a maggior interesse del quattro per cento, resti escluso, ed esente da questa nostra riduzione, e moderazione, per essere così mente, e precisa volontà Nostra.

§. 3. E che così da qualunque Giudice Ordinario, e Delegato, etiandio Uditor Generale della nostra Camera, Uditore di Rota, Chierici di Camera, e Cardinali etiandio Legati a Latere, debba giudicarsi, definirsi, tolta ad essi, e a ciascuno di loro facoltà, ed autorità di giudicare, e decretare altrimente, dichiarando Noi per nullo, irrito, e di niun valore tutto ciò, che da qualsivoglia con qualunque autorità, scientemente, o ignorantemente sarò giudicato, fatto, e attentato contro questa Nostra volontà, e disposizione.

§. 4. Non ostante qualsisia Costituzione, ed Ordinazione Apostolica, Statuto, Consuetudine, Legge, e Natura di qualunque Provincia, Città, Terra, Castello, e Luogo, ancorchè munito con giuramento, e confermati dalla Santa Sede, Legati de Latere, e Governatori, obbligazioni fatte in qualsivoglia forma, etiandio della Camera Apostolica, Sigurtà, Rinunzie, e Giuramenti, Privilegj, ed Indulti, e particolarmente quelli di non essere compresi sotto qualunque Legge, e Costituzione, se non essendo specialmente nominate, Regola de Jure quæsito non tollendo, *e altra qualunque Regola della nostra Cancelleria, ed oltre quali si vogliono, Lettere Apostoliche sì Nostre, che de' Nostri Predecessori sotto qualsisia tenore, e forma, e con qualsivoglia clausole derogatorie, di derogatorie, e Decreti irritanti concesse, e pubblicate, anche per via di Legge universale, e anche più volte confermate, ed innovate, in favore di qualunque Chiesa, Collegio, Ordine, Ospedale, Luogo Pio, Congregazione, Università, Città, e Luogo, e Persone di qualunque Preminenza, e Dignità: Alli quali tutti, e singoli, avendone qui il loro tenore per espresso, e di parola in parola registrate, ed inserte, per quanto però siano direttamente, o indirettamente contrarj a questa Nostra riduzione, ed all' esecuzione di questa Nostra determinata volontà, e non altrimente &c. in amplissima forma deroghiamo.*

BULLA DECIMAQUARTA.

De Usuris, aliisque injustis quæstibus.

Extat hæc Bulla in Tom. I. Bullarii sub num. CXLIII. data die 1. Novembris anno 1745. Pontificatus vero anno VI.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis Italiæ.

Vix pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe, an quidam contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam disseminari sententias, quæ sanæ doctrinæ haud consentaneæ viderentur; cum statim nostri Apostolici muneris partem esse duximus, opportunum afferre remedium, ne malum ejusmodi, temporis diuturnitate, ac silentio, vires magis acquireret; aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, & incolumes adhuc Italiæ Civitates labefactaret.

§. 1. Quapropter eam rationem, consiliumque suscepimus, quo Sedes Apostolica semper uti consuevit. Quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui Sacræ Theologiæ scientia, & Canonicæ disciplinæ studio ac peritia plurimum commendantur. Accivimus etiam plures Regulares in utraque Facultate præstantes; quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis Regularibus selegimus; Præsulem quoque juris utriusque laurea præditum, & in Foro diu versatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Julii, qui nuper præteriit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum, perspectumque deprehendimus.

§. 2. Post hæc Præcepimus, ut omni partium studio, omnique cupiditate soluti, rem totam accurate perpenderent, suasque opiniones scripto exararent; non tamen expetivimus ab ipsis, ut judicium ferrent de contractu, qui controversiæ caussam initio præbuerat, cum plura documenta non suppeterent, quæ necessario ad id requirebantur; sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus spargi cœperunt. Jussa fecerunt universi; nam suas sententias palam declararunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habita est die 18. Julii, altera vero die prima Augusti, qui menses nuper elapsi sunt, ac demum easdem sententias Congregationis Secretario scriptas tradiderunt.

§. 3. Porro hæc unanimi consensu probaverunt.

I. Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem, & locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum, ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum, & usurarium est.

II. Neque vero ad istam labem purgandam, ullum arcessiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens, & nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius caussa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quæ necessario in dati, atque redditi æqualitate versatur, agere ille convincitur, quisquis, eadem æqualitate semel posita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipsius, cui per æquale jam satis est factum, exigere adhuc non veretur; proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius, ex ejus obligatione Justitiæ, quam commutativam appellant, & cujus est, in humanis contractibus æqualitatem cujusque propriam, & sancte servare, & non servatam exacte reparare.

III. Per hæc autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut ajunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturæ mutui minime innatos, & intrinsecos, forte concurrere, ex quibus justa omnino, legitimaque caussa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversæ prorsus naturæ a mutui natura contractus, recte collocari, & impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam, & negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.

IV. Quemadmodum vero in tot ejusmodi diversis contractuum generibus, si sua cujusque non servatur æqualitas, quidquid plus justo recipitur, si minus ad usuram, (eo quod omne mutuum tam apertum, quam palliatum absit), at certe ad aliam veram injustitiam, restituendi onus pariter afferentem, spectare compertum est. Ita si rite omnia peragantur, & ad Justitiæ libram exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus, & ratio suppetat humana commercia, & fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conservandi, ac frequentandi. Absit enim a Christianorum animis, ut per usuras, aut similes alienas injurias, florere posse lucrosa commercia existiment; cum contra ex ipso Oraculo Divino discamus, quod *Justitia elevat gentem, miseros autem facit Populos peccatum*.

V. Sed illud diligenter animadvertendum est, falso sibi quemquam, & nonnisi temere persuasurum, reperiri semper, ac præsto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum, vel contractuum præsidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram, salvamque, recipere. Ita si quis senserit, non modo Divinis Documentis, & Catholicæ Ecclesiæ de Usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adversabitur. Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo, simplici, ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim Christo Domino edocente: *Volenti mutuari a te, ne avertaris*, & quod similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, justoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suæ conscientiæ consultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, vere ne cum mutuo justus alius titulus; vere ne justus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio,

quod

quod quærit lucrum, omnis labis expers, & immune reddatur.

§. 4. His verbis complectuntur, & explicant sententias suas Cardinales, ac Theologi, & Viri Canonum peritissimi, quorum consilium in hoc gravissimo negotio postulavimus. Nos quoque privatum studium nostrum conferre in eamdem caussam non prætermisimus, antequam Congregationes haberentur, & quo tempore habebantur, & ipsis etiam peractis. Nam præstantium Virorum suffragia, quæ modo commemoravimus, diligentissima percurrimus. Cum hæc ita sint, adprobamus, & confirmamus quæcumque in sententiis superius expositis continentur; cum Scriptores plane omnes, Theologiæ, & Canonum Professores, plura Sacrarum Litterarum testimonia, Pontificum Decessorum Nostrorum Decreta, Conciliorum, & Patrum auctoritas, ad easdem sententias comprobandas pene conspirare videantur. Insuper apertissime cognovimus Auctores, quibus contrariæ sententiæ referri debent, & eos pariter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis ansam, seu occasionem præbere videntur. Neque ignoramus quanta sapientia, & gravitate defensionem veritatis susceperint Theologi finitimi illis Regionibus, ubi controversiæ ejusmodi principium habuerunt.

§. 5. Quare has litteras Encyclicas dedimus universis Italiæ Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis, ut hæc Tibi, Venerabilis Frater, & ceteris omnibus innotescerent, & quoties Synodos celebrare, ad Populum verba facere, eumque sacris doctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis sententiis, quas superius recensuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris Diœcesibus audeat Litteris, aut Sermonibus contrarium docere. Si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium, & subjectum declaramus pœnis per Sacros Canones in eos propositis, qui mandata Apostolica contempserint, ac violaverint.

§ 6. De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in præsentia statuimus. Nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum Interpretes in diversas abeunt sententias. Attamen pietatis vestræ studium ad Religionem inflammandam existimamus, ut hæc, quæ subjicimus, executioni demandetis.

§. 7. Primum gravissimis verbis Populis vestris ostendite, usuræ labem, ac vitium a Divinis Litteris vehementer improbari. Illud quidem varias formas, atque species induere, ut Fideles Christi Sanguine restitutos in libertatem, & gratiam, rursus in extremam ruinam præcipites impellat. Quocirca si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, sed potius ab illis, qui doctrinæ, ac virtutis gloria supra ceteros efferuntur, consilium exposcant.

§. 8. Secundo loco, qui viribus suis, ac sapientiæ ita confidunt, ut responsum ferre de iis quæstionibus non dubitent, (quæ tamen haud exiguam Sacræ Theologiæ, & Canonum scientiam requirunt,) ab extremis, quæ semper vitiosa sunt, longe se abstineant. Etenim aliqui tanta severitate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent tamquam illicitam, & cum usura conjunctam. Contra vero nonnulli indulgentes adeo, remissique sunt, ut quodcumque emolumentum ab usuræ turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant; sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter ceteros prædicantur. Deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligunt. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam sententiam sequuntur, neque illam gravibus Censuris notandam asserant, si præsertim ratione, & præstantium Virorum testimoniis minime careat. Siquidem convicia, atque injuriæ vinculum Christianæ caritatis infringunt, & gravissimam Populo offensionem, & scandalum præseferunt.

§. 9. Tertio loco, qui ab omni usuræ labe se immunes, & integros præstare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituendum antea declarent, & conditiones inferendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia postulent. Hæc magnopere conferunt non modo ad animi sollicitudinem, & scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in Foro externo comprobandum. Hæc etiam aditum intercludunt disputationibus, quæ non semel concitandæ sunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quæ rite data alteri esse videtur, revera tamen palliatam usuram contineat.

§. 10. Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum sermonibus, qui dictitant, de usuris hoc tempore quæstionem institui, quæ solo nomine contineatur; cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falsum id sit, & a veritate alienum plane deprehendimus, si perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam, & sejunctam esse. Et ea pariter discrepare magnopere inter se, quæ a diversis inter se contractibus consequantur. Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque Foro retineri, ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque Fori utriusque judicio restituendus decernitur. Constat igitur haud inanem de usuris quæstionem hoc tempore proponi ob eam caussam, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

§. 11. Hæc potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore, ut mandetis executioni quæcumque per has Litteras a Nobis præscribuntur. Opportunis quoque remediis consuletis, uti confidimus, si forte ob hanc novam de usuris controversiam in Diœcesi vestra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefactandum sanæ doctrinæ candorem, & puritatem inducantur. Postremo Vobis, & Gregi curæ vestræ concredito, Apostolicam Benedictionem impertimur.

DE CONTRACTIBUS.

BULLA DECIMAQUINTA.

De renovationibus Investiturarum, & aliarum concessionum Bonorum directi Dominii Cameræ Apostolicæ.

Extat hæc Bulla in Tom. I. Bullarii sub numero L. data die 12. Junii anni 1748. Pontificatus vero Anno VIII.

CONcreditum Nobis Apostolicæ Sedis patrimonium non solum pro viribus utiliter administrare, sed etiam nulla, sive amplitudinis, sive juris sui parte imminutum servare volentes; via fieri posse intelligimus, ut Nobismetipsis constent administrationis Nostræ rationes, nisi certo provisum extiterit, ut facultas disponendi de Bonis, Dominiis, Proprietatibus, & Juribus ipsius Sedis, & Cameræ Apostolicæ, quæ ad Nos dumtaxat, & ad Romanum pro tempore Pontificem, Supremi Principis jure, pertinet, ab aliis quibuscumque, præter Nostram, & Successorum Nostrorum scientiam, mentem, & voluntatem exerceri minime valeat. Idcirco perpendentes, quam amplis facultatibus, vel expresse, vel implicite ab Apostolica Sede instructi, vel etiam ex usu, & consuetudine uti consueverint Venerabiles Fratres Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui per temporalem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ditionem, ad Bononiæ, Ferrariæ, Æmiliæ, & Urbini Legationes regendas, & gubernandas, Legati de Pontificis Latere mitti, eorumque exemplo etiam Prælati Præsidentes, qui ad aliquas ex prælatis Provinciis cum facultatibus Legatorum a Latere regendas pariter, & gubernandas aliquando deputari solent; ne forte ex laxiori facultatum hujusmodi interpretatione, aut ex assertis consuetudinibus absque Nostra, & Pontificum Prædecessorum Nostrorum scientia inductis, in concedendis, aut renovandis Investituris Bonorum Feudalium, Emphyteuticorum, Livellariorum, seu alio quocumque nomine, & titulo ad directum Dominium, & Proprietatem Cameræ Nostræ Apostolicæ pertinentium, aliquid per eos fieri contingat, quod potestatis eisdem attributæ fines excedat, atque in ejusdem Cameræ, illius Proprietatum, & Jurium detrimentum vergere possit, post discussam prius rem in Congregatione particulari super œconomica Status Ecclesiastici administratione deputata, certos in hoc rerum genere eisdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Legatis, & Prælatis Præsidentibus, Provinciis Legationum præfatarum respective præpositis, limites, quos ipsi nullis futuris temporibus prætergredi valeant, etiam declarando, & indulgendo ponere, & designare volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præsentium Litterarum tenore decernimus, & statuimus, ut in concessionibus, dationibus, & investituris Terrarum, Arcium, Villarum, Agrorum, Possessionum cultarum, & incultarum, Casalium, Lacuum, Sylvarum, Proprietatum, Bonorum, & Jurium quorumcumque, & cujuscumque generis, ad prælatæ Sedis, & Cameræ Nostræ Apostolicæ directum, & proprietarium Dominium quomodocumque pertinentium, in Feudum proprium, sive improprium, nobile, sive ignobile, aut in emphyteusim, aliave ratione sub Censûs, Canonis, Livelli, pensionis, regaliorum, & aliarum quarumcumque responsionum, & recognitionum præstatione, & solutione, hactenus factis, & deinceps

quan-

quandocumque faciendis, si, & quatenus initio concessionum, & investiturarum hujusmodi ea lex expresse adjecta sit, vel fuerit, ut Feudatarii, Censuarii, aut alii quocumque nomine, aut titulo ea obtinentes, singulo quoque viginti novem annorum, seu alio definito temporis curriculo, suarum Investiturarum, aliarumque concessionum hujusmodi renovationes ab eadem Camera petere, & accipere debeant; præfati Cardinales Legati, seu Prælati cum facultatibus Legatorum Præsidentes respective deputati, in sua quisque Legationis Provincia, præfiniti temporis adveniente termino, earumdem investiturarum, & concessionum renovationes Feudatariis, Censuariis, Emphyteutis, aliisque præfatis, illas tempore habili expetentibus, servatis tamen servandis, & cum eisdem pactis, legibus, & conditionibus in prioribus investituris appositis, & conventis, concedere, & per idoneum Ministrum ipsius Cameræ Apostolicæ Procuratorem, seu Commissarium, aut alium, ad quem pertinet, tempore habili similiter fieri mandare, & libere, & licite possint, & valeant, Nostra, & Romani pro tempore Pontificis licentia, seu commissione speciali desuper minime requisita.

Quoniam vero in Ducatu, & Provincia Legationis Ferrariensis, in vim antiquorum Ducalium Decretorum ab Apostolica Sede expresse confirmatorum, plerisque Censuariis, Emphyteutis, aliisque investituras habentibus, tributa dignoscitur facultas alienandi Bona, seu Jura emphyteutica, & alias ad directum, & proprietarium præfatæ Cameræ Dominium spectantia, per contractus inter vivos nuncupatos, præhabito consensu Domini directi, & alibi etiam ejusmodi facultas forsan concessa reperitur: Volumus itidem, & statuimus, ut ipsi Cardinales Legati, & respectiva Prælati Præsidentes prædicti, quatenus tamen Feudatariis, Censuariis, Emphyteutis, aliisque Bonorum, & Jurium Cameralium, in Provinciis Legationum prælatarum consistentium, utilibus Possessoribus, sive ex concessionis lege, sive alias ex Supremi Principis auctoritate, generaliter, vel specialiter hujusmodi facultas alienandi, distrahendi, & in alios transferendi Bona, & Jura Cameralia præfata, præhabito Domini directi, idest ipsius Cameræ Apostolicæ consensu, legitime competat; & dummodo alienationes hujusmodi non fiant in fraudem ipsius Cameræ, & ad prævertendam, atque frustrandam eorumdem Bonorum, seu Jurium devolutionem, quæ ob deficientiam Successorum in investituris comprehensorum, & ad eas vocatorum, imminere dignoscatur; quoties de consensu ipsius Cameræ nomine præstando requisiti fuerint, possint similiter, & valeant, absque speciali Nostra, & Romani pro tempore Pontificis licentia, & commissione, consensus hujusmodi, Nostro, & Successorum Nostrorum, ipsiusque Cameræ nomine præstare, seu beneplacitum interponere, & novas consequenter investituras favore acquirentium, sub iisdem tamen pactis, & conditionibus dare, & concedere, ac necessaria quæcumque instrumenta desuper celebrari facere.

Porro renovationes Concessionum, & Investiturarum, nec non alienationes, distractiones, & translationes Bonorum, & Jurium Cameralium præfatorum, per Cardinales Legatos, ac respective per Prælatos Præsidentes prædictos, ac prævio consensu præstito in prædictis casibus, juxta seriem præsentium, alias tamen canonice factæ; perinde valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, & illis, in quorum favorem factæ fuerint, in omnibus, & per omnia plenissime suffragentur, ac si de speciali, expressa, & individua Nostra, & Romani pro tempore Pontificis licentia, & commissione factæ fuissent; nec ad id alterius beneplaciti, seu confirmationis Apostolicæ adminiculum requiratur.

Ceterum quoties Bona, Res, & Jura prædicta, sive ob lineam finitivam, sive ob non petitam præscripto tempore renovationem, aut ob non solutionem Canonum, aliarumve responsionum, seu Caposoldi, aut Laudemii, vel ob non adimpleta promissa, & in investituris, & concessionibus respective contenta, aliave qualibet ex caussis, juxta præscriptum in Litteris piæ memoriæ Prædecessoris Nostri Gregorii Papæ XIII. sub datum Romæ apud S. Petrum Kalendis Junii Anno Incarnationis Dominicæ MDLXXX. incipien. *Ad Romani Pontificis* (quarum Litterarum tenorem, ac dispositionem præsentibus pro insertis habentes, in omnibus, & per omnia approbamus, confirmamus, & innovamus) ad ipsam Cameram Apostolicam devoluta fuerint, motu, scientia, & potestate prædictis, statuimus, & decernimus, non licere præfatis Cardinalibus Legatis, aut Prælatis Præsidentibus, eorumdem Bonorum, Rerum, aut Jurium, cujuscumque generis, & qualitatis existant, & quantumvis parvus, atque etiam minimus tam proprietatis, quam responsionis valor sit, & esse dignoscatur, novas investituras, aliasque concessiones quascumque dare, & elargiri, neque eorumdem Detentoribus, & Possessoribus, incursas, ut præfertur, quascumque ex caussa caducitates, devolutiones, & privationes, etiamsi nondum ipsius Cameræ nomine declaratæ, & acceptatæ fuerint, aliasque pœnas remittere, & condonare, aut restitutiones in integrum concedere, sive super Canonibus, Livellis, & Laudemiis, aliisque præstationibus non solutis concordare. Volentes, ut quicumque novas hujusmodi investituras, & concessiones impetrare voluerint, sive se in prioribus investituris comprehensos, aut vocatos, in casibus dubiis declarari postulent, aut etiam earumdem investiturarum, & concessionum renovationes sibi, tamquam proximioribus, aut heredibus ultimi Possessoris, competere, etiam ex pacto, aut ex titulo etiam oneroso, asserant, & contendant; quive caducitates, & pœnas incursas sibi remitti, & condonari; aut se ad compositiones, sive ad purgationis moræ, aliudve gratiosum beneficium admitti cupiant, ad Nos, & ad Romanum pro tempore Pontificem immediate recurrere teneantur, nec ab aliis quibuscumque novarum concessionum hujusmodi, aut condonationum, remissionum, sive restitutionum in integrum, aliaque beneficia prædicta, seu gratiosas declarationes utiliter obtinere possint, & valeant. Nos enim præmissarum omnium, & singularum gratiarum, declarationum, & beneficiorum concessiones Nobismetipsis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus privative, & expresse, motu, scientia, & potestate similibus harum tenore reservamus.

Decernentes pariter ipsas præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aut alio quocumque, quantumlibet, substantiali, & individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, restringi, invalidari, ad viam, & terminos juris, aut veteris consuetudinis reduci, seu alias in jus, vel controversiam revocari posse, sed easdem præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque, & non aliter Cardinalium Legatorum, aut Prælatorum Præsidentium prædictorum facultates, & privilegia, sive expressa, sive per generalitatem verborum concepta, intelligi, & interpretari debere, atque ita in præmissis omnibus, & singulis censeri, & per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caussarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, & alios Cardinales, nec non ipsius Cameræ Apostolicæ Thesaurarium generalem, Præsidentes Clericos, aliosve Officiales, & Ministros, ac ceteros, quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ dictus Gregorius Prædecessor in superius relata Constitutione voluit non obstare; nec non Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum in Provinciis Legationum præfatarum consistentium quorumlibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, stilis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, etiam favore Cardinalium Legatorum, aut Prælatorum Præsidentium prædictorum, communiter, seu peculiariter, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alias exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, motu, & potestatis plenitudine paribus specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Utque eædem præsentes ad omnium Censuariorum, Feudatariorum, Emphyteutarum, aliorumque Bonorum, & Jurium Cameralium in Provinciis Legationum præfatarum consistentium, utilium possessorum, & aliorum, quos ipsæ præsentes concernunt, notitiam facilius deducantur. Volumus, & decernimus ipsas præsentes in plena Camera legi, & registrari, ac ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ, aliisque consuetis locis,

per aliquem ex Cursoribus Nostris in Urbe. In singulis vero Legationibus prædictis in Loco residentiæ Cardinalis Legati, aut Prælati Præsidentis, publicari, & affigi, ac earum exempla ibidem affixa relinqui; quæ sic publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos præfatos perinde afficiant, & arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent. Quodque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

DE CENSURIS.

BULLA DECIMASEXTA.

Litteræ Processus, publicatæ die Cœnæ Domini anno MDCCXLI.

Extat hæc Bulla in Tom. I. Bullarii sub numero XIV. data die 30. Martii 1741. Pontificatus vero an. I.

PAstoralis Romani Pontificis vigilantia, & sollicitudo, cum in omni Christianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda, pro sui muneris officio, assidue versatur, tum potissimum in Catholicæ Fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate, atque integritate retinenda, & conservanda, maxime elucet; nimirum, ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem Fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, neque se in hujus vitæ societate, & communione lædant, aut inter se alter alteri offensionem præbeat, sed potius in vinculo caritatis conjuncti, tamquam unius corporis membra sub Christo capite, ejusque in terris Vicario Romano Pontifice, Beatissimi Petri Successore, a quo totius Ecclesiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita divina gratia adjutrice, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sane caussas Romani Pontifices Prædecessores Nostri, hodierna die, quæ anniversaria Dominicæ Cœnæ commemoratione sollemnis est, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria justitiæ arma, per ministerium Summi Apostolatus, ad Dei gloriam, & animarum salutem sollemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam Fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, & justitiam, Deo auctore, tueri, vetustum, & sollemnem hunc morem sequentes.

§. 1. Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra, quoscumque Hussitas, VViclefistas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & a Christiana Fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios Hæreticos quocumque nomine censeantur, & cujuscumque Sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate Nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis caussa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore; nec non Schismaticos, & eos, qui se a Nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

§. 2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint; Universitates vero, Collegia, & Capitula quocumque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, seu mandatis Nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes: nec non eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes Mare Nostrum, præcipue a Monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

§. 4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcumque Navibus, tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quoquo modo naufragium passis, sive in ipsis Navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel in littore inventa, cujuscumque generis bona, tam in Nostris Tyrrheni, & Adriatici, quam in ceteris cujuscumque Maris Regionibus, & littoribus, surripuerint, ita ut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem, aut longissimi, & immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum excusari possint.

§. 5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in Terris suis nova Pedagia, seu Gabellas, præterquam in casibus sibi a jure, seu ex specialis Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

§. 6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum, gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum, nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

§. 7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel hæreticos per Nostras, sive hujus Sanctæ Sedis sententias expresse, & nominatim declaratos, deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant: nec non illos, qui per se, vel alios, de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant, non obstantibus quibuscumque privilegiis, quibusvis personis, Principibus, & Rebuspublicis per Nos, & Sedem prædictam hactenus concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

§. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios, cujuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

§. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent: nec non illos omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam a Nobis, vel Nostris Judicibus non habentes, illam sibi temere vendicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

§. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem caussa devotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in eis dantes auxilium, consilium, vel favorem.

§. 11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuntios, aut eos a suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

§. 12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alios, personas Ecclesiasticas quascumque, vel sæculares, ad Romanam Curiam super eorum caussis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, seu etiam Auditores, vel Judices super dictis caussis, vel negotiis deputatos, occasione caussarum, vel negotiorum hujusmodi, occidunt, seu quoquo modo percutiunt, & bonis spoliant: seu qui per se, vel per alios directe, vel indirecte, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

§. 13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos, quam Sæculares cujuscumque dignitatis, qui prætexentes frivolam quamdam appellationem a gravamine, vel futura executione Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam justitiam concernentium, nec non citationum, inhi-

inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium, & aliorum decretorum, a Nobis, & a Sede prædicta, seu Legatis, Nuntiis, Præsidentibus, Palatii Nostri, & Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum; & quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias sæculares, & laicalem potestatem recurrunt, & ab ea, instante etiam Fisci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta, capi, & retineri faciunt; quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine, executioni demandari; aut ne Tabelliones, & Notarii, super hujusmodi litterarum, & processuum executione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta, parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent: ac etiam partes, seu eorum Agentes, Consanguineos, Affines, Familiares, Notarios, Executores, & Subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, & Regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios, publice, vel occulte, quive alias quibuscumque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel litteris impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras a dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe, vel indirecte prohibere, statuere, seu mandare vel alias apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumunt.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque, qui per se, vel alios, auctoritate propria, ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & Litterarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias caussas spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis, avocant, illorumque cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia, caussas ipsas prosequi volentes, impediunt, ac se de illarum cognitione, tamquam Judices interponunt: quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, ad faciendum, vel consentiendum, eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris, & pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias compellunt, vel executionem Litterarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitime prosequentur, etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consiliarii ordinarii, vel extraordinarii, quorumcumque Principum sæcularium, etiam Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant Dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates Commendatarii, seu Vicarii fuerint.

§. 15. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque, coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, quovis quæsito colore, nec non qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis caussa, & quovis quæsito colore, ac etiam cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu Nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expresse præjudicatur.

§. 16. Nec non qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscumque Judices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de caussa directe, vel indirecte carcerando, vel molestando eorum Agentes, Procuratores, Familiares, nec non Consanguineos, & Affines, aut alias impediunt, quo minus sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundum quod Canones, & Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & Decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis Delegatorum quorumcumque sententias, & decreta, aut alias fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinariis, & Delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem eisdem.

§. 17. Quive jurisdictiones, seu fructus, reditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel caussa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia, sequestrant.

§. 18. Quive collectas, decimas, taleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus, proventibus hujusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam a sponte dantibus, & concedentibus recipiunt; nec non qui per se, vel alios directe, vel indirecte prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus quicumque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquo modo Præsidentes, Consiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti, innovantes decreta super his per Sacros Canones, tam in Lateranensi novissime celebrato, quam aliis Conciliis generalibus edita, cum censuris, & pœnis in eis contentis.

§. 19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque Magistratus, & Judices, Notarios, Scribas, Executores, Sub-Executores quomodolibet se interponentes in caussis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia; quique hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vice-Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directe, vel indirecte sub quocumque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint, in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaissinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas Provincias, illarumque terras, & loca, ac terras specialis commissionis Arnulphorum, Civitatesque Nostras, Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Civitates, Terras, & loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjecta; nec non supremam jurisdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt; nec non adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

Volentes, præsentes Nostros Processus, ac omnia, & quæcumque his litteris contenta, quousque alii hujusmodi Processus a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Ceterum a prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuscumque Personis Ecclesiasticis Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, & Militarium Regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & Locis Piis, nec non Laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii

decretis, verbo, litteris, aut alia quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum.

Quod si forte aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

Declarantes, ac protestantes, quamcumque absolutionem, etiam sollemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius a præmissis cum vero proposito alterius similia non committendi, destiterint, ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta hujusmodi publice revocaverint, & ea Archiviis, seu Capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam Nostram, vel Successorum Nostrorum quantocumque tempore continuatam, in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscumque juribus Sedi Apostolicæ, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ undecumque, & quandocumque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari posse, aut debere.

Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis, cujuscumque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi, ut præfertur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu locis a prædicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujusmodi, ac de Ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, nec non consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos Nostros Processus, ac Sententias, quominus includantur in eis, se juvare valeant, vel tueri, quæ omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omnino revocamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ut vero præsentes nostri Processus ad publicam omnium notitiam facilius deducatur, chartas, seu membranas Processus ipsos continentes, valvis Basilicæ Sancti Joannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos Processus hujusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nulla possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper, ut Processus ipsi, & præsentes litteræ, ac omnia, & singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque Civitatibus, & locis fuerint publicata, universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis ubilibet constitutis, hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam; semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad Divina convenerit, sollemniter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuntient, & declarent.

Ceterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, nec non Rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri Sæculares, & quorumvis Ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant. Volentes earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Judicis ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem in judicio, & extra illud ubique locorum adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ &c.

E X B U L L A R I O.

Ex iis, quæ in Tomo IV. supersunt, & quas felic. recor. prælaudatus Pontifex nuperrimas edidit, quocumque modo ad moralem spectent notionem, nonnullas alias haud inconsulto tibi heic studiose Lector apponendas curavi.

BULLA PRIMA.

Confirmantur, & declarantur Constitutiones Prædecessorum Romanorum Pontificum super vetita armorum delatione, retentione, & venditione.

Extat hæc Bulla in Tom. IV. Bullarii sub numero VIII. data die 1. Februarii anni 1752. Pontificatus vero anno XII.

SEcuritatem, atque tranquillitatem Populorum, & Personarum Apostolicæ Sedi in temporalibus subjectarum tueri, & asserere volentes Prædecessores Nostri Romani Pontifices, non modo severissimas leges adversus homicidia, & cujuscumque generis vim ediderunt, verum etiam ad ea submovenda, quæ hujusmodi delicta facile perpetrandi occasionem, & commoditatem præbere possent, omnium armorum ad necem clam, & dolose inferendam aptorum delationem, retentionem, & venditionem, gravissimarum pœnarum interminatione vetuerunt: quemadmodum ex providis felicis recordationis Pii Papæ IV. anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo, Nonis Martii, & Sancti Pii V. pridie Idus Februarii illius Pontificatus anno septimo, editis Constitutionibus patet.

§. 1. Quorum vestigiis inhærens recol. mem. Prædecessor Noster Alexander Papa VIII. per suam anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo, Idibus Augusti, editam Constitutionem, quæ incipit, *Ein anda*, prædictorum ante se Pontificum Leges, atque Sanctiones confirmans, & innovans, decrevit, & sancivit, neamini cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ, etiam speciali mentione, seu nota digno, licere in Alma Urbe, ejusque districtu, & in toto Statu Ecclesiastico tunc sibi, & dictæ Sedi, tam immediate, quam mediate subjecto, comprehensis etiam quatuor Legationibus, ac Civitatibus Bononiensi, Ferrariensi, Beneventana, aliis Civitatibus, Terris, & Locis, etiam specialem, & individuam expressionem, & nominationem requirentibus, ejusmodi arma in præmissis Constitutionibus expresse recita, & alia quæcumque brevioris mensuræ trium palmorum, illius mensuræ, quæ vulgariter denominatur; *Canna Romana* ad usum Mercatoris, sub pœnis læsæ Majestatis, & rebellionis irremissibiliter exequendis, (exceptis dumtaxat cultellis aptis ad incidendum panem, qui tamen majoris longitudinis unius palmi esse non possent, ac sine cuspide, & ut vulgo dicitur, *Spuntati* esse deberent; nec non aliis instrumentis ad usum propriæ artis, quam quisque exercet, necessariis, & in actu exercitii ejusdem artis, & non alias) deferre, seu domi, aut in apothecis, vel alibi retinere, sive in ipsum Statum Ecclesiasticum introducere, fabricare, vendere, permutare, aut aliud contractus genus super ipsis inire.

§. 2. Cumque sub sua hujusmodi, ac præcedentium Constitutionum censura, tam Clericos, quam alias omnes, & singulas Personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas, Sæculares, & cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam de necessitate specialiter exprimendi, nec non militiarum quarumcumque, etiam Hospitalis S. Joannis Jerosolymitani, Regulares, vel alias immunitate personali quomodolibet gaudentes, comprehendi voluisset, & contra transgressores, si qui etiam ex his reperti fuissent, per Ordinarios Locorum, aliosque competentes Judices, ad majorem pœnam, quam Tribunal Ecclesiasticum pro quocumque graviori, & atroci delicto imponere soleat, & valeat, irremissibiliter procedi mandasset.

§. 3. Hoc insuper decrevit, & declaravit, ut ad eximendos transgressores a pœnis præfatis minime suffragaretur allegare, quod non constaret de dolo, vel mala eorumdem contravenientium qualitate; nec etiam ad hujusmodi effectum ullas familiaritates, Litteras paten-

parentes, & Licentiæ concessæ, aut concedendæ, seu Privilegia cujuslibet Congregationis, Tribunalis, aut Militiæ, seu Judicum, Officialium Militarium, & Ministrorum etiam Justitiæ, aut Ministerii Cameralis, Almæ Domus Lauretanæ, aut cujusvis Ordinis etiam Militaris, Congregationis, Societatis, & Instituti, aut quarumvis Personarum quacumque Ecclesiastica, seu mundana dignitate fulgentium, quidquam prodessent, aut relevarent; prout latius, atque distinctius in præcitatis ejusdem Alexandri Prædecessoris litteris continetur.

§. 4. Pari justitiæ zelo, & publicæ quietis studio incensus sanctæ memoriæ immediatus Prædecessor Noster Clemens Papa XII. per suam anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo quarto, Kalendis Februarii, Pontificatus sui anno quinto, editam Constitutionem, cujus initium est *in Supremo Justitiæ Solio*, inter alia, quæ pro recta Justitiæ administratione, ac delictorum coercitionem provide constituit prædictas Pii IV., Pii V., & Alexandri VIII. aliorumque antecessorum Litteras, & Ordinationes, necnon Edictum Kalendis Januarii anni Domini millesimi septingentesimi octavi, de mandato piæ memoriæ Clementis Papæ XI. promulgatum, ceteraque bannimenta eousque publicata, quibus eorumdem, seu aliorum armorum in Urbe, & Ditione Ecclesiastica præfatis, delatio, retentio, introductio, aut venditio, sub diversis etiam capitalibus pœnis prohibentur, omniaque, & singula in eis contenta, similiter approbavit, & innovavit. Et ne pœnarum in ipsis adversus transgressores statutarum executionem ullo modo impediri contingeret, quibuscumque Tribunalibus, Magistratibus, & Judicibus, tum Urbis præfatæ, quam aliarum Civitatum, Terrarum, & Locorum eidem Apostolicæ Sedi immediate, ac etiam mediate subjectorum, necnon quibusvis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus etiam de latere Legatis, districte prohibuit, & interdixit, ne in caussis delationis, ac retentionis hujusmodi armorum, ulli delinquenti, pœnas, quas quomodolibet incurrissent, gratiose remitterent, aut componerent, vel in minima etiam parte moderarentur, sed ea dumtaxat, quæ stricti juris essent, juxta præcisam formam, & dispositionem Litterarum, Edicti, & Bannimentorum hujusmodi decernerent, & exequerentur.

§. 5. Quod si ex peculiaribus quandoque facti circumstantiis, vel ex qualitate personarum, gratiæ, compositioni, aut pœnæ moderamini locum esse, æquitate ita suadente, prudenter existimarent; voluit nihilominus, neque tunc per eosdem Magistratus, & Judices ad concessionem gratiæ, compositionem, aut moderationem pœnæ deveniri posse, nisi prævia sua, ac Romani Pontificis pro tempore existentis expressa approbatione; sub nullitatis gestorum, ac omnium inde sequutorum, & quoad Judices præfatos, sub pecuniariis, aliisve etiam corporalibus, suo, & ejusdem Pontificis arbitrio infligendis pœnis, & consequenter quibuslibet Cardinalium Congregationibus, ac Cardinalibus etiam de Latere Legatis, quamcumque facultatem, quæ ipsis de jure, usu, vel consuetudine, seu alias quomodolibet competere posset, arbitrandi, gratiam impertiendi, & componendi, ac moderandi pœnas hujusmodi, in dictis caussis delationis, aut retentionis armorum, abrogavit, & revocavit.

§. 6. Et nos igitur dictorum Prædecessorum consilium, ac prudentiam magnopere commendantes, ejusque necessitatem pro felici Populorum regimine in dies magis, magisque agnoscentes, præcitatas eorum Constitutiones, quarum totos, & integros tenores præsentibus pro insertis de verbo ad verbum haberi volumus, atque omnes, & singulas dispositiones, prohibitiones, declarationes, & extensiones in eis contentas, Nostris motu proprio, ac certa scientia, per hanc Nostram perpetuo valituram Constitutionem, Apostolica auctoritate approbamus, confirmamus, & innovamus, & secundum eas per quoscumque Judices, ac in omnibus, & singulis earumdem Urbis, ac Ditionis Tribunalibus, & Curiis, omnino procedi volumus, & mandamus.

§. 7. Verum quia in hujusmodi caussarum tractationibus sæpe contingit, ut pro parte reorum, ab ipsis, aut eorum advocatis, & defensoribus allegetur, eorum pravam intentionem, seu dolum, in delatione, aut retentione armorum hujusmodi, & personarum malam qualitatem, a Fisco minime probari; ac, deficientibus horum probationibus, contendatur, justam & fundatam præsumptionem bonæ qualitatis eisdem Reis semper assistere; ideoque locum esse æquitati, quam præcitata Clementis XII. Constitutio insinuare videtur, ut scilicet Supremo Principi concilium detur pro gratia, aut compositione, seu moderatione pœnæ in præmissis Constitutionibus, Edictis, & Bannimentis respective statutæ. Nos hujusmodi ratiocinationes, non modo ad reos a promeritis pœnis eximendos, cum præmissarum Legum eversione, & publicæ quietis detrimento, tendentes, verum etiam earumdem Alexandri, & Clementis Constitutionum litteræ, & Spiritui adversantes, de medio tollere, ac debitam earumdem observantiam, & executionem asserere volentes; simili motu, scientia, & auctoritate, ac earumdem præsentium tenore, decernimus, & declaramus, nil aliud oneris Fisco incumbere ad fundandam actionem suam, pro urgenda, sustinendaque condemnatione reorum ad formam dictarum Constitutionum, quam ut ipsum contraventionis delictum, videlicet delationem, vel retentionem, seu respective introductionem, fabricationem, aut venditionem armorum in supradictis Pii IV. Pii V. Alexandri VIII. & Clementis XII. Constitutionibus, aliisque Edictis, & Bannimentis per eosdem Prædecessores confirmatis, & innovatis, vetitorum, & proscriptorum, plena, & valida probatione constare faciat. Quod si excipiendo contendatur, eam esse delinquentis qualitatem, vel tales in peculiari facto circumstantias concurrere, quæ consulendum Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti pro gratia, aut compositione, aut moderatione pœnæ, merito suadeant; onus erit ipsius Rei, seu illius defensorum, hujusmodi exceptionis subsistentiam, concludentibus, & juridicis probationibus demonstrare quemadmodum ipsa Clementis XII. Constitutio, cum præcedenti Alexandri VIII. Lege collata, satis aperte indicat: & ne super hoc in posterum hæsitari contingat, Nos earumdem tenore præsentium, ejusmodi probationum adstruendarum onus in ipsos reos, eorumque defensores, expresse refundimus; eoque non adimpleto, memoratas exemptiones delinquentibus nullatenus suffragari volumus, quominus omnibus, & singulis pœnis, etiam læsæ Majestatis, & rebellionis, in præfatis Prædecessorum Sanctionibus constitutis, subjiciantur, & cum effectu plectantur, & puniantur &c. &c.

BULLA SECUNDA.

Regulæ observandæ in Anglicanis Missionibus, ab Apostolicis Vicariis, nec non a Sacerdotibus Missionariis Sæcularibus, ac Regularibus.

Extat hæc Bulla in Tom. IV. Bullarii sub numer. XVI. data die 30. Maji anno 1753. Pontificatus vero anno XIII.

Venerabilibus Fratribus, Episcopis, Vicariis Apostolicis; & Dilectis Filiis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam cujusvis Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, Regularibus, Missionariis Apostolicis Anglicanarum Missionum.

Apostolicum Ministerium, quod Vos, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, tanta cum alacritate suscepistis, satis superque admonere vos, & assidue in memoriam revocare non dubitamus, præceptum, mandatumque Supremi Pastorum Principis JESU CHRISTI Apostolos suos edocentis, cujus divina legatione in procuranda Christifidelium salute fungimini cooperatores; nimirum, ut mutua vosmetipsi invicem caritate diligentes, opus Vobis injunctum consummare satagatis, quo debitam laboribus vestris mercedem in Cælis a justo Remuneratore Deo recipere valeatis. Nobis sane, qui gravissimas Sacrosancti Apostolatus curas, & omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerentes, pene deficimus, nihil accidere potest molestius, quam cum accipimus scissuras esse inter vos, propter quas propagatio Catholicæ Fidei, & Christifidelium salus retardatur. Eapropter, ut opportunum, consentaneumque præcidendis, & e medio auferendis dissidiis, quæ jamdudum inter vos exorta, sæpe sæpius emergere, ac magis invalescere plenissime docti vehementer dolemus, & pristinæ animorum concordiæ conciliandæ, & in perpetuum confirmandæ remedium afferremus; primum quidem non solum exhibita Nobis utriusque partis rationum momenta per Nos ipsos accurate expendimus, sed nonnullis etiam Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus negotiis Congregationis Propagandæ Fidei præpositis examinanda mandavimus; deinde vero eisdem Cardinalibus ad Nos accitis, eorumdem sententiam, consiliumque requisivimus. Quos postquam Nobiscum convenire, & consentire comperimus, hæc, quæ sequuntur, statuimus, decrevimus, & a vobis districte servanda proponimus, & mandamus.

§. 1. Cum ab anno 1688. constitutum fuerit, ut Missio Anglicana per quatuor Apostolicos Vicarios administretur, qui Episcopi in *partibus* Infidelium existant; cumque sui limites, & confinia præscripta sint, in quibus ipsorum singuli suo munere perfungantur: nihil omnino immutetur in iis omnibus, quæ pertinent ad eosdem Vicarios Apostolicos, eorumque deputationem, & limites, quos modo indicavimus.

§. 2. Cum nonnulla Seminaria, & Collegia instituta sint, ex quibus Missionarii Cleri Sæcularis in Angliam mittuntur, nulla diligentia, & cura prætermittatur, ut Alumni ad Sacras Missiones obeundas destinati, optimis moribus, pietate, ingenio, doctrina exornentur, & ut periti sint in exercendis functionibus Ecclesiasticis, & Cantu Gregoriano, quantum fieri poterit, imbuti. Præter Collegii Duacenfis in Belgio, Litteris datis die 25. Januarii, Congregationem de Propaganda Fide sincere certiorem fecit de ratione, qua Alumni in prædicto Collegio instituuntur. Hisce proinde litteris perhonorificum responsum redditum fuit. Romæ existit Collegium Anglicanum a Sancto Thoma nuncupatum, curæ, ac disciplinæ Patrum Societatis Jesu commissum, cujus visitationem susceperunt jussu Prædecessoris Nostri Clementis XII. duo Cardinales vita jam functi, Davia scilicet, & Riviera, sustinuitque Secretarii munus Cardinalis Monti vitam adhuc agens, qui id temporis munus a Secretis Congregationis de Propaganda Fide gerebat. Itaque plurima statuta fuere, peculiari decreto Summi Pontificis confirmata, quod die 28. Septembris anno 1739. in lucem emanavit. Sancitum in primis est, ut eodem in Collegio duo Præceptores in posterum commorentur, quorum unus Controversiis, & Sacris Scripturis explanandis, alter Theologiæ Morali tradendæ incumberet; eorumque Lectiones Anglicanæ Missionis utilitati forent maxime accommodatæ. Quamobrem operam suam impendat Cardinalis, cujus in fide, & patrocinio Collegium *pro tempore* recipitur, ut executioni mandentur, quæ eadem in visitatione salubriter decreta fuere; atque illud in primis, quod paullo ante innuimus, quippe quod ad finem propositum unice conducere videatur. Pariter compertum est, Collegium Ulyssippone Anglis recipiendis erectum esse; alterum Parisiis, Hispali unum, Vallisoleti alterum. Verumtamen cum eorumdem institutio, atque existentia nihil præterea innotescat, cura erit a Secretis Congregationis de Propaganda Fide, consiliis cum Cardinale primo Ditionis Pontificiæ Administro collatis, ut dentur litteræ Nuntiis Apostolicis in Lusitania, Gallia, & Hispania commorantibus, ut impensius de prædictis Collegiis inquiratur, eorumque gubernatio omnino explorata fiat. Neque id eo tendere opinandum est, ut quidquam detrahatur auctoritati, vel regimini cujuscumque, qui legitima ipsorum fruatur possessione, sed eo dumtaxat fine, ut inter Nos, eosdemque plenissime conveniat iis in rebus, quæ ad Alumnos spectant ex Seminariis in Angliam ad Missiones obeundas profecturis.

§. 3. Quoniam versantur in Anglia Missionarii ex Familiis Regularibus, scilicet Societatis Jesu, Sancti Benedicti, S. Francisci, Carmelitarum Excalceatorum; cavere omnino debent earum Provinciales, ne in Missionarios deligant, nisi viri numeris omnibus absolutos, singulari nimirum pietate, ingenii dotibus præditos, quæ ad tantam Provinciam, tamque laboriosam requiruntur. Quamobrem ne ob immodicum eorum numerum perturbationes, & incommoda oboriantur, ipsis Regularium Provincialibus immutabiliter præscribitur, ut eos dumtaxat in Angliam mittant, qui vel Sacellis Regiis præfici debeant, aut apud aliquem nobili Sanguine natum versari, aut in Locis, quæ pro Regularibus fundata, & constituta sunt. Porro a Missionibus Anglicanis se repelli intelligant Regulares, qui ex propria Religione non obtinent Cœnobium, vel Provinciam in Catholicis Religionibus: iis tamen, qui ibidem in præsentiarum commorantur revertendi necessitas non infertur. Enimvero cum Hiberni Sacerdotes ad sustinendam Insulæ ejusdem Missionem deputentur, quæ plurimos, sapientesque expetit Operarios; cumque in Anglia permulti sint Sacerdotes indigenæ tam Sæculares, quam Regulares consentaneum esse arbitramur, si iisdem ipsa in Patria labores suos potissimum impendant, & prædicti Hiberni Sacerdotes Missionariis Angliæ tunc solum cooptentur, cum horum paucitas id exigere videatur; ideoque a Vicariis Apostolicis Angliæ ad Missionem excipientur, & evocentur.

§. 4. Sed, ut ad Vicarios Apostolicos revertamur, præter eam omnem auctoritatem, quæ ipsis communis est in propriis confiniis cum quolibet Ordinario in sua Civitate, & Diœcesi, Apostolica Sancta Sedes facultates *formulæ secundæ* ipsis elargitur, cum potestate illas simplicibus Sacerdotibus, qui idonei videbuntur, communicandi, iis tamen exceptis, quæ vel ad Ordinem Episcopalem unice spectant, vel exerceri sine Sacrorum Oleorum usu minime possunt. Nihil proinde recensitis Vicariis deest, quod ad sanum regimen, & directionem tam Regularium, quam Cleri Sæcularis conducat, qui nullas in hanc diem controversias excitavit, quæ debitam Vicariis Apostolicis obedientiam, & subordinationem labefactarent.

§. 5. Attamen quoniam inter privilegia, quibus gaudent Regulares, cuilibet peculiari Ordini a Summis Pontificibus attributa, illud adnumeratur, per quod Regulares Familiæ ab Episcopali, vel Ordinaria auctoritate eximuntur, vel Sanctæ Sedis Jurisdictioni immediate subjiciuntur, ne altercationes ea de re in posterum enascantur, quas plurimas elapsis temporibus constat extitisse, & in dies suboriri, necessitas postulat, ut finis aliquando iis imponatur: quod ita præstari oportet, quemadmodum inferius exponemus.

§. 6. Itaque Regulares Missionarii, cum Provinciam adventaverint, ubi Sacras Missiones obire debent, Apostolicum Vicarium convenient, uti facere semper consueverunt, in cujus ditione Ministerium Apostolicum suscepturi sunt. Siquidem institutum canonicum est, Sacri Concilii Chalcedonensis auctoritate firmatum, nemini advenæ in Sacris constituto, licere Ordinem, quo se insignitum asserit, exercere, adeoque Sacrum peragere, si Sacerdotem se esse profiteatur, nisi litteras authenticas Ordinarii palam faciat, testimoniumque exhibeat, se nullo suspensionis, vel irregularitatis vinculo irretiri. Ita *Canon. 7. dist. 71.* cui apprime consentit Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 22. de Sacrificio Missæ*, decreto *de observandis, & evitandis in celebratione Missæ, & cap. 13. sess. 23. de Reform.* Porro hujusmodi præscriptum Regulares etiam respicit, quoties extra Diœcesim versantur, in qua ad Sacros Ordines promoti fuere; proindeque susceptum Ordinem exercere minime possunt, præsertim in Ecclesiis, quæ ad propriam Sodalitatem non spectant, nisi prius Episcopis, aut Vicariis Generalibus, aut Foraneis, Superiorum suorum documenta proferant, quibus & obtenti Ordinis testimonium, & libertas ab omni canonico impedimento irregularitatis, vel suspensionis perspecta fiat. Quamobrem id etiam est in mandatis Regularibus Missionariis, ut nimirum Vicariis Apostolicis, ea ratione, qua dictum est, sese exhibeant, ubi ad Missionis locum pervenerint.

§. 7. Nullus Sæcularis Sacerdos Pœnitentiæ Sacramentum administrare potest, qui actualis Parochus non existat, vel idoneus ad id in præmisso examine repertus non fuerit, quod Ordinarius loci, ubi Confessiones excepturus est, de eo habere potest. Idem ex Regularibus Sacerdotibus edicitur, quoties velint Sæcularium Confessiones audire, quemadmodum ad litteram decernitur a Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 15. de reform.* quo in loco derogat Sacrum Concilium privilegio cuicumque, & consuetudini immemorabili, quæ contrarium præseferret, inquiens: *privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus*. Idque eo vel magis, quod a Summo Pontifice Sancto Pio V. ea in Constitutione, cui initium est: *Romani Pontificis* 133. *Bullarii Romani tom.* 2. declaratum est, prædictam Concilii Tridentini sanctionem ad omnes quoscumque Regulares extendi, vel Mendicantes, vel non Mendicantes, quamvis Lector, atque Magister in Sacra Theologia præfulgeat, & potestas Sæcularium Confessiones excipiendi illi facta fuerit a suis Superioribus Regularibus. Sancto Pio Quinto omnino consonat Urbanus VIII. in Constitutione, quæ incipit: *Cum sicut accepimus* 92. *Bullarii tom.* 4. per quam amplissime rescidit privilegium quodcumque alias Regularibus attributum, cujus prætextu Sæcularium Confessiones exciperent, priusquam examen sustinuerint, & consensum ab Ordinario Diœcesano obtinuerint. Ac ne Regularium Familiæ, quæ, nisi expresse nominentur, se minime comprehendi putant, ab eadem Constitutione immunes se jactarent, eas nominatim, & singulas recensendas opportunum duxit. Ultimo tandem S. Pontifex Clemens X. edita Constitutione *Superna* 7. *in Bullario Rom. tom.* 6. §. 4. ita firmavit: *Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerunt approbati*.

§. 8. Quare si insistamus Canonicis institutis, quæ superius enumeravimus, nullum afferri potest impedimentum Ordinario, quominus examen indicat Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, per quos Pœnitentiæ Sacramentum in locis ipsius jurisdictioni subjectis administrandum est. Regulares, inquam, revocare potest in examen Ordinarius, si velint Sæcularium Confessiones excipere. At vero quoniam Missionarii, & in primis Regulares, longa, & difficilia suscipiunt itinera, relictis Cœnobiis, in quibus versantur, ut in Angliam ad obeundas Missiones se conferant, ne dubietas admissionis ad Confessiones audiendas in subeundo examine, illos ab Apostolico munere deterreat, cavebunt in posterum, antequam relinquant Monasteria, in quibus degunt, & in Angliam tendant, cavebunt, inquam, examen ad Confessiones Sæcularium audiendas subire coram Ordinario, & Examinatoribus loci, in quo situm est Monasterium, & consequi testimonium, quo idonei

decla-

declarentur; quod insuper poterit indicari Vicariis Apostolicis in Anglia commorantibus per litteras Ordinarii, qui ad examen eos excepit, & peritos, idoneosque judicavit. Quod si cuiquam ex Regularibus commodius, atque itineri opportunius videretur Bruxellis ante Apostolicum Nuntium propriæ scientiæ periculum facere, id erit eorum in libitu; cum utraque ratione duplex auferatur incommodum; unum scilicet ne Regulares animum, mentemque dimoveant a Missionibus Anglicanis, eo timore, ne a Vicariis Apostolicis admittantur ad Sæcularium Confessiones excipiendas; alterum vero, ne iidem Vicarii destituantur auctoritate adprobandi illos, qui intra limites suæ Jurisdictionis Pœnitentiæ Sacramentum velint administrare. Etenim duos omnino actus complectitur adprobatio, quorum primus ad intellectum, alter ad voluntatem spectat. Proprium enim est intellectus, debita, ac necessaria scientia in Examinato deprehensa, illum Confessionis muneri obeundo aptum existimare. At nonnisi voluntatis est, facultatem Confessionum liberam, plenamque facere, sententiamque de eo proferre, qui Adprobatori subjicitur. Primum itaque ab Examinatore præstatur, cujus fidei, & integritati innititur, atque acquiescit, qui Confessiones audiendi facultatem, in limitibus, & confiniis sibi assignatis, impertitur. Alterum immediate peragitur ab ipsomet Superiore, cujus est prædictam facultatem concedere.

§. 9. His itaque constitutis, cum Regularis examinatus jam, & idoneus judicatus, uti diximus, se se offerat Vicariis Apostolicis; cumque id perpendi minime debeat tamquam urbanitas aliqua, seu cæremonia; cum insuper Vicarius Apostolicus opportunam facultatem elargiri intelligat ad suscipiendas Fidelium Confessiones qui ditione sua continentur, absoluta penitus hac ratione controversia omnis judicari deberet. Ceterum Confessarii munus Regularibus deferri potest sine temporis determinatione, vel cum limitatione: quod luculenter constat tum ex Brevi a Summo Pont. Urbano VIII. dato Cardinali de Sandoval ann. 1639. inserto a Cabasutio in Theoria, & Praxi Juris Canonici *lib. 1. cap. 10. num. 13.* tum ex recensita Constitutione Clementis X. *Superna ad* §. 4. Porro hujusmodi facultates ad præstitutum tempus collatas, post elapsum temporis intervallum, jus competit Ordinario vel abrogandi, vel eas renovando, Sacerdotem ad novum examen compellendi. Facultates vero nulla cum temporis limitatione delatæ, nonnisi cum ipso officio desinunt, nec suspendi propterea possunt sine nova caussa, quæ Confessiones directe respiciat, quemadmodum patet ex Constitutione: *Cum sicut accepimus*, ab Innocentio X. in lucem edita 32. §. 2. *Bullarii tom. 4. An Episcopus Regularem pro Confessionibus semel approbatum sine nova caussa suspendere possit ab ipsis Confessionibus audiendis? Respondetur, Regulares alias libere ab Episcopo, prævio examine, approbatos ad audiendas Confessiones Personarum Sæcularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse sine nova caussa, eaque ad Confessiones ipsas pertinente.* Quæ cum ita sint, ut omni dissidio aditus occludatur, decernimus, atque statuimus, ut facultas superius exposita, a Vicariis Apostolicis Regulari examinato, & approbato concedenda, ad sexennium extendatur, atque ad aliud sexennium sine prævio examine confirmetur, cum Regulares Missionarii, iis peractis, quæ *num. 20.* exponentur, Anglicanæ Missionis exercitium denuo suscipient.

§. 10. In medio igitur proferri minime potest tam Breve Summi Pont. Urb. VIII. quod incipit *Britannia*, vulgatum anno 1631. quam Bulla ejusdem Pont. *Plantata*, edita ann. 1633. aut aliud quodcumque documentum ad firmandam Regularium independentiam a Vicariis Apostolicis in administratione Pœnitentiæ Sacramenti, aliorumque Sacramentorum; Breve enim, & hujusmodi documenta emissa fuere, antequam Vicarii Apostolici in Anglia constituti forent, cum omni auctoritate, quæ competit Ordinario cuilibet in sua Civitate, & Diœcesi. Quamobrem sancito libero, & tranquillo ordinariæ Episcoporum auctoritatis exercitio, eo ipso desinit Regularium immunitas pro Sacramentis administrandis, quæ tunc temporis itidem concessa fuit, cum prædictum liberum exercitium nullatenus permittebatur; quemadmodum Regulares ipsi luculenter agnoverunt, & confessi sunt in celebri disputatione Parisiis habita, quæ in Collectione Judiciorum *tom. 3. pag.* 45. continetur. Accedit præterea, quod idem prorsus decretum fuit pro statuendo Indiarum Orientalium regimine, nequicquam refragrantibus amplis Sancti Pii V. & Gregorii XIV. privilegiis, ut legere cupienti innotescet ex nostra Constitutione: *Quamvis ad confirmandum*, *tom. 2. nostri Bullarii*. Eadem plane ratione cum in præsentiarum constitutum sit regimen Vicariorum Apostolicorum, finem habere debet recensita Regularium Missionariorum immunitas, iis delata, antequam prædictis Vicariis Apostolicis regimen, & ordinaria auctoritas tribueretur, & sua cuilibet confinia assignarentur. Notæ, & pervulgatæ sunt controversiæ agitatæ, & discussæ in Congregatione de Propag. Fide ann. 1701. & 1702. inter Macai Episcopum, Vicarios Apostolicos Sinarum, atque Regulares Missionarios, qui tueri conabantur, ob sua privilegia licitum sibi esse Sacramenta administrare, & quolibet Parochiali officio perfungi, quin ab Episcopo, & Vicariis Apostolicis dependerent. Porro cum sapienter Congregatio animadvertisset, ab Innocentio XII. fel. rec. suos præfinitos fuisse limites cuilibet Vicario Apostolico, decrevit, atque mandavit, ne cuique Missionario vel Sæculari, vel Regulari in posterum liceret, Pœnitentiæ Sacramentum Sæcularibus impertiri, vel aliis Parochialibus officiis fungi, quidquid in contrarium præseferrent privilegia iis concessa, quin prius facultatem obtinuisset a Superiori Ecclesiastico, nimirum ab Episcopo, quoties Sacramenta administranda essent in ejus Diœcesi, vel a Vicario Apostolico, si in ipsius ditione id foret peragendum. Hæc enim habet decretum vulgatum die 14. Februarii ann. 1702. *Missionariis autem, sive Sæcularibus, sive Regularibus, etiam Societatis Jesu, non liceat, etiam vigore suorum privilegiorum, Sacramenta administrare, aut alia munia Parochialia obire, nisi de licentia præfatorum Ordinariorum, sive Vicariorum Apostolicorum, in quorum respective Provinciis, aut Diœcesibus eosdem Missionarios commorari contigerit.* Hæc profecto luculenter ostendunt nullatenus esse provocandum ad immunitatis privilegia, Anglicanis Missionariis concessa, antequam in Anglia Vicarii Apostolici constituerentur; idque discussum etiam fuit in peculiari Congregatione de his negotiis habita *die 6. Octobris* 1695. cujus decreta Innocentius XII. Brevi dato *die 5. Octobris* 1696. confirmavit. Accedit decretum emissum ab universa Congregatione de Propag. Fide *die 16. August. ann.* 1645. quod nostro Brevi sub *die 5. Septemb. ann.* 1745. firmatum fuit.

§. 11. Cum ab hac Sancta Sede animadversum sit, plurima sæpe contingere in Regionibus longe dissitis, quibus, ut, consulatur, peculiares dispensationes, & privilegia quandoque opportuna, quandoque etiam ad animarum regimen necessaria requiruntur, ad quæ obtinenda difficile est Romam confugere, eadem Sancta Sedes in more habuit, habetque in præsenti, Episcopis in remotioribus Provinciis commorantibus quasdam facultates impertiri, quibus uti possunt vel immediate, vel per inferiores Sacerdotes a se designatos: atque idem plane cum Missionum Præfectis, atque Apostolicis Vicariis facere consuevit. Verumtamen cum nec Episcopi, nec Missionum Præfecti in Anglia hoc tempore versentur, supervacaneum est facultates recensere, quæ his, vel illis deferuntur. Sedem habent in Anglia Vicarii Apostolici, qui sibi commissis Provinciis præsunt, atque iis dumtaxat *formulæ secundæ* facultates tribuuntur; proindeque Regulares Angliæ Missionarii iis solum facultatibus perfruuntur, quas obtinent ab Apostolicis Vicariis, qui sane eas communicare aliis possunt, uti ex *formula secunda* manifestum est: *prædictas facultates communicandi non tamen illas, quæ requirunt Ordinem Episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercentur, Sacerdotibus idoneis, qui in ejus Diœcesi laborabunt.* In recensitis notatu dignum in primis est vocabulum illud *idoneis*, quo cognitio indicatur, quam Largitor facultatum habere debet de illo, qui ipsas consequitur, an videlicet idoneus existimetur. Hinc & arbitrium examinis de illo instituendi subsequitur, quoties ejus scientia ad facultatem exercendam aliunde non innotescat. Observationem illud etiam exigit, quod necessitas non infertur Vicario Apostolico, ut omnino prædictas facultates communicet; sed veluti commodum quoddam, hujusmodi potestas illi delata est pro animarum utilitate: quod quidem numquam non opportunum, sæpius etiam necessarium est, cum Superior omnia per se præstare minime valeat. In arbitrio Vicarii Apostolici positum quoque est, vel omnium suarum facultatum Sacerdotem participem facere, vel aliquas tantummodo communicare. Nam Vicarius Apostolicus, in hoc facultatum genere, specialis Sanctæ Sedis Delegati Personam gerit, cui liberum est subdelegare, nedum ex communi jure, verum etiam ex singulari auctoritate illi demandata: cumque in delegantis potestatem constitutum sit suspendere, vel omnino etiam auferre factam delegato procurationem, ex his omnibus illud consequitur, in Anglia scilicet, quod jam dictum est, eas tantum facultates per Vicarium Apostolicum collatas a Missionariis exerceri posse. Ille siquidem, cum Apostolicus Depositarius earumdem existat, communes eas facturus cum Sacerdotibus Sæcularibus, aut Regularibus, jus retinet (quod repetere supervacaneum non erit) dignoscendi, an revera idonei sint; aliquas tantummodo, non omnes communicandi, ac denique

eas suspendendi, penitusve auferendi. Attamen summopere commendatur humanitas in examine peragendo; insuper debita, & prudens cautio in suspendendis, vel adimendis facultatibus, quæ semel concessæ fuerunt. Nec opus est, ut facultates exprimantur, quas Vicarius sibi reservare, aut quas Sacerdotibus Sæcularibus, aut Regularibus elargiri debet, quæve uni potius, quam alteri sint impertiendæ; id enim arbitrio relinquitur Vicarii Apostolici, qui, cum in loco consistat, & personas dignoscat, quibus facultates conceduntur, animarum necessitates animadvertit, & casuum frequentiam, decernere facilius potest, quæ magis opportuna, & salutaria videantur. Inter ceteras illa adnumeratur facultas, per quam copia fit Sacerdotibus Sacrum peragendi bis uno, eodemque die, licet id expresse prohibeatur *cap. Consuluisti, de celebratione Missarum*; cui tamen derogatur ob necessariam caussam, videlicet ob Sacerdotum paucitatem; vel cum eorum numerus, qui diebus festis tenentur Sacris assistere, talem exhibeat necessitatem, ut nisi alicui Sacerdoti duas Missas eodem die celebrandi concedatur, Ecclesiæ mandato plures non satisfacerent; quod copiose declaratum est *Constitutione* 3. in præsenti nostro Pontificatu emissa, & Oscensi Episcopo inscripta, *tom.* 1. *Bullarii*. Hinc facile apparet abusio intolerabilis, quæ patraretur, si cuiquam Sacerdoti rem divinam faciendi bis in diem facultas tribueretur, eum in finem, ut duplici eleemosyna decentius se sustentaret; quantoque magis Sacerdos peccaret, si Missæ Sacrificium bis uno die conficeret sine opportuna Vicarii Apostolici concessione; vel sub Populi necessitatis prætextu eam peteret, atque obtineret, licet reipsa plurium eleemosynarum cupiditate ad id moveretur.

§. 12. Approbationis necessitatem, quam diximus competere cuilibet Vicario Apostolico in sua Provincia, non solum quoad Sæculares, sed etiam quoad Regulares Sacerdotes, qui Sæcularium Confessiones sunt recepturi; necessitatem pariter ab ipsis accipiendi facultates *formulæ secundæ*, quæ prædictis Vicariis Apostolicis, a Sancta Sede tribuuntur, una cum potestate eas communicandi Sacerdotibus Sæcularibus, & Regularibus, ut illis solummodo Missionarii utantur, quemadmodum superius exposuimus; has, inquam, necessitates subsequitur actualis administratio curæ Animarum, & Sacramentorum, ut proinde in iis, quæ ad utrumlibet horum capitum spectant, nedum Missionarii Sæculares, sed etiam Regulares subjiciantur jurisdictioni, & correctioni Vicariorum Apostolicorum. *Personæ tam Regulares, quam Sæculares, ejusmodi curam exercentes, subsint immediate in iis, quæ ad eamdem curam, & administrationem Sacramentorum pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sitæ sunt*. Hæc ferme habet Concilium Trident. *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 11.

§. 13. Quamvis autem in hoc capite 11. non derogetur privilegiis, quæ hanc in rem producere possent Regulares, nihilo tamen minus, quia hujusmodi derogatio apertis verbis exprimitur *cap.* 22. *novissimo ipsius sessionis* 25. *de Regularibus*; ideo hæc ipsa complectitur singula capita anteriora *ipsius sessionis* 25. *de Regularibus*; ut propterea recensitum etiam caput undecimum, quemadmodum enunciatum est Constitutione Innocentii XIII., quæ incipit: *Apostolici Ministerii*, confirmata a Benedicto XIII. in altera, quæ incipit; *In Supremo*, data an. 1724. *num.* 23. *Sciunt omnes derogationem hujusmodi non ad ea tantum referri, quæ in prædicto capite* (id est 22.) *continentur; sed etiam ad alia, quæ in singulis superioribus* (adeoque etiam in capite 11.) *ejusdem sessionis constituta sunt*.

§. 14. Superioribus annis suscitata a nonnullis fuit infirma nimis controversia, nempe in dubium revocata fuit prædicta Concilii Tridentini dispositio, & contendebatur, eos tantum Regulares affici, qui Parochi existant; alios vero Regulares Sacerdotes, qui licet Parochi non sint, tamen Sacramentum aliquod Sæcularibus administrent, vel nullimode comprehendi, vel si comprehendantur, id referendum esse ad eos solummodo, qui rem *de facto* agerent, & sine prævia Ordinarii facultate. Verum Gregorius XV. edita Constitutione *Inscrutabili*, quæ est 17. *Bullarii Rom. tom.* 3. declaravit, Regulares Sacerdotes, qui vel Parochi sunt, vel aliquod administrant Sacramentum, *sive alia Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex his ministrent*, sive id præstent *prævia Episcopi licentia, & approbatione*, aut agant *de facto absque ulla auctoritate*, subesse debere in iis omnibus, quæ curam, vel administrationem spectant, jurisdictioni, & correctioni Ordinarii, tamquam Sedis Apostolicæ delegati: *In his, quæ hujusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, plene in omnibus subjiciuntur*. Idem prorsus renovatum est in Bulla *Cum sit* 34. Innocentii X. §. 4. *in Bullario Rom. tom.* 5. cum in Constitutione *Firmandis* 109. §. 3. *Bullarii tom.* 1. in præsenti Pontificatu evulgata.

§. 15. Jus hujusmodi in Regulares Sacerdotes delegatum in iis, quæ animarum curam, Sacramentorumque administrationem concernunt, cessare certum est, cum eorum quisquam sui Regularis Instituti observantiam aliquo modo violaret; id enim Ordinarii muneris non est, sed respectivi Superioris Regularis: *Cujus quidem agendi rationem in iis, quæ spectant ad observationem proprii ipsius Regularis Instituti, non est Episcopi inquirere, cum ad ipsum Superiorem Regularem privative id pertineat*: verba ipsa sunt recensitæ Constitutionis *Firmandis* §. 8. Non ignoramus Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 3. *de reform.* nulla admissa distinctione, decrevisse, quod Regularis *extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii prætextu, si deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat*; atque hinc factum esse, ut dubium a nonnullis proponeretur, utrum commorantes Missionarii Regulares apud privatos, atque ut plurimum seorsim, ut in Anglia contingit, utrum, inquam, prædicti Regulares, veluti Religiosi extra Monasteria viventes censendi sint, ut propterea Ordinarii jurisdictioni tamquam Apostolici delegati in omnibus subjecti, quod definitum est in allata Innocentii X. Constitutione 34 *Cum sicut* §. 15. Quandoquidem tamen illud perpendi debet, Regulares scilicet Anglicanæ Missioni destinatos, illuc proficisci in bonum Sanctæ nostræ Religionis, eorumque mansionem in privatis domiciliis, non item in Monasteriis, ex publicis regiminis legibus dimanare, quibus Cœnobia quæcumque prohibentur; æquum profecto est, ut recenseri non debeant ad instar illorum, qui extra proprium Monasterium vitam agunt, atque hinc subsint omnimodæ Ordinarii jurisdictioni, quemadmodum sancitum fuit a Summo Pontifice Clemente VIII. in suis Litteris Apostolicis in forma Brevis editis an. 1601. quæ incipiunt: *Quorumcumque Religiosorum*, recensitis in Constitutione *Quamvis*, quæ ordine est *prima* præsentis Nostri Pontificatus *tom.* 1. *Bullarii*. Quamobrem cum iis potius procedendum est veluti cum Regularibus in propriis Monasteriis degentibus, si ulli quod crimen foris patrarent, scandalum populo afferens, insistente Ordinario, ut puniantur, plecti debent a suo Superiore Regulari, qui insuper tenetur inflictam castigationem ipsi Ordinario indicare: *Regularis intra claustra Monasterii degens, si extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum severe puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat; sin minus, a suo Superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit*; hæc habet Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 14. Quibus appri me insistens ipsemet Summus Pontif. Clemens VIII. alteram vulgavit Constitutionem, cui initium fecit, *Suscepti muneris* 39. *Bullarii Rom. tom.* 3. ubi accurate animadvertit, atque enunciavit quidquid ad eorum executionem conducere videretur.

§. 16. Harum ope Regularum, quæ ad non libitum effictæ, nec recentes, sed Juris Canonici & Sacri Concilii Tridentini auctoritate suffultæ, nec non anteriorum Pontificum Constitutionibus firmatæ sunt, dubitandum non est, quin perfecta intercedere debeat consensio inter Episcopos, & Regulares Missionarios, eorumque Superiores, dummodo reipsa in eorum animis vigeat, quod juvat sperare, verum pacis, & concordiæ desiderium. Atque ea animorum conjunctio eo vel magis speranda, quod ipsorum juri, atque auctoritati certi limites, & confinia præfinita sunt. Siquidem non deest Superioribus Regularibus privativum jus in proprios Religiosos, qui sui Instituti observationem perfregerint. Quod si ab iisdem quodquam gravioris notæ crimen perpetretur, atque in primis, si contra bonos mores deliquerint, non destituuntur Superiores eos castigandi facultate; nec conquerendi locus Vicario Apostolico relinquitur, si ab eodem Superiore post acceptam facti notionem debita punitio non omittatur: adeo ut Vicarius Apostolicus, quod supra indicatum est, se in eam rem ingerere nullatenus possit, nisi forte contingeret, ut Regularis Superior, vel nihil præstaret, vel æquas pœnas a reo minime desumeret. Habent itidem Vicarii Apostolici, utpote Sanctæ Sedis Apostolicæ delegati, potestatem supra Regulares in iis omnibus, quæ animarum curam, & Sacramentorum administrationem respiciunt. At vero hujusmodi jus non solum iis competit, verum etiam Regularibus Superioribus, quibus concessum est, suos Religiosos animarum regimen, sive Sacramentorum administrationem male exercentes punire. Porro jus privativum Ordinarii complectitur tantum actus, quos ipse ratione Ministerii sui tenetur peragere in bonum populi, disciplinæ Regularis, Parochi demandati.

§. 17.

§. 17. Ne autem de Jure cumulativo, quod habent tam Vicarii Apostolici, quam Regulares Superiores in Regulares, qui vel Parochi existunt, vel qui Sacramenta administrant, ulla oboriatur disceptatio, decretum jam est, ut dissidente Ordinario Superiore, vel Episcopus ille sit, sive Vicarius Apostolicus, a Regulari Superiore, prioris sententia ulterius præstet opinioni; itidemque, ut cum velit Superior Regularis ab animarum regimine, & Sacramentorum administratione Regularem sibi subditum removere, efficere id possit, quin prius Ordinarium de caussa certiorem faciat: quod vicissim ab Ordinario fieri posse tenendum est, secluso debito caussam patefaciendi Regulari Superiori. Adeatur superius recensita Constitutio *Firmandis* 109. §. 10. & 11. *Bullarii tom.* 1. præsentis nostris Pontificatus, ubi auctoritate veterum decretorum id fusius declaratum, & confirmatum est. Nec Regularis ab officio suspensus, vel amotus, ullimode valet appellationis beneficio mandati executionem impedire, vel protrahere; sed post præstitam obedientiam, ad proprium tuendum nomen, Innocentiamve vindicandam, si eam læsam existimaret, reclamationibus unice locus erit, & excusationibus, suo Judici competenti ferendis, uti præscribitur in superius allata Constitutione *Inscrutabili*, Gregorii XV. atque in ulla posteriori, cui initium *Ad militantis*, in præsenti nostro Pontificatu vulgata, scilicet 18. §. 19. *Bullarii tom.* 1.

§. 18. Ne felici Britanniæ Missionum regimini quicquam deesse videatur, subsequentes adnectuntur Regulæ, quibus prætermissis, haud omnino obtineretur, quod vehementer exoptatur. Sedulo igitur incumbant Vicarii Apostolici, ut Missionarii Sæculares probe, honesteque in omnibus se gerant, quo aliis bono exemplo sint, & in primis Sacris Officiis celebrandis, opportunisque Institutionibus Populo tradendis, atque infirmis opera sua sublevandis præsto sint, ut a publicis otiosorum cœtibus, & cauponis omnimode caveant; addita etiam suspensionis pœna cuilibet, si qui ad easdem divertere non vereretur. At potissimum ipsimet Vicarii, omni, qua possunt, ratione, severe tamen illos puniant, qui de publico regimine cum honore sermonem non haberent. Quandoquidem illi in Anglia versantur, non ad rumores, & perturbationes excitandas, sed Sanctæ Catholicæ Religionis servandæ caussa, eosque excipiendi, qui Divino Spiritu afflati, & Sanctis Fidei Mysteriis apprime instructi, se promptos, paratosque ad eam amplectendam exhibent: cum interim a quibuslibet conversionibus debeant abstinere, quæ utpote sine prævtis, debitisque conditionibus peractæ, non modo nullam utilitatem, sed damna potius, & incommoda plurima solent afferre. In iis autem, quæ Missionarios Regulares spectant, munus suum Vicarii Apostolici præ oculis semper ferant, quo tenentur in eorum actiones intendere semper in illis, quæ animarum curam, Sacramentorumque administrationem respiciunt; necnon auctoritatem pariter sibi delegatam comminiscantur. Ceteras vero prædictorum Regularium corruptelas, si quæ contigerint, si nimirum eorum quisquam cauponas, & cœtus otiosos frequentaret, seu publico regimini obsequeretur, sive denique alienis negotiis sese immisceret; has, inquam, corruptelas reparare studeant remediis superius expositis, atque a Tridentino Concilio desumptis, quibus Regulares afficiuntur in Monasteriis degentes, & qui extra septa ipsius Monasterii scandalum aliquod committunt.

§. 19. In primis cura sit Superioribus Regularibus Missionarios indistincte nequaquam mittere, sed quod dictum jam est, eos diligere, qui & vitæ probitate, atque sufficienti opportunæ doctrinæ copia tales existant, ut sibi traditum ministerium probe complere valeant. Præterea studeant præficere in Anglia unum ex Religiosis, cui visitatio sibi subditorum singulos in annos obeunda committatur, qui diligenter eorum vivendi rationem ad examen revocet, & congestarum eleemosynarum usum perscrutetur. Sic enim fiet, ut quælibet negotiationis suspicio de medio tollatur, incommodis quibuslibet, & malis provide consulatur. Porro Visitator ipse de his, quæ gerenda sunt, conferat cum Vicariis Apostolicis, ut & ipsi auxiliarem manum præbeant, atque scandalis quibuslibet aditus occludatur.

§. 20. Quandoquidem degentibus Missionariis Regularibus in Anglia extra Monasteria in domiciliis privatis, & sæculares vestes adhibentibus, & ea libertate utentibus, qua sane carerent, si in Monasteriis degerent, inauditum minime esset, si etiam religiosa corda mundano pulvere sordescerent, ideo edicitur cuilibet Missionario, ut post singula sexennia ad Catholicas Regiones sese restituat, propriæ familiæ regularis Claustra subeat, Religiosum induat habitum, ibique per tres integros menses commoretur; atque interim Spiritualibus Exercitiis per quindecim dies sedulo incumbat. Hinc est, quod Vicarii Apostolici, quorum arbitrio, atque prudentiæ, uti expositum est, committitur potestas communicandi Missionariis facultates *formulæ secundæ*, ipsam *ultra sexennium* non debebunt prorogare, sed impartiri ad summum *ad sexennium, & interim ad libitum*, eamque, si consentaneum judicaverint, simili modo restituere, cum Regulares absoluto jam præscripti secessus tempore ad Missionem revertentur.

§. 21. Etsi Regularis Superior, qui statuit aliquem ex suis Religiosis a Sacramentis administrandis, sive a Missionibus exercendis removere, ex superius allatis, non teneatur remotionis caussam Vicario Apostolico significare; & eadem ratione liberum sit Vicario Apostolico, insciis, atque inconsultis iisdem Superioribus contra Missionarios Regulares, quos delinquentes in Sacramentis administrandis, vel ineptos, utque rudes, negligentesve in suo munere adimplendo deprehenderit, animadvertere, prout ipsi expedire videbitur, tamen consentaneum erit, si unanimi voluntate, & consensu rem gerant, ne Missiones Operariis destituantur, & uni Missionario amoto alter continuo subrogetur, qui ejus subeat vices; idemque exhibeatur officium a Superioribus Regularibus cum Apostolicis Vicariis, ubi velint suos in alium locum transferre, vel eos revocare in Catholicas regiones, atque uno, eodemque tempore successores expediant, videlicet ne Missio necessariis Operariis careat.

§. 22. De fundationibus nihil omnino innovetur, sed tam Seculares in earum possessione perseverent, quas in præsentiarum obtinent; atque adeo Sacramenta, etiam Confessionis omnibus indiscriminatim per eos administrentur in urbibus, & oppidis muro circumdatis, ubi limites præfiniti non sunt: ex plane ratione, qua in nostris Civitatibus ad Confessionem approbati ab Episcopo sine ulla loci, vel peculiaris Ecclesiæ limitatione, in qua Confessiones possint excipere, in qualibet urbis Ecclesia Confessiones audiunt, debitis tamen officiis cum ipsius Rectore antea persolutis. Verum Missionariis in pagis, & apud ruriculas commorantibus non liceat Sacramenta, nec etiam Pœnitentiæ, extra præscriptos limites administrare, cum ad Confessiones extra confinia excipiendas necessaria omnino sit Vicarii Apostolici licentia, cui illa subjicitur Provincia. Etenim apud nos etiam Confessarius ab Episcopo pro sæcularibus adprobatus in sua Diœcesi, extra Diœcesim eam facultatem exercere nequit, sine alterius Episcopi adprobatione, in cujus ditione Pœnitentiæ Sacramentum administratur, etiamsi pœnitens subsit Episcopo, qui illum ad Confessiones excipiendas adprobavit. Idque constat ex Bulla *Superna* Clementis X. quæ est *sexta tom.* 6. *Bullarii Rom.* §. 4. solus enim Parochus a Moralis Theologiæ Scriptoribus eximitur, qui, si forte extra Diœcesim versetur, sui Parochiani ibi degentis Confessiones potest audire, quamvis ab Episcopo loci, ubi sui Parochiani se præbet Confessarium, adprobationem ad Confessiones non obtinuerit. Necessaria igitur omnino est Vicariorum Apostolicorum licentia, ut Missionarii in pagis, vel agris commorantes, Pœnitentiæ Sacramentum ministrent intra limites cuilibet illorum respective subjectos. Attamen ipsosmet Vicarios Apostolicos hortari non prætermittimus, ut meminerint valde consentaneum esse (nisi aliqua legitima caussa contrarium persuaserit) facultates illis elargiri saltem ad Confessiones excipiendas. Quandoquidem vero licentiæ administrandi Sacramenta, quæ conceduntur Missionariis campestribus, ut plurimum certis limitibus arctari solent, extra quos nulla ipsis ministrandi facultas permittitur, quamvis locus, ubi Sacramenta vellent conferre, intra limites Vicario Apostolico subjectos contineretur, qui permissionem ministrandi impertitus est: tamen Vicarium Apostolicum adhortamur, ut facilem se præbeat Missionario campestri Sacramenta aliquando conferendi extra limites ipsi præfinitos, nisi forte legitimum aliquod impedimentum id fieri prohibeat.

§. 23. Hæc omnia proficuam animarum curam, & pacem, concordiamque inter Missionarios, faustum denique Vicariorum Apostolicorum regimen respiciunt: at quoniam a Viris optimis, & fide dignis indicatum fuit, consentaneum fore, si definiatur, utrum Regularibus, qui vel in Regiis Sacellis, vel in locis pro illis fundatis, sive apud Nobiles commorantur, liceat Indulgentias suis Ordinibus concessas evulgare, ideo, ut omnes molestæ tricæ evitentur, sequens regula proponitur, quæ executioni demandari omnino debet. In bonum Anglicanæ Missionis adprobantur quilibet pietatis actus, preces, jejunia, atque opera meritoria, quæ a Sancta Romana Eccles. comprobantur. Ad Indulgentias quod spectat ipsis operibus adnexas ratione privilegiorum, quæ uni, vel alteri Regularium Ordini a Summis Pontificibus concessa fuerunt, suspenduntur: atque, ut fideles spirituali Sanctarum Indulgentiarum emolumento tranquil-

le,

le, & copiose simul perfruantur, cuilibet Vicario Apostolico auctoritas in ditione sui Vicariatus conceditur, ut quater in annum in iis Sollemnitatibus, quæ ipsis magis opportunæ videbuntur, Indulgentiam plenariam impertiantur, quam lucrari possint quicumque Pœnitentiæ Sacramento expiati, & Sacra Eucharistia refecti, Sacellum aliquod visitabunt, ubi Missæ Sacrificium celebratur, pacem Ecclesiæ suæ a Deo rogabunt, paratique erunt, pauperes aliqua eleemosyna pro suis viribus sublevare, vel Catechismo, & sacris concionibus frequentes interesse, quoties absque gravi incommodo id fieri liceat, sive infirmis, aut morti proximis operam suam christiana caritate præbere: & quoniam non deerunt; qui vel carcere, aut gravi morbo, sive alia legitima caussa impediti, præscripta pietatis officia minime poterunt adimplere, singuli Vicarii Apostolici potestatem habeant ea commutandi, & alia, quæ perfici valeant, decernendi. Porro, ne morientes e vita decedant sine benedictione *in articulo mortis*, & sine Indulgentia ipsi conjuncta, iisdem Vicariis Apostolicis facultas conceditur, ut illam impertiant, atque etiam Sacerdotes alios subdelegare possint, qui eam morientibus elargiantur, servata tamen forma, quæ Indicitur in Constitutione, hujus nostri Pontificatus tempore in lucem evulgata, quam hisce regulis ad majorem commoditatem adjungimus.

§. 24. Ultimo tandem, cum Anglicanæ Missionis perduratio Principum Catholicorum Ministris, Nobilibus Catholicis, Fundationibusque jam constitutis accepta referri debeat, eos magnopere adhortamur, ut illos tantum Sacerdotes Sæculares, vel Regulares suis Sacellis inservire permittant, qui se prius obtulerint Vicariis Apostolicis, & obtentas ab illis adprobationes exhibuerint: secus enim contingere posset, ut præter eorum voluntatem admittatur celebrando Missæ Sacrificio in Sacellis, & ministrandis Sacramentis, qui vel Sacerdos minime existat, vel si fuerit Sacerdos, suspensionis fortasse, vel irregularitatis vinculo obstringatur &c. &c.

BULLA TERTIA.

Methodus præscribitur in examine, ac proscriptione librorum a Congregationibus Romanæ Universalis Inquisitionis, & Indicis servanda, certæque Relatoribus, ac Consultoribus proponuntur regulæ, quas in examine, judicioque ferendo sequantur.

Extat hæc Bulla in Tom. IV. Bullarii sub numero XIX. data die 9. Julii anni 1753. Pontificatus vero anno XIII.

SOllicita, ac provida Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum vigilantia in eam semper curam incubuit, ut Christifideles ab eorum librorum lectione averteret, ex quibus incauti, ac simplices detrimenti quidpiam capere possent, imbuique opinionibus, ac doctrinis, quæ vel morum integritati, vel Catholicæ Religionis dogmatibus adversantur. Nam, ut vetustissimum mittamus Sancti Gelasii I. Decretum, quæque jampridem a Gregorio IX. aliisque Pontificibus hac de re statuta fuerunt; ignorare neminem arbitramur, quæ fuerint a Prædecessoribus Nostris Pio IV. Sancto Pio V. & Clemente VIII. diligentissime præstita, ut saluberrimum opus a Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Patribus susceptum, mature discussum, ac pene ad exitum perductum, de vetitæ lectionis librorum Indice conficiendo, atque vulgando, non absolverent solum, atque perficerent, sed sapientissimis etiam decretis, ac regulis communirent. Quod quidem negotium Apostolica Sedes continenter urget, ac promovet; ad id deputatis duabus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationibus, quibus onus inquirendi in pravos, noxiosque libros impositum est, cognoscendique, quibus emendatio, & quibus proscriptio debeatur. Id muneris Congregationi quidem Romanæ universalis Inquisitionis a Paulo IV. commissum perhibent, idque adhuc ab ea exerceri pergit, ubi de libris ad certa rerum genera pertinentibus judicandum occurrit. Certum est autem, Sanctum Pium V. primum fuisse Congregationis Indicis Institutorem, quam subsequens Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. confirmarunt, variisque privilegiis, & facultatibus auxerunt; ejusque proprium, ac fere unicum officium est, in examen libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione, vel permissione capienda est deliberatio.

§. 1. Qua maturitate, consilio, ac prudentia in Congregatione universalis Inquisitionis de proscribendis, vel dimittendis libris deliberetur, cum neminem latere putamus, tum Nos ipsi plane perspectum, ac diuturna experientia compertum habemus; nam in Minoribus constituti, & libris nonnullis in ea censuram tulimus, & Consultoris ejusdem Congregationis munere diu perfuncti sumus, postremo inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales cooptati, Inquisitionis Generalis locum in ea obtinuimus; ac demum Apostolicam Sedem, meritis licet imparibus, evecti, non modo Censorum animadversiones, in libros nonnullos aliquando legere, ac ponderare, sed etiam in Congregationibus, quæ singulis Feriis quintis coram Nobis habentur, Cardinalium sententias, atque suffragia, antequam de iisdem libris quid decernatur, audire, & excipere consuevimus. Haud minoris diligentiæ testimonium ferre possumus, adeoque debemus, pro altera Congregatione Indicis, cui generaliter incumbit, ut supra diximus, de quorumvis librorum proscriptione decernere; dum enim in Minoribus versaremur, cum primi, tum secundi Censoris, seu Relatoris officium in ea Congregatione non semel obivimus; ex quo autem Supremum Pontificatum gerimus nullius libri proscriptionem ratam habuimus, nisi audito Congregatione Secretario, qui libri materiem, Revisorum censuras, Cardinalium judicia, & suffragia accurate Nobis exponeret.

§. 2. Sed quoniam compertum est Nobis, atque exploratum, multas librorum proscriptiones, præsertim quorum Auctores Catholici sunt, publicis aliquando, injustisque querelis in reprehensionem adduci, tamquam si temere, ac perfunctorie in Tribunalibus Nostris ex res ageretur; operæ pretium duximus, hac Nostra perpetua valitura Constitutione, certas, firmasque regulas proponere, juxta quas deinceps librorum examen, judiciumque peragatur; tametsi plane affirmari posses, idipsum jampridem, vel eadem prorsus ratione, vel alia æquipollenti, constanter actum fuisse.

§. 3. Porro Romana universalis Inquisitionis Congregatio ex pluribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus a Summo Pontifice delectis, quorum alii Sacræ Theologiæ, alii Canonici Juris doctrina, alii Ecclesiasticarum rerum peritia, munerumque Romanæ Curiæ exercitatione, prudentiæ demum, ac probitatis laude, conspicui habentur. His adjungitur unus ex Romanæ Curiæ Præsulibus, quem Assessorem vocant; unus etiam ex Ordine Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magister, quem Commissarium appellant; certus præterea Consultorum numerus, qui ex utroque Sæculari, ac Regulari Clero assumuntur; aliis demum præstantes doctrina Viri, qui a Congregatione jussi de libris censuram instaurant, iisque Qualificatorum nomen tributum est. De variis in præfata Congregatione, iisque gravissimis rebus agitur; in primis autem de caussis Fidei, ac de personis violatæ Religionis reis. Ac cum librum aliquem ad eam, tamquam proscriptione dignum deferri contigerit, nisi ad Indicis Congregationem, ut fieri plerumque solet, judicandum remittas, sed pro rerum, temporumque ratione, sibi de illo cognoscendum esse arbitretur; Nos, inhærentes decreto lato ab eadem Congregatione Feria quarta Kalend. Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, atque a Nobis confirmato Feria quinta insequente, hac ratione, & methodo judicium institui mandamus.

§. 4. Primo nimirum uni ex Qualificatoribus, aut Consultoribus a Congregatione designando, liber tradatur, quem is attento animo legat, ac diligenter expendat; tum censuram suam scripto consignet, locis indicatis, & paginis, in quibus notati errores continentur. Mox librum cum animadversionibus Revisoris ad Consultores singulos mittatur, qui in Congregatione pro more habenda singulis Feriis secundis in Ædibus Sancti Officii, de libro, & censura sententiam dicant; ipsa deinde censura, cum libro, & Consultorum suffragiis, ad Cardinales transmittantur, ut hi in Congregatione, quæ Feria quarta haberi solet in Fratrum Prædicatorum Cœnobio Sanctæ Mariæ super Minervam nuncupato, de tota re definitive pronuncient. Post ab Assessore Sancti Officii acta omnia ad Pontificem referantur, cujus arbitrio judicium omne absolvetur.

§. 5. Cum autem sit veteri institutione receptum, ut Auctoris Catholici liber non unius tantum Relatoris perspecta censura illico proscribatur; ad normam præfati decreti mensis Julii anni 1750. volumus eam consuetudinem omnino servari; ita ut si primus Censor librum proscribendum esse judicet, quamvis Consultores in eamdem sententiam conveniant, nihilominus alteri Revisori ab eadem Congregatione electo liber, & censura tradantur, suppresso primi Censoris nomine, quo alter judicium suum liberius exponat. Si autem secundus Revisor primo assentiatur, tunc utriusque animadversiones ad Cardinales mittantur, ut iis expensis de libro decernat. Ac si secundus a primo dissentiat, ac librum dimittendum existimet, tertius eligatur Censor, cui suppresso priorum nomine, utraque censura communicetur.

Hujus

Hujus autem relatio, si a priorum Consultorum sententia non abludat, Cardinalibus immediate communicetur, ut ipsi, quod opportunum fuerit, decernant. Sin minus, iterum Consultores, perspecta tertia censura, suffragium ferant; idque una cum omnibus præfatis relationibus, Cardinalibus exhibeatur, qui, re ita mature perpensa, de controversia denique pronuntiare debebunt. Quotiescumque autem Pontifex, vel ob rei, de qua in libro agitur, gravitatem, vel quia id Auctoris merito, aliisque circumstantiis tribuendum censeat, libri judicium coram se ipso in Congregatione Feriæ quintæ habendum decrevit; quod sæpe a Nobis factum fuit, & quoties ita expedire judicabimus, in posterum quoque fiet; tunc satisfuerit exhibere Pontifici, & Cardinalibus libri censuras, & Consultorum suffragia, omisso examine Congregationis Feriæ quartæ, ejusque relatione, quam per Assessorem Pontifici faciendam diximus. Nam Cardinalium suffragiis coram ipso Pontifice ferendis, atque hujus definitiva sententia, vel alio opportuno consilio in eadem Congregatione capiendo, res absolvetur.

§. 6. Altera quoque Indicis Congregatio plures complectitur Cardinales ipsi a Pontifice adscriptos, iisdemque dotibus præditos, quibus Sancti Officii Cardinales pollere solent; quum etiam eorum aliquos in utraque Congregatione locum habere contingat. Ex iis unus ejusdem Congregationis Præfectus existit: Assistens vero perpetuus est Magister Sacri Palatii: Secretarius autem, a prima Congregationis institutione usque in præsentem diem, ex Ordine Fratrum Prædicatorum a Summo Pontifice pro tempore eligi consuevit. Sunt præterea ex utroque Clero Sæculari, & Regulari ejusdem Congregationis Consultores, & Relatores selecti; & quidem ubi aliquis librorum relationes coram Congregatione semel, bis, tertio laudabiliter peregerit, tum ipsa Congregatio Pontificem rogare solet, ut ejus auctoritate in Consultorum numerum referatur.

§. 7. Sub ipsa Pontificatus Nostri primordia, ea Nos subiit cogitatio, ut certam aliquam, & immutabilem methodum pro examine, judicioque librorum in hac Indicis Congregatione servandam statueremus. Qua de re non modo consilium exquisivimus dilecti Filii Nostri Angeli Mariæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Querini nuncupati, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii, & dictæ Congregationis Præfecti, qui pari prudentia, & doctrina suum Nobis sensum scripto declaravit; verum etiam antiquiores aliquot ejusdem Congregationis Consultores coram dilecto Filio Josepho Augustino Orsi Ordinis Prædicatorum, tunc ipsius Congregationis Secretario, nunc autem Palatii Apostolici Magistro, convenire jussimus, suamque sententiam aperire, quæ pariter scripto concepta, Nobis jam tunc exhibita fuit. Cumque hæc omnia diligenter apud Nos asservata fuerint, nunc demum veterem deliberationem Nostram resumentes, quemadmodum ea, quæ ad librorum examen, atque judicium in prænominata Congregatione Sancti Officii peragendum pertinent, auctoritate Nostra constabilivimus; ita etiam ea, quæ ad Congregationem Indicis, & ejusdem generis negotia apud eam tractanda facere possent, opportunis Decretis constituere volentes, prælaudati Cardinalis Præfecti consiliis, dictorumque Consultorum votis inhærendo, hæc deinceps servanda decernimus.

§. 8. Cum Congregatio Indicis ad librorum censuram unice, ut dictum est, instituta, non ita crebro convocari soleat, ut altera Sancti Officii Congregatio, quæ ob caussarum, & negotiorum multitudinem singulis hebdomadis ter haberi consuevit; illius propterea Secretario peculiare munus, & officium recipiendi librorum denuntiationes, ut fieri jam antea consuevit, committimus, & demandamus. Is autem a libri Relatore præcunctabitur diligenter, quas ob caussas illum prohiberi postulet, tum librum ipsum haud perfunctorie pervolvet, ut de propositæ accusationis subsistentia cognoscat; duobus etiam in eam rem adhibitis Consultoribus, ab ipso, prævia Summi Pontificis, aut Cardinalis Præfecti, vel ejus, qui Præfecti vices supplet, approbatione eligendis. Quorum collato consilio, si liber censura, & nota dignus videatur, unus aliquis Relator ad ferendum de eo judicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in libro agitur peritus, eadem, quam nuper innuimus, ratione eligendus erit, qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis, quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed antequam ejus censura ad Cardinalium Congregationem feratur, haberi volumus privatam Consultorum Congregationem, quam olim *Parvam* dixerunt, Nos autem *Præparatoriam* vocabimus, ut Relatoris animadversionibus ad librum collatis, de earum pondere judicium fiat. Hujusmodi Congregatio semel omnino singulis mensibus, aut etiam sæpius, si opportuerit, ab ipso Congregationis Secretario convocanda erit, vel suis cubiculis, vel opportuniore, ut ipsi videbitur, loco, intra prædicti Cœnobii Ædes, ubi is commoratur; cique semper intererit Magister Sacri Palatii pro tempore existens, una cum sex aliis e numero Consultorum, singulis vicibus, pro qualitate argumenti, & materiæ, de qua disputandum erit, ut supra de prioris duobus Consultoribus, & de Relatore constitutum est, a Secretario eligendi; præter Secretarium ipsum, cujus partes erunt in tabulas referre Consultorum sententias, quas deinde ad Congregationem Cardinalium mittet, cum Relatoris censura. In generali demum Congregatione omnia illa servari debebunt, quæ superius statuta sunt pro Congregatione Sancti Officii circa librorum examen. Ac quemadmodum ad Assessorem Sancti Officii pertinet de actis in Congregatione Summum Pontificem certum reddere; ita ad Secretarium Congregationis Indicis spectabit, quoties hæc librum aliquem præscribendum, aut emendandum censuerit, ejusdem Pontificis assensum, prævia diligenti actorum omnium relatione, exquirere.

§. 9. Quoniam vero in Congregatione Indicis de sola librorum prohibitione agitur, nonnulla hoc loco adjungenda judicavimus, eidem Congregationi potissimum usui futura, quæ tamen ab altera etiam Congregatione S. Officii, dum in hujus quoque generis caussis se immiscet, ubi similes rerum circumstantiæ se offerant, æque observandæ erunt. Quotiescumque agatur de libro Auctoris Catholici, qui sit integræ famæ, & clari nominis, vel ob alios editos libros, vel forte ob eum ipsum, qui in examen adducitur, & hunc quidem proscribi oporteat; præ oculis habeatur usu jamdiu recepta consuetudo prohibendi librum adjecta clausula, *donec corrigatur*, seu donec expurgetur, si locum habere possit, nec grave quidpiam obstet, quo minus in casu, de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adjecta, non statim edatur Decretum, sed suspensa illius publicatione, res antea cum Auctore, vel quovis altero pro eo agente, & rogante, communicetur, atque ei quid delendum, mutandum, corrigendum fuerit, indicet. Quod si nemo Auctoris nomine compareat, vel ipse, aut aliter pro eo agens, injunctam correctionem libri detrectet, congruo definito tempore Decretum edatur. Si vero idem Auctor, ejusve Procurator, Congregationis jussa fecerit, hoc est novam instituerit libri editionem cum opportunis castigationibus, ac mutationibus; tunc supprimatur proscriptionis Decretum: nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint; tunc enim ita decretum publicandum erit, ut omnes intelligant primæ editionis exemplaria dumtaxat interdicta fore, secundæ vero jam emendatæ permissa.

§. 10. Conquestos scimus aliquando nonnullos, quod librorum judicia, & proscriptiones, inauditis Auctoribus, fiant, nullo ipsi loco ad defensionem concesso. Huic autem querelæ responsum fuisse novimus, nihil opus esse Auctores in judicium vocare, ubi non quidem de eorum personis notandis, aut condemnandis agitur, sed de consulendo fidelium indemnitati, atque avertendo ab ipsis periculo, quod nova librorum lectione facile incurritur. Si qua vero ignominiæ labe auctoris nomen ex eo aspergi contingat, id non directe, sed oblique ex libri damnatione consequi. Qua sane ratione minime improbandas censemus hujusmodi librorum prohibitiones, inauditis Auctoribus, factas; quum præsertim credendum sit, quidquid pro se ipso, aut pro doctrinæ suæ defensione potuisset Auctor afferre, id minime a Censoribus, atque Judicibus ignoratum, neglectumve fuisse. Nihilo tamen minus, quod sæpe alias, summa æquitatis, & prudentiæ ratione, ab eadem Congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea servari magnopere optamus, ut quando res sit de Auctore Catholico, aliqua nominis, & meritorum fama illustri, ejusque opus, demptis demendis, in publicum prodesse posse dignoscatur, vel Auctorem ipsum suam caussam tueri volentem audiat, vel unum ex Consultoribus designet, qui ex Officio operis patrocinium, defensionemque suscipiat.

§. 11. Quemadmodum vero, ubi de Congregatione S. Officii agebamus, eidem Nos semper interfuturos recepimus, quotiescumque de libro, cujus materia gravioris momenti sit, judicium agatur; quod erit Nobis facillimum, quum eadem Congregatio qualibet Feria quinta coram Nobis habeatur; sic & Indicis Congregationi præsentiam Nostram impendere parati sumus, quoties rei gravitas id promereri videbitur. Neque enim id opus esse dicendum est, cum vel Hæretici hominis liber denuntiatur, in quo Auctor errores Catholico dogmati adversantes consulto tradit, aut tuetur; vel opus aliquod in examen adducitur, quo rectæ morum regulæ labefactantur, ac vitiis, & corruptelis fomenta præbentur. In his enim casibus ne illas quidem, quas supra

scri-

scripsimus, accuratiores cautelas adhibere necesse erit; sed hæretico dogmate, vel pravo moris incitamento semel comperto, proscriptionis Decretum illico faciendum erit, juxta primam, secundam, & septimam Indicis Regulas Sacrosancti Tridentini Concilii jussu editas, atque vulgatas.

§. 12. Cum in prælaudata Congregatione S. Officii severissimis legibus cautum sit, ne de rebus ejusdem Congregationis quisquam cum alio extra illam loquatur; Nos hanc eamdem silentii legem a Relatoribus, Consultoribus, & Cardinalibus Congregationis Indici religiose custodiendam præcipimus. Illius tamen Secretario potestatem facimus, ut animadversiones in libros censuræ subjectos, eorum Auctoribus, vel aliis illorum agentibus, & postulantibus sub eadem decreti lege communicare queat; suppressis semper Denuntiatoris, Censorisque nominibus.

§. 13. Examinandis, corrigendisque libris peropportuna sunt, quæ in Regulis Indicis a Patribus Trident. Syn. confectis, atque editis continentur. In instructione autem fel. record. Clementis Papæ VIII. eisdem Regulis adjecta, *Tit. de correctione librorum* §. 4. Episcopis, & Inquisitoribus cura committitur, ut ad librorum edendorum examen *spectatæ pietatis, & doctrinæ Viros adhibeant, de quorum fide, & integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ daturos, nihil odio, sed omni humano affectu postbabito, Dei damtaxat gloriam spectaturos, & fidelis populi utilitatem*. His porro virtutibus, animique dotibus, si non majori, ac pari certe de caussa, præstare oportet hujus nostræ Congregationis Revisores, & Consultores. Cumque eos omnes, qui nunc hujusmodi munera obtinent, tales esse non ignoremus; optandum, sperandumque est, non absimiles deinceps futuros, qui ad id eligentur; homines nimirum vitæ integros, probatæ doctrinæ, maturo judicio, incorrupto affectu, ab omni partium studio, personarumque acceptione alienos; qui æquitatem, libertatemque judicandi, cum prudentia, & veritatis zelo conjungant. Cum autem eorum numerus non certus, & constitutus non sit; ab ejusdem Congregationis Cardinalibus consilium expectabimus, atque capiemus, num eum pro futuris temporibus definire oporteat, vel expediat. Hoc tamen jam nunc decernentes, quatenus eorum numerus definiatur, ut tam Relatores, quam Consultores ex utroque Clero, Sæculari nempe, & Regulari, assumantur, alii quidem Theologi, alii utriusque Juris periti, alii sacra, & profana eruditione præstantes, ut ex eorum cœtu, pro varietate librorum, qui ad Congregationem deferuntur, idonei viri non desint ad ferendum de unoquoque judicium.

§. 14. Ipsos autem Relatores, Consultoresque, tam nunc existentes, quam in posterum quandocumque futuros, monemus, ac vehementer hortamur, ut in examine, judicioque librorum, sequentes regulas diligenter inspiciant, accurateque custodiant.

§. 15. I. Meminerint, non id sibi muneris, onerisque impositum, ut libri ad examinandum sibi traditi proscriptionem modis omnibus curent, atque urgeant: sed ut diligenti studio, ac sedato animo ipsum expendentes, fideles observationes suas, verasque rationes Congregationi suppeditent, ex quibus rectum judicium de illo ferre, ejusque proscriptionem, emendationem, aut dimissionem pro merito decernere valeat.

§. 16. II. Tametsi hactenus cautum sit, cavendumque deinceps, non dubitemus, ut ad referendum, & consulendum in prædicta Congregatione, ii solum admittantur, qui scientiam rerum, quas libri delati respective continent, diuturno studio acquisitam possideant: decet enim de artibus solos artifices judicare; nihilominus si forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua discutienda committatur, ab illius peculiaribus studiis aliena, idque a Censore, aut Consultore electo, ex ipsa libri lectione deprehendatur; noverit is, se neque apud Deum, neque apud homines culpa vacaturum, nisi quam primum id Congregationi, aut Secretario aperiat, seque ad ferendam de hujusmodi libro censuram minus aptum professus, alium magis idoneum ad id muneris subrogari curet. Quo tantum abest, ut existimationis suę dispendium apud Pontificem, & Cardinales passurus sit, ut magnam potius probitatis, & candoris opinionem, & laudem sibi sit conciliaturus.

§. 17. III. De variis opinionibus, atque sententiis in unoquoque libro contentis, animo a præjudiciis omnibus vacuo, judicandum sibi esse sciant. Itaque Nationis, Familiæ, Scholæ, Instituti affectum excutiant; studia partium seponant, Ecclesiæ Sanctæ dogmata, & communem Catholicorum doctrinam, quæ Conciliorum Generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Orthodoxorum Patrum, atque Doctorum consensu continetur, unice præ oculis habeant; hoc de cetero cogitantes, non paucas esse opiniones, quæ uni Scholæ instituto, aut nationi certo certiores videntur, & nihilominus, sine ullo Fidei, aut Religionis detrimento, ab aliis Catholicis viris rejiciuntur, atque impugnantur, oppositæque defenduntur, sciente, ac permittente Apostolica Sede quæ unamquamque opinionem hujusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit.

§. 18. IV. Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum judicium de vero Auctoris sensu fieri posse, nisi omni ex parte, illius liber legatur; quæque diversis in locis posita, & collocata sunt, inter se comparentur; universum præterea Auctoris consilium, & institutum attente dispiciatur; neque vero ex una, vel altera propositione a suo contextu divulsa, vel seorsim ab aliis, quæ in eodem libro continentur, considerata, & expensa, de eo pronuntiandum esse. Sæpe etiam accidit, ut quod ab Auctore in aliquo operis loco perfunctorie, aut subobscure traditum est, ita alio in loco, distincte, copiose, ac dilucide explicetur, ut effusæ prioris sententiæ tenebræ, quibus involuta, pravi sensus speciem exhibebat, penitus dispellantur, omnisque labis expers propositio dignoscatur.

§. 19. V. Quod si ambigua quædam exciderint Auctori, qui alioquin Catholicus sit, & integra Religionis, doctrinæque fama, æquitas ipsa postulare videtur, ut ejus dicta benigne, quantum licuerit, explicata in bonam partem accipiantur.

§. 20. Has porro, similesque regulas, quæ apud optimos Scriptores de his agentes facile occurrent, semper animo propositas habeant Censores, & Consultores; quo valeant in hoc gravissimo judicii genere, conscientiæ suæ, Auctorum famæ, Ecclesiæ bono, & Fidelium utilitati consulere. Duo autem reliqua sunt in eum finem plane opportuna, quæ hoc loco adjungenda omnino esse judicamus.

§. 21. Prodeunt aliquando libri, in quibus falsa, & reprobata dogmata, aut sistemata, Religioni, vel moribus exitiosa, tamquam aliorum inventa, & cogitata, exponuntur, & referuntur, absque eo quod Auctor, qui opus suum pravis hujusmodi mercibus onerare satagit, ea refutandi curam in se recipiat. Putant vero, qui talia agunt, nulli sese reprehensioni, aut censuræ obnoxios esse, propterea quod de alienis, ut ajunt, opinionibus nihil ipsi affirment, sed historice agant. At quidquid sit de eorum animo, & consilio, deque personali in eos animadversione, de qua viderint, qui in Tribunalibus ad coercenda crimina institutis jus dicunt; dubitari certe non potest, magnam ejusmodi libris in Christianam Rempublicam labem, ac perniciem inferri; quum incautis Lectoribus venenum propinent, nullo exhibito, vel parato, quo præserventur, antidoto. Subtilissimum hoc humanæ malitiæ inventum, ac novum seductionis genus, quo simplicium mentes facile implicantur, quam diligentissime Revisores advertant, ac censuræ subjiciant; ut, vel hujusmodi libri, si aliqua ex ipsis capi possit utilitas, emendentur, vel in vetitorum indicem omnino referantur.

§. 22. In ea, quam superius laudavimus Prædecessoris Nostri Clementis Papæ VIII. Instructione, *Tit. de correctione librorum*. §. 2. Sapientissime cautum legitur, ut *quæ famæ proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum, & Principum detrahunt, bonisque moribus, & Christianæ disciplinæ sunt contraria, expungantur*. Et paullo post: *facetiæ etiam, aut dicteria in perniciem, aut præjudicium famæ, & existimationis aliorum jactata repellantur*. Utinam vero in aspectum, lucemque hominum libri ejusmodi in hac temporum licentia, & pravitate non efferentur, in quibus dissidentes Auctores mutuis se jurgiis, convictisque profundunt; aliorum opiniones nondum ab Ecclesia damnatas censura perstringunt; adversarios, eorumque Scholas, ac Cœtus sugillant, & pro ridiculis ducunt, magno equidem bonorum scandalo, hæreticorum vero contemptu, qui, digladiantibus inter se Catholicis, seque mutuo lacerantibus, plane triumphant. Etsi vero fieri non posse intelligamus, ut disputationes omnes e mundo tollantur, præsertim cum librorum numerus continenter augeatur; *faciendi enim plures libros nullus est finis*, ut est apud Ecclesiast. *cap.* 12. Compertum præterea Nobis sit, magnam aliquando utilitatem ex iis capi posse; modum tamen in defendendis opinionibus, & christianam inscribendo moderationem servari merito volumus, *Non inutiliter*, inquit Augustinus in Enchirid. cap. 59. prope finem, *exercentur ingenia, si adhibeatur disputatio moderata, & absit error opinantium se credere, quod nesciant*. Qui veritatis studium, & purioris doctrinæ zelum, quo suarum scriptionum mordacitatem excusent, obtendere solent, ii primum intelligant, non minorem habendam veritatis, quam Evangelicæ mansuetudinis, & christianæ caritatis rationem. Charitas autem de corde puro patiens est, benigna est, non irritatur, non æmulatur, non agit perperam, utque addit idem Augustinus *lib. contr. Litt. Petiliani cap.* 29. *n.* 31. *Sive superbia de veritate præsumit, sive sævitia pro verita-*

te

te certat. Hæc magnus ille non Veritatis minus, quam Caritatis Doctor, & scripto, & opere præmonstravit. Nam in suis adversus Manichæos, Pelagianos, Donatistas, aliosque tam sibi, quam Ecclesiæ, adversantes, assiduis conflictationibus, id semper diligentissime cavit, ne quempiam eorum injuriis, aut conviciis læderet, atque exasperaret: qui secus scribendo, vel disputando fecerit, is profecto nec veritatem sibi præcipue cordi esse, nec caritatem sectari se ostendit.

§. 23. Ii quoque non satis idoneam, justamque excusationem afferre videntur, qui ob singulare, quod profitentur erga veteres Doctores studium, eam sibi scribendi rationem licere arbitrantur; nam si carpere novos audeant, forte ab lædandis veteribus sibi minime temperassent, si in eorum tempora incidissent; quod præclare animadversum est ab Auctore Operis imperfecti in Matthæum Homil. 42. *Cum audieris*, inquit, *aliquem beatificantem antiquos Doctores*: *si enim illos, cum quibus vivit, sustinet, & honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset*: *si autem suos contemnit, si cum illis vixisset, & illos contempsisset*. Quamobrem firmum, ratumque sit omnibus, qui adversus aliorum sententias scribunt, ac disputant, id quod graviter, ac sapienter a Ven. Servo Dei Prædecessore Nostro Innocentio Papa XI. præscriptum est in Decreto edito die secunda Martii anni 1679. *Tandem*, inquit, *ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum abstineant, ut paci, & caritati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in thesibus, ac prædicationibus, caveant ab omni censura, & nota, necnon a quibuscumque conviciis, contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur, donec a Sancta Sede recognita sint, & super eis judicium proferatur*. Cohibeatur itaque ea Scriptorum licentia, qui, ut ajebat August. *lib. 12. Confess. cap. 25, n. 34. Sententiam suam amantes, non quia vera, sed quia sua est*, aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter etiam notant, atque traducunt. Non feratur omnino, privatas sententias, veluti certa, ac definita Ecclesiæ dogmata, a quopiam in libris obtrudi, opposita vero erroris insimulari, quo turbæ in Ecclesia excitantur, dissidia inter DD. aut feruntur, aut foventur, & christianæ caritatis vincula persæpe obrumpuntur.

§. 24. Angelicus Scholarum Princeps, Ecclesiæque Doctor, S. Thomas Aquinas, dum tot conscripsit numquam satis laudata volumina, varias necessario offendit Philosophorum, Theologorumque opiniones, quas veritate impellente refellere debuit. Ceteras vero tanti Doctores laudes id mirabiliter cumulat, quod adversariorum neminem parvipendere, vellicare, aut traducere visus sit, sed omnes officiose, ac perhumaniter demereri; nam si quid durius, ambiguum, obscurumve eorum dictis subesset, id leniter, benigneque interpretando emolliebat, atque explicabat. Si autem Religionis, ac Fidei caussa postulabat, ut eorum sententiam exploderet, ac refutaret, tanta id præstabat modestia, ut non minorem ab iis dissentiendo, quam Catholicam veritatem asserendo, laudem mereretur. Qui tam eximio uti solent, ac gloriari Magistro (quos magno numero esse, pro singulari nostro erga ipsum cultu, studioque gaudemus) ii sibi ad æmulandum proponant tanti Doctoris in scribendo moderationem, honestissimamque cum adversariis agendi, disputandique rationem. Ad hanc ceteri quoque sese componere studeant, qui ab ejus schola, doctrinaque recedunt; Sanctorum enim virtutes omnibus in exemplum ab Ecclesia propositæ sunt; cumque Angelicus Doctor Sanctorum albo adscriptus sit, quamquam diversa ab eo sentire liceat, et tamen contrariam in agendo, ac disputando rationem inire omnino non licet. Nimirum interest publicæ tranquillitatis, proximorum ædificationis, & caritatis, ut a Catholicorum scriptis absit livor, acerbitas, atque scurrilitas a Christiana institutione, ac disciplina, & ab omni honestate prorsus aliena. Quamobrem in hujusmodi Scriptorum licentiam graviter pro munere suo censuram intendant Revisores librorum, eamque Congregationis Cardinalibus cognoscendam subjiciant, ut eam pro zelo suo, & potestate coerceant.

§. 25. Quæ hactenus a Nobis proposita, ac constituta sunt, Prædecessorum Nostrorum Decretis plane consona, Congregationum quoque Nostrarum legibus, & consuetudinibus comprobata, in librorum examine, ac judicio instituendo, Apostolica auctoritate deinceps servari decernimus. Mandantes universis, & singulis, qui in præfatis Congregationibus locum obtinent, seu illis quomodolibet operam suam præstant, ut adversus præmissa sic a Nobis statuta nihil edicere, innovare, decernere, aut attentare præsumant, absque Nostra, vel Successorum Nostrorum pro tempore existentium Romanorum Pontificum expressa facultate.

§. 26. Non obstantibus contrariis quibusvis, etiam Apostolicis Constitutionibus, & ordinationibus, necnon earumdem Congregationum, etiam Apostolica auctoritate, seu quavis firmitate alia roboratis decretis, usibus, stilis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque &c.

BULLA QUARTA.

Ne Christifideles, sub Turcarum ditione versantes, ad occultandam Christianæ Religionis professionem, Mahumetana nomina sibi imponant, eisque se compellari patiantur.

Extat hæc Bulla in Tom. IV. Bullarii sub num. XXVII. data die 1. Augusti anno 1754. Pontificatus vero anno XIV.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, nec non dilectis Filiis Parochis, & Missionariis, Provinciæ Albaniæ &c.

QUod Provinciale Concilium Albanum Provinciæ vestræ Venerab. Fratres, dilecti Filii, Anno MDCCIII. sub fel. rec. Clemente Papa XI. Prædecessore nostro celebratum, inter cetera, Canone tertio sanctissime statuerat, nimirum ne Turcica, seu Mahumetana nomina, sive parvulis, sive adultis in Baptismate imponerentur; neve Christifideles Turcicis, seu Mahumetanis nominibus, quæ numquam sibi imposita fuerant, ob quamcumque vel tributorum exemptionem, & immunitatem, vel liberi commercii commodum, vel evitandarum pœnarum caussam se nuncupari paterentur: id ipsum, inter cetera, Nos quoque commendantes, confirmavimus, ac servandum præcepimus in Nostra Encyclica Epistola, cujus initium est *Inter omnigenas*, pro Regno Serviæ, & finitimis Regionibus, super pluribus Religionis, ac disciplinæ capitibus die XI. Mensis Februarii Anno MDCCXLIV. Pontificatus Nostri anno Quarto edita. Providum igitur, ac salutare ejusmodi statutum ab Antecessoribus vestris tanta cum sapientia, ac religione conditum, & tamquam luculentum Catholicæ Fidei, sinceræque vestræ Christianæ pietatis exemplum, aliis ad imitandum, & omnino custodiendum a Nobis districte præceptum, quemadmodum in Provinciæ vestræ majorem gloriam, & existimationem, majoremque consequendæ æternæ animarum salutis utilitatem, ita si negligi forte contingat, in majus ejusdem vestræ Provinciæ dedecus, apertumque animarum discrimen redundare videtur.

§. 1. Nos autem, qui abusum illum in prædicta Epistola nostra, tamquam turpem Christianæ professionis occultationem ad infidelitatem accedentem pronunciavimus, maximo cum Pontificii animi nostri mærore accepimus, quod quamplurimi istius Provinciæ, posthabita æternæ salutis ratione, eadem Turcica, sive Mahumetana nomina usurpare pergant, non solum, ut a tributis, & oneribus illis, quæ Christifidelibus imposita sunt, vel imponi sæpe contingit, immunes, & liberi sint, & habeantur; verum etiam ut tam ipsi, quam eorum Parentes a Mahumetana Secta apostatasse minime credantur, nec pœnis hac in res inflictis mulctentur. Hæc enim omnia, etsi Fides Christi in corde teneatur, fieri tamen nequeunt, sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati Christianæ contraria; quæ mendacium in re gravissima continet, & virtualem Fidei negationem, maximi cum Dei injuria, Proximique scandalo includit. Unde opportuna etiam præbetur Turcis ipsis occasio, Christifideles omnes, tamquam hypocritas, & deceptores existimandi, atque adeo jure ac merito persequendi.

§. 2. Accedit præterea, ad mærorem, doloremque nostrum magis, magisque augendum, quod nonnulli ex Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, atque ex Vobis quoque dilecti Filii Parochi, & Missionarii, ad tam pravam, ac detestabilem simulationem nihil animadvertentes, immo conniventes, atque inanibus ad excusandas excusationes in peccatis rationum momentis adducti, eos Christifideles curæ vestræ creditos, qui sæpe dicta Turcica, seu Mahumetana nomina assumunt, iisque vocari student ad Sacramentorum participationem, sine ullo prorsus conscientiæ angore, & publica cum bonorum Christifidelium offensione, admittere non vereantur.

§. 3. Hinc est, quod Nos, qui ex injuncta Nobis omnium Ecclesiarum sollicitudine, ac Suprema Sacrosancti Apostolatus procuratione, Christianos omnes in viam salutis reducere, eosdemque puros, sinceros, in spiritu, & veritate ambulantes, & absque macula Deo exhibere tenemur, postquam Venerabiles Fratres Nostros S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales contra Hæreticam pravitatem Generales Inquisitores super hac re audivi-

mus,

mus, ne eorum consilio, primum quidem laudatum Concilii Albani vestræ Provinciæ Canonem renovantes, Apostolica auctoritate Nostra tenore præsentium confirmamus, & districte servandum mandamus; nec non memoratæ Epistolæ Nostræ decreta ad vestram quoque Provinciam auctoritate, & tenore paribus extendimus, & servandam itidem præcipimus. Deinde districte pariter prohibemus, ne quilibet ex Christifidelibus, quocumque casu, vel prætextu, aut in quibusvis excogitabilibus circumstantiis, eadem Turcica, seu Mahumetana nomina, ut Mahumetani credantur, assumere audeat.

§. 4. Porro Venerabiles Fratres, dilecti Filii, Vos rogamus, & in Domino hortamur, ut serio animo ministerium vestrum, & districtam Supremo Pastorum Principi Jesu Christo Æterno Judici rationem de commissis unicuique vestrum ovibus a Vobis reddendam considerantes, & ipsi curetis per bona opera vestra certam electionem vestram facere, & minime omittatis (quod sine gravissima incuriæ, negligentiæque vestræ culpa accidere non potest) eosdem Christifideles Provinciæ vestræ arguere; obsecrare, & increpare in omni patientia, & doctrina, ut conversationem suam inter Gentes habentes bonam, in omnibus seipsos præbeant exemplum bonorum operum, ut ii, qui ex adverso sunt, vereantur, nihil habentes malum dicere de ipsis, quasi malefactoribus, qui turpis lucri caussa aliud in ore, aliud in corde ferant. Quod si qui admonitionibus vestris, & præceptis nostris non acquiescant ad Apostolicæ disciplinæ normam, virga compelli debent, & circa ipsos Albanensis Synodi vestræ, & dictæ Epistolæ nostræ, sanctiones, & pœnæ omnino exequendæ sunt, quibus in vita Sacramentorum, & post mortem, si impœnitentes decesserint, suffragiorum incapaces declarentur. Quas quidem pœnas iterum, quatenus opus sit, innovamus, & infligimus, & debitæ executioni a Vobis mandandas volumus, & injungimus. Hoc autem nemini ex Vobis, Venerabiles Fratres, dilecti Filii, durum esse debet; quoniam nisi abundaverit justitia vestra plusquam Schismaticorum, & Hæreticorum, quorum tamen nullus Mahumetanum nomen assumere præsumit, non intrabitis in Regnum Cælorum.

§. 5. Illos denique, qui ex Mahumetanis Christiani sunt facti, vel qui istorum sunt filii, si de sua in fide constantia diffidant, vereanturque, ne si Turcica deponant nomina, dominantium pœnas incurrant, easdemque subire formident, serio admoneatis, ut omnino regiones illas occulte deserant, & ad Terras Christianorum accedant, atque confugiant, in quibus, & Deus, qui dat escam omni carni, & fidelium caritas minime ipsis deerit; maxime si Episcoporum commendatitiis Epistolis muniantur. Interim Vobis, Venerabiles Fratres, dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem, quam a quolibet Venerabili Fratre Antistite in sua Diœcesi Christifidelibus Orthodoxis Nostro nomine impendi volumus, peramanter elargimur.

BULLA QUINTA.

Refractariis Constitutioni Unigenitus, an, & quando SS. Corporis Christi Viaticum denegari debeat, Encyclica hac Epistola definitur.

Extat hæc Bulla in Tomo IV. Bullarii sub num. LXI. data die 16. Octobris 1756. Pontificatus vero anno XVII.

Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, ac Archiepiscopis, & Episcopis Regni Galliarum, in novissimis Comitiis Cleri Gallicani congregatis.

EX omnibus Christiani Orbis regionibus ad quas imposita imbecillitati Nostræ Pastoralis cura protenditur, quum multa sæpe ad Nos deferantur, quæ animum Nostrum, per omnium, singularumque Ecclesiarum statum sollicitum, & anxium habeant, via tamen aliunde Nobis majores perturbationis, atque doloris caussæ acciderunt, quam ex gravissimis controversiarum, & dissensionum incommodis, quibus florentissimum illud Regnum, & Catholicas Gallorum nationes aliquot ab hinc annis jactari cognovimus. Neque sane destitimus hoc toto perturbationum vestrarum tempore Deum optimum maximum enixe rogare, ac interpositis etiam aliorum precibus, orare, atque obsecrare, ut ipse, qui Deus pacis est, veram, solidamque tranquillitatem turbatis Ecclesiis vestris reddere dignaretur. Sæpe etiam, datis ad carissimum in Christo Filium Nostrum Ludovicum Galliarum Regem Christianissimum Apostolicis litteris, illius opem, & brachium ad Ecclesiasticæ pacis tutelam, atque præsidium imploravimus. Iis autem, qui ad Nos, & ad Sedem Apostolicam de rebus istis recursum habuerunt, ea semper responsa dedimus, quibus Nos promptos, paratosque declaravimus, pro pari Ecclesiæ Gallicanæ, quam sincera, & constanti dilectione prosequimur, quidquid Nobis vitæ superesse posset, libenter impendere, atque omnia, quæ Nobis agenda proponerentur, & aggredi, & urgere, dummodo ejusmodi consilia essent, quæ ad revellendum malorum germen apta, & idonea dignoscerentur, & quorum executio cum spe prosperi eventus suscipienda, & ad intentum finem utiliter processura videretur.

§. 2. Gravem, atque diuturnam de rebus vestris sollicitudinem, qua hactenus affecti fuimus, non parum sublevarunt litteræ e Gallicani Cleri Comitiis die 31. Octobris elapsi anni ad Nos scriptæ, quas quidem legentes vestram, Venerabiles Fratres, firmitatem, atque constantiam, vestram perspeximus perfectam consensionem in custodiendo veræ, sanæque doctrinæ deposito, & in retinenda, quam semper Majores vestri professi sunt, erga Apostolicam Beati Petri Sedem, Catholicæ Unitatis centrum, observantia, & veneratione. Neque enim ullam inter vos dissensionem vigere comperimus, quoad canonicas regulas, & principia, sed scissuras tantummodo esse inter vos in deligendis, statuendisque mediis, quibus utendum necessario est, ut eadem communia principia in usum deducantur. Quod quamvis optandum fuisset longe abesse a Conventu vestro, haud tamen mirum videri debet, scientibus, id aliis inter sacros Antistites, & doctrina, & morum sanctitate conspicuos, in gravissimarum rerum tractatione evenisse. In magnam autem præconceptæ consolationis nostræ accessionem sese obtulit eximia Christianissimi Regis pietas, & religio, cum hereditario ipsius in hanc Apostolicam Sedem obsequio conjuncta, quæ non in recentioribus tantummodo illius litteris, quas die 19. Decembris ejusdem elapsi anni, prædictam Cleri epistolam huc mittens, ad Nos dedit, sed in ceteris quoque omnibus ab eo conscriptis, præclare enituit, in quibus testari possumus, atque debemus, Nos semper illius Regii animi sensus eos plane deprehendisse, qui maxime decebant Orthodoxum Principem, & vera in Deum religione, & sincera erga Romanam Sedem pietate præditum, eumdemque pacis, atque concordiæ in suis Regnis restituendæ, & conservandæ amantissimum.

§. 3. Tanta est profecto in Ecclesia Dei auctoritas Apostolicæ Constitutionis, quæ incipit *Unigenitus*, eademque sibi tam sinceram venerationem, obsequium, & obedientiam ubique vindicat, ut nemo Fidelium possit, absque salutis æternæ discrimine, a debita erga ipsam subjectione sese subducere, aut eidem ullo modo refragari. Hinc porro consequitur, ut in ea, quæ exorta est, controversia, utrum hujusmodi Refractariis Sanctissimum Corporis Christi Viaticum expetentibus denegari debeat, sine ulla hæsitatione respondendum sit, quoties prædictæ Constitutioni publice, & notorie refractarii sint, denegandum ipsis esse; ex generali nimirum regula, quæ vetat publicum, atque notorium peccatorem ad Eucharistiæ Communionis participationem admitti, sive eam publice, sive privatim requirat.

§. 4. Publici autem, atque notorii sunt refractarii, in casu, de quo agitur, quicumque per sententiam a Judice competente prolatam rei declarati sunt, eo nomine, quod debitam prædictæ Constitutioni Unigenitus venerationem, obsequium, & obedientiam contumaciter denegaverint; quicumque etiam hujusmodi contumaciæ reos se in judicio confessi sunt; ac præterea illi, qui quamvis nec a Judice condemnati, neque reatum suum in judicio confessi fuerint, nihilominus vel eo tempore, quo sacrum ipsum Viaticum suscepturi sunt, propriam inobedientiam, & contumaciam adversus Constitutionem Unigenitus sponte profitentur, vel in anteacta vita decursu, aliquid evidenter commisisse noscuntur, manifeste oppositum venerationi obsequio, & obedientiæ eidem Constitutioni debitæ, in eoque facto moraliter perseverare; quod ita vulgo cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum, non adhuc cessaverit; in his enim casibus eadem omnino adest moralis certitudo, quæ habetur de iis factis, super quibus Judex sententiam tulit, vel saltem alia suppetit moralis certitudo prædictæ similis, & æquipollens.

§. 5. In quo tamen præ oculis habenda est differentia, quæ intercedit inter notorium illud, quod merum aliquod factum deprehenditur, cujus facti reatus in ipsa sola externa actione consistit, ut est notorietas usurarii, aut concubinarii; & aliud notorii genus, quo externa illa facta notari contingit, quorum reatus ab interna etiam animi dispositione plurimum pendet; de quo quidem notorii genere nunc agitur. Alterum enim illud gravibus sane probationibus evinci debet; sed alterum gravioribus, certioribusque argumentis oportebit.

§. 6. Ea vero, quam supra innuimus, certitudo minime adesse dicenda est in aliis casibus, in quibus crimen nititur conjecturis, præsumptionibus, incertisque voci-

vocibus, quæ originem suam plerumque debent hominibus, aut malo animo affectis, aut qui præjudicatis opinionibus, vel partium studiis ducuntur; quibus dum fides habetur, satis compertum est, tum præteritorum temporum, tum ætatis nostræ experientia, quot modis homines errari, & falli, ac in transversum agi contingat.

§. 7. Quia vero nonnulli animarum Pastores, Ecclesiæque Ministri pietate, & zelo commendati, hujusmodi conjecturis, & præsumptionibus deferentes, dum ad sacrum Viaticum aliquibus ministrandum advocantur, animo anxii hærent, verentes ne id sine propriæ conscientiæ periculo administrare non possint, certam subnectimus agendi regulam, quam sequantur.

§. 8. Hoc itaque primum animadvertere debent, an scilicet ei, qui extremum Viaticum postulat, quum antea ad sacram Mensam accederet Paschali præsertim tempore, a loci illius Parocho, ubi degebat, Eucharistica Communio administrata fuerit: si enim hæc illi in vita non fuerit denegata, argumentum id erit, aut hominem illum ab omni labe immunem, aut saltem non vere notorium peccatorem reputatum fuisse; indeque sequetur, sacrum Viaticum eidem in exitu vitæ publice postulanti denegari non posse, nisi forte, postquam olim ad Eucharisticam Mensam admissus fuit, & ante id tempus, quo postrema Sacramenta requirit, aliquid commisisse noscatur, quo publici, & notorii peccatoris notam, juxta præmissa, contraxerit.

§. 9. Ubi autem ea hac facti specie certum ipsis non suppetat fundamentum, cui insistere valeant; aliunde vero validæ adversus ægrotum præsumptiones, & indicia gravia, & urgentia militent, ob quæ obortum sibi scrupulum rationabiliter deponere nequeant; in his rerum circumstantiis oportet eos, remotis arbitris, ægrotantem alloqui, eique cum omni lenitate, & mansuetudine, non tamquam disputantes, eumque convincere volentes, ostendere, quæ, & qualia sint indicia, quæ suspectum reddunt ipsius vitæ tenorem; rogantes eum, & obsecrantes, ut resipiscat in eo saltem temporis articulo, a quo æterna ipsius salutis sors pendet; eidemque præterea demonstrantes, quod, quamvis ipsi parati sint Sanctissimum Corporis Christi Viaticum ei ministrare, ac etiam reipsa illud ei ministrent, non ideo tamen tutus ipse erit ante tribunal Christi, sed potius novi, & horrendi criminis reum se constituet, ex quo judicium sibi manducavit, & bibit; ceterum se non alia de caussa Sacramentum Corporis Christi eidem ministraturos, nisi ut Ecclesiæ jubenti obtemperent, quæ præter eam, quam habet, curam, ut scandala publica anteverteat, pro sua etiam pietate ægroti ipsius infamiam præcavere studet, & idcirco eum a sacra mensa non repellit, dum ipsum, licet peccatorem in conspectu Domini reputet, non tamen in proprio tribunali publicum, atque notorium peccatorem agnoscit.

§. 10. Hanc itaque judicandi, agendique normam oportet vos, Venerabiles Fratres, utpote Nostro, & Apostolicæ Sedis judicio probatam, inferioribus animarum Pastoribus, ceterisque Presbyteris per Civitates, & Diœceses vestras Sacramenta legitime administrantibus, sequendam, & observandam proponere. Quod quidem judicium super vigentibus controversiis a Nobis interpositum, & Ecclesiasticis regulis nititur, & Conciliorum olim in ipsis Galliarum regionibus habitorum decretis, & gravium ipsius nationis vestræ Theologorum sententiis fulcitur. Ut igitur vobis laudi fuit, illustrium Prædecessorum vestrorum exempla sequendo, promotas istic controversias, subortaque dubia ad Nos, & Apostolicam Sedem deferre, certamque hinc regulam, ad revocandam, tuendamque Ecclesiarum vestrarum pacem exposcere; ita nunc officii vestri partes, vestraque simul apud Deum, & Ecclesiam merita cumulabitis, si suprascriptam agendi methodum, ab iis, ad quos pertinet, in occurrentibus casibus omnino servari curabitis. Quod Nos a Fraternitatibus vestris eo fidentius expectamus, Nobisque pollicemur, quo magis Nobis ipsi conscii sumus, nihil diligentiæ, aut studii a Nobis prætermissum fuisse, sive in perpendendis, ac discutiendis articulis, quos Episcopi in præfatis Cleri Comitiis adunati, licet non unanimi sententia, proposuerunt, desumendisque ex ipsa eorum discrepantia notionibus, ad rem penitus percipiendam, rectoque judicio definiendam opportunis; sive in legendis, ponderandisque sententiis scripto exaratis a Venerabilibus Fratribus nostris hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quorum hac de re consilia exquisivimus; sive in ceteris omnibus exequendis, atque præstandis, per quæ Divini luminis adjutorium, quod interim flagrantissimis votis implorare non prætermisimus, Nobis promereri possemus.

§. 11. Neque vero dubitamus, quin carissimus quoque in Christo Filius noster Rex Christianissimus, postquam susceptum a vobis consilium, non solum probavit, sed etiam, ut supra innuimus, suis ad Nos datis litteris fovere, & adjuvare non recusavit; pro sua perspecta in Deum, & Ecclesiam religione, ac pietate, validam Fraternitatibus vestris opem præbere studeat, quo tam vobis, quam inferioribus Ecclesiæ Ministris liberum, & integrum sit, ad superius descriptam agendi normam sacrorum Mysteriorum administratione moderari. Qua quidem fiducia freti, Nos hic sermonem minime habendum existimavimus de reliquis Fratrum vestrorum articulis respicientibus Episcopalia jura circa eorumdem Sacramentorum participationem concedendam, vel denegandam, & varias super hac re obortas controversias; sed potius cum ipso Christianissimo Rege per alias litteras nostras agendum duximus, ut is sacra Episcopatus jura, sua animi magnitudine, ac præstanti virtute tueatur. Quod ipsum, & proprio, & majorum suorum more facturum certo confidimus, ut nobilissimæ Galliarum Ecclesiæ, illius regio favore, nostris, vestrisque studiis obsecundante, suum pristinum decorem retinuisse, & perturbatam ad tempus tranquillitatem cito recuperasse lætentur. In cujus optatissimi eventus auspicium, Fraternitatibus vestris, cunctisque Populis, Pastorali curæ vestræ concreditis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

BULLA SEXTA.

Confirmantur Motus proprius Sancti Pii V. & Constitutio Urbani VIII. contra tondentes monetas aureas, & argenteas: nec non Bannimenta, & Decreta adversus falsificantes, alterantes, ac expendentes Cedulas Montis Pietatis, & Mensæ Nummariæ Sancti Spiritus: & pœnæ in illis inflictæ ad omnes Ecclesiasticas personas extenduntur.

Extat hæc Bulla in Tom. IV. Bullarii sub num. LXIV. data die 30. Octobris ann. 1756. Pontificatus vero anno XVII.

AD curam Nostram pertinere dignoscamus, pro ea vigilantia, quam rectæ Justitiæ in Civitatibus, & locis temporali Dominio Nostro subjectis administrandæ præstare debemus, omni studio satagere, ut meritis, justisque pœnis ea præsertim delicta coerceantur, quæ humanæ societatis leges perturbant, & publicæ utilitatis rationibus magnopere officiunt; cumque in finem non modo veteres Prædecessorum Nostrorum Constitutiones confirmare, atque in usum, & memoriam hominum revocare, verum etiam easdem extendere, & ad casus in ipsis non satis expressos ampliare non recusamus, prout labentium temporum, & occurrentium caussarum necessitates exposcere videntur, Nosque ad providum Reipublicæ regimen expedire in Domino judicamus.

§. 2. Sane felicis record. Prædecessor Noster Sanctus Pius Papa V. per suam Schedulam motus proprii datam Romæ apud Sanctum Petrum octavo Kal. Novembris Pontificatus sui anno V. cujus initium est: *Cum nihil magis*; attendens, quod licet monetarum aurearum tonsoribus ultimi supplicii pœna de jure inflicta esset, argenteas tamen monetas tondentibus satis minor pœna imposita erat; animoque reputans, pro publici commercii subsistentia, nimis necessarium esse eodem juris rigore in utroque delicti hujusmodi genere adversus delinquentes procedere; statuit, atque decrevit, eos, qui argenteas tonderent monetas, ultimi supplicii, & ea, qua aurearum tonsores catenus puniri fuerant, & de jure puniri debebant, pœna puniendos esse; volens hujusmodi sanctionem ab omnibus Judicibus tam in Urbe, quam alibi in toto Statu Ecclesiastico, remotis impedimentis, quæ ipsis a temporalibus Terrarum, Locorum, & Civitatum Dominis objici forsan potuissent, debitæ executioni mandari.

§. 3. Postmodum vero recol. mem. Prædecessor pariter Noster Urbanus Papa VIII. per suam perpetuo valituram Constitutionem incipientem: *In suprema*, datam apud Sanctam Mariam Majorem Anno incarnationis Dominicæ MDCXXVII. Idibus Novembris, Pontificatus sui anno IV. ejusmodi statutum, decretum, & voluntatem præfati Sancti Pii Prædecessoris approbavit, confirmavit, & innovavit; ac ad omnes, & singulas personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas, tam Sæculares, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti, etiam de necessitate exprimendi, nec non Militiarum quarumcumque, etiam Hospitalis Sancti Joannis Jerosolymitani, Regulares, non solum in Statu Ecclesiastico tunc sibi, & Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjecto, sed etiam in omnibus, & singulis Provinciis, Regnis, Civitatibus, Terris, & Locis, in Italia dumtaxat existentes, quæ aureas, & argenteas monetas tondere, vel alias, ut ibi latius exponitur, circa eas delinquere præsumpsissent, extendit, & amplia-

ampliavit; volens ut Ecclesiastici hujusmodi, culpabiles in præmissis reperti, prævia degradatione, Curiæ sæculari puniendi traderentur.

§. 4. Cum autem hujusmodi delicta, perversis hominum cupiditatibus suadentibus, interdum pullulare non desinant, ac præterea nonnulli perditionis filii sæpe reperti fuerint, qui majora commercii publici, & privatorum, seu etiam Communitatum, & Universitatum, ac Locorum piorum, ipsiusque forsan Cameræ Apostolicæ detrimento, syngraphas, seu cedulas tam Montis Pietatis, & Depositorum hujus nostræ Almæ Urbis, quam Mensæ Nummariæ Sancti Spiritus, aut falsas conficere, aut genuinas corrumpere, & alterare: alii autem, qui eas vel falsas, vel corruptas, & alteratas, sive in Urbe, sive in aliis Civitatibus, & Locis Ditionis Ecclesiasticæ, ubi nimirum hujusmodi syngraphæ liberum obtinent cursum, & non secus ac auri, & argenti signati monetæ expenduntur, expendere præsumpserint; & licet adversus hujusmodi delinquentes, cujuscumque status, ordinis, & conditionis existant, condignæ pœnæ, etiam ultimi supplicii, in generalibus Bannimentis, tam per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium super Consultationibus negociorum universi Status Ecclesiastici, quam per pro tempore existentes prædictæ Almæ Urbis Gubernatores, ejusdem S. R. E. Vice-Camerarios, ac etiam Cameræ Apostolicæ Thesaurarios, Nostra, & Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum auctoritate editis, & promulgatis, aliisque Pontificiis legibus, & Constitutionibus inflictæ, latæ, & decretæ comperiantur. Cum tamen in occurrentibus caussarum judiciis dubitari contigerit de omnimoda, & plenaria hujusmodi pœnalium sanctionum extensione ad personas Ecclesiasticas hujusmodi delictorum reas compertas, nec sine speciali definitione Nostra hujusmodi dubia submoveri posse visum fuerit;

§. 5. Idcirco Nos præfatas S. Pii V. & Urbani VIII. Prædecessorum leges, atque Constitutiones contra tondentes monetas aureas, & argenteas, seu alias circa eas delinquentes, necnon præmissa Bannimenta, aliaque statuta, & decreta adversus falsificantes, & alterantes dictorum Montis, & Mensæ Nummariæ syngraphas, seu cedulas, easdemque falsas, seu alteratas scienter expendentes, quarum, & quorum tenores præsentibus litteris pro insertis habere volumus, & decernimus, in omnibus, & per omnia approbamus, confirmamus, & innovamus: ac præterea earumdem præsentium tenore, necnon motu proprio, & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis Nostræ plenitudine, prædictam Urbani VIII. Constitutionem, quæ incipit, *In suprema*, cum omnibus decretis, & clausulis in ea contentis, ad omnes, & singulas personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas, tam Sæculares, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam de necessitate exprimendi, necnon Militiarum quarumcumque, etiam Hospitalis Sancti Joannis Jerosolymitani, Regulares, prædictas cedulas falsificantes, seu aliter circa eas, & cum iis, ut infra, delinquentes, expresse extendimus, & ampliamus: ita ut quicumque, etiam Ecclesiastici hujusmodi, prædictorum Montis Pietatis hujus Almæ Urbis, & Mensæ Nummariæ Sancti Spiritus cedulas falsificasse, nimirum falsas ad verarum imitationem, & similitudinem confecisse, seu veras in substantialibus corrupuisse, & quoad valorem in quacumque summa alterasse, quique in hujusmodi falsificatione, seu corruptione, & alteratione, quolibet modo complices fuisse, nimirum aliqua ratione ea in re dolose operam præstitisse, etiamsi falsificatio, corruptio, & alteratio hujusmodi extra ditionem Ecclesiasticam patrata fuerit, quique demum hujusmodi cedulas, seu falsas, seu, ut supra corruptas, & alteratas, tam in prædicta Urbe, quam in Bononien., Ferrarien., Beneventana, aliisque Civitatibus, Terris, Oppidis, & Locis Italiæ, Nobis, & Sedi Apostolicæ prædictæ mediate, vel immediate subjectis, scienter expendisse comperti fuerint, iisdem pœnis, etiam ultimi supplicii, quibus tondentes monetas aureas, & argenteas, seu aliter circa eas delinquentes, juxta præmissas S. Pii V. & Urbani VIII. Prædecessorum leges, & Constitutiones subjecti sunt, pariformiter puniantur, & cum effectu subjiciantur; &, si Ecclesiastici fuerint, etiam exempti, & privilegiati, ut supra, prævia degradatione Curiæ sæculari puniendi tradantur.

§. 6. Atque ita, & non aliter in quibusvis ejusdem Urbis, & Ditionis Ecclesiasticæ Tribunalibus, ac per quoscumque Judices in hac materia competentes, etiam speciali, & individua mentione dignos, contra delinquentes in præmissis, etiam Ecclesiasticos exemptos, & privilegiatos, ut supra, in Judicio confessos, sive legitime convictos, procedi, decerni, judicari, & sententiari omnino mandamus; sublata cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate; ac irritum, & inane decernentes, si secus super his a quolibet eorum scienter, vel ignoranter judicari contigerit.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis aliis, etiam Apostolicis, & in Generalibus, Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis Constitutionibus, & Ordinationibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, præfatis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam de necessitate exprimendis, nec non Militiis quibuscumque, etiam Hospitalis Sancti Joannis Jerosolymitani, & aliis Religiosis, ac piis Locis alias concessis, ac sæpius confirmatis, & innovatis; ac eorumdem & quarumvis etiam etiam Urbis præfatæ, nec non Bononien. Ferrarien. Beneventanæ, aliarumque Ditionis prædictæ Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Castrorum, & Locorum, ac omnium, & quorumcumque Tribunalium in ipsis consistentium, etiam confirmatione Apostolica, seu quavis alia firmitate roboratis, statutis, resolutionibus, usibus, stilis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores pro expressis, ac de verbo ad verbum præsentibus insertis, nec non præscriptas in ipsis derogationum formas pro plene observatis habentes, ad præmissorum effectum dumtaxat illis alias in suo robore permansuris, motu, scientia, & potestatis plenitudine præfatis specialiter, & expresse derogamus, & sufficienter derogatum fore decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, quod præsentes in valvis Ecclesiæ Lateranensi, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac in aliis consuetis ejusdem Urbis locis publicentur, & affigantur; & postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & singulos perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique nominatim, & personaliter intimatæ fuissent.

BULLA SEPTIMA.

Missam celebrantes, aut Fidelium Confessiones excipientes, ad Presbyteratus Ordinem non promoti, quibus pœnis ex sacrorum Canonum, & Apostolicarum Constitutionum præscripto subjiciantur, quæ praxis hactenus in Judiciis adversus hujusmodi reos sit servata, & quomodo in posterum sit providendum.

Extat hæc Bulla in Tom. IV. Bullarii sub num. LXIX. data die 2. Augusti anno 1757. Pontificatus vero anno XVII.

Epistola Encyclica ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, Locorum Ordinarios.

QUam grave, horrendumque scelus admittat, quicumque Sacerdotali Ordine non initiatus, Sacrificium Missæ celebrare præsumit, superfluum censemus multis verbis demonstrare, cum omnibus perspectæ sint rationes, ob quas sacrilegum hujusmodi crimen merito detestandum, atque districto pœnarum gladio vindicandum censetur. Satis itaque erit Apostolicas Prædecessorum Nostrorum Constitutiones hic indicare, quibus severissimæ adversus memorati criminis reos pœnæ statuuntur; quæ scilicet a fel. recor. Paulo IV. Sixto V. Clemente VIII. & Urbano VIII. Romanis Pontificibus editæ fuerunt; quarum sanctionibus decernitur, ut quicumque Sacerdotali charactere destitutus, compertus fuerit Missam celebrasse, Foro sæculari puniendus tradatur.

§. 2. Has omnes Constitutiones Nos ipsi memoravimus, & confirmavimus in nostra, quam usque ab anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLIV. Pontificatus Nostri IV. sub dat. att. Kal. Majas edidimus, cujus initium est: *Sacerdos in æternum*, quæque impressa est in Bullario Nostro *tom. 1. num.* 97. ubi præterea plures tolluntur exceptiones, & subterfugia, quæ per Defensores reorum afferri solebant, ut eos eximerent a decreta pœna traditionis brachio sæculari; quantumvis legitimis probationibus plane constaret, eosdem, Sacerdotali ordinatione numquam suscepta, Missam celebrasse.

§. 3. Quamvis autem Ecclesia præfatos celebrantes non promotos, justitia sic exigente sæculari Foro tradendos decreverit; cum tamen eadem pia mater sit, &, ut omnibus constat, lenitatis, & misericordiæ viscera gerat, nec umquam omisit, nec adhuc desinit mansuetudinis suæ argumenta præbere, tum in statuenda forma degradationis verbalis, quæ realem degradationem præcedit; tum in ipsa reali degradatione exequenda; tum denique in providis legibus, & cautelis editis, atque susceptis, ut nequissimos homines arceret a sacrilego ausu sese immiscendi Sacrorum Mysteriorum celebrationi, absque Sacerdotali ordine, & charactere; viam illis quodammodo

modò præoccupando, qua in præfatam pœnam traditionis brachio sæculari provenire possent.

§. 4. In Pontificali Romano habetur forma degradationis verbalis, per quam videlicet profertur sententia decernens realem degradationem non minus in eos, qui Sacris Ordinibus, excepto Presbyteratu, insigniti sunt, quam & in ceteros Clericali tantum Tonsura, aut minoribus Ordinibus initiatos. Hoc solum inter utrosque intercedit discrimen, quod in Clericos in minorum Ordinum, aut simpliciter Tonsuratos, verbalis degradatio peragitur, sed quod idem est, degradatio realis decernitur, a solo Episcopo, absque aliorum quorumcumque interventu; in alios vero majoribus Ordinibus infra Sacerdotium insignitos, non licet Episcopo ad verbalem degradationem procedere, nisi assistentibus, & suffragium simul ferentibus sitis quibusdam personis, quarum præsentiam, sententiamque Canonicæ Leges exposcunt.

§. 5. Celebris est Decretalis Prædecessoris Nostri Bonifacii Papæ VIII. *in cap. Degradatio, de pœnis in sexto*, ubi hæc leguntur: *Super quo tibi taliter respondemus, quod verbalis degradatio, seu depositio ab Ordinibus, vel Gradibus Ecclesiasticis, est a proprio Episcopo, sibi assistente in degradatione Clericorum in Sacris constitutorum Ordinibus, certo Episcoporum numero definito Canonibus, facienda: quamquam propria Episcopi sententia, sine aliorum Episcoporum præsentia sufficiat in degradatione eorum, qui minores Ordines duntaxat receperunt.*

§. 6. Notæ sunt etiam sanctiones Canonum, quos indicat Glossa Canonica in *cit. cap. Degradatio, in verb. Canonibus, de pœnis in sexto*, quique definiunt numerum Episcoporum, qui assistere debent, ubi pronuntianda sit degradatio verbalis adversus Clericum in majoribus Ordinibus constitutum.

§. 7. Nec quemquam latere potest, quod in Sacro Concilio Trid. statutum fuit *sess. 13. cap. 4. de reform.* ubi quum animadversum fuisset, non ita facile in occurrentibus degradationum casibus reperiri posse numerum Episcoporum a Canonibus requisitum, facultas fit Episcopo procedendi etiam absque illis; adhibitis tamen, sibique ea in re assistentibus totidem Abbatibus, in Civitate, aut Diœcesi residentibus, atque usu Mitræ, aut Baculi ex Apostolicæ Sedis indulto decoratis; vel si non adsint, aliis personis in Ecclesiastica Dignitate constitutis, matura ætate, & sacrarum legum scientia spectabilibus.

§. 8. Quoniam vero, juxta veterem disciplinam, verbales degradationes peragebantur in Synodis Provincialibus, & in his quidem singuli Episcopi suum proferebant suffragium; quum nunc Episcopi, vel alii Ecclesiastici viri, de quibus diximus, locum gerant Patrum in Conciliis Provincialibus assidentium, facile intelligitur, in hos derivatum esse jus ferendi suffragii in degradationibus verbalibus, ad quas, uti Assessores, invitantur; quemadmodum plene demonstratum a Nobis fuit in nostro Tractatu *de Synodo Diœcesana lib. 9. cap. 6. num. 4. novissimæ edit.*

§. 9. Verbalem degradationem sequitur degradatio realis, cujus exequendæ ratio distincte præscribitur in Pontificali Romano. Et in hac etiam Ecclesia minime omittit perspicua lenitatis, & pietatis suæ argumenta præbere. Etenim priusquam degradatum tradat sæcularis Curiæ Ministro, pro eo efficaciter deprecatur, ne pœna mortis, aut mutilationis membrorum eidem infligatur: *Domine Judex*, verba sunt Pontificalis citati, *rogamus vos cum omni affectu, quo possumus, ut amore Dei, pietatis, & misericordiæ intuitu, & nostrorum interventu precaminum, miserrimo huic nullum mortis, vel mutilationis periculum inferatis*. Multoque ante Pontificalis Romani compilationem idipsum expressum legitur in cap. *Novimus*, quod est Innocentii III. *de verbor. signif.* ibi: *Pro quo tamen* (sermo est de degradato sæculari Curiæ tradendo) *debet Ecclesia efficaciter intercedere*, apud Judicem laicum, *ut citra mortis periculum, circa eum sententia moderetur*. Videri quoque potest Altaserra *ad cit. cap. Novimus, de verbor. signif.* ubi plures colligit Patrum auctoritates congruentes iis, quæ in prædicata Decretali statuuntur.

§. 10. Ad confirmandum autem assumptum nostrum, de summo pietatis studio, quo Ecclesia etiam male meritos prosequitur, viamque ipsis intercludere nititur, ne mortis pœnam per delicta incurrant; dicimus antiquissima providentia cautum fuisse, ut qui e propria in alienam Diœcesim transgreditur, nisi fuerit in hac plane cognitus, secum ferat Ordinarii sui literas, quibus fidei fiat eum esse Sacerdotem, nulloque, quod sciatur, canonico impedimento detentum, quominus Sacra Mysteria celebrare queat. Jam id decretum habetur in Sacra Chalcedonensi Synodo, ubi cum interdictum legatur Clerico, atque Lectori, e sua in aliam Diœcesim commigrare, non præobtentis memoratis litteris, quas Discessus appellamus, a proprio Episcopo; Jacobus Cujacius, aliique post eum accurati Scriptores monuerunt, cum vera textus lectione non congruere verbum, *Lectori*, sed *ignoti*: quemadmodum & ipsi adnotavimus *in nostra Institutione 34. editionis latinæ §. 1.* Quod si vetustiora etiam propositæ disciplinæ principia investigare libeat, consuli possunt Canones, qui Apostolici vocantur, apud Cotelerium in editione *Patrum Apostolicorum tom. 1. lib. 8.* inter quos adest Canon XIII. ita decernens: *Si quis Clericus, aut Laicus a communione suspensus, vel communicans, ad aliam properet Civitatem, & suscipiatur præter commendatitias litteras; & qui susceperant, & qui susceptus est, communione priventur: excommunicato vero proferatur ipsa correptio, tamquam qui mentitus sit, & Ecclesiam Dei seduxerit.* Consonat huic Canon XXXIV. ut patet ex subjectis illius verbis: *Nullus Episcoporum peregrinorum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum sine commendatitiis suscipiatur epistolis, & cum scripta detulerint, dijudicentur attentius; & ita suscipiantur, si probatores pietatis extiterint; sin minus, nec quæ sunt necessaria subministrentur eis, & ad communionem nullatenus admittantur, quia per subreptionem multa proveniunt.*

§. 11. Porro, quidquid disputent eruditi de vero Canonum Apostolicorum Auctore, certum est, eos magnum auctoritatis pondus habere, quum saltem sæculo Ecclesiæ tertio decurrente collecti fuerint ex pluribus Conciliis ante Nicænam Synodum celebratis; uti nunc temporis inter sacrarum antiquitatum investigatores convenire videtur.

§. 12. Sanctissimis hisce legibus conformes sunt Concilii Trid. sanctiones; conformes sunt Epistolæ Encyclicæ a Congregationibus Urbis ad Ecclesiarum Antistites sæpe transmissæ. Idque etiam pro firmo tenendum est, quod licet non oporteat Episcopum sollicitum esse de Regularibus, quos in propriis Ecclesiis Missas celebrare intendunt, quum ejus rei cura reservata sit eorum Superioribus Regularibus; si quis tamen Sæcularis Sacerdos in Ecclesiam Regularium Missam celebrare velit, hic etiam debet literas discessus a proprio Ordinario obtentas exhibere Episcopo, in cujus Diœcesi Sacrum vult peragere; uti videre quoque est in Nostra *Institutione XXXIV. latinæ editionis §. 1.*

§. 13. Veterem hanc, justissimamque sanctionem, de cujus executione plura tradiderunt nostri Scriptores pragmatici, (quos inter merito memorandus est, diligentissimus Monacellius, *Formular. Legal. part. 1. tit. 4. formul. 8. pag. 81. & Formul. 6. pag. 79. item tit. 6. Formul. 18. pag. 160.*) providis excogitatis cautelis plurimum roboravit magnus Ecclesiasticæ disciplinæ restitutor S. Carolus Borromæus, cujus hac de re Decreta pluribus in locis extantia studiose legenda, & expendenda monemus; videlicet in Concilio Provinciali Mediolanensi primo habito anno 1565. *part. 2.* in secundo pariter Provinciali anni 1569. *tit. 2. Decret.* ac in Provinciali tertio anni 1573. item in Instructione ad Sacerdotes de Celebratione Missæ ac denique in Concilio Provinciali quarto celebrato anno 1576. Quibus in locis constitutum habetur, ut Parochus, in cujus Parœcia Sacerdos alienigena domicilium figit, si id per Diœcesim contingat, intra octo ad summum dies, illius adventum nuntiare debeat Vicario Foraneo, qui rem ad Episcopum deferat; si autem in Civitate, Parochus ipse de omnibus certiorem faciat Episcopum, qui sibi literas discessus ab hujusmodi Sacerdote exhiberi mandet, easque inspiciat, totumque earum tenorem sedulo expendat. Si enim Ordinarius subdito sibi Sacerdoti licentiam abeundi ad certum, definitumque tempus indulserit, facultas celebrandi Missam eidem non ultra tempus illud concedenda decernitur. Notanda quoque jubetur dies, qua expeditæ fuerint litteræ discessus, ne scilicet, ante eam diem, qua inspiciendæ, ac discutiendæ afferuntur, antiquiores sint duobus, vel quatuor, aut respective sex mensibus; duobus nimirum, si literæ confectæ sint intra Provinciam; quatuor vero, si extra Provinciam, in Italia tamen expeditæ fuerint; sex denique, si extra Italiam datæ comperiantur.

§. 14. Ex omnibus hisce tum generalibus, tum peculiaribus sanctionibus manifeste desumitur, quantopere Ecclesia abhorreat ab ea pœna ad effectum perducenda, quam Sacri Canones in Celebrantes non promotos sanxerunt; quandoquidem tot veluti aggeres hominibus objiciuntur, ne in ejusmodi delictum labantur, unde locus fiat executioni ejusdem pœnæ sacris legibus definitæ.

§. 15. Majoris tamen ponderis ad hoc ipsum evincendum, est id, quod subjicemus. Sistit se aliquis coram Ecclesiastico Judice, seque ipse denuntiat, quamvis Sacerdotali Ordine destitutum, Missarum Sacrificia celebrasse, vel etiam Sacramentales Christifidelium Confessiones audisse. Ita se sponte sistens, eo privilegio gaudet, ut impositis ipsi salutaribus pœnitentiis, dimittatur,

nisi tamen in ipso suo Constituto diminutus, ut ajunt, vel aliunde præventus fuerit; in his enim casibus carceribus custodiendus includitur. Sed sic eidem sabiode Judici interroganti, an sciat caussam, ob quam carceribus mancipatus sit, statim non expectatis ulterioribus interrogationibus, seu quæsitis, sincere rem totam aperiat; quamvis de illius incursu in pœnales Apostolicarum Constitutionum sanctiones non dubitetur, ideoque dignus sit, qui sæculari foro, uti capitalis criminis reus libere tradatur; nihilominus admittitur ad beneficium minorationis pœnæ, commutata ipsi pœna mortis in damnationem perpetuam ad triremes; uti testatur bon. mem. Cardinalis Albitius, harum rerum peritissimus, in suo Tractatu de Inconstantia in Fide *part. I. cap. 14. n. 70 Si vero citatus, & vocatus ad generalem interrogationem, an sciat qua de caussa fuerit vocatus, vel sciat caussam suæ carcerationis, vel quomodo hic reperiatur, fateretur de plano veritatem, is tractatur, ac si esset sponte confessus, & cum eo mitius agitur, præsertim post condemnationem, ut scilicet gravior pœna commutetur in mitiorem &c.* Et ita fuit resolutum in sacra Congregatione sub die 12. Maji 1604.

§. 16. Illud etiam animadversione dignum est, quod quamvis in Pontificali Romano præscripta reperiatur degradatio, etiam a prima Clericali Tonsura; licet de hac quæstio sit, an inter Ordines numerari debeat, nec ne; possitque Judex Ecclesiasticus, uti prænotavimus, quando agitur de Minoribus Ordinibus, solus per se verbalem degradationem peragere, quod ipsi non licet sine aliorum interventu, ubi res est de Ordinibus Majoribus; nihilominus nunc temporis Sacerdotes, aliique Clerici, tam Majorum, quam Minorum Ordinum ad triremes libere amandantur, vel etiam perpetuo carceri mancipantur, sine prævia verbali, multoque minus reali degradatione; uti cuique perspectum est, & adnotatum quoque fuit a Sacerdote Catalani *Comment. ad Pontif. Rom. tit. 16. §. 4. n. 6. tom. III.*

§. 17. In Tribunalium Ecclesiasticorum carceribus nunc quoque satis, superque reperiuntur aliqui, eo nomine detenti, quod Sacerdotali Ordine carentes, Missas celebraverint, Sacramentales Fidelium Confessiones exceperint, iisdemque etiam Eucharisticam Communionem expetentibus, Particulas distribuerint a se nulliter consecratas. Hos inter duo erant, quo statim ac interrogati fuerunt, num detentionis suæ caussam scirent, omnia ingenue confessi sunt; ex quo orta est quæstio, an iidem admittendi essent ad beneficium minorationis pœnæ; ita nimirum, ut non quidem Sæculari Foro traderentur, tamquam capitis rei; sed potius in triremes, seu carcerem perpetuo detruderentur.

§. 18. Nulla quidem discordia detecta est in suffragiis eorum, qui sive consulendo, sive judicando in prædictorum Caussis sententiam dixerunt, super eo, an uterque reus pœnam traditionis Foro Sæculari, atque adeo capitis pœnam incurrisset. Verum nonnulli subdiderunt, attenta eorum prompta confessione, qua unusquisque delictum suum plene aperuerat, non expectatis ulterioribus Judicis interrogationibus; ambos promeritos esse, ut pro sponte confessis haberentur, atque propterea ad triremes dumtaxat, vel carcerem perpetuo damnarentur. Alii autem numero plures censuerunt, eosdem, tamquam capitis reos, brachio sæculari libere tradendos esse.

§. 19. Nos vero, quamvis ob ægritudinis nostræ pervicaciam, Congregationibus super his habitis, ut semper alias Nobis in more positum fuit, interesse non potuerimus; cum tamen subinde omnia perlegere, & expendere non omiserimus, Pontificiæ clementiæ, & mansuetudini magis consentaneum existimavimus, in mitiorem sententiam concedere; eo vel magis, quod & Cardinalis Albitius, in hujus generis rebus adeo versatus, testatum reliquit, ejusmodi pœnæ minorationem, veluti præmium indulgeri consuevisse iis; qui ad primam Judicis interrogationem delictum suum integre, aperteque fatentur; & plura suppetunt exempla caussarum, quæ in similibus circumstantiis ita transactæ fuerunt. Itaque volumus præfatos reos promeritæ pœnæ minoratione in præsenti casu gaudere; nimirum triremibus perpetuo addici, ita ut ab iis numquam dimitti, seu pœnæ hujusmodi commutationem ullam impetrare valeant, præterquam a Romano Pontifice pro tempore existente, ac de eorum delictis cum omnibus adjunctis circumstantiis, edocto; relicta dumtaxat Judicibus facultate, ut quoties perpetuum triremium opus præfatis reis minime congruere videatur, in illius locum subrogare valeant perpetuam in ergastulo, aut carcere reclusionem, si reliqua ipsis ad id necessaria non desint. Præterea volumus, atque mandamus, ut quum damnatio ad triremes, seu ad perpetuam reclusionem, ut supra, præfatis reis formiter intimanda erit, id fiat a Judice, præsentibus iis, qui ad Ecclesiarum Sacraris moderanda deputati sunt, quique ad hujusmodi actum evocandi erunt ab ipso Judice, sub pœnis ejusdem arbitrio infligendis; atque ea occasione gravis admonitio iis fiat, de omnimoda observantia, & executione eorum, quæ sæpe præscripta sunt; ne scilicet ignotos Sacerdotes Missam celebrare permittant, nisi postquam Litteræ discessus, quas secum a propria Diœcesi prodeuntes attulerant, recognitæ, & examinatæ fuerint per eum, cui hujusmodi cura demandata est. Id ipsum enim præstitum alias fuisse meminimus in hac eadem Urbe, sub fel. rec. Prædecessore Nostro Clemente Papa XI. tunc quum sæculari foro traditus fuit reus quidam capitali pœna plectendus, eo quod Sacerdotali Ordine non insignitus Missam celebraverat.

§. 20. Cum iis igitur, qui atque nunc comperti fuerint ad Sacrum Presbyteratus Ordinem non promoti, Missam celebrasse, aut Sacramentales Confessiones excepisse, juxta rationem hactenus descriptam, a competentibus Judicibus, & Tribunalibus agendum decernimus. Sed quoniam hujusmodi crimen, utpote gravissimum, & satis, superque frequentatum, omni ratione præcavendum, & quantum fas est, a Christiana Republica eliminandum, extirpandumque Nobis esse cognoscimus; novam hac de re legem a Nobis statutam per Apostolicam Constitutionem (cujus exemplum Epistolæ huic adnexum Fraternitas Tua accipiet) in posterum post tres scilicet menses ab ejusdem Constitutionis data computandos, omnino servari, & ad effectum perduci mandamus. Tibique interim, Venerabilis Frater, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

BULLA OCTAVA.

Celebrantibus Missam, aut Fidelium Confessiones excipientibus sine Sacerdotali Charactere, sincera criminis confessio facta in primo interrogatorio generali, nihil suffragatura decernitur ad evadendam pœnam traditionis brachio sæculari, indictam in Constitutionibus Apostolicis.

Extat hæc Bulla in Tomo IV. Bullarii sub num. LXX. data die 2. Augusti 1757. Pontificatus vero anno XVII.

Divinarum, humanarumque Legum custodia vigilantiæ Nostræ concredita hoc Nobis onus imponit, ut & assiduo studio caveamus, ne scelera, atque flagitia contra ipsas leges committantur, & ut ea quæ ab iniquitatis filiis perpetrari contingat, justo pœnarum rigore ad formam sanctionum iisdem legibus adscriptarum, puniri, & vindicari curemus.

§. 2. Sane Nos alias, gravissimum eorum delictum detestantes, qui ad Sacerdotalem Ordinem non promoti Missarum Sacrificia celebrare, Fidelium Confessiones excipere, & accedentibus ad Eucharisticam Mensam, Panem a se nulliter consecratum distribuere, ausu temerario præsumerent; edita Constitutione, quæ incipit: *Sacerdos in æternum*, data XII. Kal. Maji Anno Incarn. Dom. MDCCXLIV. Pontificatus Nostri IV. antiquiores Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutiones adversus hujus generis delinquentes jampridem editas confirmantes, & innovantes, complures alias declarationes, atque cautelas addidimus, ad eliminandum a Christiana Republica sacrilegum ejusmodi facinus maxime opportunas, quæ distincte legi possunt in citata Constitutione nostra, impressa in Bullario nostro *Tom. I. num. XCVII.*

§. 3. His tamen ampliorem providentiam nunc superaddere cogimur, ut aliud delinquentibus effugium ibi non enuntiatum, & ab invecta tensim in Tribunalibus consuetudine jam ipsis pœnæ concessum, quo debitas sibi graviores pœnas plerique evadere possent, una cum ceteris per dictam Constitutionem nostram sublatis, pariter adimamus.

§. 4. Invenimus siquidem hunc morem hactenus observari consuevisse; ut reus constitutus, quum primum a Judice interrogatus fuerit, an sciat qua de caussa carceribus inclusus sit, aperte, & candide delictum suum fateatur, & narret; tunc is, veluti sponte confessus, ad obtinendam pœnæ minorationem habilitetur; quod nimirum eo recedit, ut ad triremes, vel ad carcerem perpetuo damnetur, sed nequaquam Foro Sæculari tradatur, tamquam capitalis criminis reus, quemadmodum præfatæ Prædecessorum nostrorum Constitutiones, a Nobismetipsis, ut supra diximus, confirmatæ, & innovatæ præscribunt; uti latius a Nobis expositum est in Epistola Encyclica ad Antistites, Ordinarios Locorum, & Judices in hac materia competentes, hac ipsa die per Nos data.

§. 5. Quum autem experientia compertum fuerit, plerosque reos, qui Sacerdotali Charactere carentes Missam cele-

celebrarunt, aut Sacramentum Pœnitentiæ nulliter miniſtrarunt, de hujuſmodi Tribunalium indulgentia ſatis edoctos, vix umquam omittere, quin ſtatim atque carceribus detenti, & coram Judice conſtituti fuerint, delictum ſuum diſerte confiteantur, ad hoc ut traditionem Foro Sæculari, extremumque ſupplicium exinde conſequens evadant; quumque hac ratione reipſa eveniat, ut vix nullus ſit ex hujuſmodi criminis reis, qui moderationem pœnæ in præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus ſtatutæ non obtineat; eoque beneficio fruantur, ut quum Sæculari Foro, tamquam capitali judicio damnatus, & mortis reus, tradendus fuiſſet, perpetuo potius carceri, aut triremibus mancipetur.

§. 6. Idcirco Nos perniciosam hujuſmodi praxim de medio tollere coacti, motu proprio, & certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine per hanc noſtram perpetuo valituram Conſtitutionem decernimus, atque ſtatuimus, in poſterum, videlicet poſt tres menſes a data præſentium Litterarum computandos, nulli amplius Clerico, ſive Laico ſæpedicti criminis reo, promeritæ pœnæ minorationem ullam concedi debere, ſive poſſe, intuitu promptæ, apertæque confeſſionis, qua delictum ſuum in circumſtantiis ſuperius enuntiatis Judici faſſus fuerit; ſed, ea non obſtante, omnes, & ſingulos in præcedentibus Conſtitutionibus hac de re editis comprehenſos, a Judice competente, in caſibus ibidem expreſſis, prævia etiam degradatione, quatenus opus ſit, tradendos omnino fore, & eſſe brachio ſæculari, capitali pœna puniendos.

§. 7. Sicque, & non aliter in præmiſſis cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Noſtroſque, & Apoſtolicæ Sedis etiam de Latere Legatos, ſeu Nuntios, & in quibuſcumque Tribunalibus, & Officiis, etiam ſpecifica mentione dignis, ſublata cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri, & poſt lapſum trium menſium, ut ſupra, ad executionem, & effectum omnino perduci debere.

§. 8. Non obſtantibus contrariis quibuſvis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, Ordinationibus, & Decretis, nec non dictorum Tribunalium, & Officiorum praxi, ſtilo, ſtatutis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, Perſonarum quoque, Locorum, & Ordinum, Congregationum Societatum, Inſtitutorum, & Militiarum, Privilegiis, Exemptionibus, & Indultis, quæ ſupradictæ prioris Conſtitutionis Noſtræ executioni decrevimus non obſtare: Quibus omnibus, & ſingulis etiam ad præſentium Litterarum noſtrarum effectum, iterum pleniſſime, & ampliſſime derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

FINIS BULLARUM.

SYNOPSIS
OMNIUM INSTITUTIONUM, ATQUE DOCTRINARUM,
QUÆ A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
BENEDICTO XIV.

In suis, vel Edictis, vel Synodo Diœcesana editæ fuere in ordine ad Justitiam, Restitutionem, Contractus, & Censuras.

DE DOMINIO.

1. Illud unum veluti certissimum statuendum est principium, a Clericis omnibus Beneficiariis reditus, quos ultra sui honestam sustentationem ab Ecclesia percipiunt, distribuendos in pauperes, aliave pia opera erogandos; nec posse absque gravi peccato in convivia, ludos, venationes, & similes profanos usus eos impendere, aut Consanguineis elargiri, nisi tamquam pauperibus, si vere pauperes sint, & tunc ut minus egeant, non ut ditescant. Nemo quippe inter Doctores adhuc, præter unicum Lorcam, hoc inficiari est ausus; sic eruditissimus Raynaudus, quo fortasse nullus accuratius Doctorum placita hac de re perquisierat testatum reliquit in opusc. cui titulus: *Mala e bonis Ecclesiæ lib.* 2. *sect.* 3. *cap.* 3. *num.* 12. *Oper. tom.* 12. *Denique nemo plane Doctorum dissentit, sive inter Theologos Scholasticos, sive Morales, sive inter Jurisperitos ita, ut quamvis jampridem lites, & dissidia efferbuerint inter Doctores, quoad dominium fructuum superfluorum, sitne penes Beneficiarios, an penes alios; tamen quoad peccatum grave in dispensatione superfluorum aliter, quam ad pios usus, nemo plane, plane inquam nemo dissentit.* Quo vero titulo, quave caussa gravis hæc eis oriatur obligatio, acriter adhuc decertatur ex eo, quod plerique ex antiquioribus eam oriri arbitrantur *ex stricta justitia*; volunt quippe Clericos eosdem esse *meros administratores, nullumque suorum Beneficiorum habere dominium*, inter quos Navar. *de Ecclesiast. redit. quæst.* 1. *monit.* 21. *num.* 8. Azor. *Inst.* 1. 1. *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 8. §. *Primo igitur*, & §. *Quod attinet.* Comitolus *Respons. Moral. lib.* 1. *quæst.* 70. & 71. Moneta *de distribut. part.* 3. *quæst.* 1. *num.* 14. Natalis Alexander *Theolog. dogmat.* & *Moral. de Sacram. Ordin. lib.* 2. *cap.* 5. *regul.* 9. & 10. Gennetius *Theolog. Moral. tom.* 2. *tract.* 1. *de Benefic. cap.* 18. Continuator Prælectionum Honorati Tournely *tract. de Benefic. cap.* 4. *art.* 3. *concl.* Cardinalis Capisuccus *in suis controversiis theolog. controv.* 30. *per tot.* sed speciatim §. 5. & *seq.* quarum opinioni præcipuum fundamentum præbent Canones asserentes, *bona Ecclesiastica esse Patrimonium Christi*, sicut habetur *in cap.* cum secundum de Præben. & Dignit. *Res Ecclesiæ*, & *Patrimonium Pauperum* &c. Can. final. 16. *quæst.* 1. Plerique vero ex adverso attribuentes Clericis verum dominium, etiam superfluorum redituum, quos a Beneficiis percipiunt, existimant, gravem obligationem illos erogandi in pauperes, aliisve piis operibus applicandi, non oriri ex *stricta Justitia*, sed vel ex *lege Caritatis*, & *Misericordiæ*; vel cum Cardinali de Lugo *de Just.* & *Jur. tom.* 5. *disp.* 4. *num.* 16. ex virtute Religionis; vel cum Lessio *lib.* 2. *de Just.* & *Jur. cap.* 4. *num.* 47. & Haunoldo *de Just.* & *Jur. tom.* 1. *tract.* 4. *numer* 81. ex positivo præcepto Ecclesiæ. Ita Bannes pro hac parte 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 6. Dominicus Soto *de Just.* & *Jur. lib.* 10. *quæst.* 4. *art.* 3. Sylvius *in* 2. 2. *D. Thom. quæst.* 185. *art.* 7. *concl.* 4. Molina *tr.* 2. *de Just.* & *Jure disp.* 143. Vasquez *de reditib. cap.* 1. §. 2. *dub.* 1. Covarr. *in cap. cum in officiis de testam. n.* 7. Sarmiento *de redit. Eccles. part.* 4. *cap.* 6. *n.* 2. Marsilius *eod. tract. part.* 2. *cap.* 1. 15. & 35. Gonzalez *in cap. si quis jam de peculio Clericorum n. nu.* 6. *usque ad finem.* Fagnanus *in eod. cap. a num.* 1. *usque ad* 6. Barbosa *Jur. Eccles. lib.* 4 *cap.* 17. Quicquid tamen sit, consultius existimabitur, Episcopos ipsos cavere ab hac potissimum quæstione decidenda. Idipsum tacite quodammodo insinuare videntur Concilii Trid. Patres, qui post enunciatum Decretum *Sess.* 25. *cap.* 1. *de Reform.* quo interdicebatur Episcopis, aliisque Beneficiariis, ne ex reditibus Ecclesiæ Consanguineos, Familiaresque suos augere studeant, ex eo potissimum, quod *Ecclesiasticorum proventuum dispensatores tantum sint*, hæc postrema postmodum verba expungenda putarunt, & expuncta reipsa sunt, ne detrimentum afferrent sententiæ, ut ipsi ajebant, valde communi, quæ Ecclesiasticorum etiam superfluorum proventuum *dominium* Beneficiariis attribuit. „ Urgeant igitur (sunt ejusdem Pontificis verba „ in fin.) & inculcent suis Clericis Ecclesiæ stipendiis „ victitantibus gravem obligationem, quam habent, „ elargiendi pauperibus, aliisve piis usibus applicandi „ sibi redundantes Ecclesiasticos reditus; sed adhuc latentem hujus obligationis originem non investigent. „ Concludit quippe hac in re doctissimus Bellarminus „ in Epistola ad Theanensem Episcopum Nepotem „ suum *Controv.* 8. & 9. hisce verbis: *Non disputa quæ-* „ *stionem illam, an Prælati sint vere domini redituum Ec-* „ *clesiasticorum, & an teneantur restituere, quæ male* „ *expenderunt; parum enim refert, utrum Prælatus damnetur ad Inferos, quia peccavit contra justitiam, an* „ *quia peccavit contra caritatem, non bene distribuendo* „ *facultates suas. Solum quæro in quos usus debeat ex-* „ *pendere suas Ecclesiasticas facultates, ut non amittat* „ *vitam æternam.*

Tota hæc quæstio fusius etiam, uberiusque ab ipsomet toties prælaudato, & numquam satis laudando Pontifice adducitur in Synodo Diœce. l. 7. *cap.* 58. *utriusque tam Romanæ, quam Venetæ Editionis, & brevitatis gratia eam tibi hoc loco, studiose Lector, appono, quoniam ibi eam omittere debui, ubi erat fortasse juxta institutum apponenda in corpore hujus Volum. Tractat. I. de Jur. cap.* 3. *dub.* 4. §. 3. pag. 54.

II. Commendandum maxime Episcoporum studium, qui in Monialium Cœnobia perfectam vitam communem invehere pro viribus conantur; huic enim veteri disciplinæ Regularium Ordinum Institutores suum veluti ædificium superextructum voluerunt, communis vitæ usum suis Sectatoribus præscribentes; eidemque fundamento Religiosæ vitæ institutum innixum voluit Ecclesia, dum proscripta a Virorum, Mulierumque Monasteriis proprietate, communia omnia inter eos esse voluit. A Trid. quippe Concilio *sess.* 25. *de Regular.* & *Monial. cap.* 1. id enixe urgetur, ut vota obedientiæ, paupertatis, necnon communis vita servetur: *atque in primis quæ ad suæ Professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent.* Sequenti vero capite cum Religiosi, tum Religiosæ prohibentur, bona quæcumque sive mobilia, sive immobilia, uti propria habere, cauturque, ut si quæ ipsis res immobiles, aut mobiles assignentur, statim *Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.* Statuendum itaque, quoscumque sive Viros, sive Mulieres in Regulari qualibet disciplina vitam communem professos, quoscumque habeant proventus, vel annuas præstationes sibi a Consanguineis constitutas, *nullum penes eos illorum esse dominium*, sed usum tantummodo, huncque Superioris arbitrio, & voluntati omnino subjectum. Idipsum fere sentire visi sunt, & Clemens VIII. & Innocentius XII. ex eo, quod facile fore putarunt, ut si in una, eademque Religiosa domo (si de Mulieribus præcipue loquamur) aliquæ Monialium a suis Consanguineis certam annuam præstationem, quam *livellum* dicunt, recipiant, ceteræ non item, dum hæ in angustiis vivent, illæ autem lautius segerent, ibi eo facilius etiam regnet superbia, vel invidiæ, atque æmulationes concitentur, quæ vitia Religiosam humilitatem pessumdant, mutuæque caritatis vinculum disrumpunt: eoque magis, quod non omnes Moniales, quæ hujusmodi annuas præstationes recipiunt, illas semper erogant in suas indigentias, sed eas quandoque improvido consilio projiciunt, ut amicos extra Monasterium degentes muneribus cumulent, quod extremum infert Claustrali, ac Religiosæ vitæ exitium. Ita ergo optime definivit

Congregatio Concilii ann. 1586. responsum præbens postulatis cujusdam in Indiis Episcopi, ut videre est lib. 4. Decr. pag. 414. a tergo ― an Moniales privatim possint habere aliquos reditus pecuniarum, sive aliquos census relictos, & legatos ab aliquibus Consanguineis, vel aliis personis pro earum subventione ― Sacra &c. respondit non posse, sed omnia ad manus Abbatissæ deferri oportere, quæ in primis illius Monialis necessitatibus debeat providere. Quod etiam rursum habuit ann. 160. in Causa Valisoltana, quemadmodum constat ex lib. 10 Decr. pag. 11. & segg. Sacra &c. respondit, Regularibus sive Viris, sive Mulieribus non licere quidpiam proprium possidere; sed quidquid acquisiverint, & ex donatione, eleemosyna, a parentibus, vel aliunde obtinuerint, recta ad manus Superioris esse deferendum, qui primi prospicere debebit necessitatibus illius, cujus opera, vel contemplatione partum fuerit, & reliquum in totius Monasterii usum convertere.

Hac Lambertinus Pontifex in suo Synodo Diœcesana lib. 8. cap. 12. §. 17. Edit. Rom. cum aliis quibusdam quæstionibus ad Moniales præsertim spectantibus simul permixta, ubi de Quinto capite relationis status Ecclesiæ: de quibus videre poteris Giribaldum Tract. I. de Just. & Jur. cap. 3. dub. 5. n. 89. pag. 18.

DE ACQUISITIONE DOMINII.

III. Inter cetera privilegia, quæ per leges etiam Civiles Ecclesiasticis Constitutionibus robur, & firmitatem adjiciunt, illud non omittendum, quod in usu adhuc viget de *Præscriptione*, in favorem rei Ecclesiasticæ. Aut enim Auth. *Quas actiones cod. eod.* Imperator tempus quadraginta annorum exposcit, ut quis usucapiat res immobiles ad inferiores Ecclesias pertinentes, ac Romanæ Ecclesiæ, tamquam omnium præstantissimæ, ac ceterarum Capiti, privilegium indulget, ne adversus ejusdem bona, vel jura præscribi valeat, nisi centum annorum spatio. „ Eo autem liberius potest prædicta lex civilis „ allegari, quia utrumque privilegium est in Sacros Ca„ nones insertum; privilegium etenim inferiorum Ecclesiarum legitur in *Cap. illud, in Cap. Quia indicante, de præscriptionibus, & in Cap. accedentes de privilegiis:* & de privilegio Ecclesiæ Romanæ mentio fit *in Cap. penult. 16. qu. 3. in cap. Cum dilecta de confirmatione utili, vel inutili, in cap. Cum vobis in cap. ad audientiam, in Cap. Si diligenti de præscriptionibus, & cap. Si qui de præscriptionibus in 6.* Et in Annalibus Venerabilis Cardinalis Baronii ad annum Christi 590. n. 28. legitur de S. Gregorio Magno, quod cum misisset Petrum Subdiaconum in Siciliam, qui præter alia sibi injuncta, Patrimonium Ecclesiæ Romanæ in ea Insula consistens provida cura administraret: *ad eumdem Petrum paullo post litteras dedit, cum ipse vendicare vellet Romanæ Ecclesiæ fundum quemdam, præcipiens, ut si quadraginta annis absque ante missione possessio illius continuata esset, nullo fieret possessori molestia, nolens ubi privilegio a Justiniano Ecclesiæ Romanæ concesso centum annorum, ut exordia Pontificatus sui aliorum incommodo auspicaretur.* Litteræ deputationis prædicti Petri Subdiaconi leguntur inter Epistolas S. Gregorii Magni *lib. 1. Epist. 1. ad universos Episcopos Siciliæ*: quæ autem ad ipsum Petrum conscripta memorat Card. Baronius videri possunt *in epist. 9. cit. l. 1.*

Hac omnia in Synod. Diœc. l. IX. cap. XIV. Edit. Rom. lib. autem VII. cap. XI. Edit. Venet. §. 2. cum quibus etiam perbene cohærent, quæ apud Giribaldum tract. I. cap. IV. de acquis. dominii Dub. VII. §. I. leguntur. pag. 20.

Episcopalia vero jura præsertim *Cathedraticum* a quibusvis subditis quocumque titulo, vel tractu temporis, cujus initii nulla amplius extet memoria, neque immemorabili consuetudine adversus Episcopos præscribi possunt; idque juxta sanctionem Innocentii III. in cap. 16. *de Præscript.* Ita & Sacra Concilii Congregatio definivit in *Lavallen. Cathedratici 6. Junii 1693.* lib 43. Decr. pag. 261. supra dubium: *An Cathedraticum Episcopo debeatur, non obstante immemorabili in contrarium;* responsum fuit: *affirmative ad formam juris, ac Ecclesiis, & Beneficiatis.* Quam decisionem postea roboravit Concilium Romanum ann. 1725. tit. 8. cap. 4. decernens: *Census Cathedralis Ecclesiæ solvendum in signum honoris, & subjectionis Cathedræ Pontificali. Jus sane inter cetera Episcopalia ita privilegiatum, ut neque ab Episcopis in totum remitti, nec a quoquam valeat, quocumque titulo, vel immemorabili consuetudine præscribi.* Posset autem Romanus Pontifex quamlibet Ecclesiam, & Beneficium a solutione Cathedratici eximere, uti ex textu in *Cap. Constitutus de religiosis domibus;* quamvis non præsumitur, quod umquam Pontifex ipse id privilegii alicui concesserit, nisi expressis illius mentionem fecerit, juxta textum *in Cap. Pastoralis de donationib.* Quin immo docet Pasc. in praxi Episcop. part. 2. cap. 8. nu. 13. non conferri Ecclesiæ remissionem Cathedraticum, etsi generatim

fuerit ab Episcopi jurisdictione subtracta, nisi speciali privilegio ab illius pensitatione deprehendatur nominatim liberata.

Vide lib. V. Cap. VII. §. VI. prælaudatæ Synodi Diœcesanæ tam Romanæ, quam Venetæ Editionis.

IV. In Collationibus Beneficiorum Animarum curam habentium digniores semper sunt nominandi. Hæc sunt Concilii Trid. verba *sess. 24. cap. 1. Hortatur, & monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promovere studeant; eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.* Innoc. vero XI. die 2. Martii ann. 1679. eorum damnavit sententiam, qui hæc Concilii verba hoc modo explicanda asserebant, namque ut Laici Ecclesiarum Parochialium Patroni prorsus indignum excluderent, non tamen reliquis præstantiorem nominandum juberet; vel tunc solum vim habere Concilium cum publicum examen indicitur. Quapropter si quis ad Ecclesias Parochiales, omisso magis utili, idoneum aliquem proponat, licet in judiciali Foro improbari non possit, culpa tamen ipsum non carere testatur D. Thom. 2. 2. qu. 63. art. 2. ad tertium. *Ad tertium dicendum, quod quantum ad hoc, quod electio impugnari non possit in Foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calumniam, sed quantum ad conscientiam eligentis necesse est eligere meliorem.* Idipsum ex multis præstantium virorum auctoritatibus a Sacra Rota *in Causa Camerinens. Beneficiat. habita die 2. Julii 1708. n. 37. coram bon. mem. Molina Decano edita post controv. Pitonii alleg. 30.* gravius, ac severius constitutum fuit, cum de Beneficiis simplicibus ageretur. Sed omissa hac disputatione, si ex Trid. Concilio, licet publico examine Ecclesia Parochialis conferatur, melior semper eligendus est, sicut ex damnata sententia, quam supra memoravimus, clare intelligitur, si hoc pacto a Laicis Ecclesiarum Rectores proponuntur, necessario consequitur, ut digniorem seligere omnino teneantur. Hinc ait præclarus Theologus ex Soc. Jesu Dominicus Viva *in Not. ad propos. 47. num. 14.* qui damnatas a Pontificibus sententias egregiis Commentariis illustravit: *Puta Patronum etiam Laicum debere digniorem præsentare, præsertim ad Beneficia Curata, cum eadem inconvenientia habeantur in promotione minus digni, sive hæc promotio fiat immediate a Collatore, sive contingat per præsentationem a Patrono factam.*

Hac omnia, de quibus integra adest Notificatio sub nu. VII. edit. lat. & in Tom. I. nu. 7. edit. Ital. perbene cohærent cum iis, quæ apud Giribaldum leguntur Tract. I. cap. 3. de Just. distribut. Dub. 2. pag. 30.

Hac de re non omittendam duxi alteram Notificationem, quæ extat sub n. XII. in qua edocentur Vicarii Foranei, quid maxime proponere debeant expeditendum iis, qui prædiis sunt jure nominandi ad illas Ecclesias, quæ ad ipsos pertinent. En integra Instituto ad detegendas corruptelas, quæ tamen in re contingere solent.

„ 1. Apostolici muneris ratio Nos magnopere impel„ lit, ut has litteras universis, ad quos pertinent, scri„ bamus, Constitutionem die 27. Septembris proxime „ elapsi promulgavimus pro examine, quod publice in„ dicitur ad obtinendas Parochiales Ecclesias, cum va„ catio aliqua contigerit, & pro illis pariter, qui a Lai„ cis nominantur ad eas Ecclesias, quæ ad ipsos jure spe„ ctant. Nunc vero de Parochianis agendum statuimus, „ quibus ad regendas Parochias nominandi quemcumque „ velint, facultas permittitur.

„ 2. Itaque, si aliqua hujus conditionis Ecclesia tibi „ subjecta, Parocho destituatur, tibi mandamus, ut uni„ versum populum, cui suffragium ferre liceat, in eam„ dem Ecclesiam cogas, aut in alium locum, quem pro „ concione habenda magis idoneum judicaveris; ita ta„ men, ut rem totam absolvas quatuor mensium spatio, „ qui ad nominandos eos, quos elegerint, a jure Ponti„ ficio *Cap. unico de jure patronatus in sexto* Laicis „ tribuuntur, Cœtum autem nostro nomine sic allo„ queris.

„ 3. Orationis initio demonstrabis, nihil gravius toto „ vitæ cursu ipsi evenire posse, quam probatissimum ho„ minem Parochiæ præficiendum suis suffragiis renun„ tiare. Si rei magnitudinem spectent summi momenti „ negotium agi, cum eligendus, aut nominandus is sit, „ qui ipsis præesse debeat, animarum curam gerere, ac „ Divina Sacramenta, dum salvi, & incolumes sunt, vel „ cum vitæ in discrimine versantur, administrare? Ob „ eam causam non esse temere festinandum, sed assi„ duis precibus exorandum Deum, ut cælestia lumen „ liberaliter impertiat; ipsumque gravissimas pœnas „ daturum esse, qui aliter fecerit, & a recta semita

declinans ad Dei gloriam mentem unice non converterit, & nihil de Parochiæ, animarumque utilitate cogitans sine ullo consilio, vel prava etiam voluntate adductus, minus dignum illi prætulerit, qui virtutis, ac doctrinæ laude, ceterisque rebus magis idoneus habeatur: *Non est hoc consulere populis, sed nocere, nec præstare regimen, sed augere discrimen; integritas enim præsidentium salus est subditorum.* (*Leo Magnus Epist. 1. al. 87. ad Episcop. Afric. tom. 1. Oper. edit. Lugd.*)

4. Nam sicut detrimenta omnia, quæ ab imperitis Medicis, Nautis, atque Imperatoribus dimanant, ad illos, a quibus electi sunt, merito referuntur, ita qui privatis suis cupiditatibus obsecundans Sacerdotem idoneum, omnique laudis genere præstantem negligit, aliumque suffragio suo nuncupat ad animarum regimen minus accommodatum, malorum omnium, quæ inde consequentur, velut auctor a Deo judicabitur. Bona vero, quæ præstantior Sacerdos excitasset, si ipsi Parochiæ administratio delata fuisset, ab iis severissime Deus exiget, qui suffragium impertiri recusarunt.

5. Hanc sententiam pietatis Magister Ludovicus Granatensis *de Officio Pastorum* scriptam reliquit: *Præferens indignum reus est omnium animarum, quæ ob ejus indignitatem periclitantur; reus est omnium flagitiorum, quæ ex hoc crimine consequuntur; reus denique omnium, aut eleemosynarum, aut aliorum bonorum, quæ boni Rectoris studio perficerentur. Quemadmodum enim, qui aut imperitum Medicum, aut Nauclerum, aut Ducem, aut Pastorem præficit, reus est omnium damnorum, quæ ex horum ignorantia consequuta sunt; ita plane, qui indignum eligit in Ecclesia Ministrum, omnium malorum consequentium reus est. Omnia enim hæc & nomina, & officia cuilibet Ecclesiæ Ministro simili ratione conveniunt.* Idem Tridentina Synodus *sess. 24. cap. 1. de Refor.* declaravit: *Eosque alienis peccatis mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles judicaverint &c. præfici diligenter curaverint.*

6. Post hæc peccati Simoniaci labem, & gravitatem coacto populo explicabis, de qua Paschalis II. in *Can. 1. qu. ult.* hæc tradit: *Omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur;* quod etiam Lucius Pontifex *in cap. Sicut de Simonia* ita confirmavit: *Simoniaca pestis sua magnitudine alios morbos vincit.* Cum de nominandis animarum Rectoribus agitur, illos Simoniacos vere nuncupari ostendes, qui suffragio suo præmium aliquod assecuti sunt, vel in posterum sperant; haud dissimiles esse, qui Presbytero suffragantur ob eam caussam, quod æs alienum antea contractum diminuere, vel solutionem in aliud tempus protrahere pollicitus fuerit; postremo ejusdem criminis reos haberi, si illi potissimum faveant, qui vel juri suo se pactim cessurum affirmaverit, vel etiam omni sumptu, qui Parochis tribui solet, ipsos omnino liberaverit. Ita constituit Alexander III. *in cap. Veniens de testibus, & attestation.* eumque velut Simoniacum damnat: *Qui promiserat cuicunque Parochianorum quinque barillos vini remittere, quos Sacerdoti ibi pro tempore servienti consueverant pro beneficio dari.* Reliqua sane communi Theologorum opinione satis comprobantur. Sed quoniam pœnæ formidine a patrandis maleficiis nonnulli sæpe retardantur, libere expones, Simoniam tunc reipsa committi, cum aliquid ex iis rebus temporaneis, quas paullo ante diximus, ipsi obtinebunt; & statim excommunicatione illigari, quæ a Summo Pontifice tantum dimitti potest, ut inferius declarabimus; hujusmodi nominationes irritas, atque inanes esse, & nullo pacto excommunicationis pœna dissolvi posse, nisi prius quidquid dono acceperint, non indigno Presbytero, sed Ecclesiæ, vel egentium multitudini, penitus restituerint. Sic enim Sacræ Pœnitentiariæ auctoritate, ac sententia decernitur, ut P. Thesaurus, harum rerum peritissimus, *de pœnis Ecclesiast. par. 2. in verbo Simonia c. 2. n. 4.* testatur.

7. Sed paucos fore confidimus, qui hoc turpissimo crimine inquinari velint. Plurimi fortasse minus idoneum proponere audebunt (licet alium aptiorem ad regendas animas Sacerdotem agnoscant) omnemque operam, ac diligentiam impendent, ut ceteris omnibus præferatur, ne secundam occasionem prætermisse pro augenda illius dignitate videantur, cum quo vel amicitiæ, vel cognationis vinculo continentur. Nonnulli præterea fidem suam, ac suffragium, præstantiori posthabito, pro eo obstringent, quam nobilium virorum commendatio extollit, quos offendere periculosum ducunt, ne ipsorum gratia, ac tutela (cui plurimum fidunt) in posterum destituantur.

8. Itaque maxime religionis studio incensus, ut tam perniciosas ex animis opiniones evellas, populum libere monebis, hujusmodi fidem, ac promissa nullam habere vim, quamvis nullum commodum, aut utilitatem (quæ si admixta essent, Simoniam efficerent) complectantur. Quod si fides data fuerit (ut plerumque accidit) cum nondum Ecclesia Parocho destitueretur, tunc promissa, quæ prius intercesserint, nullius ponderis esse liquidius apparet. Id apertissime Honorii III. testimonio *cap. Cum dilecta de concessione Præbendæ* confirmatur, qui sponsionem Joannæ Belgii Comitis, & Balduini Imperatoris Constantinopolitani filiæ gravissimis verbis improbat, quæ ad Sacerdotia sui jurispatronatus quosdam se nominaturam promiserat, antequam vacatio contigisset. Hinc subjicies non sine piaculo hujusmodi nominationes amicitiæ, aut cognationis habita ratione fieri, sed unice spectandum esse, an cum Dei obsequio, & Ecclesiæ utilitate conjungantur: *Non ex affectu carnali* (inquit Summus Pontifex *in cap. Ut nostrum, ut Eccles. Benef. sine diminut. conf.*) *sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum officium, & beneficium in persona magis idonea dispensare.* Illud peccati genus, quod *acceptio personarum* dicitur, ante oculos pones, quod tunc committitur, cum omisso magis probato viro, minus dignus eligitur, ut cognationem, vel amicitiam palam testemur. Id solum ferri potest, ut amicus, vel consanguineus competitori præferatur, si uti docet S. Thomas *2. 2. quæst. 63. art. 2. ad primum, & in quodlibet. 4. qu. 8. art. 4. & in 4. sentent. dist. 25. quæst. 3. art. 4. ad septimum*, in utroque meritorum ratio par omnino judicetur. Insuper, *Qui dat ratione consanguinitatis*, inquit Sanctus Doctor, *Præbendam, si intendit aliquod bonum in se ipsum redundans, sic quod magnificetur per hoc, & nobilitetur domus sua, vel quod ipse in consanguineis sit fortior, Simoniam committit, quia aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat.* Pharaonis exemplum adducas, qui cum ex Josepho de patris, fratrumque ipsius adventu cognovisset, eosque custodiendis gregibus præpositos, *Pastores ovium sumus*; non ideo tamen passus est, ut ob consanguinitatem cum Josepho suorum pecorum magistros ipse constitueret, sed eam conditionem imposuit, ut si qui idonei essent, ad hoc munus deligerentur: *Quod si nosti in eis esse viros industriosos, constitue illos magistros pecorum meorum.* (*Genes. cap. 37.*) Postremo singulos admonebis, ne in ferendo suffragio ullis commendationibus moveantur; non mediocrem quippe suspicionis caussam affert se parum idoneum esse, qui ad alienas commendationes confugit, vel ipsemet aliorum suffragia, & voluntatem implorat. *Alius pro alio* (ait S. Bernardus *lib. 4. de consid. cap. 4. tom. 1. col. 1154.*) *alius forte, & pro se rogat. Pro quo rogaris, sit suspectus, qui ipse rogat pro se, jam judicatus est, nec interest per se, an per alium quis roget.* Qua de re S. Carolus Borromeus in primo Concil. Mediolanensi in ipsos sic decernit: *Qui Beneficium Ecclesiasticum vacans multis, & ambitiosis precibus per se, vel per alios petierit, eo facto ita reddatur indignus, ut per biennium ei eum, neque illud, neque aliud beneficium conferri possit.* Insuper S. Thomas, cujus auctoritate jam toties usi sumus, eodem loco, quem superius commemoravimus, cum ad quartum argumentum respondet, *2. 2. qu. 100. art. 5. ad 3.* hæc affirmat: *Quando fiunt preces pro indigno, vel ab aliquo potente, qui periculum comminatur, quæ preces armatæ dicuntur, manifeste Simonia committitur, si propter hoc Beneficium Ecclesiasticum datur; si autem pro digno fiant, quantum ad judicium hominum, probabile est, quod dans magis moveatur intuitu dignitatis personæ, quam favore precum, & ideo non reputatur Simonia: si tamen principaliter moveatur favore precum, vel timore rogantis, quantum ad divinum judicium, Simoniam committit & rogatus, & rogans, si hoc intendat, sive aliquis pro se roget, sive pro alio;* quod pariter inferius ipse docet.

9. Sed, ut hæc veritas altius in animis defigatur, familiari exemplo propones auditoribus; ut se fingant cæmentariorum præfectos, vel architectum, cui domum extruendi cura demandata fuit, quæ validissimas trabes exigat, ut bene fulciatur. Si aliquis opibus, ac generis nobilitate conspicuus his verbis ageret: maxima in animum meum pervasit cupiditas, grave præterea officium accessit; ut loco hujus firmissimæ trabis illud exile tigillum, carie, ac vetustate corruptum, & oneri sustinendo prorsus impar, sufficias. Quis tunc se contemni non crederet, quis indignationem cohiberet, stultamque, licet præpotentis viri, postulationem statim rejiciendam non arbitraretur? Itaque si hunc animum præberent, cum de manufactis ædificiis ageretur, an non eamdem virtutem ostendent, cum de spirituali domo res est, & Ecclesiæ fulcimentum, Rectorque animarum nominatur? Neque vulgari nimis ineptoque uti exemplo tibi persuadeas, quod prius a Guglielmo Parisiensi *in Tr. de Collat.*

Be-

Benefic. excogitatum fuit. Ille, postquam electores, & nominantes ad regendas Parochias Architectis comparavit; qui pro sustinendo vacantis Ecclesiæ pondere aptissimos viros eligere debent, acriter illos redarguit a quibus indigni magnopere commendantur: *Architecto*, inquit, *nemo auderet hujusmodi preces porrigere, ut pro columna forti festucam fragilem in ædificio, cujus fabrica fidei ejus commissa est, poneret: & si forte eo usque aliquis insaniret, ut præsumeret, & diceret, Magister, ego dil go festucam istam altra modum, carissima mihi est, rogo te, quantum possum, honora eum, & pone in loco honorabili, videlicet in loco columnæ fortis, & altæ, numquid subsanari se ab illo non adverteret, & in faciem ejus spueret?*

„ 10. Plura tibi pietas, & doctrina suppeditabunt, quibus populum induces, ut pro Ecclesiæ utilitate, ac bono, suffragii jure solum utatur, & illud unice spectet, ut animarum cura probo, atque idoneo viro committatur. Postquam has partes expleveris, alio die intra quatuor menses, quos jam diximus, Ecclesiasticos omnes, qui Parochiæ regimen expetunt, in cœtum vocabis, eosque sincere, ac vehementer pro rei magnitudine alloqueris. Satis exploratum habemus hæc nostra tempora cum illis vetustioribus conferri non posse, quibus Episcopatus, & Parochiarum administratio illis tradebantur, qui hæc munera declinarent, modestoque animo Ecclesiæ regimen, velut gravissimum pondus formidarent. Non ignoramus a Tridentina Synodo publicum examen propositum ad illas Parochias obtinendas, quæ libere conferuntur, & Pium V. provocationes etiam admisisse, cum quis immerito se alteri posthabitum judicaret. Scimus quoque S. Thomæ auctoritate *in quodlibet* 3. *art.* 9. rem præclaram, & honestam existimari, si quis ingenii sui facultatem, & rerum scientiam coram probare contendat. Insuper cognitum, perspectumque est omnibus ex communi consuetudine eos, qui Parochias petunt, in conspectum venire, se se offerre, suas virtutes, ac merita palam exhibere, quibus vacantem Ecclesiam facilius assequantur; numquam tamen impudentiæ, calliditati, nequitiæ, vel ad obscurandos competitores apertum aditum intelligimus; nec illud sequitur, ut importunas, abjectasque preces adhibere possint, vel ad amicorum præsidium, nobiliumque tutelam confugere; neque tandem, ut aliorum animos pactionibus sibi concilient, easque (quod gravius est) re ipsa perficiant. Superbus, aut injustus merito appellandus est, qui Ecclesiæ alicujus procurationem virtuti suæ debitam insolenter jactat, & principem dignitatis locum sibi præ ceteris omnibus convenire. Ita super hac re disserit Angelicus Doctor 2 2. *quæst.* 185. *art.* 2 *& quodlibet.* 1. *qu.* 6. *art.* 11. *Respondeo dicendum, quod hanc quæstionem solvit Aug. cap* 16. *de Civitate Dei, ubi dicit, quod locus superior, sine qua populus regi non potest, & si administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur. Cujus ratio est, quia qui appetit prælationem, aut est superbus, aut injustus. Injustitia enim est, quod aliquis velit plus de honore accipere, aut de potestate, aut de aliis bonis, nisi sit majoribus dignus, ut dicitur in lib. Ethicorum; quod autem aliquis æstimet esse se magis dignum prælatione omnibus illis, super quos prælationem accipit, superbiæ, & præsumptionis est; unde patet, quod quicumque prælationem appetit, aut est injustus, aut superbus, & ideo nullus suo appetitu debet ad prælationem pervenire, sed solum Dei judicio, secundum illud Apostoli ad Hebr.* 5. *nemo sibi assumit honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.*

„ 11. Itaque in eo Sacerdotum conventu summopere contendes, ut hanc veritatem omnino percipiant, ne infanis cupiditatibus abrepti incidant in gravissima crimina, quæ paullo ante memoravimus. Admonebis, ut verecunde, divinique obsequii desiderio, & salutis animarum caussa solum adducti suæ virtutis testimonia proferant, & voluntatem obtinendæ Parochiæ declarent, si bene, atque utiliter eligentibus ita consulatur; deinde curas abjiciant, omnemque rei exitum ad supremam Dei providentiam penitus referant. Hoc animo ad examen coram Nobis accedere paratus sit, qui populi suffragiis nominationem consecutus fuerit. Neminem sane tam ignarum putamus, quem Simoniæ *mentalis*, *conventionalis*, & *realis* nomina lateant, & committi Simoniam ignoret, *per munus a manu*, *per munus a lingua*, & *per munus ab obsequio*; ut in Canone *Sunt nonnulli*, & in altero *Ordinationes* 1. *quæst.* 1. aperte continetur, quibus Canon *Salvator* 1. *quæst.* 3. omnino congruit. Neminem quoque tam imperitum arbitramur, quem fugiat, si in petitione Parochiæ, amicitiæ, vel consanguinitatis præsidio, vel optimatum clientelis utantur, deinde tamquam famulos illis subjici debere, qui sibi suffragati fuerint, vel quorum auctoritate nominationem impetraverint. *Illud præ omnibus* (ait S. Gregorius *lib.* 2. *indict.* 11. *epist.* 22. *ad Antonium Subdiaconum*) *tibi curæ sit, ut in hac electione nec datio quibusque modis interveniat præmiorum, nec quarumlibet personarum patrocinia convalescant; nam si quarumdam patrocinio fuerit quisquam electus, voluntatibus eorum, cum fuerit ordinatus, obedire reverentia exigente compellitur.* Illud etiam in concione notum facies, cum nominati, & peracto examine probati a Nobis fuerint, priusquam Parochiæ regimen tradatur, juxta S. Caroli Borromæi instituta, & hujus Diœcesis consuetudinem, jusjurandum gravissimum requiri, quo nulla promissa, aut munera, nullasque pactiones intercessisse, & omni Simoniæ labe cum *reali*, tum *conventionali* se prorsus immunes esse fateantur. Ultimo tandem loco eorum calamitatem, & miserrimam conditionem expones, qui alio pacto per scelus animarum curam susceperint. Nam esto iniquum pretium ante nominationem persolvatur, vel etiam post illam pactiones executioni demandentur (quæ Simoniam realem constituunt;) esto pariter a Nobis, nostrisque administris tantum crimen ignoretur, atque ob eam caussam Parochiæ regimen conferamus; non ideo tamen ad finem tristis tragœdia pervenit, sed tum potius agenda proponitur. Detestabile ipsorum scelus sub Dei conspectu versatur; non illi tantum, sed ceteri omnes, quibus in perficiendo negotio usi sunt, majori excommunicatione devinciuntur, quæ Summi Pontificis auctoritate solum dissolvi potest: Beneficium retinere nequeunt, cum ad ipsos nullo jure pertineat. Nam, quæ antea gesta fuerunt, nihil ducuntur; & priusquam Judex de ipsis sententiam ferat, Parochia dimittenda est. Fructus, quos ab Ecclesia exegerunt, licet nullum decretum intercesserit, restituere debent; criminis etiam adjutores pro Ecclesiæ utilitate, vel pro sublevandis egenis eosdem fructus in *subsidium* tenentur impendere. Qui lucrum aliquod inde consequutus fuerit, illud Ecclesiæ, vel pauperibus exsolvere debet, licet nullum edictum Judex pronunciaverit. Idem pro interpretibus statuitur, si aliquam sibi sceleris mercedem expresserint. Si quis Parochiæ regimen simoniacis artibus obtinuerit, licet iterum vacatio contingat, ad ipsam pervenire posse minime speret, omnesque ad cetera quoque Beneficia aditus interclusos pro certo teneat, cum ad ea comparanda *ipso jure* minime capax dijudicetur. Hæc non ipsi confingimus, sed Pontifices hujusmodi pœnas decreverunt *in Extrav. Cum detestabile*, §. *de electione*, *de Simonia*, & *in Bulla Pii V. quæ incipit*, *Cum primum* §. 8. uti P. Thesaurus, de quo supra mentionem fecimus, luculenter exponit *par.* 2. *in verbo Simonia cap.* 2. idem in eo libello, qui pro instituendis recentibus Confessariis Romæ a sapiente Theologo impressus est, *par.* 2. *cap.* 17. n. 428. fusius continetur.

„ 12. Neque gravissimo vulneri remedium se invenisse putent, si ad Sedem Apostolicam, vel ad Sac. Pœnitentiariæ Tribunal suppliciter confugiant. Christianus Lupus ex Academia Lovaniensi magna vocis contentione Ecclesiæ Romanæ severitatem extollit, summisque laudibus *tom.* 3. *suarum Observat. in Concilia pag.* 245. *antiq. edition.* prosequitur, quæ neminem Simoniæ vinculo dissolvit, nisi se Beneficio prius abdicaverit. Nos vero tutius affirmare illud possumus, qui per plures annos in eo Tribunali Canonistæ munus sustinuimus. Si quis realem Simoniam condonari sibi postulet, paucis respondetur, *Dimittat*, *moneat*, & *restituat*; videlicet *dimittat* Beneficium, quod malis artibus acquisivit; *moneat* eum, qui pretium accepit, ut illud in Ecclesiæ, vel egenorum commodum convertat; *restituat* fructus omnes, quos ab Ecclesia perceperit. Sed quoniam Simonia non semel ab alio committitur, idque Sacerdos Beneficio præpositus ignorat (cui nihilominus rite collatum non fuisse testatur his verbis Cælestinus III. *cap. Nobis de Simonia*: *Quamvis ipse promissionis conscius non fuerit, ejus tamen electio tamquam Simoniaca pravitate præsumpta, est penitus reprobanda*:) si tamen ab eodem Tribunali supplex imploret, ut delatum sibi Beneficium confirmetur, sic breviter respondet: *Dummodo ante possessionem*, nempe ita concedere, dummodo ante possessionem Simoniæ conscius nullo modo extiterit. Nam, si aliquid hujus criminis antea deprehenderit, tunc ea statuenda sunt, quæ nuper explicavimus, cum de reali Simonia sermonem haberemus.

„ 13. Hæc a te vehementer expetimus, quæ singulis, ad quos nominandi jus pertinet, vel qui nominari postulant, declarabis. Necesse vero est, ut non modo intersis, sed etiam præsis, cum illi ad nominationem devenient: ob eam caussam dies, & locus ad rem perficiendam indicetur. Dies quidem intra quatuor

,, menses statuenda est; pro loco Templum ipsum, si pro
,, universo cœtu satis sit, sin minus, alius pro volun-
,, tate tua locus decernatur. Ut lites de medio subferan-
,, tur, ad suffragium ferendum admitti debent, qui no-
,, minandi jus habuerunt, cum postremus Parochus in
,, locum demortui suffectus fuit; sed cum plerumque *ra-*
,, *tione habitationis, seu domicilii* loci incolis nominatio
,, contingat, ideo soli patres-familias fere ad nominan-
,, dum accedunt. Non ita dicendum cum *ratione fun-*
,, *dationis, vel donationis* singulis parochianis jus nomi-
,, nandi conceditur; tunc enim nominatio fit *in capite*,
,, atque ideo non viris modo, ut Pitonius ostendit *de*
,, *controvers. Patron. alleg.* 100. *num.* 344. *& seqq.* sed
,, etiam feminis, minoribus, viduis, ac virginibus tri-
,, buitur. Si res in Templo mane peragatur, tunc Sa-
,, crum coram populo celebrabis, ut cœlesti lumine in
,, ferendis suffragiis illustretur. Sin autem extra Eccle-
,, siam, & post prandium, piis precibus comitia auspi-
,, caberis, ut supremi Numinis auxilium pro re gerenda
,, concilietur. Qui nullum jus habent, ab eo cœtu sum-
,, moveantur, in quo tu solus cum Scriba Foraneo, &
,, nominantibus intereris. Post hæc Comitia incipiant,
,, & ad finem cum silentio procedant. Scriba vero no-
,, mina competitorum, & suffragiorum numerum, quæ
,, singulis obtigerint, in actis describet, quæ certo do-
,, cumento obsignata ad Nos deferenda sunt. Si Deus
,, propitium voluntati nostræ se præbeat, & quæ nunc
,, constituimus, recte perficiantur, gravissimis malis,
,, quæ superiori tempore nimis invaluerunt, remedium
,, aptissime propositum confidimus: atque ut reliqua præ-
,, tereamus, illud ferri non potest, quod inscitis iis, qui
,, præsunt, nominantium domos circumirent petitores,
,, ut suffragia ab ipsis elicerent, eosque in schedam re-
,, ferrent, qui suffragium polliciti fuerant. Illam dein-
,, de firmam, ratamque facere curabant, ut suffragio-
,, rum numero reliquos competitores superasse palam
,, ostenderent, nimirum in caussa propria propriam
,, assertionem afferentes. Hæc tibi significanda duxi-
,, mus &c.

V. Clericis semper vetitum est quascumque exercere quæstuosas negotiationes. Hanc prohibitionem probat evidentissime Teophilus Raynaudus *in discept. de Religiosis Negotiatore*; & tam ipse in eadem *discept.* §. 3. quam Franciscus Dominicus Gianulettus in Apologia, quam compilavit *pro lege Divina prohibente Clericis mercaturam*, a jure Divino eam prohibitionem promanasse contendunt. Inter plurimos & Canones, & Patres, quos ibi congerit Lambertinus Pontifex, ita D. Cyprian. *Epist.* 66. *Quæ nunc ratio, & forma in Clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini Ordinatione Clerica promoventur, in nullo ab administratione Divina avocentur, nec molestiis, & negotiis sæcularibus alligentur.* Firmius hoc idem probant & Conc. Carthaginense III. *ann.* 397. *can.* 15. *tom.* 1. *Collect. Harduin. col.* 963. & Arelatense II. *circa annum* 452. *can.* 14. *tom.* 2. *Collect. Hard. col.* 774. & Chalcedonense *Can.* 3. *cit. tom.* 2. *ejusd. Collect. col.* 602. & unus pro omnibus, at strictioribus verbis Gelasius Papa *in sua Epistola ad Episcopos* per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos *cap.* 15. *relat. in Can.* 1. 14. *qu.* 4. decrevit, Clericos omnes, qui deinceps negotiationi operam darent, ab omni Ecclesiastico Ministerio arcendos, hisce verbis: *Clerici, aut ab indignis quæstibus noverint abstinendum, & ab omni cujuslibet negotiationis ingenio, vel cupiditate cessandum, aut in quocumque gradu sint positi, si cessare noluerint, mox a Clericalibus officiis abstinere cogantur.* Cujus vestigiis inhærens Alexander III. *in cap.* 6. *N. Clerici, vel Monachi &c.* prohibuit *ne Monachi, vel Clerici caussa lucri negotientur &c.*

Haud negandum tamen, quod aliquis detur casus, in quibus negotiatio Clericis ipsis minime interdicatur. Theophilus ipse Raynaudus *in cit. discept.* una cum Gonzalez *in Cap.* 6. *Ne Clerici, vel Monachi n.* 6. Pazzmnll. *dec* 6. *annot.* 3. *part.* 5. & Episcopo Perrimezzio *in suis Canonic. alleg. part.* 3. *allegat.* 3. quamdam negotiationis speciem expendit, quæ in honesto labore manuum consistit, & per quam Clericis ubique permitti docet, honestum sibi victum comparare. Post enim multorum Patrum exempla, qui in id manuum exercitium vel ad necessarium comparandum sibi victum, vel ad pauperes subveniendos incubuerunt, Conc. affert Carthaginense IV. *Can.* 52. *tom* 1. *Collect. Hard. col.* 985. præcipiens Clericis victum, & vestitum sibi artificiolo, vel agricoltura absque officii sui detrimento parare. Altera negotiationis species adhuc eisdem permittitur, ea nempe, quæ per venditionem rerum ex propriis prædiis collectarum, suæque sustentationi superfluarum, habetur; quo sensu dixit Auctor Operis imperfecti *in Matth. hom.* 38. omnes homines esse negotiatores, quia omnes coguntur res, quibus abundant, cum aliis, quibus carent, permutare. Licitum denique etiam volunt Ecclesiasticis, e rebus ad propriam, & Familiæ sustentationem coemptis, quæ supersunt, etiam carius, quam emerint, vendere, modo justi pretii non prætergrediantur limites, ut tradunt Gonzalez *in cit. cap.* 6. *n.* 6. Rebell. *de obligat. justit. part.* 2. *qu. ult. n.* 2. & alii.

Episcopus itaque in decernendo quinam sint contractus vetiti, quinam vero liciti, consulat primum Sacram Congregationem Concilii; tuto dein, & absque ulla hæsitatione declaret Cambia activa, quæ ad veram, & propriam pertinent negotiationem, Clericis esse prohibita: quæ etsi a Clerico inita valida sint, sicut Card de Luca *de Cambiis disc.* 18. *n.* 7. advertit, potest tamen Episcopus in Clericos, tamquam Negotiatores, statutis a Sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus pœnis animadvertere &c.

Inter Doctores attamen permulti sentire videntur in has pœnas eos Clericos minime incurrere, qui Cambii activi contractum per interpositam ineunt personam; hoc enim modo nec distrahuntur, ajunt, a Divinis, nec cum proprii status dedecore Sæcularibus curis implicantur. Verum cum falso hæc asserant; teste enim experientia constat ejusmodi Clericos negotiatores continue anxios, & sollicitos esse de lucro, quod ex data alteri pecunia sunt reportaturi, plenosque timoris, ne a socio decipiantur; ideo statuitur etiam per nuperrimum Pontificis Decretum datum *die* 25. *Febr.* 1741. nullam negotiationem, aliàs Clericis prohibitam, posse ab iisdem, etiam sub alieni nominis velamine exerceri; ipsique etiam per alios operam dantes, obnoxios eisdem esse prorsus pœnis, quæ a Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis statuta sunt contra Clericos Negotiatores &c.

Hæc omnia ex Synod. Diœces. lib. X. *Cap. VI. Edit. Roman. & Venet. lib.* 7. *Cap.* 49. *quæ quidem optime, ut etiam alibi, cohærent cum iis, de quibus Gerbaldus agit in suo Tractat.* III. de Contract. *Cap.* 11. *Dub.* 11. pag. 101.

VI. Licitus est Contractus, qui dicitur *pactum francandi*, cujus meminit Rota Bononiensis apud Gypsium *dec.* 119. Verum sunt nonnulla, quæ viciare possunt, & Contractum hunc, & alium simul haud dissimilem, qui dicitur contractus venditionis cum pacto redimendi. Primo vitiatur, si in illius stipulatione facultas, quæ datur venditori, rem venditam, quandocumque voluerit, redimendi, gravetur onere eam redimendi, majori pretio, quam ipse vendiderit; & hæc, si aliis conjecturis adjuvetur, etiam in foro externo poterit usuraria pronuntiari. Secundo, si venditio fiat cum pacto redimendi intra certum tempus, quo elapso, non sit amplius locus retrovenditionis. Tertio, si pactum redimendi hac lege ineatur, ut non liceat venditori fundum redimere, nisi post præfiniti temporis, puta duorum, aut decem annorum, intervallum. Notandum tamen, quod eædem conditiones, quæ vitiant *contractum venditionis* cum pacto redimendi, vitiant & *contractum francandi*, cum intra eamdem speciem ambo contineantur. Adest autem accuratissima Gabrielis Cardinalis Paleotti primi Bononiensis Archiepiscopi Instructio, typys Bononiensibus impressa ab anno 1587. post quæstiones Morales a Patre Ludovico de Beja explicatas, in qua Confessarios præsertim monet, ut in foro Sacramentali diligenter ab Emptore exquirant, num revera serium animum habuerit fundum emendi, ejusque dominium acquirendi, vel an potius voluerit mutuam dare pecuniam, & usque ad ejusdem restitutionem consequi fructus ex domo, prædio, aliove fundo, quem cum *pacto francandi* emere simulavit; similiter & Venditorem, num ab Emente pecuniam mutuam petierit cum fœnore restituendam, eumque renuentem induxerit ad usuram obtegendam pallio *pacto francandi*: quo casu, venditor non esset immunis a gravis noxæ reatu. Quinimmo non absolvitur a peccato nec qui, ut consequatur pecuniam, quam non potest obtinere sine *usura*, se obligat ad eam restituendam cum fœnore. Sic enim D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. in corp. *Dicendum est, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris; licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris, propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius.*

Hæc omnia fusius pertractata in Synod. Diœces. Lib. VII. Cap. II. num. 4. *Edit. Patav. ad litteram in Gerbaldo videre poteris adjecta Tract. III. Cap. II. Dub. XVII. ad num.* 179. *apposit.* pag. 118.

VII. Perpetua, atque communis Catholicæ Ecclesiæ, omniumque Conciliorum, Patrum, atque Theologorum Doctrina circa Contractus hæc est: omne lucrum ex mutuo præcise ratione mutui, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto, usurarium esse, omnique jure naturali, Divino, & Ecclesiastico illicitum. Græci Schismatici, & ex parte etiam Calvinus licere docent moderatum aliquod lucrum exigere, non quidem a paupere, sed a divite, præcise ratione mutui. Idipsum ex professo asserit & Carolus Mollinæus *in suo Tractat. de usuris num.* 10. aliisque ratione defendit &

Sal-

Salmasius, quasi *mercedem locatæ pecuniæ* illud appellando, cujus opinioni se opposuere plurimi ex iis etiam heterodoxis, qui pro viribus alioquin huic systemati stabiliendo ellaboraverunt: semper enim hoc unum firmum tenuere communiter, mutuatæ pecuniæ dominium in mutuatarium transferri, propterea nullo modo posse mutuum locationi comparari. Vide Gottfridum Mascovium *in Notis ad Pufendorf. lib. 5. cap. 7. §. 5.*

Equidem nonnulli ex Catholicis Doctoribus, distinguendo duplex mutui genus, aliud *sumptionis*, aliud vero *negotiationis*, usurarium illud, justum illud, dummodo moderatum, & modum servet a patriæ legibus definitum, nuncupant: omnes tamen Ecclesiæ Catholicæ Patres uno, eodemque ore absolute, atque indefinite fœneratitium pronuntiant, quidquid ex mutuo ultra sortem exigitur. Ita Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem cap. 37. in Ezechiel.* S. Basilius *in Psal. 14. tom. 1. Oper. pag. 107.* allegato pariter Ezechielis loco. S. Ambrosius *lib. unic. de Tobia cap. 14. tom. 1. Oper. col. 607.* S. Hieron. *in Ezechiel. lib. 6. cap. 18. tom. 5. Oper. Col. 210.* & pro omnibus Divus ipse Aug. *in Psal. 36. serm. 3. num. 6. tom. 4. Oper. Col. 285.* sic concludit: *si fœneraveris hominem, idest mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid, plusquam dedisti, expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid, plusquam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si plusquam dedisti, expectas accipere, fœnerator es &c.* Patribus, & Conciliis, Agatensi scilicet a Burcardo relato *lib. 2. cap. 126.* ab Ivone *par. 6. cap. 200.* & a Gratiano *caus. 14. quæst. 3. Can. 4.* permulti adhæsere Theologi, ex Veteribus præcipue, qui duce D. Thoma *2. 2. qu. 78. art. 2.* adeo districte omne lucrum ex mutuo, jure naturali, & divino vetitum asseruere, ut ne munus quidem *ab obsequio, aut a lingua*, quod certe quid minimum est, nullique onerosum, e Mutuatario, solius mutui caussa, exigi posse docuerunt. Ita Navarr. *Comment. de usuris num. 8. & seq.* Gibalinus, & Leorardus in suo Quilibet *de usuris*, Cardinalis de Lugo *de Just. & Jure tom. 2. disp. 25.* & alii plurimi, quorum auctoritatibus adhærens Lambertinus Pontifex in suis Encyclicis sub *die 1. Novemb. 1745.* decrevit: „ Primo, omne lucrum ex mutuo, ratione „ mutui usurarium, & illicitum esse. Secundo, ad usuræ „ labem purgandam nullum arcessiri posse subsidium, „ vel ex eo, quod id lucrum non excessivum, & ni„ mium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum „ sit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius caussa „ mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat, nec „ datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad „ fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis præ„ diis, vel quæstuosa agitando negotia, utilissime sit „ impensurus. Tertio, quamquam una cum mutui con„ tractu possint quandoque alii tituli concurrere, ipsi „ mutuo extrinseci, e quibus justa oriatur caussa, ali„ quid, ultra sortem ex mutuo debitam, exigendi; at„ tamen falso, & temere nonnulli affirmant, ejusmodi „ titulos semper reperiri, ac ubique præsto esse, ita ut „ illorum ratione, quotiescumque pecunia, frumentum, „ aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties „ semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem in„ tegram, salvamque recipere.

Contra Judæos, cum nulla ex his valeat ratio decretum renovat ab Innoc. III. in Concilio Generali Lateranensi editum *Cap. 67.* relatum *in Cap. Quanto magis de usuris*, his verbis: *Synodali decreto statuimus, ut si de cætero, quocumque prætextu, Judæi a Christianis graves, & immoderatas usuras extorserint, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter.*

Hæc omnia adjecta invenies ad litteram transcripta fideliter ex Cap. IV. Lib. X. num. 11. Synod. Diœces. Edit. Rom. in hoc Volum. ad Tract. III. Cap. III. De Mutuo, & Usuris, Dub. IV. pag. 124.

VIII. Diu, multumque disceptatum fuit inter Theologos, & Canonistas: an *Montes Pietatis* essent severa usuraria. Contra scripsit Cajetan. *in Commentat. de Mont. Pietatis Cap. 1.* Dominicus Soto *lib. 6. de Just. qu. 1. ar. 6.* quibus, modicum illud lucrum, quod ultra sortem accipitur, sapere videbatur usuram. Hisce sese subscripsit cum aliis Acatholicis Carpzovius præsertim *Crimin. qu. 92. num. 4. & seq.* Verum Leo X. in Concilio Lateranensi *V. Sess. 10.* sacro approbante Concilio, Montes prædictos licitos, atque ab omni usuræ labe immunes pronuntiavit; quidquid enim ultra sortem a Mutuatariis exigitur, non caussa mutui exigitur, sed ut sine Montis detrimento congrua merces assignetur Ministris, qui pignora custodiunt, & in gratiam Mutuatariorum sese in eis continuo, & opera, & labore exercent. Ita & Sylvius *in 2. 2.* D. Thom. *qu. 78. art. 4. quæst. 2.* qui pluribus aliis argumentis Montium Pietatis justitiam maxime vindicat. Ut autem omnis usuræ suspicio longe absit a Montibus Pietatis, Sacra Concilii Congregatio eos Episcoporum Visitationi subjecit die 7. Febr. 1637. statuens, nihil ultra sortem ab eis exigendum, nisi prius Sede Apostolica consulta: *Loca Pia* (sunt ejusdem Congregationis verba *lib. 25. Decr. pag. 486.* loca enim pia vocat Montes Pietatis ex Trid. *sess. 22. cap. 8. de Reform. pag. 486.*) *Loca Pia, & Sacras Ædes, quæ deposita retinent, dum mutuant indigentibus pecunias, accepto pignore, non posse quidquam a Mutuatariis, nisi ex Sedis Apostolicæ dispensatione accipere.* Multo minus (ait idem Pontifex) absque Apostolicæ Sedis placito erit plus exigendum, quam antea consueverit, etiamsi Mons Pietatis eo auctario indigeat ad solvenda debita, quæ in Mutuatariorum commodum contraxit.

Vide hæc per extensum, desumpta ex Synod. Diœces. lib. X. Cap. V. Edit. Rom. & lib. VII. Cap. XLVIII. Edit. Venet. apud Giribaldum apposit. ad tract. III. Cap. III. De Mutuo, & Usura Dub. XI. n. 128. pag. 135.

DE CAMBIIS.

X. Cambium, quod est permutatio pecuniæ cum moderato Campsoris lucro, fit tribus modis: primo, permutando pecuniam præsentem cum alia diversæ speciei, & dicitur *cambium minutum, & manuale*; secundo numerando Campsori pecuniam in uno loco, recipiendam in alio; tertio accipiendo in uno loco pecuniam, restituendam in alio, & hæc duo appellantur *Cambia localia, & per litteras*. Ex quolibet ex iis Cambiis licere Campsori aliquid lucrari Doctores omnes consentiunt, dummodo in Cambio locali vera fiat pecuniæ translatio, aut saltem, ut qui pecuniam accipit, serium habeat animum illam alibi restituendi. Quod si sciret pecuniam fore restituendam, ubi accepta fuit, quamvis Cambii litteræ alio directæ fingerentur, sub Cambii specie, vera lateret usura, quæ hominum, non Dei judicium effugere potest.

Iisidem & Cambium, quod *obliquum* dicitur, de quo vide Card. de Luca *lib. 5. tit. de Camb. in Summ. part. 2. n. 16.* suspicionem præbet, ne ejusdem ambages involutæ excogitatæ unice sint ad palliandam usuram. Hoc Cambii genus a nonnullis quidem tuetur, verum decisum habemus per Lambertinum Pontificem, si loquamur de foro externo, rem præsumendam, sicut in Contractus stipulatione describitur; in foro autem interno, si pecunia accepto mutuo respondens neque a Mutuante, neque e Mutuatario, juxta prædictas diversas pactiones, fuerit ad nundinas transmissa, seu in Cambia activa erogata, nec umquam in alterutrius animo fuit eam ad nundinas transmittere, seu in Cambia erogare, cambium erit illicitum, turpe, & usurarium, proinde eliminandum e christiana republica.

Hæc ex Synod. eod. Diœces. lib. X. Cap. V. §. VII. Edit. Romana. ad Giribald. apposit. ibid. Dub. III. numer. 21. pag. 142.

DE CENSIBUS.

IX. Omnem Censum usuram esse larvatam putarunt Henric. *quodlib. 1. quæst. 39. & quodlib. 8. quæst. 24.* & Salicet. cum Hottomanno. Distinguendum tamen inter Censum *realem*, & *personalem* docet hic Lambertinus Pontifex. Census realis est jus percipiendi annuam pensionem ex prædio, aliove fundo fructifero; & hunc esse licitum declaravit Martinus V. *in Extrav. 1. de empt. & vendit. inter Commun.* & Callistus III. *in Extrav. 2. eod. titulo*, & S. Pius V. in sua Constitutione incipiente *Cum onus*, edita 14. Kal. Febr. 1568. modo conditiones serventur, quas singillatim enumerat, & explicat Navar. *in Commentat. de usur. n. 45. & seq.* Personalis vero, qui constituitur non super re aliqua fructifera, sed super persona venditoris, qui obligationem sibi, vel suis etiam heredibus imponit, certam pensionem solvendi emptori ex industria, arte, & labore suo, quamvis ab usuræ reatu absolvatur a Soto *lib. 6. de Justitia quæst. 5. art. 1. Concl. 4.* Covarr. *lib. 3. Variar. cap. 7. num. 5. vers. Ego sane &c.* aliisque non paucis: illum tamen merum esse mutuum, census veste obtectum, ad occultandam usuram contendunt Navarr. *cit. Comment. de usur. num. 81.* Molina *de Just. tract. 2. disp. 387. num.* Gutierrez *lib. 2. practicar. quæst. 177. num. 7.* aliique magni nominis Doctores, quoniam hujusmodi censu personali non emitur jus ad percipiendam annuam pensionem, sicut in reali, sed venditur ipsa pensio. Sanctus itaque Pius V. hunc Censum in sua Constit. *Cum onus* proscripsit, quotiescumque ea non adsit conditio, ut nempe constituatur in re fructifera, non qualicumque, sed immobili, certa, ac nominatim designata; proinde ubi hæc recepta fuit Pii V. Constitutio, ab usuræ labe haud potest Census iste personalis defendi. Hinc nota, Pontificem nostrum id sentire, in censu nempe mere personali, præsertim utrinque redimibili, easdem desiderari conditiones, quas non solum Pontificia Constitutio, verum & ipsum jus naturale, &

Di-

Divinum exposcunt, ne sit larvatus contractus mutui, & propterea coram Deo usurarius.

Clarius, & adhuc fusius hæc, quæ protulit Lambertinus Pontifex in sua Synod. Diœces. lib. X. Cap. V. Edit. Rom. legere poteris ad Gribaldam nostrum adjecta Cap. V. de Censib. Dub. 11. n. 12. pag. 148.

DE PIGNORE.

XI. Statutum fuit per plura Pontificia decreta, ne Montis Pietatis Administri, cum in urbe, tum in Diœcesi universa, cæterique omnes, qui ad recipienda pignora designati sunt, pecuniam commodent, ac in pignus capiant sacram quamcumque supellectilem Ecclesiarum Sæcularium, aut Regularium, Sodalitatum, & Locorum Piorum, sive integra sint, sive fracta, nisi facultas expressa Congregationis, quæ Sacræ Visitationis dicitur, in medium proferatur, & hoc sub pœna excommunicationis, quæ soli Summo Pontifici reservatur absolvenda. Cum enim quæcumque Ecclesiæ Suppellex nullimode vendi queat, nisi legitima caussa interveniat, & Summi Pontificis consensus, cum præsertim de supellectili agatur valde pretiosa, aut saltem Episcopi facultas cum legitima caussa; ita consequens est, eamdem nec posse quocumque modo in pignus dari. Adest enim commune effatum, ubique receptum: *quod emptionem venditionemque recipit, etiam pignorationem potest recipere;* & e contrario, ut sapienter tradit Marcianus *l. Pupillus §. cum rem ff. quæ res pignori &c. eam rem, quam quis emere non potest, quia commercium ejus non est, jure pignoris accipere non potest ut Divus Pius Saturnino rescripsit.* Regularibus ipsis, qui virtute suorum privilegiorum, sine Pontificis auctoritate Sacram Supellectilem a se pignorari, vendique posse, contendebant, die 7. Septembr. an. 1625. consilio Sacræ Congreg. Concilii, quæcumque hujusmodi privilegia abrogavit Urbanus VIII.

Adest integra Institutio sub num. 11. Tom. IV. Edit. vero Latin. sub num. LXIX. quam ad litteram translatam invenies in Corp. hujus Volum. adject. post n. 10. Dub. II. Cap. IX. de Pignore, & Hypotheca. pag. 174.

DE CONTRACTIBUS SOCIETATIS.

XII. Contractus qui dicitur *Trinus*, seu *trium Contractuum*, quem celebrem adeo fecit exorta inter Dominicum Soto, & Martinum Navarrum discordia, tamquam usurarius damnatus fuit a Sixto V. in sua Constit. 68. quæ incipit. *Detestabilis ann.* 1686. Eum ipsum tamen Contractum plures, & magni nominis Theologi ab omni usuræ reatu defendere conati sunt, & licite etiam nunc fieri posse permulti constantissime autumant. Quippe Sixti mentem in hac sententia interpretantes, eum voluisse dumtaxat damnare asserunt conventiones, & pacta, quæ in se injusta, illicita, & usuraria forent, non vero quæ omni usura vacare probarentur. Multi equidem, & ex his Recentiores Theologi absonum nimis opinari videntur Sixtum V. in sua Constit. circa hunc trinum Contractum verbis lusisse, nec quæstionis nodum solvisse; unde inferunt noluisse revera Sixtum Pontificem legem novare rogare, sed contractum solummodo proscribere, quem jam deprehenderat in se turpem, & usuræ labe fœdatum. Rationes colliguntur hinc inde permultæ, & magni ponderis auctoritates; cum autem nihil adhuc contra sanciverit Apostolica Sedes, consulendi remanent Episcopi, ne hac de re quid per censurarum gladium perstringant, sed pro viribus potius impedire curent, ne quocumque modo sui subditi contractum hujuscemodi ineant.

Plura hac in re percurrere poteris in Synod. Diœces. lib. VIII. Cap. 1. quæ omnia ad litteram fideliter adjecta invenies in Corpor. hujus voluminis ad Tract. III. Cap. XII. Dub. V. num. 46. pag. 192.

DE TESTAMENTIS, ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

XIII. Testamenta, ubi nullus aut versatur, aut præsto est Notarius, coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus facta, firma, & valida sunt censenda. Duo siquidem edidit Decretalia Alexander III. In prima, præsentem Parochum exposcit. *In Decret. cum esses* ita statuit: *Testamenta, quæ Paroch aut coram Presbytero suo, & tribus, vel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere.* In secunda Decretali *Relatum*, hæc declarat haud Parochum nominando, *tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis, quoniam scriptum est: in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.* Omnis tamen discrepantia evanescit, si quis advertat, in prima decretali sermonem haberi de testamentis *ad profanas* tantum *caussas* peractis, & totum Ecclesiasticæ ditionis ambitum complectitur; in secunda vero verba tantum fieri de Testamentis *ad caussas pias* spectantibus, & universo terrarum orbe servanda. Testamenta ad *profanas caussas* pertinentia coram Parocho, ac duobus vel tribus testibus peracta in tota Ecclesiastica Ditione, & præsertim Bononiæ, ac per universam illam Diœcesim, vim obtinent.

Valere itidem Testamenta dicuntur coram Parocho agresti, facta ab eo, qui, etsi morari soleat in Civitate, tamen improviso morbo corripitur, dum rusticatur.

Valent & ea, quæ absente quandoque Parocho fiunt coram Capellano, vel Confessario, non tamen extraordinario, sed eo, qui Pœnitentiæ Sacramento Testatorem expiare jamdudum consuevit, duobus aliis tamen, vel tribus testibus accitis.

Rite, ac recte tandem Testamentum conficitur, licet etiam Testator gravi morbo non teneatur, dummodo semper viri, non mulieres, testimonium ferant, &, si nec Parochus adsit, nec consuetus Testatoris Confessarius, coram tamen saltem quatuor Testibus, qui probi, ac fide sint præstantes, conficiatur.

Hæc sunt, quæ a Theologis potissimum agitata nonnumquam fuere: de usu tamen rei videre est per extensum Lambertinum Pontificem in Corp. hujus Voluminis, ubi Parochos præsertim summa benignitate cum pari scientia, & modum, & formam ipsam hæc rite & valide condendi testamenta edocet, certamque statuit formulam adhibendam in sua Institutione posita sub n. CV. Edit. Lat. Edit. vero Ital. XVII. Tom. V. & ad Gribaldum adjecta Tract. III. Cap. XV. Dub. II. num. 22. in Corp. pag. 210.

XIV. Ubi reditus a Testatoribus relicti ad Missarum oneris implementum impares evadunt, vel Episcopi erit reducere Missarum onera, vel Heredes cogendi ad supplementum ex reliquo Patrimonio præstandum. Regula hæc est: si dispositio a Testatore exordiatur a designatione fundi, seu dotis, cujus reditus in præscripti oneris implementum sint erogandi, indeque progrediatur ad exprimendum, definiendumque Missarum onus; tunc, ajunt, dotalis fundi constitutionem videri *taxativa* factam; ita ut eo evicto, seu alias reditibus imminutis, vel aucta stipendii taxa, non ad supplementum, sed ad reductionem Missarum Superioris cura converti debeat. Si autem ab onere incipiat dispositio, indeque peragat ad fundum constituendum; tunc obstringi debere heredes ad supplementum, quod deest, concluditur juxta Instructionem, quæ per Congregationem transmitti solet, cum alicui facultas conceditur, reducendi Missarum onera; a qua instructione nec iis recedere licet, qui ad has reductiones faciendas facultatem obtinuerunt ex ampliatione Indulti in Concilio Romano concessi, quantumvis de ea in ipso Concilio nullum fiat verbum.

Insuper distinctionem satis claram hac in re nobis præstant vota celebris Altoviti in *Caussa Firmana Reductionis Missarum* die 24. Aug. ann. 1686. in hæc verba: *Ubi legatur species per heredem consignanda Legatario, si ista pereat, vel diminuatur, postquam fuit consignata, peremptio, & diminutio hujusmodi cedit damno legatarii, neque heres ad aliud quidpiam tenetur: si vero pereat, vel diminuatur penes heredem, antequam legatario tradatur, peremptio, & diminutio cedit damno heredis, qui proinde tenetur supplere.* Sequitur tamen in alio voto exarato in *Caussa Brixiensi* die prima Decembr. 1685. *Attamen hæc regula procedit, vel quando fuit legata quantitas, vel quando fuit legata res in genere, vel quando fuit legata res in specie, quæ remanet penes heredem habentem onus curandi celebrationem; vel quando res legata fuit ab herede consignata legatario, non quidem ex præcepto Testatoris, sed ex propria voluntate, & ad effectum tantummodo se eximendi a præfato onere curandi celebrationem. At secus est, quando Testator gravavit heredem ad tradendam legatario rem legatam, & eidem legatario injunxit onus curandi celebrationem: hoc enim casu heres, consignata legatario re legata, liberatur: & eveniente casu, quo illius annuus reditus evadat impar oneri Missarum, non tenetur supplere.*

Reliqua de reductione Missarum consideranda juxta cujuslibet Diœcesis usum, & consuetudinem, sicuti & regulæ certæ traduntur tam de Missis lectis, quam cantatis a S. Congregatione Concilii, uti per extensum videre est apud Lambertinum Pontificem in sua Synod. Diœces. lib. XIII. Cap. ult. Edit. Rom. in corpore hujus Voluminis ad litteram transcript. tract. III. Cap. XV. Dub. XIX. num. 162. pag. 228.

DE CENSURIS.

XV. Censura est pœna spiritualis, & medicinalis, qua homini baptizato, delinquenti, ac contumaci quorumdam spiritualium bonorum usus aufertur ab Ecclesia, donec a contumacia recedat.

Plura adhuc ex Synod. Diœces. lib. X. Cap. I. ad Gribaldam adjecta in Cap. 1. de Censuris in Communi Dub. I. pag. 240.

XVI. Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti cen-

censura non est ferenda, nisi propter graviorem culpam. Ita Trid. Synodus *Sess. 25. Cap. 3. de reform. Quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris; sobrie tamen, magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem.*

Hæc in Lib. X. Cap. I. Synod. Diœces. Rom. Edit. adjecta ad Tract. IV. Cap. I. Giribaldi, Dub. V. n. 48. pag. 245.

XVII. Ad irrogandam Censuram, quam vocant *comminatoriam*, seu ferendæ sententiæ, oportet delictum esse gravius, & execrabilius, quam illud, ob quod infliguntur Censuræ *sententiæ latæ*. Hujusmodi Censuræ nimia facilitas a multis doctoribus improbatur; Gerson autem, qui falso sibi Goscalcum Rosemundum adstipulari putat, post multa, quæ ad hanc rem explicandam adduxit, non improbare eas audet, sed requiri potius sententiam prius criminalis declaratoriam autumat, quæ utique est necessaria pro foro externo, in quo nemo est reputandus censura innodatus, nisi reus criminis, cui est censura jure ipso alligata, legitime probetur: in foro attamen interno ad incurrendam censuram latæ sententiæ nullam esse necessariam judicii declarationem demonstratur, sed fat esse crimen perpetrare, cui illa est annexa; Theophilus enim Raynaudus *Oper. tom. 14. pag. 514.* scribens adversus Ayalam censuras latæ sententiæ hoc nomine reprehendentem, quod illa non præcedat canonica admonitio, egregie ostendit, admonitionis loco esse promulgationem legis, aliquid fieri præcipientis, vel prohibentis sub pœna Censuræ. Quamvis vero Van-Espen absolute damnare eas excommunicationis species latæ sententiæ non audeat, eas tamen recenter tantum adinventas autumat, & decem primis Ecclesiæ sæculis prorsus ignotas sustinet. Falso tamen; tres enim, & olim fuisse Excommunicationis species animadvertendum; *Simplex, anathema, & Maranatha. Simplex & Anathema* in hoc tantum differunt, quod illa solo verbo proferebatur, ista celebri quadam sollemnitate. *Maranatha* autem excommunicationi hoc addebat, quod sic excommunicatus solius Dei judicio relictus ab Ecclesiæ Communione separatus permanere juberetur usque ad diem judicii. Quod si & antiquissima Synodus Gangrensis, paullo post Nicænam habita, anathemate perculit suorum Canonum transgressores, & Patres Concilii Toletani IV. habiti ann. 633. cui Episcopi 62. interfuere *Anathema Maranatha* ter in eos pronuntiarunt, qui adversus Regem, & Regnum conjurarent, haud dubitandum certe, quod Van-Espen asserit, recenter ipsas adinventas.

Attamen admonendi Episcopi, ut in decernendis censuris latæ sententiæ magna cautela, & circumspectione procedant, ne deinceps cogantur decreta sua reformare, aut etiam prorsus delere. Constans hæc enim fuit Sacræ Congregationis Concilii sententia, uti videre est ex eo, quod Larinensi Episcopo accidit sub Clemente XI. adversus cujus nimium severam Constitutionem, cum appellassent Clerici Larinenses *die 30. August. 1732.* re deducta ad Sacram Congregationem Concilii, pœna suspensionis in ea Synodo irrogata sublata penitus fuit, quasi existimantes Sacræ illius Congregationis Patres leviorem culpam, quæ infligebatur, hac pœna.


Tametsi difficile prorsus certum modum, certamque posse tradi regulam, in infligendis hisce Censuris ubique servandam; attendendæ quippe circumstantiæ, & cum res plerumque pendeat a rerum, locorum, & temporum conditionibus, id totum Episcoporum relinquendum prudentiæ.

Eminentius hæc eadem videre poteris in Lib. X. Synod. Diœces. Cap. I. II. & III. adjecta ad Tract. IV. Cap. I. Dub. V. Giribaldi num. 59. pag. 247.

XVIII. Proposito Pontifici nostro hoc dubio: *utrum Clericus prima Tonsura, ac Minoribus Ordinibus præditus, cooptatus sponte in cohortem equitum, & ad pugnandum cum militibus missus, certoque affirmans in hac acie se numquam sclopetum explosisse, neminique vulnus, aut necem intulisse, cum in patriam postmodum rediens, rursusque habitum clericalem induerit, aliqua irregularitate devinctus vel susceptos Ordines exercere queat, vel ad reliquos assumi valeat, nisi prius Apostolicæ Sedis facultas intercesserit*: responsum eruditionibus, & auctoritatibus multis refertum hic nobis definitive traditur, nulli nempe irregularitati Clericum hunc esse obnoxium, quamvis militiæ adscriptus in acie constiterit, & conditionem a Clerico prorsus alienam delegerit, & in eo discrimine versatus ultro fuerit, at aliquem necaret, aut mutilum efficeret. Hoc probatur exemplo Clerici, qui Magistratus Sæcularis personam suscepit, mortisque sententiam in aliquem reum pronunciavit, quæ tamen sententia nequaquam executioni mandata sit. Hac de re videre est potissimum Dianam *in edit. coord. tom. 5. resol. 89.* Nonnullæ tamen advertendæ videntur circumstantiæ in Clerico milite, quæ non sunt advertendæ in Clerico Judice; num scilicet bellum, in quo Clericus ille præliabatur justum, aut injustum fuerit; a Theologis enim asseritur irregularem fieri militem, licet haud ipse manu sua, sed ejusdem Commilitones homicidium commiserint; contra vero irregularitate liberum esse, qui in bello justo manu sua neminem obtruncaverit, licet alii a cædibus non abstinuerint. Verum circumstantia, quæ omnem hanc explanat difficultatem hæc est; quod cum irregularitas in Ecclesiasticos constituatur, qui militiam suscipiunt, *non ex defectu, sed ex delicto*; & hoc delictum levius sit in Clerico, qui ad Minores tantum Ordines fuit promotus, quam in eo, qui Sacris est initiatus Ordinibus; inde sequitur, illos solum intelligendos censura irretitos, qui Sacris, non qui Minoribus Ordinibus est initiatus, Idemque & intelligendum de Beneficiato; nam quæ illicita decernuntur Clericis ad Sacros Ordines evectis, eadem prorsus afficiunt Clericos, qui Beneficium habent.

Quod si quæratur de certitudine, vel dubietate delicti, respondendum; si res agatur pro *Foro interiori*, nempe ut Clericus ab exercendis suis Ordinibus abstineat, & ne ad alios assumi contendat; tunc, cum in dubiis tutior pars sit eligenda, irregularitas pro certo habenda est: si vero agatur in *Foro externo*, nempe ut pœnæ statuantur, & Clericus Beneficio privetur; tum nulla proponenda est irregularitas, ob eam caussam, quod nequaquam licet certam pœnam pro incerto crimine constituere.

Fusius hæc omnia in integra Institutione posita sub num. 101. Edit. Latin. ad Giribaldum in hoc Volumine apposita Tractat. IV. Cap. VI. de Irregularit. Dub. VI. num. 79. pag. 390.



INDEX RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc Opere continentur.

Prior numerus Paginam, secundus Notas marginales designat.

A

ACCEPTIO PERSONARUM.

ADVOCATUS CAUSSIDICUS.

ALIENATIO.

POENÆ MALE ALIENANTIUM.

ANIMALIA.

APPELLATIO.

ASSECURATIO.

B

BENEFICIUM.

C

CAMBIUM.

C E N S U S.

C E N S U R A.

Illam

QUALITER SIT PRÆMITTENDA MONITIO.

QUALITER REQUIRATUR JUSTA CAUSSA.

DE CIRCUMSTANTIA LOCI, ET TEMPORIS.

DE CAUSSIS EXCUSANTIBUS AB INCURRENDIS CENSURIS.

DE ABSOLUTIONE CENSURARUM.

Sol.

Z opus

CONSENSUS.

CONSILIUM, CONSULENS.

CONTRACTUS.

QUISNAM POSSIT CONTRAHERE.

COOPERANTES.

E

EMPHYTEUSIS.

Nec

EMPTIO, ET VENDITIO.

EXCOMUNICATIO, EXCOMMUNICATUS.

PRIVATIO DIVINORUM OFFICIORUM.

PRIVATIO SEPULTURÆ ECCLESIASTICÆ.

PRIVATIO BENEFICIORUM.

PRIVATIO JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

INHABILITAS AD EXERCENDOS ACTUS LEGITIMOS IN JUDICIO.

PRIVATIO COMMUNICATIONIS POLITICÆ, ET CIVILIS.

EXCOMMUNICATIO MINOR.

EXECUTORES TESTAMENTORUM.

F

FAMULI.

HYPOTHECA.

I

IMPEDIENS.

INTERDICTUM.

IRREGULARITAS.

IRREGULARITAS EX DEFECTU ANIMÆ.

IRREGULARITAS EX DEFECTU CORPORIS.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU NATALIUM, ET LIBERTATIS.

IRREGULARITAS EX BIGAMIA.

IRREGULARITAS EX DEFECTU LENITATIS.

IRREGULARITAS EX HOMICIDIO VOLUNTARIO.

nec

IRREGULARITAS EX HOMICIDIO CASUALI.

IRREGULARITAS EX ALIIS DELICTIS.

IRREGULARITATIS DISPENSATIO.

JUDEX, JUDICIUM.

JUS.

Jus

J U S T I T I A.

L

L E G A T U M.

L I V E L L U S.

L O C A T I O.

L U D U S.

Qui

M

MANDANS.

MANDATUM.

METUS.

MONOPOLIUM.

MONS PIETATIS.

MUTUUM.

N E.

N

NEGOTIATIO.

O

ORDO INTER COOPERATORES AD FURTUM.

ORDO INTER DEBITA SOLVENDA.

P

PALPO.

PIGNUS, HYPOTHECA.

POSSESSIO.

POSSESSOR BONÆ FIDEI.

POSSESSOR DUBIÆ FIDEI.

POSSESSOR MALÆ FIDEI.

PRECARIUM.

PRÆSCRIPTIO.

Quid

P R E T I U M.

P R O M I S S I O.

R

R E S T I T U T I O.

QUID SIT RESTITUENDUM.

RESTITUTIO OB DAMNA SPIRITUALIA.

Sa-

RESTITUTIO HONORIS.

RESTITUTIO DIVITIARUM.

CUI, QUANTUM &c. SIT RESTITUENDUM.

CAUSSÆ EXCUSANTES A RESTITUTIONE.

RESTITUTIONIS ALIÆ CIRCUMSTANTIÆ.

quam

RESTITUTIO IN INTEGRUM.

R E U S.

S

SERVITUS, SERVUS.

S O C I E T A S.

SPONSIO, SORS.

SUBSTITUTIO.

SUSPENSIO.

T

TESTAMENTUM.

Quo-

TESTIS.

THESAURUS.

TRANSACTIO, ET COMPOSITIO.

TUTELA, ET CURA.

Lici-

U S U R A.

USUS, ET USUSFRUCTUS.

F I N I S I N D I C I S.

TABU-

T A B U L A

Omnium Bullarum, Quæ in toto hoc Opere producuntur.

IN TOMO QUARTO.

IN TOMO QUINTO.

FINIS TABULÆ BULLARUM, ET TOTIUS OPERIS.



